

ÆTAS PRIMA, COMPLECTITVR

[illegible] Græcorum, sive LXX. [illegible] supputatione, Annos [illegible] 2242. Al. ob controversos Mathusalæ [illegible]	Ex certiore Hebræor. calculo, Annos tantum, 1656. Al. comprehensâ Diluvij fine 1657. quos sequimur.

CONDITVS MVNDI.



EVS æternus, In principio, [illegible] non ab æterno sed in ipso Temporis, sive Durationis [illegible] initio) Verbo suo; [illegible] & præpotenti vi, liberè [illegible] & de nihilo (nul- [illegible] neque ex atomis, [illegible] fortuito re- [illegible], hunc spectabilem Mundū: [illegible] in sui Virtus [illegible] & Ange- [illegible] 4. [illegible] velut quoddam [illegible] marium, complectitur. Quat- [illegible] genera inter se coæva, statuun- [illegible] um, Angel., Terra (sive Aqua Te[illegible] incubans & Tēpus. Quæcun- que [illegible] S. Trinitatem, naturam ha- b[illegible] iam.

D[illegible], & Luce primigeniâ Temporis [illegible] Duratio erat rei corporeæ, ([illegible], & c[illegible] en a tempori no- str[illegible] tum creata, tres primos mundi di[illegible] in occasum, descripsit & d[illegible] s, Sol, unà cum Lunâ creat[illegible] cæpit & perseveravit [illegible] x, in m[illegible] in [illegible] Cœ[illegible] vel totius aby[illegible] ad o[illegible] determinans, eff[illegible], qu[illegible] terminum.

Fa[illegible] Augu[illegible] l. [illegible] c.6. de Civit. Dei, Creati[illegible] & T[illegible] rum, unum esse principium: [illegible] prævenire. E[illegible] priores 3. dies sine S[illegible] os esse, qui 4. die factus refertur. Et pr[illegible] uidem Lux verbo Dei facta; atque inter ipsam & Ten[illegible] Deu[illegible] separasse, n[illegible] atur: & eandem Lucem vocasse diem; Tenebr[illegible] em.

[illegible] tophorus Lauretus, L[illegible] ro quem Gallicè [illegible] e Doctrina [illegible] &c. Tempus. sta- t[illegible], originem sui accepisse in Meridiano Tractus Hierosolymitani, cui propinqua Hebron, (qui est longitudinis 66. grad. 15. minut. & latitudinis 31. grad. 40. minut.) in puncto Æquinoctij verni. perinde ac si Sol & Luna in verâ fuissent coitione: & hæc universa ter[illegible] creatio facta fuisset primo die mundi. qui cum Dominico nostro (qui profanis, dies Solis: Christianis, 1. Feria: Hebræis, 1. Hebdomadę sive Sabbati, dicitur) convenerit idque, vt Bedas ex alijs tradit, X. (verius VIII. Kal. April. quo & die Christus cōceptus, & passus esse, & a morte paullò post resurrexisse, proditur. Diem illū 25. Martij veteres magno in honore habuere, à quo crederent cæpisse 1. æquinoctium, & mundum conditum. Circa Edenem. ubi homo creatus, simulac Sol Arietem attigit; segetes flavescere, & multi fructus maturescere incipiunt. Et in ultissimo totius orbis hemisphærio perpetua veluti messis, florum, herbarum, frugum, &c. ab Ariete ad Libram. Dies noctibus longiores; & lucis splendor regnum obtinet: & rerum omnium ortus. Cōtraria omnia ab æquinoctio autumnali

ORNATVS MVNDI, ET HOminis creatio.

DEVS autem deinceps per dies consequenteis, reliquis omnibus, quæ sub sensum cadunt, procreatis, particulatim han[illegible] Vniversitatem (cujus circumflexu teguntur omnia, [illegible] uęque à perfectâ absolutaque elegantiâ Κόσμ[illegible], & Mundi, sive ornamenti nomine in[illegible] meruit) eodem VERBO suo, & præcellente S. Spiritus potentiâ ac bonitate. ex[illegible] conti[illegible] Luce in primis, quæ spiritali naturæ maxi[illegible] e ad[illegible] est, eodem primo die creatâ, & à Tenebris divisâ. und[illegible] Diei & noctis vicissitudines.

Postridie namque, sive die alterâ, factum est Firmamentum, sive Cœlum Sidereum quod, &

 Expansum.

Expansum [illegible] inter quod, & Empyreum, mediæ sunt Aquæ: quæ, ut multorum opinio est, Cœlum Crystallinum appellantur. στερέωμα, [illegible] lecti volunt, 1. Aërem & Ætherem, hoc est, primum & infimum cœlum. 2. omneis orbeis mobiles, numero X. qui Hebræis secundum cœlum dicuntur. 3. Cœlum immobile quod tertium Apostolus vocat. Id vel crystallinum, vel empyreum dicunt. Habet enim τὸ φωτιστικὸν ignis, &, aquæ τὸ διαφανὲς.

Die tertio, reliquis aquis, [illegible] amentum sitæ cuncta operiebant, in partem secretis & densatis (quæ Maria, & Sinus marium vocata sunt) Arida apparuit. Eaque statim herbas, plantas & arbores omnis generis, una cum seminibus & fructibus produxit; & Terra est appellata. Tū e[illegible] (Genebr. & alijs) Paradisus voluptatis, sive Hortus Eden, simul emersit. Deus aquarum omnium naturam bifariam divisit. Quasdam sursum coll[illegible], quæ suo liquore & frigiditate [illegible] sinerent corrumpi Firmamentum ab igne luminarium. Reliquæ verò aquæ deorsum remanserunt, quæ suis vaporibus aërem foveant exustum & exiccatum ab igne superiore.

Die quarto, Luminaria cœlestia; Sol, qui Diei; & Luna, quæ Nocti præesset; discrimina Tenebrarum & Lucis. Diei [illegible] & Noctium. Stellę quoque, & Planetæ, totus denique Astrorum chorus eluxit, quæ anniversarias Temporum, Veris & Æstatis, Auctumni & Hyemis, mensium denique vicissitudines metiantur, & opportuna rebus agendis tempora describant.

Die quinto, ex Aquá sive Mari, exstitére Pisces & Aves, Aquæ & Aeris incolæ. (Alij contendunt, minus fort. probabiliter, non aves ex [illegible]; sed tam aves, quam pisceis, ex nihilo emersisse.)

Die sexto Terra præterea produxit Animantia; Quadrupedia, Iumenta, Serpentia & Fera. Eodem quoque die, sed iam præcipiti, sive, ad extremum diei [illegible] (quod erat propè initium diei septimi [illegible] quo ab omni opere requievit) DEVS Vnus & Trinus, è Limo terræ, sive pulvere humecto, ad sui imaginem & similitudinem, effinxit Hominem, Adamum. Eique mentem, sive Animā, æternam & immortalem, rationis participem, hoc est, intelligentia, voluntate, ac memoria præditam, infudit, Speculum rerum, tam earum, quæ perennitate [illegible] natæ; quàm quæ interitui obnoxiæ essent. Vtque, quemadmodum Deus [illegible] rerum omnium tenet [illegible]erium; ita homo animantibus cæteris dominaretur.

Alij [illegible] de nomine speciei putant. Adam [illegible] Hebræis, hominem sonat. Alij (quod [illegible] quia in agro Damasceno (non illo Syriæ, sed Hebroni vicino. Vide Lapid.) unius gleba rubra esse dicitur, [illegible] vel Adam. Et Edem [illegible]

PARADISVS, *Hominis recens creati sedes.*

TRadunt Hortum Eden, sive Paradisum, in Mesopotamia, ad [illegible] Terræ Sanctæ, [illegible] qui 4. fluminibus tunc rigaretur quidem; Phisone, qui Ganges; Gehone, qui Nilus; Tigri, & Euphrate. Diluvij verò violentiâ, [illegible] na eadem, quæ antea per Syriam, [illegible], Mesopotamiam [illegible] patebant, [illegible] Vet[illegible] in Eden alonde fluvium permagnum. ab [illegible] pern[illegible]se in paradisum; & inde in 4. parteis d[illegible]butum, abiisse in diversas re[illegible] Eugub. q[illegible] Phisonem & Gehonem, non Gangem & Nilum, sed duo ex Euphrate aquarum deviortia, & alveos statuit; qui Arabas Eoos olim Æthiop[illegible], adluerint. Lapidano, paradisus eo loco situs fuisse videtur, quo Euphrates & Tigris confluunt; à quo confluxu, in h[illegible] 4. flumina discriminentur: ut suprà sint Tigris & Euphrates; infra Gehon, qui Arabiam deserta[illegible]; & Phasi-tigris, qui terram Hevilath, sive Chaulatæorum, perfluat & circuitu quodā eamdem peragrans, in sinum Persicum d[illegible]batur.

Adamo itaque in hunc amœnissimum Hortum, cui præesset, quemque non sine delicijs & quâdam eu bymiâ, excoleret ipse, (per Angelū) translato & in soporé dato sive in Ecstasim rapto, é costarum unâ, mulierem, Evam, Deus efformavit; & vitæ sociam Coniugemque Viro, mutua, ex naturæ paritate, benivolentia coniunxit.

PRIMA legitimi coniugij institutio naturalis & mystica.)

Eā cū Deus ad Adamū adduxisset; ipse spiritus prophetici permotione intelligés id quod factum fuerat, eam dixit, os esse, quod ex ossibus suis; & carnē, quæ ex carne suâ sūta esset. Eaque-propter, illā, (ut sic interpretemur) [illegible] (ab I[illegible]ha, quod est, ἡ ἀνδρὶς vel ἀνδρικὴ) quoniam ex viro decerpta esset; Viram seu Viraginem in posterū vocatū iri.

Hi sunt primi Generis humani parentes; quorum cau[illegible] reliqua fuerant procreata: quique in eadem imperio divinitus concesso dominarentur.

Die septimo, primum fuit SABBATHVM, sive Dies Quietis, quo Deus requievit universè super opere quod fecerat: sive ab ulteriore rerum novarum creatione supersedit, & ei diei benedixit, eūque sui Numinis cultui consecravit: ut otio illo diurno certū esset omnia eo esse perfecta nec quidquam ulterius desiderari. Crescere autem & multiplicari singula in sua specie, iteratò iam iusserat, secundum germen ipsi insitum, & vim divinitus attributam [illegible] Naturam dicimus.

Mundo itaque condito, Homo, utroque sexu factus est, [illegible] Deo, animi mentisque munere & arbitrij libertate. Sive factus ad imaginem & similitudinem Dei; naturalibus animæ facultatibus, & gratuitis donis ac virtutibus. Hæc Dei Imago, reluxit, 1. in ipso dominio quem obtinuit Adamus in res creatas. 2. In præstantia corporis symmetriâ. In vultu, qui instar speculi & speculi. 3. In animæ immortalitate. 4. Excellentibus corporis & animæ facultatib. ut homo μικρόκοσμος fit, & totius mundi epitome. 5. In [illegible] facultatum puritate; & [illegible] inter appetitus & rationis, [illegible] voluntatis.

HOMINIS PECCATVM, *& Exsilium.*

PRimigenis his parentibus, in paradiso illo terreno, divinâ manu consito, & IV. fluminibus irriguo,

irriguo, ad Orientem, in Edene, collocatis; hoc tātum præcepti imposuerat Deus, (qui ceu iustus agonotheta, Athletis virtutis, victoriæ præmia proponere instituisset) Vt quum ex cæterarum omnium arborum fructibus, liberè victitare liceret; tum ab unā arbore, quæ (Pomus, Sulpit. al. Ficus) scientiæ boni & mali appellabatur, abstinerent. morte, ceu pœnā violati præcepti vindice, constitutā. Ligna ista, plantæ erant è terrā enatæ. sed propter diuinam sententiam, alterum ex ijs lignū Vitæ dictum, veluti quoddam vitæ præmium propositum observanti mandatum. Alterum, quia per ipsum sentiri cæpit peccatum, lignum boni & mali cognitiuum, appellatum est. Habebat quidem Adamus eam à naturā notitiam, sed postea experimentum cepit. Illi autem, qui nullas in animo & corpore voluptatis illecebras adhuc persensissent, solā Diaboli inuidiā, obliti salutis suæ & suorum, præceptum illud statim violaverunt. Et ab illo, qui vel verus & versutus serpens erat, vel serpentis figuram præferebat, elusā callidè diuini præcepti seueritate, & elevatā moriendi necessitate; atque adeo vana scientiæ, quæ mox, divinę par, in ipsis esset futura; pollicitatione, quodam-modo persuasi. Et priùs Eua, deinde Adamus, blanditijs uxorijs inductus; fructum vetitum degustare, vescique; & Deum auctorem, neglectā lege, offendere ausi; incredibilibus miserijs sese & posteros involverunt, & inexpiabili criminis labe infecerunt. Atque adeo in primis, qui ad illud tempus nudi, sine vllo pudoris sensu, ex naturæ adspectu, fuerant; statim ex sensu peccati, & conscientiæ stimulo, erubescentes, cōtextis è fronde ficulneā arboris vetitæ subligaculis, naturam operuerunt. Et exauditā Dei, in paradiso à meridie inambulantis, & se compellantis, voce; ut eius, quem offendebant, conspectum declinarent; inter arbusta sese abdiderunt.

Verùm ille Adamum, sistere se coràm iussum; & metum laubulumque à nuditate excusantem, rogat: Vnde insolens illa nuditatis cognitio, & pudor! nisi quod pomum, cuius esu ipsis interdictum fuerat, degustassent! Is verò culpam non agnoscere ingenuè; sed in mulierem, sociam sibi à Deo datā, quæ fructum comedendum obtulisset, conferre. Et illa vicissim rogata, se à serpente deceptam, edisse, respondit.

Tum Deus serpentem, uti totius mali auctorem, condemnat: quo, vel cuius saltim specie, in fallendā captandāque Euā, Diabolus usus esset. Et hunc in eum pœnam statuit: Vt non pedum, sed pectoris præsidio ingrediatur; & terram pro cibo devoret. In Diabolum autem, mali caput; immortaleis ennfstituit ... inter ipsum, & mulierem, ac semen vtriusque, inimicitias. Ita tamen, ut Euæ semen, hoc est, CHRISTVS, (al. MARIAM, CHRISTI matrem, interpretantur, quę, per CHRISTVM, Diabolum debellatura esset) eius caput tamdem obtriturus sit.

(HAEC prima CHRISTI Servatoris Promissio.) Et Evæ quidem hanc multā dixit DEVS: Fore, ut in partu liberorum, dolores ei ingeminentur; & ipsa viri, ceu domini, subsit potestati. Adamus verò, qui prava-suadenti & illecebrosæ vxori paruisset; ea quæ ad vitam sunt necessaria, ex terrā, diris devotā, & perpetuum sibi à carduis vepribusque expurgandā, non sine sudore & molestiā, compararet, & quasi ingratijs exigat. quoad eamdem in terram, unde ortus, revertatur. Atque hæc priuata Adami & Evæ supplicia, commune utrique aliud excepit. DEVS namque eos, contextis ex pelle (alij, teste Theodorito, ex arborum corticibus) tunicis amictos, è loco illo amœnissimo, in Hebronem, ubi ille primum creatus (Abulens.) & in locum calamitatis plenissimum, colendæ terræ caussā, mox eiecit. Neve cò impunè redirent; pro foribus Horti, Cherubimum, qui viam illuc ferentem custodiret, cum gladio micante & versatili, collocavit. Theodoritus: Nec gladius ille naturaliter igneus erat, sed visu talis. Nec Cherubim animalia erant, sed talia videbantur. Vt indicet potentem quamdam ac terribilem visionem & formam, quā inde Adamus arceretur. Illi itaque in terram, velut exsules, è beato illo voluptatis domicilio in perpetuum exsilium eiecti, & mortis obnoxij; liberis procreandis & posteritati propagandæ, operam dare cæperunt.

HVMANI GENERIS PROPAGATIO: ET ALTERVM HOMINVM SCELVS.

ANno Orb. Cond. 13. (Hebræis) 15. (nostris) natus est Cainus. sic à matre vocatus, quòd hominem ipsa Dei benignitate possedisset. (Suboles namque, possessionum nostrarum pręstātissima.) (Torniell. mavult Cainum 1. O. C. anno; & Abelem, 2. natos esse.)

Anno verò 30. natus est frater eius Abelus (quę vox Luctum, al. vanitatem, & in se, & in subole suā; significet.) Hic alterorum pecorum artem, in usum lanarum ac pellium, excoluit. nondum esu carnium recepto. Alij verba illa, Gen. 1. v. 29. Erūt vobis in escā &c. nō tantum ad plantas, sed ad bruta etiam, referri posse putarunt. Bruta in solas plantas; homo etiam in bruta dominatum accepit. Quorsum Abel pavisset agnos; aut cur solum adipem quandoque offerret; si carnibus pecorum illi non licuisset vesci! Sic illi. Eā de re inf. plenius. Vsus autem lanarum & pellium à Deo fuerat commonstratus, dum primos parenteis, è paradiso eijciendos, pelliceis vestibus, pudoris tegendi, amicivit. Cainus autem agros colere, serere ac metere, instituit & docuit.

Hos filios Adamus docuerat offerre Deo decimas & primitias, frugum ac pecorum. Deus namque promissam salutem cerimonijs confirmavit: quarum pars pręcipua sacrificijs cōstabat. (Sanguis autem pecorum, qui quotidie in sacrificijs effundebatur, sanguinem illum, quo semel effuso redempti sumus, figurabat.) Vnde factū sit post multos dies (LXX. annis ab ortu Abeli, qui C. hujus sæculi anno occisus esse tradatur. Torn. vult cXXX. O. C. anno id accidisse) Vt quum prior parciùs ieiuna & vilia de frugibus terræ munera; neque plenos quidem ex ubere messe manipulos, Deo offerret: alter verò opimos è grege suo, agnos arieteśque, immolaret, & litaret; in huius quidem sacrificio, quod, igne, de cœlo, tactum esset, probationis & reconciliationis signum apparuisse; illius verò opera, sacris intactis, Deo displicuisse tradantur. Vnde Cainus livore & inuidiā concitatus, quantumuis à Deo moneretur, vt malignam illam animi offensionē & impetum,

impetum, rationis imperio refrenaret; fratrem subdolè in secreta rura pertractum, interfecit. Idq; in agro Damasceno (cui loco nomen dederit Damasce, hoc est, Sanguinis mistio) vel in Hebrone, quò Adamus è paradiso fuerat repulsus.

Parricida ille à Deo diris deuotus, eiusque conspectum defugiens, in eà habitavit regione, quæ Edenio horto ad Solem exorientem erat obversa. Ioseph. ibi Naidæ urbem condidisse ait; atque illic, sedem optasse, ubi liberos procrearit.

AB HIS DVOBVS FRATRIBVS, *& duplici Amore, duæ exortæ sunt Civitates:* DEI *&* IVSTORVM; DIABOLI *& Impiorum.*

(B. August. sentent. 221. id refert ad Babylonem & Hierusalem.)

AB Abelo, quia Virgo, Sacerdos, & Martyr fuit (nec obscura CHRISTI, passuri, imago) Ecclesia DEI oriri & incipere dicta. ad quam Adamus pertinuerit: & diuturno mille propè annor. luctu criminis sui veniam, Cœlumque promeruerit. (Ir n.)

Cainus verò, ultrice parricidij conscientiâ exerrans & profugus, impiæ stirpis proseminator, genuit Enochum. Et excogitatâ ædificandi arte, suprà ponderum & mensurarum usum, primam urbium, Enochiam, filio cognominem, in Libano condidit. Ibique auctus familiâ, & coactis in unum domesticis, primi regni seu Latrocinij, quod pios ad Diluvium usque infestauit, aut exercuit; sedem constituit. Quod autem passim in Sacris litteris occurrit; Gignebant filios & filias: est, Numerosâ utriusque sexûs subole, & ferè gemellis, augebantur. Nequis tam brevi temporum interuallo gëtem humanam tantoperè & deinceps adauctam esse miretur.

CAINI PROGENIES.

Enocho Caini F. genitus est Iradus; Irado Maviaëlus.
Maviaelo, Mathusaëlus; Mathusaelo, Lamechus.

LAMECHVS. *bigamus & homicida, Adami trinepos, tertium scelus admisit.*

HIc Venationis exemplum posteris reliquit, & arma cædibus perpetrandis fabricatus est. Tradunt quidam ab eodem Cainum atavum, inter frutceta latitantem, casu & per imprudentiam, sagittâ, pro ferâ, transfixum. deinde Tubal-cainum F. qui fefellisset, feramque eum esse dixisset, ab eo suffocatum. Quò illa pertinere putant: ((Occidi virum in vulnere meo, & adolescentem in livore meo)). Quâ de re apud vxores, quæ vererentur ne propterea, suprà bigamiam, ab offenso Deo puniretur; purgare se sit conatus. Et legis sibi præscriptæ nondum immemor, se fraternæ cædis, à Caino atavo factæ, pœnas luiturum (haud dubiè impendente Diluvio) prædixerit. (Ioseph. l. 1. c. 3.) Al. homicidij à se perpetrati impunitatem, ex eo sibi pollicitus sit, quod anteà Cainus idem crimen impunè tulisset. Theodoritus, vult unum, non duos, ab eo interfectum; & quidem virum iuvenili ætate: pœnam tamen euasisse, propter peccati confessionem.

PROGENVIT IS EX CONIVGIBVS.

Adâ quidem,

IABELVM, qui artem pastoritiam, Abeli nece intermortuam, cum usu Tabernaculorum, restituit; & eorumdem, ad commodiorem gregis pastionem, circumducendi. auctor Nomadum.

IVBALVM, qui Musices & eius instrumentorum, psalterij & citharæ, inventor fuit. (undè Iubilandi vox in aliquot linguas defluxit.) Ioseph. hunc malè ex posteris Sethi fuisse memorat, & Musices invêtum in columnis cælasse. quemadmodum filij Seth, ea quæ de disciplinâ cœlestium repererant, similiter insculpserant.

Fortasse an mater eius Ada, ex sanctâ Sethi radice manarit: & hinc consanguineus, sive è posteris Sethi unus, sit habitus.

Sellâ vero,

TVBALCAINVM, (Ios. Thobelum) qui nomine à Vulcano nõ ità abhorrête, artem fabrilê adinvenit: primus metalla effodit; usum ferri atque æris aperuit. sculpturę inventor putatus, quòd tum cœperint homines sculptilia facere & adorare. Philo.

NOEMAM, sororem (Iosepho, est filia ipsius Thobelis) lanificij & textrinæ inventricem. quæ linum in fila trahere, & pannum texere docuerit. quùm anteà bestiarum pellibus uterentur, & vestirentur.

Dicitur autem Lamechus universè liberos habuisse 77. (Vltio de Lamech septuagies (septies.) Quæ stirps omnis Diluvio funditus exstincta sit.

PRIMI DECEM PARENTES, SIVE GENEARCHÆ, AD DILVVIVM VSQVE.

EORVM NATALIS, LIBERI, VITA ET EXCESSVS.

Anni ab Orbe Cond. usq; ad Natalem CHRISTI, *ex duplici ſupputatione, Hebraeorum; & Graecorum ſiue LXX. Interpp. digeſti.*

Interp. 70.	Hebræis.		70. Interp.	Hebræis.
I.	I.	ADAMVS, creatus à DEO, ſexto die à Mundi conditu.	5419.	3950.
		Præter Caïnum & Abelum, de quibus ſuprà, duas etiam filias, Azuram & Aſuam, habuiſſe traditur. (Piſides.) Ex quibus Azura Setho; Aſua, ſive Sava, Caino, enupſerint. (Epiphan. hæreſ. 39.)		
230.	130.	Idem, poſt necem filij minoris, Abeli, anno ætatis ſuæ 130. Hebr. aut 230. Interpp. Sept. procreavit filium, Sethum.	5189.	3820.

Hunc mater Eua, Abelis occiſi non ſine mærore etiam-tum meminens, Sethum appellavit; quòd DEVS ſibi, pro illo, aliud ſemen dediſſet ſive ſubſtituiſſet; ſubolis & poſteritatis fundamentum. qui cæteris fratribus & conſanguineis Diluvio funditus excisis, genus humanum eſſet propagaturus; & CHRISTVM, Salutis reparandæ auctorem, ex ſe, ſed longâ ſerie, progeniturus.

Adamus verò ſuo diuturno exſilio, & ærumnis laboribuſque quotidianis; in concinendis DEI laudibus & pſalmis acquieſcebat, & ſe iiſdē ſuisque conſolabatur. Hunc Thalmudici, inter xi. Pſalterij, ſive Libri Pſalmorum, ſcriptores, recenſent: & Pſalmum 92. condidiſſe, quo beneficium Creatoris, & DEI ergà res conditas providentia, celebrantur. Hic quum vidiſſet filios filiorum & nepotum ſuorum, ad ſeptimam uſque ſtirpem, mortuus eſt anno ætat. 930. Sepultus (Hebr.) in terrà Iſraelis, propè agrum Damaſcenum, haud procul ab Hebrone, ubi & fuerat procreatus. ubi etiam hæc Ætas traducta, hominibus nondum variè diſperſis. Id conijcere licet ex Ioſuæ 14. ubi Hebron dicitur, Cariath-arbea, civitas Enachim, in Valle Mambrea. ac proinde tam ſedulò eius loci ſpeluncam ab Hetbo quodam Cananæo Abrahamus coëmerit, eiuſdē ob rei memoriam. Et ſic in officio mortuorum Hebræi canere ſolent; (Patres. qui dormitis in Hebron, portas paradiſi Eden, huic N. aperite.) Chriſtiani tamen, ex veterum traditione, in monte Golgothano ſepultum putarunt, in quo crucifixus poſteà CHRISTVS Dom. licet inde in Hebronem tranſlatum velint. S. Iren. aſſerit obiiſſe Feria VI. hebdomadæ, quo die fructum vetitum ante guſtarat: & CHRISTVS morte ſuà peccatum primigenium pòſt expiavit.

Heva vxor, decē poſt virum annis, mortua proditur, vitæ ſuæ & Mundi Cond. anno 940.

Interp. 70.	Hebræis.		Interpp.	Hebræis.
435.	235.	SETHVS, pij hominum generis propagator, annos natus 105. Hebr. aut 205. Græc. genuit Enoſum.	4984.	3715.
		Hic litteras, ſive characteres Hebraïcos, & ſtellarū ac planetarum motus ac nomina commentus eſſe; & ſic Aſtronomiam inveniſſe; & unà cum filio duabus columnis inſcripſiſſe, creditur. (Ioſeph.)		
		Vixit autem Sethus universè an. 912. Ex iis cum patre Adamo, 800. Mortuus anno O. C. 1042.		
625.	325.	ENOSVS, anno ætat. 90. Hebr. aut 190. Græc. genuit Cainanum.	4794.	3625.

Hic, quum iam cœpiſſet idololatria, ſive commentitiorum Deorum cultus invaleſcere, ſolus in ſuâ familiâ veræ & avitæ religionis retinens, pietatem inſtauravit. Geneſ. 4. (Genebr. & Hebr.) Alij verò probabiliùs cenſent, Quum homines ab Adamo, ad Semum uſque Noei F. DEVM, universorum conditorem, coluerint; & ſimplicem ſacrificandi ritum uſurpaverint, (ex quibus nemo, quod Diis alienis fuerit deditus, aut impuris Dæmonibus ſacra fecerit, taxatus eſt.) (Cyrill.) Tum, tempore Enoſi, cœptū ſit inuocari nomen Domini, hoc eſt, ſolennior quidā eius venerationi inſtitutus & adhibitus ſit cultus. Et Enoſus tantū operæ ſtudiique poſuiſſe cēſeatur in amplificando DEI honore; quantum Cainus, cum poſteris, laboris otiique inſumebant in rebus caducis, mechanicis artibus &c. Hinc ab illo Filij DEI, vti à Caino Filij hominum, Geneſ. 6. c. Enoch, ſive Enoſchus, ſonat infirmum & mortalem. Ex cuiuſmodi ſuæ infirmitatis cognitione didicerint homines ſtudioſiùs, quam ante-hac, ad Deum confugere, & ad eum invocandum convenire. & pij, Filiorum DEI nomen acceperint. Quo etiam tempore ab Adamo, Setho, & huius ſtirpis Nepotibus, duæ Tabulæ

ſive Columnæ factæ traduntur; una ænea, adverſus aquarum eluviones: altera lateritia, adverſus ignis conflagrationes. In quibus artes liberales, & præcipuè doctrina de Deo; atque adeò Mathematicæ, cælatæ. Et in earum alterâ, promiſſionem de Semine, hoc eſt, CHRISTO, factam inſcripſerunt. Ioſeph. l. 1. tradit, Columnas, ſive lapides coctileis, pro Siderum ratione inſcriptos, 700. ante Ninum annis, in Babyloniâ repertos fuiſſe. Vndiquequeat ante Diluvium, litterarum & diſciplinarum, præſertim Mathematicarum, uſum exſtitiſſe. Hinc & Chaldæi, ante Græcorum Monarchiam, 43. millibus annorum, ſed menſtruorum, (qui 3634. ſolares cōficiunt) litterarum & Aſtronomiæ principia coluiſſe non abs re memorentur. Qui anni ducti retrò per Imperia, Perſicum & Babylonicum, & 4. primas Scripturæ Ætates, in Adami CLI. & Sethi XXI. ferè incurrunt. Vide inf. quintum Alexand. Magni annum, de Calliſthene.

Vixit Enoſus annos 905. mortuus eſt an. Orb. Cond. 1140.

Interp. 70.	Hebræis.		Interpp.	Hebræis.
795.	395.	CAINANVS, ann. ætat. 70. Hebr. aut 170. Græc. genuit Malaleelum, quaſi, Dei laudatorem. Et quum vixiſſet 910. ann. mortuus eſt ann. Orb. Cond. 1235.	4624.	3555.
960.	460.	MALALEELVS, anno ætat. 65. Hebr. aut 165. Græc. genuit Iaredum. (quaſi dominatorem. qui ſibi imperare poſſit. ut Deo pareat.)	4459.	3490.

Vixit universè 895. ann. Mort. anno Orb. Cond. 1290.

Interp. 70.	Hebræis.		Interpp.	Hebræis.
1122.	622.	IAREDVS anno ætat. 162. Hebr. & Græc. genuit Enochum, quaſi ſacris initiatum. Vixit 962. ann. Mort. anno O. C. 1422.	4297.	3328.
1287.	687.	ENOCHVS anno ætat. 65. Hebr. aut 165. Græc. genuit Mathuſalemum, quaſi Apoſtolum dicas. Vixit in terris annos 365.	4132.	3263.

Hic poſtquam Adamum tritavum ſepeliſſet, & deinde 57. ann. ſupervixiſſet; ambulavit cū DEO. ab eo, cui ut gratus & obediens, ità familiaris fuerat, tranſlatus è corruptiſſimo ſeculo (fort. in paradiſum, terreſtrem, niſi is Diluvio poſteà ſit deletus.) Æternitatis candidatus: poſtmodò ab hominibus non conſpectus. Id factum LXIX. ann. ante Noei natalem, cum ceteri adhuc patres ſuperſtites eſſent; & forte-an huius tranſlationis ſpectatores. non ſine certâ & præceptâ ſpe reſurrectionis, vitæ futuræ, & immortalitatis. Deceſſit etiamnum iuuenis, & quaſi in ipſo ætatis flore, annos natus CCCLX. (quot ſunt dies anni ſolaris) quæ erat huius ævi iuventus.

Hic itaque per fidem & gratiā, quâ placuit DEO, mortis ſemitam declinavit; ab eius ſententiâ eximius; cuius & imperium in homines CHRISTVS eſſet deleturus.

Hic denique ultimis Mundi temporibus, unà cum Heliâ; Antichriſto, DEI adverſario, obviàm ibit & reſiſtet; illiuſque errores redarguet, teſtis idoneus futurus ſecundo CHRISTI adventui, & Iudicis gloriæ. de eodem anteà, dum viveret, apud ſuos vaticinatus. (Epiſt. Iudæ Apoſt.) * Ecce Dominus venit in Sanctis millibus ſuis facere iudicium contra omnes, &c. Vbi & promiſſio de CHRISTO, futuro ſemine. Idem itaque ſeptimus ab Adamo propheta, primus omnium, libris, ſive litteris aliquid mandaſſe, & memoriæ poſteritatique prodidiſſe, meritò cenſeatur. Origen. hom. 28. in Num. Libros Enochi citat. quibus cōprehenſa fuiſſe ait arcana de Nominibus, non modò plagarum Cœli, ſed omnium etiam ſtellarum atque Siderum. quæ & linguâ Abyſſinâ apud Æthiopas, in regno Sabæ reginæ, exſtitiſſe, alij tradiderunt. Origenes tamen negat libellos illos certæ apud Hebr. eſſe auctoritatis. Ijs etiam tradita fuiſſe mandata Dei, leges, & cerimonias aliquot de Sacerdotio & ſacrificijs, de Divino cultu &c. iuxta quas, Noens hoſtias obtulerit ex animantibus mundis: & Melchiſedechus, Sacerdos Dei excelſi, libamenta, panes propoſitionis, decimas: Abrahamus denique & eius poſteri, multa, quæ poſtmodò Moyſes novo S. Spiritus adflatu ſanxerit. Hæc in primitivâ Eccleſiâ exſtitiſſe, binc clarum eſt; quod Tertullian. multis locis integras ex ijs ſectiones citarit. Lib. de Hab. mul. Scio, inquit, ſcripturam Enoch, quæ hunc ordinem Angelis dedit, non recipi à quibuſdam; quia nec in armarium Iudaicum admittitur. Opinor; non putaverunt illam antè Cataclyſmum editam, poſt eum caſum orbis, omnium rerum abolitorem, ſalvam eſſe potuiſſe &c. ubi & Pamelium vide, de eius Libri auctoritate. Qui quantumuis Eccleſiæ cenſurâ notatus auctoritatem amiſiſſe videatur, & inter apocrypha ſcripta eſſe relatus; ut nec plenum veritatis teſtimonium mereatur; ità non planè tamen reiectus cenſeri debet. quem à Iudæis & hæreticis depravatum fuiſſe conſtet. Ex eo autem integriore, Apoſtoli, eorumque pænè æquales, quædam ſana in ſua ſcripta & epiſtolas transferre non defugerint. Liber autem ille à cataclyſmo ſuperſtes fuit, vel à Noeo, Enochi pronepote, in Arcâ ſervatus; vel in unâ ex Columnis, de quibus ſup. inſcriptus. Apud Euſeb. ex Polemone citatur, Enochum fuiſſe inventorem Aſtronomiæ, & à Græcis Atlantem nominatum; multaque ab Angelis didiciſſe. Quùm contrà Theodotus in Eclogis, apud Clem. Alexand. Enochus dixiſſe tradatur; Homines ab Angelis deſertoribus Aſtronomiam & divinandi artem edoctos eſſe. De his ſatis.

MATHV-

Interpp. 1454.	Hebr. 874.	MATHVSALEMVS, anno ætat. 187. Hebr. aut 167. (al. 165.) Græc. genuit Lamechum. quaſi, Ad humilitatem comparatum.	Interp. 3963.	Hebr. 3076.

Alij, inter quos Africanus, Nicephorus, &c. apud 70. Interpp. legunt ann. ætatis 187. convenienter Hebræis. Peterius xx. annos illos Mathuſalemo detrahit, ex auctoritate BB. Hieronymi & Auguſt. Hic verſatus cum Adamo annis 243. & cum Noeo nepote, 600. quùm omnium diutiſſimè vixiſſet, 969. annos, ſaltim inchoatos; mortuus eſt anno Orb. Cond. 1655. exeunte, ſeu verius, 1656. inchoato; ſeptem, uti volunt, antè Diluvium diebus.

Interp. 70. 1642.	Hebr. 1056.	LAMECHVS anno ætat. 182. Hebr. aut 188. Græc. genuit Noeum.	Interpp. 3777.	Hebr. 2894.

Sic dictum, quod DEI iram placaturus, & generi humano conciliaturus eſſet. vel conſolaturus homines, quiete ijs datâ, (conſeruando & reparando; ſive ſpe futuri CHRISTI) in operibus laboribusque manuũ, in terrâ cui Dominus maledixerat (quam ſterilem & infructuoſam reddiderat, fame Caïnitis tum immiſſâ) al. Ob inventum fabricandorum inſtrumentorum, & accuratiorem agricolationis artem.

Excepto Noeo, omnes primæ ætatis Patres Adamum videre, & cum eo vivere potuerunt.

Sethus	annis.	800.	Iaredus	annis.	470.
Enoſus		695.	Enochus.		308.
Caïnanus		650.	Mathuſalemus		243.
Malaleelus		505.	Lamechus		56.

Vixit Lamechus universè ann. 777. Huius anno, uti dixi, 56. mortuus eſt Adamus. Atque hinc traditione quâdam conſervatam eſſe ab initio DEI doctrinam probabile eſt: quam Lamechus ab Adamo, qui-cum vixit, acceptam, transfuderit in Noeum F. & Semum Nepotem; de Religione, rebusque diuinis.

NOEVS, eiuſque Liberi.

HIc iuſtitiâ egregius, & præ cæteris eo tempore mortalibus, Domino carus acceptuſq;: qui cultum eius & metum cxx. annis ante Diluvium palàm annuntiarit, octavus iuſtitiæ præco. (Gen. 6. v. 3. & Petrus 1. c. 3.)

Hic vixit cum	Enoſo	annis.	84.	Iaredo	annis.	366.
	Caïnano		179.	Mathuſalemo		600.
	Malaleelo		234.	Lamecho		595.

Et quum antè liberos non genuiſſet, vel cælibatus ſive coniugalis continentiæ ſtudio; vel metu Diluvij impendentis, quo omnia extinctum iri præſciebat; oraculo tandem, vt quidam putant, excitatus, ad procreandum acceſſit.

Interpp. 2142.	Hebr. 1556.	An. itaque ætatis 500. Hebr. & Græc. progenuit Iaphetum. Et anno 501. Semum. Et anno 502. Chamum.	Interpp. 3277.	Hebr. 2394.

Hebræis quibuſdam Iaphetus quidem primus Noeo patri natus; ſed Chamus ſecundus; & Semus poſtremus, anno ſcilicet patris 502. ſive 98. antè Diluvium, ſive 100. ann. ante nativitatem Arphaxadi. quæ contigit biennio poſt Diluvium. (Patere id putant, ſubductis annis Geneſ. 11. v. 10.) Noſtris contrà, BB. Auguſtino, Cyrillo &c. Iaphetus minimus eſt, & Semus maximus. Quum verò Semus dicatur centenarius, biennio pòſt Diluvium, generaſſe Arphaxadum; omnino videatur natus anno Noei patris 502. alioqui Arphaxadus natus eſſet ipſo Diluvij anno, & 100. Semi. Ioſep. Chamum νεώτατον fuiſſe ſcribit. Et Geneſ. 10. c. Semus dicitur frater Iaphet maior (ubi al. legunt, frater Iaphet maioris, τοῦ μείζονος).

Nominum autem, quæ pater filijs impoſuit, myſteria, ſic explicantur. Semus dictus, quod ex eius poſteritate naſciturus is eſſet, cuius nomen eſt ſupra omne nomen: quod quidem ad primigenium ius videtur pertinere. Chamus, exæſtuantem vitiorum calorem ſonat, & depravatam conſcientiam. Iaphetus fidelis & obſequens, latitudinem, tum generis regnaturi; tum nominis Domini, quod de Semo eſſet orîturum, ſub ultimam ætatem, propagandi.

DILVVIVM.

HAc autem tempeſtate, hominum malitiâ & flagitijs offenſus DEVS, de ijs è terra delendis, & ſupplicijs infligendis, cogitare cœperat.

Quum namque Iuſti homines, è ſtirpe Sethi, ſive Enoſi, in quorum familiis DEVS piè ſanctèq; colebatur; quique ob ſingulareis virtutes, tamquàm

quàm Dii vulgò habebantur; connubia cum filiabus Iniustorum hominum, è stirpe Caïni, qui ab avito Dei cultu degenerârant. & omni scelere erãt impurati, contraxissent: ex istiusmodi hominum, disparium, coniunctione, & nefando concubitu, nati sunt homines, corporeis voluptatibus dediti, in quibus DEI cognitio cum honestate prorsus exstincta iaceret. solo pænè Noeo cum coniuge, & tribus filijs, totidemque nuribus, pristinam pietatem perseverante. Severus; Quum Angeli, inquit, quibus cœlum sedes erat, speciosarum formâ virginum capti, originis suæ naturæque degeneres, illicitas cupiditates appeterent, & se mortalibus matrimoniis miscerent; ex eorum coïtu Gigãtes propagati esse dicuntur. cum diversæ inter se naturæ permistio monstra gigneret. Lactantius verò, Angelos esse putavit; non quidem bonos, sed eos, qui regionum pręstites mulierum concubitum appetierint; & ex his tertium quoddam genus procrearint, Dæmonas. Alij, principum & Iudicum potentum filios, qui abusi sint potestate & auctoritate in tenuiores; ac perfractis officij atque pudoris repagulis, lubidinem promiscuè explerint. Ex istiusmodi sententiarum commento fabulæ, poëtarum exstitisse putantur, qui metamorphoseis, connubia & adulteria Deorum, cum hominibus, confinxérunt. Hi autem, quos S. litteræ commemorant, homines fuisse dicuntur, & carne prædití: sed in quibus vix reliqua esset divini spiritûs scintilla. Gigantes autem dicti sunt, non tàm immani corporum vastitate præstabiles, quàm ab externâ in vulgum potentiâ, aut etiam virium robore, celebres & famosi. Hinc illud, Longas & vastas Regibus esse manus. quæ vera Gigantum & Tyrannorum est originatio.

DEVS, qui increbescentibus impiorũ flagitijs & flagrante passim lubidine, non hominum modò genus, sed animantia etiam gradientia, reptilia & volucria, in usum hominum creata funditùs delere decreverat; Noeum, virum iustum. & vitâ innocenter actâ probatum, cum suis, destinatæ exemit sententiæ.

Ipse itaque, anno ætat. 500. à DEO admonitus, Diluvium terris imminere, Arcam (τιβά, sive potiùs πλοῖον) vas navigationi aptum, immẽsâ magnitudine, ex lignis lævibus (Chald. Cedrinis: LXX. quadratis: Hebr. levibus) contexuit; & cõmissuras bitumine illevit. In eâq; e perficiendâ annos 100. consumpsit. homines sceleratos interim per ann. CXX. (Genes. 6.) ad resipiscendum cohortans. undè & octavus Iustitiæ præco. Arca hæc longa 300. cubitis (al. communeis; al. Geometricos hic accipiunt cubitos, qui sex vulgareis continent) lata 50. & 30. alta fuisse proditur. 30. illi cubiti altitudinis, efficiunt pedes Hebr. 90. & 50. cubiti latitud. pedes Hebr. 150. & 300. Longitud. pedes Hebr. 900. Amplitudo Arcę colligitur fuisse cubitorum 450000. hoc est pedum Hebr. 12150000. Talis ferè est humani corporis, supinè iacentis, proportio. Longitudo siquidem eius sexcupla est ad latitudinem; decupla verò ad altitudinem sive profunditatem. Si rectâ lineâ longitudinem eius dimetiamur à summo vertice, ad pedum plantas: latitudinem, ab extremitate unius humeri ad alterũ: & profunditatem, à summo pectore ad dorsi superficiem.

Formam illi Arcæ, al. cubicam, planeque quadratam statuerunt: trabibus concavis aut perticis, ad faciliorem natationem, subiectis: & tam tecto, quã lateribus, adversus omnem vim tempestatum & undarum insultum, firmissimis. Alij, acuminatam attribuerunt, 4. Angulis paullatim sese in unius cubiti cuspidem surrigentibus. Alij, primùm è plano in altitudinem 15. cubitorum quadratum ducunt; deinde stringunt & coërcent, donec inęqualiter in pyramidem lõgitudo & latitudo exsurgar; vera autem altitudo in medio versetur. Alij eam supernè quidem tecto pyramidali, aut certè ovali concludunt; at totam in 30. cubitos attollunt. Vide Ioan. Becanum, Cronijs, subtiliter metientem. Porta infernè, circa Arcæ medium, herebat: deinde instar pontis Sublicij, subductilis, ut clauderetur, se subrigebat.

In eam itaque Arcam ingredi & concludi, unà cum vxore, & tribus filijs, Nuribusque totidem, iussus Noeus; ceu quædam reparandi Mundi semina, vel subolem, septena mundorum, quæ quidem ex semine propagantur, animantium & volucrium, omnis generis, paria; & ex immundis, bina dumtaxat, secum in idem effugij claustrum receptaculumque, adscivit. Deus bina quidem ex unâquâque specie animalium immundorum, & mundorũ septena servari præcepit. Quum namque hominibus esset permissurus liberũ carnis pecuinæ esum; & homines pij ipsi sacra facturi: maiorem mundorum animalium numerum custodiri iussit, tria scilicet iuga, ad generis incrementum; unum verò animal reliquum, ad sacrificandum. Sic Theodor. (Mundities verò hic existimari debet, vel ex esu, vel è sacrificiorum ritu: sive, vt alij. à Moyse, per anticipationem, sic appellata; qui ad legem, quam laturus erat, Levitico, respexerit.)

Omnis autem generis terrestria & volatilia animantia, ad quorum procreationem necessaria est sexuum inter se coniunctio, facilè Arcæ istius amplitudine (quæ communibus etiam cubitis fuerit definita) comprehendi potuerunt, quorum non ità multa sint genera. Terrestrium enim species, (quas vel Veterum diligentia, vel Recentiorum experientia observavit) vix CL. & Reptiliũ vix XXV. numerum excedant. In quibus, bove & equo maiora, non plura sex; æqualia, perpauca: minora, cætera omnia. Serpenteis, qui vel è putredine oriuntur, vel naturæ sunt ancipitis; servandæ speciei aut subolis caussâ, in Arcam recipere necesse non fuit,

Interpp.	Hebr.		Interp.	Hebr.
2242.	1656.	Anno itaque 600. vitæ Noei, mense 2. (is quibusdam October aut Nouember: alijs Aprilis aut Majus est: Iosepho, Dius Macedonum, Hebr. Marsonane) 17. die mensis, (Ios. 27.) rupti & diffracti sunt omnes fontes Abyssi magnæ (Oceani, &	3177.	2294.

Aquarum subterrâ, in venis latentium): & cataractæ cœli, (Nubes) apertæ sunt. Factumque est Diluvium 40. diebus, & 40. noctibus. (Ios. 90. diebus.)

Id Spatium, pœnitentibus datum.

Arca ferebatur super aquas. Operti sunt montes excelsi sub cœlo, aquâ xv. cubitis altiore, hoc est, ad imum mediæ aeris regionis, atque ità Elementis in antiquum ordinem situmque reductis.

Interpp. 2242. | Hebr. 1657. | Interpp. 3178. | Hebr. 2293.

Diluvium hoc, uno durat anno (al. x. addunt dies.)

Id autem alij inchoatum volunt mense Novemb. (fort. Octob.) exeunte, anno O.C. 1655. (si annus 1056. est verè primus Noei nati) & exinde crevisse aquas per v. menseis; sive ab. 17. Novemb. an. 600. (Noei) Gen. 7.) usque ad 14. Aprilis consecuti. Reliquum porrò durarat, usque ad tempus aresactę terræ, ad diem scilicet xxvii. secundi mensis: ann. 601. (Genes. 8.) Et universè anno uno solari, sive 365. diebus.

Sic Hebr. cæpisse volunt mense 2. sive Octobri, in 40. dies, usque ad 17. Novembr. Et aquas deinde invaluisse per menseis vndecim. Vnde, Seder-olam, annum Solis, anno Lunari, undenis diebus productiorem ostendit.

Alij cæpisse asserunt, 17. mẽsis secundi, qui Iiar sive Aprilis. in dies usque 40. sive ad 27. Maij. per dies 150. hoc est, per menseis quinque: invalescentibus aquis, usque ad 17. mensis 7. Tisri, sive Septemb. Nam 40. dies primi, quibus pluit, & rupti sunt fontes &c. his 150. diebus includuntur. Hinc autem usque ad 1. diem mẽsis decimi, (qui Tebet, sive December) decreverunt aquæ ad montium usque cacumina. Post 40. dies emissus corvus &c. uti infrà.

Delevit itaque DEVS omnem substantiam, quę erat super terrâ (piscibus, qui in mari, servatis) ab homine usque ad pecus. Solus Noeus, & qui cum eo in Arcâ, incolumes evâserunt.

Idem autem DEVS hâc pœnâ placatus, & Noei reliquiarumque memor, superfuso Terris spiritu, & obstructis fontibus, aquas imminuit, post 150. dies. Et quantumvis Arca, primo & vicesimo die mensis septimi, super montibus Armeniæ (al. Ararath. Græcis, Taurus est, qui Armeniam secat; & Ceraunij: Curtio, Cordæi; & Straboni, Gordyęi.) requiesceret; non nisi tamen primo die mensis decimi, aquis intereà & paullatim decrescentibus, montium cacumina detecta apparuerunt. Exactis dein alijs 40. diebus, quùm Corvum priùs Noeus, explorandæ rei gratiâ, ex Arcâ emisisset; neque is, reperto sortè cadaveri insidens, revertisset; Columbam quoque dimisit. Quæ loco, ubi consisteret, nõ reperto, reuersa; rursumque, post aliud septiduum, emissa, ramum virentis olivæ decerptum ore reportauit, indicium, arborum cacumina iam nudari. Eadem verò, tertiùm, post totidem dies, abire permissa, quùm non rediret; animadvertit (ex eâ ità fenestrâ) Noeus aquas planè decessisse, aut exhaustas esse.

Ipse itaque 601. anno, ætatis suæ: 27. die mensis secundi (Aprilis) Terrâ iam detectâ & arefactâ, DEO ità iubente, cum Vxore, filijs & nuribus, universisque animantibus, ex Arcâ egressus est. Armenij loco, è re, nomen, Αποβατήριον fecere. Et Arâ confestim exstructâ, hostias ex volucribus alijsque pecoribus mundis, Domino immolavit. Quâ offerentis pietate delectatus DEVS, & humanæ infirmitatis, & ad mala proclivitatis, vicem commiserans; quod ille inter vota enixè fuerat deprecatus, Terram posthâc Aquarum eluvionibus nequaquam vastatum iri confirmavit. Eam tantùm quotidianis dierum & noctium, & anniversarijs quadripartiti tẽporis varietatibus, sementi & messi, &c. fore obnoxiam.

Huius verò Diluvij, & Arcæ, permulti etiam historiæ barbaricę scriptores commeminisse traduntur. sed quæ fabulis & figmentis offuscarint.

Ios. l. 1. Ant. ex Nicolao Damasceno; Suprà Minyadem, Armeniæ montem esse, (Beroso, Gordyæorum) qui Baris dicitur: in quem complures, tempore Diluvij, confugerint. & quidam Arcâ vectus in cacumen adplicarit. Et eius Arcæ fragmenta longo ibi temporis spatio perdurasse: atque adeò, Beroso teste, bitumine inde ablato homines ad expiationem utitari solitos.

Id. ex Abydeno. Sisithrus (al. Xysuthrus) Oxiartæ F. principatum deinde accepit: cui Saturnus magnam vim aquarum impẽdere prætignificarat. Isque salutis caussâ quùm (ex Heliopoli Ægypti) in Armeniam navigio confugeret, ab aquis in itinere oppressus sit. Tertio postquam aquæ cessassent die, aves ab eo emissas; & quùm nusquam consistere possent, reversas esse. Tandem quùm limo pedes impeditæ eædem redijssent; Sisithrum à Dijs ex coetu oculisque hominum raptum; & navis in Armenia reliquæ fragmenta, adversus morbos remedia fuisse. Et certè Diluvio Ogygis, & Deucalionis, quod 800. circiter annis Noeo posterius fuit, multa ex hoc, omnium vetustissimo, à Poëtis, ab Ægyptijs, alijsque adficta esse videntur. Columbã fuisse emissam: Navem eiectam in Thessaliæ montem, Parnassum. Veriùs, Paropanisum; quæ pars montis Tauri editissima, undè Indi fluminis origo.

DEVS tradito Noeo, eiusque liberis, cum liberâ sui generis propagatione, in animantia omnia imperio; eorumdemque vescendi usu, (quùm vitâ anteà oleribus sustentasse putentur) eâ tamen lege, ut carnem nisi exsanguem sive exanimem, ederent; iussit puras ab humano sanguine manus abstinere. iam tum sua homicidio supplicia decernens. Et perpetuum pacti inter se, hominesque, federis argumentum, de Terræ à Diluvio in posterum immunitate, Iridem sive Arquum, in cœlo, nubibus spisso, multicolorem, defixit. misericordię divinæ & Crucis symbolum.

Hic Noeus, à Profanis, qui sacræ Historiæ & mundi Geneseos haud satis gnari fuerunt, Ianus, Cœlus, Saturnus, & pater Deorum appellatus est. Et Ianus fortè ab invento Vini sativæ. (Iain namque Hebr. Vinum est. quæ vox in alias linguas trãsfusa.)

fusa.) Immò quùm Gigantes, & impij Cainina stirpis posteri, Noeum Arcam moliri cernerent, & omnibus interitum, ni resipiscerent, comminari ac prædicere; Prometheum è re natâ appellarunt; cui ad Caucasum, ad cuius radices Arca fabricabatur, adligato, vultur è visceribus cor depasceretur. hoc est; perpetua de hominum salute solicitudo, in pectore fixa esset. Par fabulandi ratio de Deucalione & Pyrrhâ; quùm dicerent homines tum demum generari cæptos, quum terra ignei elementi vi desiccata esset. uti lapides, ex argillâ in fornace decoctâ, amant fieri. Dictus & Saturnus & Hercules; ex cuius semine genus hominum fit reparatū. Tradunt item quidam Hebræi, Chamum Patri testiculos exsecuisse, ne deinceps liberos procrearet. qualeq; de Cœlo & Saturno fabulantur poëtæ.

Prima hæc Ætas, quæ octo Geneseos Mosaicæ capitibus pertractatur, intrà mediterraneas orbis regiones traducta videtur: neque ad Asiæ, Africæ, Europæve extrema pertigisse. Vt falsò Ægyptij xv. apud se Dynastias exstitisse iactitarint: ex quibus Decima-sexta & ultima Thebanorum, qui antè Hiesos (Manethon, apud Ios.) imperarunt, exactè in Diluvium ipsum incidisse convincatur. Neque minus fabulosa, quæ ijdem Ægyptij apud Herodot. Diodorum Sic. & Platonem, de suæ gentis antiquitate, supra xxx. annor. M. effutiunt. Pari vanitate Arcades se προσελήνους, & Attici αὐτόχθονας appellarunt, ceu Aborigines. Sed ob hæc figmenta, sæculum illud antè Diluvium, à plerisq; μυθικὸν est dictum. Nec dispari cum Ægyptijs errore Chinarum Chronologi, principium eius regni, aliquot saltim annis, antiquius Diluvio ponere cōvincātur.

Quod autem Chaldæi, ab eo tempore, quo Astrorum motiones apud ipsos obseruari cœptæ sint, 43. annorum millia elapsa esse commemorant; ad annos menstruos referri potest. qua de re sup. & aliàs. Bellum Atlanticum, quod Solon ex Ægyptijs audivit antè Diluvium exstitisse; & Plato, Critiâ, meminit: tum potuit fuisse, quùm Gigantes (Gibborim Moysi) tyranni, alios à se victos procul à se in extremas oras propellere potuerunt.

Monimenta eiusdem primæ Ætatis, omnia penè universâ illa eluvione intercidisse censeantur. Licet à Patribus illis Artes tàm ingenuæ, quàm Mathematicæ, repertæ fuisse memorentur (Gen. 4.) Et Ios. l. 1. Ant. è duabus Columnis, quibus posteri Sethi Mathematicas disciplinas consignarant; Lapideam, quæ evaserat, à Noeo restitutam fuisse tradat, & in Syriâ eàtenus permansisse.

Hîc obserua, quemadmodum à 1. cap. Genes. usque ad 6. DEVS maximè apparuit rerū omnium procreator; ità ab hoc cap. ad 12. initium, eumdem & conservatorem & adiutorem in rebus creatis eluxisse.

Prætereà, collectos hactenus ex 70. Interp. annos, ab O. C. & ante Nat. Chr. simul constituere 5419. ad natalem eiusdem CHRISTI. Ex Hebræis verò, 3950. Et in hac primâ Ætate excessum calculi esse 585. annor.



ÆTAS

ÆTAS SECVNDA,

POST DILVVIVM.

Græc. 2242.	Hebræis. 1657.	A Noco, iam ex Arcâ, egresso, sive a Diluvio completo, usque ad Abrahamum,	Græc. 3178.	Hebræis. 2293.

EXPLETVR,

Ex [illegible]o. Interpp. sive Græc. supputatione, XI. generationibus, & ann. M.LXXII. ob Caïnanum alterum, quē agnoscunt, cuique annos 130. attribuunt

Iuxta Hebr. qui Caïnanum non agnoscunt, generationibus X. & an. CCXCII. Adiecto autem Caïnano, cui dentur 30. anni, erunt 322. Excessus est annor. 750.

S[illegible] ann. constituit. Genebrar[illegible] Caïnano, 942. Si Naebori, quùm [illegible] careri, [illegible] buantur ætatis anni 129. evadēt [illegible] eidem, ut quibusdam placet, anni [illegible] anni erunt 1172. Et excessus erit ad 800. [illegible] 85. amplius annos, ex ineptitijs a[illegible] p. centenarijs: idque in octô per[illegible].

Be[illegible] inquit quasi pueritia est generis popul[illegible] consecrati, qua fari homo incipit, ideo[illegible] lingua, Hebræa, introducta.

[illegible] Hebr. Noecum, cum Semo F. ex Ar[illegible] in veterem patriam, loca scilicet Damas[illegible] ubi constituunt regnum & Pontificatum Sal[illegible] quæ Melchisedechus posteà administr[illegible] & primus terram sub iugo animalium arar[illegible] ligonibus fodi percolique solerent. Exen[illegible] Altarium erigendi, & sacri[illegible] Ecclesiam instauravit. Omnes namque primæ ætatis Fi[illegible] ex stirpe N[illegible] series & ordo describitur; us[illegible] supra principatum fam[illegible], sacerdotes fuêre, & victimas immolarūt. (Vid. tamen Estium Epist. ab Hebr. [illegible] Et hæc primigenia illa videntur, quæ Esavus fratri Iacobo ve[illegible] prodidit. Visum etiam navigandi, duce D[illegible] monstravit. quod quidem inter cæteros, Eu[illegible], audax Iapeti genus, semper usurpasunt.

D[illegible]vs autem Noeo & filijs benè precatus; & generis [illegible] terra que colonis complendæ facultate [illegible] imperium; metum, seu potius cum terrore coniunctum, in omnia animantium genera, imperium concessit. Et simul legem de Coniugin[illegible] censeatur, contrà promiscuas li[illegible] quarum præsertim caussâ mundus aquis paullo ante perijsset. Legem præterea de cæde [illegible] ad securam humanæ Societatis conservationem. [illegible] um & carnium esum, anteà, [illegible] pijs [illegible] hominibus (primigenis illis [illegible] vesci solitus intentatum, permisit, [illegible] excepto sanguine, animæ, ut volunt, vehiculo. quę lex per Moysém, & Apostolos repetita. Volūt quidam, propterea quod vis & vita hominum sub eluvionem esset imminuta, ad imbecillitatis subsidium, carnes, cum vino, fuisse concessas. Theodoret. verò; prævidēs, ait, D[illegible]vs homines in extremam dementiam lapsus, hæc omnia animalia pro Dijs habituros; permisit illorum esum, ut ex contemptu impietatem illam cohiberet. Postremò, ut diximus, Arcuum cœlestem, tum suæ misericordiæ, tum fœderis inter se & homines pacti, symbolum, proposuit. Vini quoque potum ipse Noeus de suo adiecit, quod tamen uberiùs haustum, ne ipsi quidem pepercerit auctori. non ab intemperantiâ, sed ab experientiâ.

Tradunt præterea Hebræi (Seder-Olam c. 5.) septem præcepta à Deo illi tradita: quæ partim filiorum Noë, partim Naturæ præcepta appellentur, quibus etiam Gentiles obligentur: hæc scilicet.

N[illegible] colere Idôla. Benedicere Deum. Servare ius publicū. Cavere ab in[illegible] propinquorū, aliaque nefando co[illegible] Non fundere humanum sanguinem. N[illegible] rapere. Non tollere membrum de animali vivente.

His VII. N[illegible] præceptis, tria accessêre, quæ Israëlitæ a M[illegible] latore, sive à Deo ipso imposita acceperi[illegible] Sabbatum, Iudicia, & hon[illegible] parentibus debitum. Ex quibus omnibus Decalogus simul conflatus esse videatur.

H[illegible] nullā hactenus opinionū de Deo diversitatē; nullam in gente aliquâ dissensionē, aut hæresim; immò neque idololatriam extitisse adserit: sed Barbarismum, ceu quoddam temporis cognomen, decem istis generationibus, tunc appellatum, ab Adamo usque ad Cataclysmum: & quandam vivendi, ut velis, rationem. Quæ Barbaries sit dicta, quod nullo mortales certo vitæ duce, neque certo inter se consensu, degerent: sed quod sibi quisque præscribebat; quodque sua quemque voluntas hortabatur, id cuique pro lege esset. Huic autem Sectæ vult Scythismum, Græ[illegible]um, & Iudaismum, suis quemque temporibus, fuisse succidaneos. Et huc ab Apostolo adludi Colo[illegible] 3.

IN CHR[illegible]

IN CHRISTO IESV, non Barbarus, non Scytha; non Græcus, non Iudæus.

Sed obseruatione inprimis dignum Noei oraculum, de filijs suis, Asiaticorum, Europæorum, & Afrorum prosatoribus. Quum namque agricolationi deditus, expressum e vite sativâ vinum bibisset; & noui liquoris fumo, seu temeto, perculsus ac sopitus, in tabernaculo nudatus iaceret; eiusque filius Chamus, Pater Chanaani, id fratribus suis, Semo & Iapheto, qui foris erant, indicasset & demõstrasset; illi pallio ex humeris suis reiecto, aversis cessim corporibus, genitalia patris sui membra verecundè operuerunt. Et pater è vino expergefactus; & quæ minimus natu è filijs (Semo minor. Al. contemtissimum interpretantur) designasset, certior factus, cum exsecrabilem esse pronuntiavit Chanaanum, filium Chami; eumque fratribus suis in seruitutem quodam modo addixit: tum & Semo, è quo Abrahamus, credentium pater, & CHRISTVS oriturus. & Iapheto, à quo amplificanda Gentium erat plenitudo, & Ecclesia; benè precatus est: eorumque seruituti Chamum, in filio impio & in posteris, subiecit. Ex eo siquidem Chananæi, Arabes, & permulti Africæ populi, deformes & atri, perpetuæ ferè Asiaticorum aut Europæorum dominationi, sub regibus externis; oli n Assyrijs. Persis, Ptolemæis Græcis, Romanis, Saracenis; in præsens, Turcis & Arabibus, atque adeo Europæis, obnoxij.

Noeus autem tribus hisce filijs, à quibus, tamquam tribus fontibus, omne genus hominum super universo terrarum orbe derivandum esset & dissIeminandum, missis, ut tradunt Hebr. sortibus, suam cuique portionem & plagam distribuit. Vt Semo Oriens; Iapheto Septẽtrio & pars Occidentis; Chamo, Meridies, cum alterâ Occidentis parte obtigerint.

Iaphet, Poëtis Iapetus, cuius filium faciũt Prometheum (qui potius Promethei, præsagi vatis, Noëi filius fuerit; & ipse, Iapetus) à quo hominem è limo terræ effictum, & igne Iouis è cœlis delibato animatum, scribunt. quòd fortè sermonibus eius, doctrina de protoplasti procreatione, apud posteros fuerit conservata. Neque alterius fratris Chami nomen adeò obscurum, quin inter Gigantes θεομαχοῦντας Camesen nominarint.

Ne verò genealogiæ primariæ à Semo, (ex quo CHRISTVS olim nasciturus) & historiæ series interrumpatur; hic subijcere visum est, duorum eius fratrum, Iapheti & Chami; & aliorum eiusdem Semi filiorum, præter Arphaxadum, stirpes. Gen. 10.

POSTERI NOEI.

IAPHETI, qui Europæorum & Septemtrional. pater, Liberi & Nepotes.
- Gomer, qui genuit: Ascenez, Rhiphat, Togorma.
- Magog.
- Madai.
- Iavan qui genuit: Elisa, Tharsis, Cethim, Dodanim
- Thubal.
- Mosoch.
- Thiras.

Ab his divisæ Insulæ Gentium in regionibus suis, secundum suam quæque linguam & familias.

CHAMI, qui Arabum, Afrorum, & Meridional. sator, filij & Nepotes.
- CHVS, Æthiopum Pater, genuit: Saba. Hedila. Gabatha. Regma, qui genuit (Saba. Dadan.) Sabatacha. Nemrod.
- Mesraim, Ægyptiorum pater, * genuit Mesraim &c.: Ludim, Anamim, Laabim, Nephthuim, Phetrusim, Chasluim, — Ex his egressi Philisthiim, & Caphthorim.
- Phut, Libyum.
- Chanaan, cuius filij: Sidon, Hethæus, Iebusæus, Amorrhæus, Gergesæus, Hevæus, Aracæus, Sinæus, Aradius, Samaræus, Hamathæus

*Hic, & Misri, & Mesori, & detracta littera Osiris, iunctoque Patris & Patriæ nomine, Dionysus. Vrbem in Arabiâ, Nysam, quasi asylum, Pater Chamus condiderat. Ipse relictâ Arabiâ, navi in Ægyptum traiecit, & inibi Thebas condidit; à naui, quæ Hebræis Theba, dictas: deinde aliam de suo nomine, Chemmim. A posteris Iuppiter Hammon indigetatus, Pater Ori.

Termini Chanaan venientibus à Sidone, Geraram, usque ad Gazam, donec ingrediaris Sodomam & Gomorrham, Adamam & Seboim, usque Lasa; (quæ postea Callirhoë.)

SEMI (qui pater filiorum Heber, in DEI cognitione constantium, qui & frater maior Iapheti) Liberi & Nepotes.

- Æla.
- Assur.
- Arphaxad, qui genuit { Sale, { Heber, { Phaleg, &c. & Iectā, qui genuit { Elmodad, Asarmoth, Adoram, Decla, Abimaël, Ophir, Iobal { Saleph, Iare, Vzal, Hebal, Saba, Hevila.
- Lud.
- Aram, qui genuit { Hus, Hul, Gether. Mes.

Horum habitatio, de Messā pergentibus usque Sephar, montem Orientalem.

Hæ a nilię Noëi, eiusque filiorum, per stirpes distributæ: à quibus Gentes in terrā post Diluvium, & iritam potissimùm Turris Babelicæ substructionem, divisæ.

Qua de re infrà, sub Phalego, exactiùs.

Vixit Noëus post cataclysmum annos 350. universè 950. mortuus anno O. C. 2007.

PATRIARCHÆ, post Diluvium.

Græc.	Hebr.		Græc.	Hebr.
2244.	1659.	SEMVS, iam centenarius, biennio post Diluvium, (Græc. & Hebr. Genes. 11.) progenuit Arphaxadum (qui tertius eius filius, unde prosati Chaldæi) Supervixit 500. annis; usque ad annum 50. nati Iacobi.	3175.	2291.

Eius posteri, ab Auo eruditi, sinceram veri Dei cognitionem, magnā ex parte, retinuerunt. Vixit universè 600. ann. mortuus ann. O.C. 2159.

Hebræorum constans est sententia, hunc esse Melchisedecum, illum Dei vivi Sacerdotem. de quo inf. sub Abrahamo qui per tot annos, vsque ad seculum Iacobi, fuerat præcipuus Ecclesiæ administrator. In Semo, qui centenarius genuisse dicitur, quum biennio maior tum fuisse videatur; Moyses rotundum numerum fortè secutus esse existimetur. Vide sup.

Græc.	Hebr.		Græc.	Hebr.
2379.	1694.	ARPHAXADVS, anno ætat. 135. secundum LXX. Interp. genuit Cainanum minorem, quem Hebræi non agnoscunt: sed ob B. Lucę, & 70. Interpretum auctoritatem, Ecclesia recipit. Et numeramus annum ętat. in Arphaxado, quum eum genuit, 35. Vixit ann. 438. usque ad ann. Abrahæ 140.	3040.	2256.

Hebræi, vti diximus, à Noeo ad Abrahamum tantùm decem esse stirpes notarunt, quot fuerant ab Adamo ad Noëum. B. Luc. c. 3. inserto Caïnano, Vndecim recenset. Quod quidam factum volunt, Græcorum, ad quos scribebat, & quibus sola LXX. editio erat usitata, causā. Alijs; posse dici ab Arphaxado genitum esse Saleum, per intermedium Caïnanum. cuius cùm nō meminisset Moyses, B. Lucam, vel ex integrioribus veterum Hebræorum historiis, vel è sancti Spiritus adflatu, vel è LXX. opinione, posuisse. ut nullus tamen errori, vel mendacio sit locus.

2509.	1724.	CAINANVS, ann. ętat. 130. Græcis genuit Saleum. Hebræi, qui Caïnanum non agnoscunt, Saleum ex Arphaxado generatum tradunt, anno ætat. 35.	2910.	2226.

Nos Cainano damus 30. annos, quum hunc genuit. demto scilicet centenario, qui in alijs quoque, apud LXX. passim ferè redundat. Vixit universè ann. 433.

2639.	1754.	SALEVS, ann. ætat. 130. Græc. & 30. Hebr. genuit Heberum. Vnde volunt plerique Hebræorum nomen & genus, atque adeo linguam duci. Alij ab Abrahamo, quasi Abrahæos, deducunt.	2780.	2196.

Veriùs forté-an, quòd Heber iste in Abrahę trinepotis sui domo; & in Isaaci ac Iacobi sinu mortuus fuerit; hinc Abrahami, & maximè Iacobi filios, Hebræos dictos esse. Gen. 39.

2773.	1788.	HEBERVS, ann. ætat. 134. Græc. at 34. Hebr, genuit Phalegum. Quæ vox divisionem significat.	2646.	2162.

Quòd eius iam-tum nati tempore, Terra per linguarum confusionem, inter filios & nepotes Noëi, sit divisa. Vixit universè annos 464.

Annus, quo natus est Phalegus, est Hebræis ci. à Diluvio. Nobis, qui annos Cainani addimus, est CXXXI.

Hic Heberus, Propheta est habitus; quòd. ceu futuri præsagus, filium suum, Phalegum, eo nomine

vocarit Divisorem. quòdque eo nato & vivente, Linguæ & Terrarum regiones dividendæ essent.

TVRRIS BABELICÆ SVBSTRVCTIO.

QVemadmodum antem generis humani primordia in Armeniâ, Mesopotamiâ, (vbi Eden, Paradisi locus, Ezech. c. 26.) Chaldæâ, & Syriâ fuere; ibique ante Diluvium homines incoluère; ita hæ ipsæ regiones, post, illud in primis excultæ, sapientiam à maioribus acceptam retinuerunt, usque ad Linguarum confusionem.

Filij namque Noëi è montibus Armeniæ, ubi Arca post Diluvium constiterat, progressi in planitiem, in Oriente habitasse produntur. quæ regio eitrà Tigrim, magnam partem Assyria pòst nominata est. Sed postquam Arphaxadus, Semi F. Tigri traosmisso, Chaldæam regionem obtinuit, (unde eius filij & nepotes, Hebræi, quasi Vlteriores, dicti sint. quòd vltrà Tigrim, aut Euphratem, Occidentem versus, venissent) Theodoret. vult, Hebra, Syrorum linguâ idem esse cum Euphrate. à cuius transitu Hebræi dicti sint. Linguam antem Hebraicam non fuisse naturalem; sed aptam ad docendum, quam provectiores, unà cum scripturâ divinâ addiscerent. quam Deus per Moysem Semitis donârit,) Posteri Chami & Iapheti, qui tempore Heberi, Campum-Sennaar in Chaldæa tenebant, alias terras petere iam decreuerant. Ioseph. tradit hosce à Deo iussos, propagandi generis, terræque colendæ causâ, colonias deducere. Sed rudeis, & recenti Cladis memoriâ etiam-tum pauidos, non paruisse: atque adeò calamitatibus implicatos, illud de Colonijs consilium, non divinę erga se benignitatis studium, sed insidias esse interpretatos. quò dispersi, vel ab editissimis illis Armeniæ montibus, ceu quibusdam Diluvij temoris, longiùs remoti, faciliùs, & iterum in plano, aquis opprimi possint.

Huiusce superbiæ, & proiectæ in Deum contumaciæ, concitatorem inter eos fuisse Nabrodem, (qui nobis est Nemrod) Noëi, ex Chuso, Chanaani F. (qui Chami) pronepotem, virum audacem, & manu promtum. qui passim iactaret, non Deo, sed propriæ quemque virtuti acceptam presentium commodorum felicitatem ferre debere. Atque ita ad tyrannidem grassatus, & homines à Deo ad se defecturos ratus, si ducem ijs se præberet; operam, opemque ultrò offerebat, si fortè novum Diluvium Deus intentaret. Turrim se exædificaturum, quæ celsitate omnem aquæ insurgentis impetum superaret: atque adeò Maiorum suorum inopinatum ex eâ clade interitum probè ulturum, &c.

At planiùs sacra Historia. Homines illos, qui ab Oriente profecti in Campo, sive planitie terræ Sennaar habitabant, alteros alteris (auctore fortean eodem Nemrodo) exhortatores fuisse, ut antè quàm ex eâ regione, quæ tantam multitudinem non capiebat, abirent, & per totum orbem dispergerentur; memorabili aliquo opere celebrem sui famam ad posteros propagarent; & Vrbem, cum Turri, quæ culmine ad cœlum pertingeret, exædificarent. & ad diuturnam eius firmitatem, lateribus igni percoctis, saxorumque bitumine, cementi vicem uterentur. Quo in opere dum sibi nihil ad summam industriam reliquum facerent; neque, nisi eo perfecto, destituti viderentur: Deus vt vesaniam eorum, & superbos conatus retunderet; & novâ nihilominus clade delere penitus nollet: inter eos, qui unâ, ad eum usque diem, linguâ usi fuerant, sermonis dissidium, πολυφωνίαν sive Linguarum diversitatem, immisit; & mutua operarum officia præpedivit. Et ipsi, quod alteri alteros, velut ἀλλογλώσσους & alienigenas, non intelligerēt, eo promtiùs sunt distracti. Vnde Μέροπες, à divisis sive diversis linguis, dicti. Atque ex ea sermonum confusione, quam Hebræi Babel nominant; Turris, Vrbs, & Regio, Babelis, Babylonis & Babyloniæ nomen invenit.

Hebræa lingua, quæ primigenia & mundi coæua fuisse creditur, apud Heberum (à quo linguæ & genti nomen, testibus BB. Augustino & Hieronymo) remansisse incorrupta traditur; quòd consilijs & operis aliorum non interfuisset. Licet alij ipsum etiam Noëum Turris ædificationi (sed fine meliore, vt inde, een loco commodiore, Coloniæ emitti possint) interfuisse putent.

LINGVARVM VARIETAS.

HEbræi, LXX. tantùm Linguas (Nostri LXXII, pro numero Discipulorum, quot CHRISTVS, ad Euangelium Gentibus denuntiandum esset instituturus) ex vnâ factas, volunt. quòd apud Moysem non plura stirpium capita & principes, siue coloniarum è Babylone, aut Sennaare duces, recenseantur. Nempe ex Iapheto 15. al. 14. E Chamo, 30. al, 31. E Semo 27. al. 26. Neque plures matrices proferri possint, licet innumerabiles sint Dialecti. ut Gentium quidem auctus sit numerus, non Linguarum. Ex Semo volunt Gentes 406. profectas; at Linguas 27. Ex Chamo, Gentes 394. quæ & patrię; Linguas autem 22. Ex Iapheto, populos 200. & Linguas 23. Vt Linguæ evadant 72. Gentes 1000. Vide B. Augustinum 16. de Ciuitate Dei c. 3. & deinceps. & Arnob. in Psalmos.

In nostro certè hemisphęrio, pro tempore, sex tantùm Linguæ, aliarum matrices, reperiantur.

Hebraica; Syriacæ, & Arabicæ, & olim Punicæ:
Latina; Italicæ, Valachicæ, Gallicæ, & Hispanicę:
Græca; Doricæ, Ionicæ, Æolicæ, Atticę, &c.
Slavonica; Polonicæ, Bohemicæ, Moscoviticæ:
Germanica; Anglicæ, Helveticæ, Flandricæ in Belgis.
Tartarica; Turcicæ, Sarmachaticæ, Abyssinæ, Æthiopicæ, Sabææ matrices.

In Europâ, inquit Scalig. XI. matrices supersunt: 4 amplissimè patentes, reliquæ 7. longè angustiores. Illę; Latina, Græca, Teutonica, Slavonica. Hæ; Epirotica sive Albana: Tartarica Pręcopensium: Hungarica: Finnonica: Hibernica: Britannica vetus, quæ & Cornubia: & Cantabrica, quæ nunc Biscaina.

Ex isto verò primęvorum hominum vano adversus Deum conatu, fabulę de Gigantibus, Aloidis, &c. cum Iove pugnantibus, materia Poëtis præbita est. Et eiusdem certè rei profani etiam scriptores, licet fucatiùs, meminerunt. Et quidem Abydenus

denus apud Euseb. l. 9. Primos homines ferunt è terrà natos, robore & corporum mole fretos, Dijs contemtis, Turrim eo in loco, ubi nunc Babylon est, ad solem usque attollere molitos esse. Quumque jam ad cœlum pænè ædificando pertigissent; vim ventorum diuinitùs ingruisse, quâ Turris collapsa eos oppressent. Et quum in id usque tempus linguâ unica usi essent; sublato ob subitam Linguarum varietatem sermonis commercio, fuisse præpeditos & divisos. (quæ belli scilicet, inter Saturnum & Titanas, initia) Et loco, ex eà confusione, Babylonis nomen impositum. Sibyllæ, apud eumdem, gemina pænè sententia est.

Sed quum liquidò constet Linguarum & populorum diuisionem, ætate Phalegi, ex paterno vaticinio, accidisse. Gen. 10. nobis hic in aliquantà scriptorum & in cæteris Genebr.) dissensione, constituendum est, an ea Phalego iam-tum nato, an morti propinquo, acciderit.

Tradunt ferè omnes Phalegum natum esse anno post Diluvium CI. ex Hebr. supputatione (vel, addito Cainano, CXXXI.) idque anno patris Heberi, XXXV. O. C. M. DCC. LXXXVIII. Nobis, qui annum Diluvij addimus prioribus M.DCCLXXXIX.

Ab ortu autem Phalegi, usque ad regnum in Babylone inchoatum, sunt 83. anni. Et ab initio eiusdem regni, sub Belo, primo Babylonis rege, usque ad Ninum, secundum ibidem regem, & primum Assyriorum Monarcham; 65. anni. A Nino autem ad Abrahamum, 43. anni. (Sic Euseb.) Et Ninum hunc omninò regnasse annis 52. idque in uniuersâ Asiâ, præter Indos. eique suffectam in regnum Semiramidem, vxorem 42. ann. imperitasse.

Ex his colliguntur à Diluvio ad Abrahamum, 292. iuxta Heb. & addito Caïnano, 322. anni.

His ita constitutis, non potuit illa hominum dispersio incidere in extremum vitæ Phalegi, qui vixerit 239. annos: & quidem satis diu post ortum Abrahami. quo tempore totus ferè terræ orbis iam hominum incolarumque erat completus, in magnâ vt Linguarum, ita regnorum varietate. Deinde Abrahamus natus est an. Nini regnantis 43. ante quem, pater Belus, an. 65. regnarat. Vltimus autem Phalegi annus, fuit 48. Abrahami. atque ita dispersio illa contigisset ann. 38. post mortem Nini.

Hæc ferè Lesmoræus, valde nostræ Chronologię, quam institueramus, conuenienter.

De initijs Regni tum Babylonij, tum Ninivéi, paullò-post.

GENTIVM PROPAGATIO, ET TERRARVM NOMENCLATVRÆ.

NVnc pro re natâ, quas Liberi & nepotes Noël gentes propagarint; & quæ nomina terris, quas quisque vacuas occuparunt, imposuerint; quàm-maximè probabili fieri possit coniecturâ, investigandum est.

Tradunt quidam, ut suprà diximus, Noéum ipsum filijs suis tribus, ita vniuersum orbem dividendum destinasse, ut Semus intra Orientem, (ita speciatim dictum, & eâ tempestate frequentari cœptum, citra Tigrim) Syrię maximam partem Chaldæam & Babyloniam, Mesopotamiam, Arabiæ partem; Sinum Persicum & Arabicum, obtineret. Iapheto, littora Asiæ, Europa cum Insulis maris Mediterranei, obvenirent. Chamus medius contineretur, inter Ortum & Occasum; hoc est, Chananæam, quæ postea Palęstina & Iudæa: partem Arabię, Ægyptum & Æthiopiam, & totam deinceps Africam, incolis compleret, & teneret.

IAPHETI verò Liberorum & Nepotum sedes, à Tauro & Amano montibus, in Asiâ, ad amnem Tanaim: in Europâ, ad Gadeis usque, pertigerunt.

A GOMERE, qui & Gomar, exorti sunt Gomari, seu Gomarenses; qui Cimmerij & Cimbri, & Græcis postea Galatæ & Celtæ. Alijs etiam Gordyæi, Tartari & Turcæ.

A Magogo, Magogę (al. Getę & Massagetę) qui & Scythæ, cum Sarmatis.

A Madai, qui & Madus; Medi.

A Iavane, Iônes, & totum Græcorum genus.

A Thubale, qui & Thobelus, Iberi, qui Hispanos dedêre.

A Mosocho, qui & Meschus, Meschini, & Cappadoces (ubi Mazaca urbs, posteà Cæsaréa,) Alijs etiam Moscovitæ.

A Thira, Thraces. alijs, etiam Tyrij.

A tribus Liberis Gomeri, Iapheti nepotibus.

1. Aschenezo, sive Aschanaxe; Ascanij, in Phrygiâ, & dein in Germaniâ: Tuiscones, seu Teutoni & Germani: ac Rhenogenes (Ios. malè Rhegini) quasi Rheni accolę.
2. Ripham; Riphæi, & Paphlagones.
3. Togorma, qui & Thygrammes, Phryges. alijs, Turcæ, quasi Turgimani.

A quatuor Iavanis Liberis Iapheti Nepp.

1. Elisa, sive Alisa; Æoles. alijs, Olysipponenses in Lusitaniâ, ubi Lisbona, quasi Elis-[illegible]na, Elisæ domus. Alijs Itali; & Elysiæ Insulę, hoc est, Fortunatæ.
2. Tharse; Tharsenses & Cilices. alijs Tartessij in Hispaniâ; & mare Tharsis, quod est Mediterraneum.
3. Cethimo; Cyprij, ubi Citium: & Insulares plerique. & Macedones, qui & Macetæ (Terra Cethim. i. Maceab) Al. Itali.
4. Dodanimo; qui & Rhodanim; Rhodij, & Dodonæi in Epiro.

CHAMI filij & Nepotes, Syriam, & regionem Amano Libanoque montibus attiguam, tenuérunt: & loca ad mare vergentia occuparunt, & ad Oceanum usque Atlanticum ditionis suæ terminos protulerunt. vocabulis locorum partim obsoletis, partim Grecanicâ Cacozeliâ depravatis.

A Chuso; Chusęi; Æthiopes, Eoi & Occidui.

A Mesraimo (qui putatur Osiris) Mesręi, qui Ægyptij.

A Phuto; Phuti, qui & Libyes (nisi hi, à Libye, Phuti filio.)

A Chanaane; Chananæi, de quibus inf.

Item à Chusi Liberis, Chami Nepp.

SAbâ; Sabęi, Abyssini. Hedilâ, al. Evilâ; Gætuli.

Sabathâ; Sabathæi, qui & Astabarri. & fortè Nabathæi.

Sabatachâ; Sabacteni.

Rhegmâ; Rhegmæi, ad mare rubrum.

Huius Regme, sive Remi, 2. filios facit Ioseph.

IVdam; unde Iudæi inter occiduos Æthiopas: & Sabæum; unde alteri Sabæi, Arabes seu Meroenses.

MESRAIMI filij octo, quidquid terrarum à Gazâ ad Ægyptum usque patet, possederunt. Sed solius ex ijs Philisthimi nomen, regio Palæstina servavit.

A Ludim, Lydi Ægyptij meminit Ezech.)

Laabimus, deductis in Libyam colonis; nomen regioni fecit.

A Nephthuim; Numidæ. Phetrusim; Petræi. Caphthorim; Cappadoces Palæstini.

Reliquorum fratrum tàm res, quàm nomina, in obscuro sunt; quòd bello Æthiopico, de quo infr. urbes eorum inciderint.

EX CHANAANI filijs; Sidon, Sidonis in Phœnice conditor.

Hamathæus; Amathuntis, quę postea Epiphania, & Emath minor. nam Emath maior Antiochia fuit.

Aradius; Aradios Insulares dedit, & Antaradios. Aracæus; Arces, urbis in Libano, auctor.

Cæterorum 7. Hevæi, Chetęi, Iebusæi, Cinæi, Samaræi, Gergesæi, Amorrhęi; pręter nomina, nihil in sacris litteris superest. Nam Hebręi urbes eorum excidêrunt, ob Chanaanum diris, & servituti aut excidio olim ab avo Noëo deuotum.

SEMI filij, Asiam usque ad Indicum Oceanum (cuius Sinus duo, Persicus & Arabicus) occuparunt: initiumque propagandæ ditionis ab Euphrate fecerunt.

Ex ijs, Æla, Ios. Elymus, Ælamitas sive Elymos, qui Persæ.

Assur, Ninives conditor, Assyrios dedit:

Arphaxadus Chaldęos. Aramus; Aramęos; qui Syri, Armeni, & Mesopotamitę.

Lud, sive Ludas, Ludos, qui & Lydi Asiatici.

ARAMI *Liberi, Semi Nepotes.*

HVs, al. Vzel, Damasci conditor, Trachonitidem incoluit. Hul, Ios. Otrus, Armenianı. Gether, Bactrianos & Carios; Mes, seu Mesas, Mæonas, Moesos sive Mysos, dedit.

HEBERO, Salæi F. Arphaxadi Nepoti, filij duo fuére: Phalegus, primariæ inter Hebræos stirpis propagator; & Iectan, Ios. Iuctas, cuius xiii. Liberi, sup. memorati, à Cophene fluv. Indię, ad Assyriam usque habitarunt. Al. Indias & Orientem possedére. Ex quibus,

Elmodad, Emodiorum; Hasarmuth, Carmanorum;

Ophir, Perusiorum sive Peruaim. Havila, Havilæorum propè Gangem;

Iera, Gedrosiorum, &c. prosatores.

BABYLON, ET NINIVE, PRIMÆ REGNORVM SEDES.

AT quoniam x. Gen. c. duo inter cæteros eximij commemorantur, magnarum civitatum & regnorum Conditores, Nemrod & Assur, ex quibus ille satis accuratè describitur, filius Chus (qui Chanaani filius, Chami nepos, Noei pronepos) ob virium prodigiosam magnitudinem, Venator dictus, primus tyrannidem, inter homines rerus dispersis, adfectasse, &c. Alter è de terrâ Sennaar egressus ædificasse Niniven, &c. de utriusque regni initijs limatius disserendum putavi.

Nemrodum illum, qui tyrannus, crudelis & sanguinarius (Deo rebellis, ex nomine) sedem regiam Babylone posuisse; & civitates Arach, Achad, & Chalannen, in terrâ Sénaar (agro Babylonico,) (quę posterioribus sæculis Edessa, Nisibis, & Seleucia, sive Ctesiphon, audisse putantur) condidisse proditur; multi fuisse eumdem putant, quem profani Belum vocarunt, Nini patrem. quemque Euseb. Babylone 65. annis tradit regnasse; idque pauxillo pòst tempore, quàm alij in varias mundi plagas discessissent. Vterque certè Babylonis fundator, Belus Profanis, Nemrodus Moysi dictus: uterque ferox & crudelis describitur: uterque circa idem tempus, post Diluvium, regnasse.

Babyloniæ quidem Vrbis & alij conditores produntur, præter Gigantes, hoc est, Turris Babelicæ, sub Phalego, ædificatores; & 83. quidem annis post Nemrodum. Nam eam postmodò Euphratis inundationibus vastatam reparavit Semiramis. Deinde (Diod. l. 2.) qui consecuti sunt Assyriorum reges, relictâ Babylone, quum sedem Imperij in Ninivo collocassent; varijs ea iterum casibus adflicta iacuit: donec, eversâ enim tandem Ninive, Nabuchodonosor eam restituit, & regiam urbem esse voluit. Quâ de re infrà.

ASSYRIORVM Imperiũ Historici plerique à Nino, Beli F. inchoarunt. qui non contentus Babyloniæ, paterni regni, finibus, Assyriam obtinuerit. Putarunt aliqui Semiramidem uxorem in dotem attulisse Nino ipsum Assyriæ regnum; atque hinc ex duobus regnis conflatam Monarchiam.

Hic autem controvertitur, an Ninus iste sit Assur, quę Moyses ait condidisse Niniven: quem B. Hier. alijque putant esse filiũ Semi. (Gen. x.) quum cæteri tamen Ninum Beli filium faciant; & iam satis constet Belum esse Nemrodum, Chami nepotem. Quum igitur Moysi Assur, conditor sit Ninives; & profanis scriptoribus Ninus, (à quo Ctesias Assyriorum reges numerat, sicuti Africanus à Belo) consectarium est, hunc Ninum, ex semine Chami, diversum ab Assure, Semi filio, esse censendum. Vt Assur quidem præcisè Niniven condiderit; sed Ninus aliquot pòst annis eam vel interceperit & amplificarit, vel iure dotali obtinuerit. Et vigente magis magisque, inter Chami & Semi posteros, odio, illi aliena etia in portione, domi ari contenderint.

Quòm autem confusio Linguarum accidisse prodatur, 83. annis ante regnum Beli; sive à Diluvio ad Belum. intercedant anni 214. & Belus regnâri annos 65. Regnum Nini apud Assyrios inchoatum colligetur an. O.C. 1936. Cuius iam-tum imperantis an. 42. aut 43. natus sit Abrahamus; qui erat annus O.C. 1979.

Huius Monarchiæ progressus, varias, post Assyrios, habuit Dynastias; Medorum, Persarum, Macedonum, Parthorum; & iterum Persarum, sub Alexandro Mammeæ F. Saracenorum, Turcarũ, Tartarorum; & hodie in Perside Sophianorum. Ipsa autẽ Monarchia, sub xxxvi. Regibus an. 1352. duravit,

... Vid inf. sub Sardanapalo. ... Assyrios, quàm qui N... & ... fuerunt ... , mansit in re- ...

Callisthenes, Aristotelis nepos, scripsit ex Babylonicorum obseruationibus, 1903. annos intercessisse, inter primum Babylonis & Niniues regem, & Alexandrum magnum Noster calculus colliget annos circiter ... an. O.C. 3623.

...	... 8 ...	THALEGVS, an. æt. 130. (al. 134.) Græc. & 30. Hebr. genuit Rehuum, al. Ragavum. vixit universe ... 23...	Græc. 251...	Hebr. 2132

Ad ... usque Thalegi tempora, Aureum Sæculum ... per P... decantatum, multi rettulerunt ... ingentem morum simplicitatē, virtutis studio ... que ingenia hominū ab ambitione & iniustitia abhorrētia. Sed verius apud varias Nationes, ... moresmitiis suis benè institutus, istusmodi virtutum & simplicitatis femina ... , censendum est. Sic ... habuere ... , & Saturnum, 150 etiam annis ante ... Sic Persæ sub Cyro, & alij alibi. donec moribus pullatim depravatis, ex Aureis Ferrea sæcula successerunt.

G...	...r. ...	REHVVS, siue Ragavus, an. ætat. 132. Græc. aut 32. Hebr. genuit Sarugum. quod nomen, Ramum, siue propaginem, interpretens.	Græc. 2384.	Hebr. 21...

... hæc Templa construi & quidam ... pes pro Dijs adorari eosque cæperut, ... harum exortum, vbi primus re... perit. Id tamen ... ad Semiramis ... int. Volunt ... Scythismum à ... cæpisse, & post diluvium durasse ad Turris Babylonicæ molitionem, & deinde ad Ragavum ... eius maiores, vel regiones Scythiæ ... ferent, vel moribus Scytharū utentes ... B. Epiph. Io. Becan. Cronij. ... ad præpatio usque ab Abrahamo ... tur, Scythismus dictus est Vt ante ... penes Scythas fuisse vi... m & ab ij ... Ætas illa nomē ... & vitæ instituta, & ... dum in ... Sennaaris Nem... & N... eo, S... que iustis, eius ... eret. Scythis ... que initium ab ipso ... dum, & appellatio à Scythis ... postea

... quæ Hellenismo non-iniu... Sarugi, ... cæpisse. cum suā ... quadam ducti hominum ... potissimum vivendi rationem ... ne, cuiusque idolorum, informa... progressu, magistratus, Tyrannos ... aut liquid ipsi ævo, me... viderentur, quod pugnā... corporis robur commendaret; picturā effigiabant. Posteà verò, temporibus Tharę, patris Abrahami, per statuas etiā & simulacra, errorē idololatriæ propagarunt. maiores suos per effigies coluerunt. & vicissim parētes, præ immodico desiderio, liberos suos, iam morte functos, ceu superstites, consecrārunt. vnde & Superstitio dicta. Et facto fu... ctos primū per figlinam expresserunt: deinde cæteri mox artifices, secuti primos, architecti quidē lapidē cædere; argentarij verò & auri-cælatores, pro suā quisque materiā, simulacra fabricari cæperunt. & scalptores, pro suo ingenio artificiosa opera variare, Ægyptij tamen & Babylonij, Phryges etiā ac Phœnices, huiusce cultus (idololatriæ) primi ferè aut præcipui extitisse auctores meritò censeatur, & simulacrorū, huiusq; ie modi mysteriorū initiatores. A quibus, Cecropis ætate, in Græciā eadē sacra immigrārunt. Posteris deinde sæculis cōplures, Saturnum, Rheam, Iovem, Apollinē, cæterosq; principes, aut re... inventores, Deos renunciarunt.

Hunc autem Græcismum vult Epiph. postmodò in Sectas divisum esse, Pythagoræorum nempe; Platonicorum, Stoicorum, Epicuræorum, &c. qui ab vno Socrate propagati.

Interim nihilominus quidam veræ religionis character & Naturę lex cum ijs vnà perdurāsse videatur dum hi... & Gentes planè in ... tum ... & Abrah... inde pie... cum lege Nat... iuncta; ac... cultus ... per... ceret. qui sub Dauide & S... one regibus maximè emicuit.

Græc. 3113.	Hebr. 1...	SARVGVS, al. Serochus, an. ætat. 13... Græc. & 30. Hebr. genuit Nachorem. quasi Aridum, desertum ... Vixit 23... ann. mortuus ... anno Isaa...	Græc. 2254.	Hebr. 207...

... m tradunt primùm idola formāsse. ... Noe & Semo adhuc superstiti... bile est. Veriùs, eius ætate, idololatria ... ualuit. Sub eodem Scytha... Æ... riorum regnum inchoa... tum volunt. Vide infrà.

Et Chamus, per convenas, qui Aborigines dicti; Gomarios, sive Cymmerios in Italia, Iaphetu posteros, magica disciplinā, alijsque erroribus tum depravāsse putatur.

Græc. 3244.	...	NACHOR, ann. ætat. 79. (al. 129. al. 179. Græc. & 29. Heb. pro... Tharen. à respirando, nominatum. Vixit vniuersè ann. 148. al. 270.	Græc. 2175.	Hebr. 2041.

Sub ... regnum Sicyonior... in Peloponeso ubi & A... & A... incepisse tradunt, rege Ægialeo, aliquot annis ante Ninum. Vide sequēm.

Sub eodem, Rapha, famosus Gigas, 1. Par. 15. à quo Raphaim, Gen. 14. quos Moabitæ è terrā ipsorum expulerunt. Deut. 2. Qui & Emmim & Zomzemmin. Illinc videtur se recepisse in Philistheam; ubi 1. Paral. 14. Raphę posteritas, Davidis ætate.

Goliath Gethęus, & ... fratres ... Par. 20. Et alius Gigas, 24. d... ex eadem ... hoc est, senorum in ... manibus & pedibus.

THARES vt quibusdam placet, iuvenis, genuerit Aranum; & Nachorem alterum, ... Et Arano liberi paullò-post nati, Lothus, Sara (quæ & Iescha) & Melcha.

Graec.	Hebr.		Graec.	Hebr.
3314.	1979.	Postea idem THARES ann. ætatis 70. (Græc. & Hebr.) ex alterâ vxore, pr[illegible] Abramum. Alij verò multò seriùs natum Abrahamum opinati sunt.	2105.	1971.

Hic obserua, ex duobus hisce numeris, ad marginem adnotatis Annor. [illegible] O. C. & Annor. ante N[illegible]t. CHRI[illegible], ex Hebr. sim[illegible]gi Annos nostræ Chr[illegible]logiæ, ab O. C. ad Nat. CHR. 3950. Et ex Græc. siue [illegible] p. 5419.

Præterea in hoc Abraha[illegible] N[illegible] medium pene interual[illegible]um esse [illegible]rum, quos [illegible], annorum, nempè, 1979. ab O. [illegible] & 1971. ante Nat. CHR. qui plenum numerum efficiunt. 3950.

Genebrard. ab Adamo, ad natum Abrahamum, colligit ann. 1949. [illegible] 30 annos C[illegible]ani omittit, al. cor[illegible] Tornell. ve[illegible] an[illegible]. 1946 Verùm & hic eo[illegible] m 30. Cainani ann. & 1. Diluvij, & 2. Semi post Diluvium, præterijt. Idem e[illegible] LXX. colligit 3412. qu[illegible] dat Nachor[illegible] 179. annos, quum genuit THAREN; cui alij tantùm tribuunt, è Græco, 79.

Abrahamus, Gen. 11. primo, inter liberos Tharæ, loco recen[illegible] ur. [illegible], propter dignitatem, & emeritam apud posteros generis prærogatiuam.

Seder-olam, tradit A[illegible]anum, post septennium ab ablactatione [illegible] m accepisse, vnde viii. eius vitæ anno natus sit Lotus; & consequenti, Iesc[illegible]ha siue Sara.

Sub hoc Thare, teste Euseb. Ninus Niniven ædificat. (Verùs, eamdem, ab A[illegible]ure conditam, & vi interceptam ex Assyrijs, sue Semitis, amplificat) & Assyriorum Monarchiam inchoat xl[illegible]. annis ante ortum Abrami. regnauitque [illegible] annos. Qua de re, inf.

PROFANARVM MONARCHIARVM, *siue Regnorum initia ruditer delineata.*

VErùm ne toties sacræ Historiæ series, istiusmodi Regnorum, in ijsque initiorum, obseruatione, interrumpatur; ea uno in conspectu, & rudi[illegible]ter, edemus: & annis, ex Hebr. contextu, designabimus.

Ab Orbe Condito, ad Diluuium completum, anni sunt, 1657.

Sub Phalego, Heberi F. Linguarum discrimina, anno O. C. 1788.

Sub Rehuo, Phalegi F. Nemrodus, primus omnium, Imperium in Babylone, per tyrannidem, usurpit, anno 1818.

A Nemrodo, ad Ægyptiarum Dynastiarum initium (anno 30. Saruchi [illegible]ntercedunt anni 60. 1878.

Ab ijsdem, ad Ægialéum, I. Sicyoniorum regem, (xi. an. Nachoris) anni sunt 13. 1891.

Ab Ægialéo, ad Ninum, qui imperare cæpit 27. an. Tharæ, Assyrijs cum Babylone cool[illegible]entibus. an. 45. 1936.

A Nino, ad Inachum Argiuorum regem (50. an. Isaac[illegible]) anni interfluxere, 193. 2129.

Ab In[illegible], a[illegible] Ce[illegible], I. Athenar. Regem (9. annis ante Natalem Moysis) an. 266. 2395.

A Cecrope, ad Cyrum Persam, numerantur circiter anni m[illegible]e.

Ab eodem Cecrope, ad conditum Troiæ, anni 74. & ad exscidium eiuld[illegible] 175.

Condita autem proditur Troia, 15. annis ante Egressum Israelitarum ex Ægypto, anno circiter 6[illegible] Mosis.

Atque ita, si anni Historiæ profanæ numerentur a Nemrodo ad conditam Troiam, colligentur 651. Quibus, si adijciantur anni ab Orb. Cond. quando idem Nemrodus regnare cæpit, euadent, 2469.

Hæc fusiùs & accuratiùs, suis quodque infrà locis, cum serie Regum, & duratione Regnorum.

ÆTAS



ÆTAS TERTIA,

B[illegible]ERT[illegible]TA, A NATALI ABRAHAMI, AD DAVIDEM REGEM, COMPLETVR 941. ANNIS (B. Aug. l.22. Ciu. Dei,c. ult.)

[illegible] pars, à [illegible]to Abrahamo ad Egressum Israelitarum ex Ægypto, complectens [illegible] annos. & ab Orbe Con. 2484. iuxta Heb.

[illegible] pars, ab eodem Egressu ad Davidem, regno inauguratum, annos 436, & ab Orbe [illegible]ito 292[illegible].

(Ex his Genebr. duas facit Ætates, III. & IV.)

Quoniam in consequentibus Ætatibus, usque ad Transmigrationem, Hebræi, & LXX. Interp. [illegible] uno atque altero anno differunt; posthàc solos Chronologicos Hebrææ veritatis numeros, compendij caussâ, adnotabimus.

H[illegible] AVT M ABRAHÆ, A 12. C. GENES. ad 15. u[illegible] verse pert[illegible]xi[illegible].

N[illegible] B. Aug.l.18.Ciu.Dei,iam secun[illegible] at Assy[illegible] rex. & patri suo Belo [illegible]erat, quando in terrâ Chal[illegible]rum natus est A[illegible]amu[illegible] Apud Sicyonios vero rex 2. Europs, Æ[illegible] r[illegible]at.

[illegible] iv[illegible]rsam Asiam, ad Libyæ fi[illegible] [illegible]cyp[illegible] e trad[illegible]ur. eiusque vxor Semi[illegible]ta[illegible]it.

Iu[illegible] l. 1 Tem[illegible]bus antiquiores fuisse, Ve[illegible] Osirim, cum Iside [illegible]xore, hic [illegible] an[illegible] in Scythie, reges. Inte[illegible] quos [illegible] illud, de vtriusque gentis vetu[illegible]st[illegible] uum. Illud autem quod [illegible]em [illegible] 2. comm[illegible]emorat, Scythas, postea[illegible]qua [illegible] qui in Pon[illegible]um vsque victricia ar[illegible] non ille exercitus sui clade, in re[illegible] [illegible]gressent, ab Ægypto inuaden[illegible] [illegible]us pr[illegible]ibitos, & reuersos, Asiam per[illegible], & vecti[illegible] sibi per annos mille qui[illegible] fecisse: & pendendi tributi finem à N[illegible] A[illegible]yri[illegible]rum rege, impositum fuisse; cum te[illegible] rati[illegible]ne minimè cohæret. quum vix pau[illegible] C. anni recensicantur, & à Di[illegible]luvi[illegible] Postremum Nino be[illegible] str[illegible], Bactrianorum rege, (qui & C[illegible] quique primus arteis magicas. c[illegible] ina[illegible] Math[illegible] sive Astronomiâ divi[illegible]natric[illegible], & [illegible]none peculiari con[illegible] inuenisse: mundi p[illegible] & [illegible]rum m[illegible] investi[illegible] Bactrianis & P[illegible] regni formam red[illegible], perhibetur. Fe[illegible] Ninu[illegible] primo impe[illegible]tu, par[illegible] lo[illegible]rum aspi[illegible], pa[illegible] Bactriano[illegible]ru[illegible] vi[illegible] victu[illegible] innumerabilem pæne exe[illegible]tum [illegible] C[illegible]as, ad d[illegible]cies [illegible] centena peditum ad [illegible] equitum millia a[illegible]scend[illegible], trad[illegible] Nini c[illegible]pijs Z[illegible] aster quadrin[illegible]ta millia opposuisse; & primo insultu C. hostium millia cecidisse tradiur. qui deinde multitudine coactus in Bactra confugerit: ijsque dolo expugnatis, fortiter pro patria & regni coronâ pugnans occubuerit.

Clem. Alexand. Herum illum Armenium, genere Pamphylum, quo auctore Plato, homine sceleratos supplicijs æternis adiudicatos, ignibus subterraneis erueri, scripserat; hunc Zoroastrum esse scribit, qui a Nino victus. & arteis magicas inve[illegible]nisse dicitur. Illo occiso Ninus ipse decessit, relicto impubere adhuc filio, Ninya, (qui & Zameis) & vxore Semiramide.

Ipse impiâ pietate adductus, patri Belo (Astronomiæ inventori, ut vult Plinius, vnde Chaldæorum fama) statuam consecrarat, reorum Asylum. Vnde Baal, Bel, & Baalim, Idolorum, cum cultu, nomina passim propagata. Præterea, Sepulcri monimentum, ingenti mole quod, au[illegible]ctore Ctesiâ, nouem stadijs altum, & decem latum fu[illegible]rit; quodque in multa sæcula, etiam post Niniven à Medis eversam, durarit, construxerat. Succ[illegible]sorum eius, & Assyrij regni Monarcharum, ad Sardanapalum usque seriem, infr. collocabimus.

Genebr. tamen, qui 48. ætatis Abrahami ann. populorum divisionem, & Regnorum ortus con[illegible]t[illegible] [illegible]putat; Inter quæ primum Nemrodi Babylonium, Niniveo, sexaginta minimum annis, fuerit vetustius; Ninum ct[illegible] tum imperare non potuisse colligere nititur, [illegible] annum à nato Isaaco duodecimum. Idemque contendit Nini nomen, ab urbis Niniveς, quam Assur condident, nomine confictum. Deinde, qu[illegible] consequentibus Bibliorum historijs, per annos amplius mille, altum sit de Regibus Assyrio[illegible]um, usque ad Phul; quem Nabonassar[illegible] putant. Et contrà, tele[illegible]quorum Orien[illegible] re[illegible]um, Chal[illegible], Syriæ, Mesopotam[illegible], Palestinę, &c. crebra fit mentio qui Assyrijs quidquam con[illegible]tulisse non l[illegible]ur. usque ad Oziam regem, sive ad 1. Olympi[illegible]. Oport[illegible]t, inquit ille, totum istorum in perium, si quidem amplum fuerit, Tigri & Indo fluvijs, & [illegible]quanta for[illegible]an

taſse-an Euphratis parte, comprehenſum fuiſſe,ne-queante dimidium V. tatis Euphrat. traſcendiſſe. Verùm iſta ex parte ſuprà ſunt confutata; cętera ſub Ozia(quo rege, Aſſyriorum nomen ſacris litteris innoteſcere,& Syris Iudæiſque terribile eſſe cœpit) expendentur.

Sicyoniorum verò regnum, quod ad Nachoris tempora rettulimus, exortum ab Ægialeo, ad ultimum uſque regem, & Carnei Apollinis ſacerdotes,qui ipſos Reges ſunt ſubſequuti; perſtitit an. 994: ad reditum uſque Heraclidarum, anno Orbe Cond. circiter 2904. quem infr. vide.

Primæ autem illæ Ægyptiorum, xv. quas gentis vanitas finxit, Dynaſtiæ, vel ex ſolâ antiquitate fabuloſæ cenſeri debeant. ut ipſa, ex iis, Decimaſexta,quam volunt,ſit prima, quæ Thebæorum appellata eſt; eorum, qui Thebas ἑκατόμπυλους condiderunt. cuius initium inciderit in 1. annum Abrahami; & durârit ann. 190. uſque ad annum Iacobi triceſimum. Secunda Dynaſtia, quæ xvii. dicitur, ſub Paſtoribus: in quâ, inter alios regnârit Pharaon, & reges iſtiuſmodi regiæ dignitatis cognomine inſigniti. de qua inf. ſub Iacobo.

His ita obiter delibatis, ad Abrahamum redeamus.

ABRAHAMVS.

1989.	Anno X. ætat. Abrahami, nata eſt SARA. ipſa namque nonagenaria erat, quum marito Abrahamo centenario filius ex eâ naſciturus poſteà eſt promiſſus.	1961.

Aranus frater Abrahami, Saræ & Loti pater, mortuus eſſe proditur in Vrâ Chaldæorum urbe natali, ante Tharen patrem ſuum, hoc eſt, patre inſpectante, & filio ſuo moribundo oculos claudente) præpoſtero naturæ ordine; & novo, ut multi obſervatum exemplo.

Abrahamus autem & Nachor, eius fratres, in coniugium [illegible] filias: ille Saram, ſte[illegible] Melcham. [illegible], B. Hieronymus binominem vult [illegible], & cum Sarâ eamdem. Hæc ſi ita ſeſe habeant, Aranus maior natu fuerit vtroque, qui puer octuennis aut novennis filias progignere non potuerit. Vide ſupra Hebræorum ſuper eâ re opinionem.

Quod autem c. 20. Geneſ. Abrahamus ad Abimelechum, de Sarâ, dicit: Verè ſoror mea eſt, ſi ta patris mei,& non matris meæ: Eman. Sá, Neptem interpretatur, Aranis, fratris ſui filiam, qui Tharæ natus ex aliâ vxore, quam matre Abrahami. Alij, ipſius Tharæ filiam dicunt, ſed ex eadem uxore.

2001.	Ann. Abrahami xxii. complentur bis mille anni ab O. C. Genebr. putat lii. annum Abrahami, quo ſumma illa fit expleta: & ab eo tempore ad Cæſarem Auguſtum, ſive ad natum CHRISTVM, totidem pænè annos fluxiſſe, vnde Quater mille rotundè exiſtant.	1949.
2007	Anno 28. (Genebr. 58.) moritur Noëus, annos iam natus 950. Qui annus fuit à Diluvio 350.	1943.

Circiter annum nati Abrahami xxxvii. putatur floruiſſe Iuppiter Cres, qui Cretæ nomen dederit.

ABRAHAMVS videre potuit omnes ſuos Auos, numero ix.

Noeum,		58.	Phalegum,		48.
Semum,		175.	Rehuüm,		70.
Arphaxadum,	per annos	145.	Sarugum,	per annos	100.
Saleum,		175.	Nachorem,		49.
Heberum,		175.	Tharen.		135.

Prima habitatio Tharæ, eiuſque filiorum, & in primis Abrahami, cum uxore Sarâ, in regione fuit Chaldæorum, vitat. Vra: quæ à Valle, in qua poſita, ita dicta eſt. Hebr. Ignem ſive Incendium, Chaldæorum, interpretati ſunt. Vnde fabulæ de Ignis adoratione, & Abrahami ex Incendio liberatione. Eamdem urbem B. Stephanus Act. 7. ſumto latiùs vocabulo, in Meſopotamiâ collocare videtur.

Inde Thares Abrahamum, filium & Lotum, ex Arano,alterofilio, Nepotem, & Saram Nurum, eius Sororem, omnes ſecum, [illegible] voluntate [illegible] comites, tranſtulit. [illegible] Chananæam (ubi tum Poſteri ex Mezchi [illegible] degebat) itinere in Harane (quæ Charra, & Charræ poſtea dictæ, Craſſi & Romanorum [illegible] [illegible] urbe Meſopotamiæ Syriæ, Palæſtinæ [illegible] verſùs, extremâ, ſubſtitit. ſedeſque cum ſuis collocavit. Sic tamen, vt Thares, huiusce patriâ, Vrâ Chaldæorum, deceſſionis, non tam auctor, quàm voluntarius Abrahamo F. comes, fuiſſe videatur à quo Dei mandatum, de ea Vrbe, Idololatriæ, ſub Nemrodi poſteris, qui Chaldæos & Aſſyrios [illegible] imperio ſuum obtinebant) imperatum e deſerere, [illegible]. Quod quidem innuit videtur 7. Act. c. Deus apparuit Abrahæ, quum eſſet in Meſopotamiâ, priùs quàm moraretur in Charan. Et dixit: Exi de terrâ, &c. Tunc exijt de terra Chaldæorum,& habitavit in Charan.

A Chaldæis autem diceſsiſſe ea-propter multis probabile videtur; Ne Deos colerent, quorum ſimulacra Sarugus, Tharæ avus, inſtituiſſe ferebatur.

Suidas Tharen ipſum ſtatuarium fuiſſe, ſive Idolorum fictorem & venditorem, & Abrahamum eamdem artem aliquam-diu exercuiſſe, tradit.

d... c. 24. *Trans flumen habitarunt, Patres vestri, Thare, Pater Abraham & Nachor: servierunt Dijs alienis.* Verum, libro Iudithæ, Achior Ammonita, lau... declarat eosdem, migratâ Chaldæâ, quod Deos Patrum suorum qui erant ibi gloriosi, sequi noluissent; in terrâ Mesopotamiæ, declinasse, de via parentum suorum: sive de... ritus ceremonias quæ in multitudine Deorum erant, & adorasse Deum cœli.

Ios. ... sep. discessus caussam attribuit luctui Tharæ, quem ceperat ex præmatura morte Arani filij. cuius sepulcrum, in urbe Vrâ, suâ etiam ætate, conspectum sit. Et Hebr. fabulantur, Aranum ipsum, quod Ignem adorare nollet, igne à Chaldæis consumtum. undè Abrahamus, divinâ ope liberatus, evaserit.

Ios. hoc nomine tradit Abrahamum Chaldæis, & Mesopotamitis, odiosum fuisse, quòd vulgò receptam de Deo opinionem refelleret; & ex mirifico rerum creatarum, Terræ & Cœli, ordine, unum esse Deum, totius universitatis conditorem & rectorem, prędicaret. atque ideò migrandi consilium cepisse.

2049. | ANNVS hic migratæ Chaldææ, sive decessionis ex Vrâ in Haranem, erat Abrahamo LXX. | 1901.

2054. | Idemque Abrahamus anno ætat. 75. (qui erat Patris Tharæ 145. & antè egressum Israelitarum ex Ægypto, 430. | 1896.

A DEO admonitus, & ingentibus magnificisque amplissimæ in posterum fortunæ ac dignitatis promissis excitus, ut domum, patriam (& fort. fratrem etiam Nachorem) qui iam probabiliter Patrem, e Chaldæâ in Mesopotamiam, erat consecutus. quem B. August. l. 16. c. 13. C. D. putarit, ... & fratri pietate degenerem, superstitioni ... Chaldæorum; & posteà, sive pœnitentem, ... nem passum ac suspectum, inde ad Patrem ... relinqueret; adsumto Loto, fratris, quem ... ni, filio, unà cum uxore Sarâ, familiâ & liberis, in terram Cananæam profectus; & ad Sichemum usque, & ad Convallem, sive planitiem, & Quercetum Moreh (quæ à Chananæis eâ tempestate tenebantur) progressus; DOMINO, ... r v... um apparenti, & terram eamdem posteris ... promittenti, Altare ritè erexit, & sacra fecit.

Et duplex certè statui posse videtur Abrahami profectio ex Harane in Chananæam: & unius Moses; alterius B. Stephanus, Actis, commeminisse. vt illa, Patre vivo, anno Abrahami 75. hæc, ... Patre, anno 135 eiusdem Abrahami, contigisse ... tur. Sive, ut Abrahamus, quinctò postquam ... cum Patre ex Vrâ in Haranem venerat, anno ... , ex divini præcepti memoriâ & reverentia ... ibidem ad tempus reliquerit: Deinde post annos ... quibus inter Chananæos peregrinatus ... lare habitarat; & ad Patrem ... ubi ... visens, Haranem frequenter ... Patre ... anno ætatis suæ 205. mortuo, ac ... nunquam postillà in Mesopotamiam sit ... ; sed stabile in Chananæâ domicilium fixerit. Quod vox Græca, Actis μετῴκισεν, satis significat, Colonum, & fixa sede habitatorem, ...

... o servo. Dum filij hominum, sive huius Sæculi, tumultuantur, & regna passim anxiè constituunt: Filius Lucis, sive Sanctorum, vitam quietam & ... sui traduxisse: & super terrâ peregrinantes ... (... spe ... CHRISTI, IN TE) & Semine ... benedicentur universæ cognationes terræ, fuisse... Abrahamus namque in terrâ Chananæâ, tanquam alienâ, sub tabernaculis, habitavit: ubi ne pedis quidem solium sibi comparavit aut usurpavit: præter sepulcrum, & quidem præsentariâ pecuniâ redemtum. Et certè ille, Deum secutus, ἀκόλουθος τῷ θεῷ, Philosophis consecutus id præcepti reliquisse censeatur.

Ab hoc anno 75. ætat. Abrahami, & migrationis ex Harane in Chananæam, (quo facta eidem prima à DEO promissio de Terrâ semini eius tradendâ) ad Exodum usque, incipiunt illi CCCCXXX. anni habitationis Israëlitarum in Ægypto. de quibus aliàs.

EO FERE TEMPORE Assyrij tertium sive quartum habebant regem, Ninum eo nomine secundum (qui & Zames, & Ninyas) post mortem Semiramidis matris quæ 42. ann. regnarat. Illa namque eius filio regnum præstigijs quibusdam interverterat, ad seque transtulerat: Babylonem magnificentissimè exstruxerat: Mediam, Persidem & Ægyptum ingenti cum exercitu peragrarat: magnam Libyæ Æthiopiæque partem subegerat: cum Indis feliciore initio, quàm exitu bellum gesserat à filio, cuius incestos expetiverat amplexus, interfecta. Ninyas verò à Patre degener, maternæ luxuriæ æmulus, regni administratione Præfectis commissâ, delicijs effeminatus, in mulierum cœtu consenuit. Cuius suæ nequitiæ, an ignaviæ imitatores, XXX. deinceps ferè Assyriorum reges habuit, alium alio solutiores. usque ad Sardanapalum. Verbo reges; re aute n ve... ... ptatum: ut nihil præter incertam Nominum seriem nobis supersit.

Ninus ipse 38. Imperij ann. explevit.

Sicyonijs præerat tum 5. Rex Telexion. & Ægypti, etiam-dum sub Thebæis Dynastis erant constituti.

ABRAHAMVS autem, qui ex Sichemis in montem, hinc Bethelæ ad Occasum, & inde Haiæ ad Ortum, interiectum, transgressus, & ad Meridianam plagam tendebat, paucis pòst mensibus, quàm in Chananæam peregrinus rediisset: p... v... ... ce annonæ inopiâ, cum uxore Sarâ, & Loto Nepote, in Ægyptum, uberiorem pro tempore regionem, concessit. ibique treis men... ... ditur. Et Deus, Saræ, dissimulatæ à Viro V..., & pro sorore habitæ, pudicitiam, adversus lubricam Pharaonis regis cupiditatem, Reg... ... plagis

plagis adflictâ, & libidine per morbum domitâ, tutatus est.

Hic Abrahamus, hospitaliter habitus, & repentè ex inopi locuples, arteis vicissim Mathematicas, vel earum saltim initia, Sacerdotibus indigenis tradidisse putatur: & Geometriam in primis, Ægyptijs, ob crebras Nili inundationes, & incertos ex eo agrorum limites, necessariam. Cicero certè 1. de Divinat. Chaldæos recenset primos Astrologiæ inventores, & Phœnicas Arithmeticæ. cuius tamen lineas, ab eodem Patriarchâ, quum in Palæstinam venit, vel ab eius posteris, accipere potuerint. Ioseph. etiam de Deo, & verâ Religione, cum ijs sermones habuisse; & vulgarium opinionum vanitatem confutasse tradidit. Vide Euseb. l. 9. c. 4. Pr. Eu.

ABRAHAMVS verò & Lotus, post trimestre, ex Ægypto, in eadem, unde recesserant, loca, ad Austrinam regionis plagam, reversi, vt pugnacem familiarum suarum, & Pastorum in primis, discordiam (& ex eo vicinæ gentis, Chananææ & Pheresææ, offendiculum) evitarent: atque adeò, in magnâ pecoris armentorumque copiâ, laxioribus vacuæ tum regionis spatijs uterentur; ex mutuo consensu, alter ab altero seiuncti sunt.

Et LOTVS quidem, ab Oriente recedens, regionem Iordani vicinam, (Pentapolim) agris irriguis tunc nobilem, delegit; & in Sodomis (quorum opidum incolarum flagitijs infame, & Deo invisum) consedit.

ABRAHAMVS verò, cui iterùm Deus terram Chananæorum, quàm longè latéque pateret, à posteris æternùm possidendam, fuerat pollicitus; iuxta Convallem Mambræi, (Ios. Quercum Ogis. quod agri nomen) quæ est in Hebrone, tabernacula collocavit.

Hic Mambréus, frater fuit Escolis & Aneri, Amorrhæorum, quibuscum Abrahamus fœdus pepigisse dicitur.

2061. Anno Abrahami 82. (Lapid. 80. qui fuerit 29. vel 30. Nini Iunioris) primum inter mortaleis armorum certamen exortum, hâc ex caussâ, memoratur. 1889.

Bara, Sodomorum; Bersa, Gomorrhæ; Sennabulus, Adamæ; Semeber, Seboimæ; & alius, Balæ, quæ & Segor; sive Pentapoleos, regionis, tam opibus, quàm numerosâ Iuventute, tum circa Iordanem, & in Arabiæ Palæstinæque confinijs, florentissimę, Reges quinque, & suæ quisque Civitatis præcisè Domini.

¶ Iosepho, sunt Ballas, Baréas, Senabarus, Symoborus, & Balin)

Vel armis antea subacti; vel ex pacto, per annos iam XII. Chodorlahomori, Elamitarum sive Persarum regi, tributa pependerant, & imperata fecerant. In eosdem verò iam perduelleis; & in libertatem, iugo excusso, adserere se molienteis, biennio pòst, nova suscepta est belli expiditio; auspicijs eius, quem dixi, Chodorlahomoris; & trium sociorum regum auxilijs.

Ex quibus Amraphel (hunc Lapid. tertium aut quartum à Nemrodo, & præcipuũ huius belli ducem statuit) Sennaari, sive Babyloni; Ariochus, Ponto sive Ellasari: Thadadus, (al. Tbadalus vel Tbalalus) Gentibus, sive Goïm (al. Galilææ superiori, Arabibus & Ægyptijs tum frequentatæ) singillatim, dominabantur. Et (ut vult Ioseph.) Reges sive Monarchæ Assyriorum, qui eâ tempestate totius Asiæ potiebatur, Vicarij erant, aut Satrapæ. His nominibus: Marphades, Ariochus, Chodollogomorus, & Thargalus.

Hi viribus itaque coniunctis, remotiores primùm Syriæ Arabiæque populos cladibus & ruinis evastarunt; & Gigantum posteros, Raphaimos, Astarothi; & Chorræos, Seiri montis incolas, perdomuerunt. Deinde, quum in propiora Amalecitis & Amorrhæis, ad Cades & Asason-thamarem (sive Engaddam) profligatis, penetrassent; obviàm sibi cum instructo exercitu, progressos, illos Pentapolitanæ, quam dixi, regionis quinque Reges, in Valle Silvestri, sive Salinarum (quæ tunc permultis bituminis fontibus scatebat; & paullo-pòst dividiis subversa, in mare Salsum, sive Lacum Asphaltiten, tota abijt) partim ceciderunt; partim terga vertere, & in propinquos monteis confugere, coëgerunt.

Victores, Sodomâ & Gomorrhâ, civitatibus (quarum reges eâ in pugnâ cecidisse ferebantur) expugnatis, universas civium fortunas, atque adeò annonam diripuérunt: & inter cæteros, Lotum, omnibus bonis spoliatũ, in captivitatẽ abduxérunt.

Cuius quidem cladis nuntius simulatque ad Abrahamum, patruum, qui in Querceto Mambréi habitabat; & Hebræus inter suos audiebat, quasi Transitor & Transamnensis, ob Euphratem transmissum: per vnum è captivis, qui manibus hostium erat elapsus, fuit perlatus; extemplo CCCXIIX. è Vernaculis suis, militiæ expertos, recensuit, & levi armaturâ instruxit. & auxilia, à tribus illis, quos federatos dixi, fratribus Amorrhæis, opportuna accepit. Atque ita hostem victoriâ ferocem, ad Danem (urbem Laisam, vel unum è Iordanis fontibus) persecutus (quintâ nocte, Ios.) & copias partitus, alios è Regibus nocturnâ pugnâ oppressit; alios ad Habam usque & Phœnicen, haud procul Damasco, fugienteis profligavit, & armis prędáque exuit. Ipsumque adeò Lotum, cum captiuorum grege, salvum incolumemque reduxit.

Ab eâ Regum cæde redeunti, rex Sodomorum (sive ille prior, qui in puteum bituminis é pugnâ fugiens se coniecerat, & salvus evaserat: sive, qui priori recèns cæso, in regnum successerat) in Save, sive Valle regiâ (quæ est citra Iordanem; quæque iuxta Sichemum exorta, à Betsane & mari Galilææ, ad ostium usque Iordanis, se porrigit, quo in Mare mortuum ille evoluitur) gratulabundus occurrit.

Eomdemque haud procul inde, Melchisédechus, sacerdos Dei excelsi, & rex Salem (quæ B. Hieron. urbs est Sichimorum: Iosepho & alijs, Solyma ipsa, quæ pòst Hierosolyma) non sine piâ & salutari adpreca-

precatione,ex [illegible] pit. Iosep. Milites eius hospitali[illegible] & [illegible] ducem ipsum, mensæ adhibitum [illegible] extulit; tum DEO,(victoriæ au[illegible]i, E[illegible] cecinit) & panem, vinumque, eidem [illegible]co, ex munere sacerdotij sui, & ex ritu pa[illegible] immolanda, protulit. Eumque ipse d[illegible] vic[illegible] decumâ omnium spoliorum, quæ ex h[illegible] reportabat, portione remuneravit.

Hu[illegible] Me[illegible]hisedecum, Hebræi & Samaritæ volu[illegible] Semum, illum Noëi filium, qui in monte Sione urbem Salem ædificarit, quasi Ἱερουσαλήμ, quæ postea Hierusalem.

S[illegible] quidem, qui annis universè DC. vixisse traditur non modò tunc, quum Abrahamus reges, quos d[illegible], devicit, vixisse; sed Abrahamo etiam ipsi superstes a[illegible] 35. annos, fuisse, colligitur. Verùm is, neque ἀγενεαλόγητος dici potest; cuius pater & pa[illegible] ad Adamum usque; & deinde posteri commemorentur. neque rex Salem, sive Solymæ, fuisse; cui terra Orientalis, ultra Euphratem, in possessionis portionem obvenerit. Absurdas aliorum de eo opiniones prætereo. quas vide apud Guil. Estium, c. 13. ad Hebræos refutatas. Probabiliùs alij E[illegible]phan. Suidas, Chron. Alexand. &c.) è Cananeâ Chami stirpe oriundum.

(Cedren. Glycas, Suid. Sidâ, regis Ægyptij filio, natum prodiderunt; & à DEO, ob placitam vitæ sanctitatem, è patriâ suâ Iordanem translatum: quemadmodum & Abrahamus è Chaldæorum regione fuerit evocatus.

[illegible]nebr. ex Hebr. ipsum Abrahamum, qui iam [illegible] omaniæ adsueverat, aliquot, post Noëi excessum, annis, in Cananæam migrare iussum, ad Semum, filiorum suorum patrem & Pontificem, in cuius familiâ veri Dei cultus utcumque integer permansisset. Et Suidas; Regnasse in Salem Sionia [illegible]. annis, virum iustum & castum, in tantâ flagitiosissimæ Sodomæ viciniâ.

Hunc prætereà Templum toto orbe celeberrimum ædificasse, in quo ipse, uti Dei excelsi Sacerdos, panem & vinum more Veterum, quorum sacrificia ferè incruenta) obtulerit: & MESSIÆ, qui illam incruentæ sacrificationis ritum erat perfecturus, personam sustinuerit. Et quoniam tunc primùm, quum Abrahamum, è bello revertentem, convivio acce[illegible] eique, pane & vino, solenni Sacerdotij ritu pr[illegible]itis, & nomine DEI invocato, benè precatus est; de-repente in medium prodiit: neque proditur, quando aut natus, aut mortuus sit; dicitur etiam neque principium dierum habuisse, neque finem. ἀπάτωρ, καὶ ἀμήτωρ. insigni mysterio, quod explicat B. Paul. 7. ad Hebr.

Eâdem de re Suidas.

Huius genealogia non explicatur, quòd non de Abrahami semine, sed detestabili Chananæorum satu fuerit exortus. Minimè autem decebat, eum, qui summæ Iustitiæ compos evaserit, cum familiâ, Iniustitiæ participe, coniungi. Hinc patre & matre carere dictus.

Quum verò rex Sodomorum ab Abrahamo, cui prædam omnem lubens ille cedebat, solos è suâ regione captiuos reposceret: ipse conditionem non accepit. sed exceptis Militum alimentis, manubiarumque parte; quæ Amorrhæis, quos dixi, fratribus, & expeditionis sociis, erat debita; universa regi restituit. Quâ Abrahami virtute delectatus Deus; & Numinis sui præsentiam, & præmia pro tam egregiis facinoribus; atque adeò filium heredem, & ex eo posteritatem, quæ Cœli stellas numero exæquaret, terramque Cananæorum, à fluvio Ægypti ad Euphratem, possideret, ei est pollicitus. Et fœderis firmandi caussâ, sibi vaccâ, caprâ, & ariete, omnibus trimis; turture prætereà & columbâ facere iussit. Theodor. Hæc ænigmata rerum posteris obventurarum. Tria ex quadrupedibus mundis, tres sunt generationes, quæ in incolatu erant permansuræ. Turtur eam signat generationem, quæ ex Ægypto egressa velut avolaret, & in deserto habitaret. Columba eam, quæ terram promissam acciperet. Aves non divisit, quæ liberationem à servitute significarent. Quadrupedes partitus est, quæ indicarent malam gentis in Ægypto tractationem. Rapaces volucres, sententiam Ægyptiorum, quæ omnes Hebræos cædi destinabat, quam honor Abrahæ debitus repressit. Alij putant, Deum, demonstrandæ in promissis suis firmitatis pactionem, cum Abrahamo, istiusmodi ritu, bipartiti sacrificij, iniisse. Quarum victimarum carneis, quum ille ferro dimidiasset; & in volucribus rapacibus à recenti cadaverum sanie abigendis, ad Solem usque occasum, adlaborasset; somno & horrore oppressus, oraculo diuino edocetur; progeniem ipsius in solo peregrino & hostili diutiùs acturam: & seruitute, alijsque ærumnis grauiter adfligendam, per annos CCCC. Sed istiusmodi gentis iniquissimæ tyrannide, Deo vindice, ad extremum castigatâ, non modò eos pristinæ libertati restitutum iri; verùm ingentibus etiam cum spolijs ex hostico gloriosè egressos, quartâ stirpe; & expletis, tamque tum maturis, Amorrhæorum flagitijs, ijsque funditùs deletis, in promissam Cananææ terram esse reversuros, & vacuâ regione potituros; ubi Deum suum legitimo cultu venerentur.

Hi anni peregrinationis posterorum Abrahami, in terrâ alienâ, CCCC. qui Gen. c. 15. & Actor. 7. rotundè memorantur; putandi erunt à Natali Isaaci, ad Exitum sub Moyse: quo toto tempore illi tum in Cananæâ, tum in Ægypto degerunt.

Re tamen verâ anni in solidum fuere, CCCV.

A nato scilicet Isaaco, ad Descensum Iacobi in Ægyptum 190. Indè ad Exodum, 215.

Anni verò illi CCCCXXX. Exodi c. 12. & B. Paul. ad Gal. 3. inchoari debent à I. promissione Abrahamo factâ, Gen. 12. (Alteræ namque duæ repetiuntur, eiusdem Genes. cap. 13. & 22.)

Anni item, quasi CCCCL. post quos Acto. 13. Terra Cananæa sorte distributa dicitur: Intervallum designant temporis, à Natali Isaaci, ad eam, quam dico, Terræ sub Iosuâ partitionem. & resultant ex illis CCCV. ann. ex Gen. 15. collectis. si addamus XL, quos Hebræi in Deserto triverunt; & V. circiter, quos mortuo iam Mose, in debellandis Chananæis consumserunt.

Alij verò opinati sunt illis CCCCL. annis, notari spatium ab illâ Terræ divisione ad Samuelem usque.

Theophylact. conciliare sic nititur locum illum Exodi 12. cum 15. Genes. & Actor. 7. Non expressè dici, Hebræos exiisse, completis annis CCCC. sed

pòst

pòst 15. annos. quod spatium xxx. reliquos etiam involuat. Dicitur enim. *Malè tractabunt eos annis 15. postea exibunt, & colent me.* quod tempus pòsterius, in xxx. illis annis denoteretur.

Errare itaque laxè censeatur Genebr. qui illos 15xxx. ann. Exodi 12. ex eo tempore putat, quo Iacobus in Ægyptum descendit. quum ab illo Descensu ad Exodum, vix ccx. vel ccxv. anni interfluxisse comperiantur. Atque adeò ab illâ primâ Dei promissione, quæ Abrahamo facta est; ad Exodum, opinatur ille cc. & eo ampliùs, annos excurrisse. Quod quidem falsum esse sic convincatur.

Ab ortu Abrahami ad primam promissionem, anni sunt 75.

Inde ad natum Isaacum 25.

Posteà Isaaco genitus est Iacobus, post ann. 60.

Ipse Iacobus 130. ætat. ann. in Ægyptum descendit.

Ex eo tempore Hebræi in Ægypto habitarunt annis, plus minus 210. veriùs 215. Summ. ann. 505.

Hoc autem postremum, quod potissimùm controuertitur, sic colligi possit.

A Descensu illo Iacobi in Ægyptum, ad Excessum Iosephi, anni 70. completi. Gen. 50.

A morte Iosephi, ad nat. Moysem, ann. 65. (patebit id inf. ex annis Caathi & Amrami.)

Ab ortu Mosis ad Exodum, ann. 80.

Summ. ann. 215. Et additâ priore summâ annor. à I. promissione, ad dictum Descensum eiusdem Iacobi, quæ totidem annos, 215. scilicet conficit. Summ. 430. ann.

Quæ annorum ratio & sic iniri potest.

A primâ promissione ad Isaac, ann. 25.

Anno Isaaci 60. natus est Iacobus.

Iacobi 91. anno, Iosephus natus est.

Iosephus vixit 110. ann.

Hebræi ab eius excessu in Ægypto commorati, ann. 144.

Summ. 430. ann.

Quartam verò generationem, seu stirpem, quâ Dominus (Gen. 15.) à decessu Abrahami posteros eius in eamdem terram reversuros pollicetur: Alij, interpretantur 4. cyclos propheticos, quorum singuli cxx. sint annor. ut in fine postremi, post 480. annos, plenè in regionis Cananææ possessionem ingressi intelligantur.

Alij, 4. sæcula, sive 4. annorum centurias.

Emanuel Sà, putat & colligit stirpes illas ab ingressu in Ægyptum. ut Naasson, Moysis comes & æqualis, quartus sit à Phares, qui cum patre Iudâ eodem sit ingressus. Gen. 46.

2065. | Abrahamo, iam, supra sexennium, octogenario, natus est Ismahel, ex Agarâ, ancillâ Ægyptiâ. | 1885.

Hanc Sara vxor, sterilis, viro suo ultrò (quærendorum liberûm causâ. ut eo in facto, non culpæ luxus, sed naturæ fructus ab utroque exquisitus esse iudicetur) subdiderat: & prægnantem, atque inde fastu elatam, duriusque vicissim ab herâ offensâ habitam, ad ineundæ in Ægyptum fugæ consilium adegerat. Atqui ipsa, ab Angelo commonita; & ut Dominæ audiens dicto esset, domumque ex itinere rediret, iussa; Ismaelem, quem dixi, (quasi maternis precibus exoratum) Hero peperit.

Illum ferum hominem fore, omnibusque adversarium; sed posteritate fecundum, idem Angelus prænuntiarat.

Ex eo namque orti Ismahelitæ: qui secundum carnem nati, cum filijs promissionis, secundum spiritum natis, perpetuas in posterum exercuére simultates. Gal. 4.

2068. | Anno Abrahami 89. (seu 90. (Arius, quasi Martius, quòd bello acer esset, vel Marti Planetæ cognominis) Assyriorum rex à Nino quartus, & quinctus à Belo. regnat 30. annis. A Suidâ Tharas dicitur. | 1882.

Hic Caucasum tyrannum, ex stirpe Iapeti, sustulisse; & ab Assyrijs ceu Deus cultus fuisse, sub nomine Baali, quod Martem sonat (cuius fortè Daniel meminit) proditur.

Mariana, hist. Hisp. circa idem tempus Geryones, primos Hispaniæ reges, & Herculem Libycum suspicatur vixisse. Sed si Siculus ille, quem æqualem addit, atque adeò ante Geryonas collocat; cc. tantùm annis, Bellum Troianum, ut vult, antecesserit; toto errat cœlo.

2078. | Anno 99. eidêm Abrahamo, eiusque Vxori, nomina à Deo (non sine iterato posteritatis, supra modum multiplicandæ; & Cananææ ijsdem in possessionem olim cessuræ, promisso) sunt immutata. ut ex | 1872.

Ab-ram (quod est, pater excelsus, seu excelsa & divina moliens) Abraham, quasi Ab-ram hamon, hoc est multorum excelsorum (regum) seu multarum gentium (Iudæorum & Gentium) pater; & veluti Patriarcha (familiarum princeps) diceretur. (Omnes in CHRISTVM credituri, sunt filij Abrahæ: non quidem nascendo per carnem, sed credendo per fidem. B. Augustin. serm. 54. de Tempore.)

Et ex Sarai (principe, sive Dominâ meâ) Sara, hoc est, princeps absolutè, & quasi omnium gentium futura Domina; in posterum audiret. ex cuius filio nationes ac reges populorum essent orituri.

Tunc quoque LEX Circum-cisionis, ceu pactum quoddam (quod inter Deum, & Abrahamum eiusque posteros sempiterno fœdere intercederet: sive vt ipsi eie tamquam Deum suum piè colerent; & Deus vicissim ipsos foveret, bonisque cumularet) imposita est. & iussus Abrahamus carnem præputij in quovis mare, in posterum, circumsecare. Quod velut æterni secum federis monimentum, & peculia-

peculiaris pietatis signum in gente Hebræâ, alijsque olim adcensendis, Deus exstare voluit.

Quumque idem futurū Abrahamo, ex Sarâ iam nonagenariâ, filium heredem polliceretur; & id ille læto risu & admiratione prosecutus, pro Ismahelis vitâ deprecaretur: Ismahelem quidem, duodecim Ducum parentem, & stirpe ac potentiâ clarum, magnumque fore intellexit. Sed in Isaaco, quem illi anno consequente Sara esset paritura; in eiusque posteris, pacti illius de Circumcisione (& CHRISTO nasciturо) firmitatem fore propriam ac perpetuam.

Eôdem itaque die Abrahamus, & se ipse, centenario propinquum, & Ismahelem tredecennem, cum universâ marium & vernarum domesticorum familiâ, circumcidit, & ceu notâ quâdam nobilitavit.

Paullò-pòst idem, ad Quercetum Mambrêi, pro foribus domicilij sui considens, tres Angelos, qui sibi è propinquo apparuerant, hospites esse ratus, demissè salutavit; & ut ad se diverterent, hospitio mensâque fruerentur, rogavit. Qui quum annuissent; & ex ijs, quæ adposita erant, delibare visi essent; Saram, quam in tabernaculo propè adesse & exaudire posse, cognouerant; vertente anno, filio auctum iri, palàm sunt polliciti.

Ad quod quùm illa, palàm subrisisset; & de promisso, ob decrepitam in se utroque ætatem, dubitasset; ab Angelo increpita; & Deo nihil difficile esse, edocta est.

Et tunc demùm Angelos se Dei confessi sunt: ex quibus unus Dei personam repræsentaret, & filium nasciturum patri nuntiaret. Alteri duo ad inquirenda Sodomitarum crimina, eosque deinde funditùs delendos, missi essent.

SODOMÆ EXCIDIVM.

Sodomitæ namque eâ tempestate divitijs, rerumque omnium copiâ sublati, non modò in homines contumeliosi, hospitumque contemtores; & adversus Deum impij, eiusque beneficiorum planè erant immemores: sed infandis etiam libidinibus sese ipsi mutuùm incestabant.

Quâ indignitate offensus Deus, de ijs pœnas sumere; & regionem eorum ita evastare decreverat; ut nec plantis, nec frugibus ullis progignendis in posterum esset idonea.

Quo audito, Abrahamus Sodomitarum vicem miseratus, & Deum pro ijs deprecatus est; ne iusti cum iniustis promiscuâ clade involuerentur.

Verùm eo (per Angelum) negante, ullum in Sodomitis, probitate spectatum, aut iusti tenacem, reperiri. alioqui; si vel decem tantùm inter eos Iusti existerent, omnibus universè culpam fuisse remissurum; à supplicando destitit: & Angelo digresso, domum se suam ex itinere recepit.

Postquam autem alteri duo Angeli Sodomam vesperè ingressi, & à Loto obvio, ad se divertere & cibum sumere rogati, quasi ad quietem se componerent: Cives, qui formâ præstante, ut rebantur, adolescenteis illuc introisse fuerant conspicati, facto cuiusvis ætatis hominum concursu, & ædibus indagine quâdam circumvallatis, hospites ad stuprū à Loto depoposcerunt. Quod quidem probrum, & hospitij sui dedecus, quùm ne filiarum quidem suarum, duarum integri pudoris & ætatis Virginum, quas intemperanti eorum lubidini subijcere & prostituere malebat, (aut malle fingebat) damno, redimere aut auertere se posse animaduerteret; & minæ etiam de vi, sibi, uti advenæ, inferendâ, intentarentur; iamque pænè fores effringerentur; Angeli, qui porrectâ quasi manu Lotum intrò receperant, & ostium furentibus occluserant; eos oculorum sensu ita privârunt, vt neque propiùs ad ædeis accedere, neque agnoscere possent; & ipsi iam certo supplicio destinarentur. (Huc adludere videatur Ovidius Metamorp. 8. de Philemone & Baucide, Iovis hospitibus.)

LOTVS ab ijs de futuro urbis exscidio, & de uxore, liberisque & generis, ex eâ tempestate subducendis, commonitus: quùm filiarum sponsi, socerum de exeundo secum monentem, ut delirum, contemsissent; ægrè cum reliquis, & restitans, educi se passus est.

Qui tandem & in montem vicinum celeriter se recipere iussus; & respicere inter exeundum prohibitus, bonâ cum Angelorum gratiâ, in exiguum & finitimum opidulum, Segoram, cui Deus, inter cæteras, ipsius caussâ, parciturus esset, sole iam orto, concessit.

Et è-vestigio Deus è cœlo, ignem sulphure mistum, super Sodomam & Gomorrham, depluit: easque urbeis ita sideratas, cum finitimâ regione & incolis universis, funditus subvertit, atque in cinerem redegit.

Inde Lacus Sodomæus, sive Asphaltites exstitit. qui, ut ait Iustinus libro 36. propter magnitudinem; & aquæ, ex bitumine viscoso, quo stagnatur omnis, immobilitatem, Mare mortuum dicitur. Singulare certè divinæ iræ, scelerum vindicis, monimentum.

Et quùm uxor quidem Loti, quòd præcepti divini immemor, oculos retrò ad Incendij spectaculum deflexisset; in salis (metallici & durissimi) tumulum, sive statuam, conversa est. tum Abrahamus, oculis in eamdem regionem è longinquo defixis, atram turbinis picei nubem, & candentes fauillas, in modum ignis è fornace exæstuantis, fumare, & in altum attolli, impunè prospexit. (Gen. 19.)

Strab. libro 16. Tredecim urbeis eo loco fuisse habitatas, ait. quarum caput Sodoma, sexaginta stadiorum ambitum, suâ adhuc ætate superstitem, ostentârit. Terræ autem tremoribus, unde ignis, & aquæ bitumine sulphureque incalescentes, eruperint, Lacum emersisse; (quem malè ille cum Serbonide palude, quæ ad Casium, confundit) & saxis ignem concipientibus; urbium alias absorptas, alias incolis fugientibus desertas.

Tacit. verò lib. 5. Iordanes, inquit, vnum atque alterum Lacum integer perfluit; tertio retinetur. Lacus, immenso ambitu, specie maris, sapore

corruptior, gravitate odoris incolis pestifer; neque vento attollitur: neque pisceis, aut suetas aquis volucreis patitur. Haud procul inde Campi, quos ferunt olim uberes, magnisque urbibus habitatos, fulminum ictu arsisse; & manere vestigia, terramque specie torridam vim frugiferam perdidisse. Ego, ait, sicut Iudaicas quondam urbes igne cœlesti flagrasse concesserim; ita halitu lacus infici terram, corrumpi superfusum spiritum; eoque fœtus segetum & autumni putrescere, solo cœloque iuxtà gravi. Hæc profani.

LOTVS, tam præsenti periculo liberatus, quùm ne in Segorâ quidem diutiùs commorari auderet. (Theodor. putat incolas Segoræ terræ hiatu fuisse absorptos, ex nominis loci interpretatione. quod paullò post eiusdem Loti discessum evenerit.) in montem cum filiabus evasit; & temporariam in spelunca quadam sedem collocavit. (Ios. in eâ solitudine vitam inopem aliquantisper toleravit.)

Hic filiæ eius, quæ humanum universè genus eâ clade interijsse existimarent; & de sarciendâ ruinâ, propagandâque prole solicitæ essent: incestum patris, vino & astu delusi, concubitum, suam quæque vicem, appetierunt, & elam potitæ sunt. Et ex ijs quidem maior, Moabum; (velut, E patre satum.) Minor verò, Ammonem (Generis, sive populi filium) partu ediderunt. Vnde Moabitæ & Ammonitæ exorti.

Ex quibus illi, in eâ Arabiæ parte, quæ ad ripam Torrētis, & in Mare mortuum labentis, Arnonis, sita est; (subversis accolis, Emmim, Deutet. 2.) gentis & regni sui initia constituerunt.

Hi autem, Raphaimis, sive Zomzommimis, gente veterrimâ, interfectis, alteram Arabiæ portionem, Iaboco fluv. conterminam, (cuius metropolis, Rabbatha, sive Amman, pòst Philadelphia) obtinuerunt.

Quæ gentes, Cavæ-Syriæ incolæ, mox à pristino & avito Dei cultu defecēre: (illi Chamos; hi, Moloch, ceu Deos, coluēre) Et cum agnatis Abrahami posteris, perpetuâs ferè inimicitias exercuēre. Et Deus ijs per Mosem, ad decimam usque stirpem, & in sæculum, Ecclesiæ ingressu interdixit.

Quùm verò Abrahamus è Querceto Mambrēi, & longiùs à Sodomis digressus, sedibus inter Cades & Suram fixis, Geraræ, regiâ Palestinorum urbe, peregrinaretur: & Saram uxorem, quam præ insidiarum aut mortis metu, ut priùs, sororem sibi esse in vulgum ille iactârat; Abimelechus, rex loci, amore captus & potiundi cupidus, ad se, ceu sponsam, perducendam curâsset; ipse & minis præsentariæ mortis à Deo intentatis, & morbo de-repentè immisso, coercitus, ab iniuriâ abstinuit: & mulierem, quam nuptam esse, ex neglectu velaminis, ignorâsse fateretur; non fine muneribus, & optivâ agrorum portione, restituit. Atque Abrahamo vicissim Deum deprecante, quùm rex è graui morbo recreatus; tum eius familia damnatæ sterilitatis vitio liberata est.

Hisce temporibus Titanes extitisse in Cretâ produntur: quorum natu maximus Saturnus, pater Iovis perhibetur. Atque ita Iuppiter, ille Deorum pater, Cretæ rex, Abrahamo suppar, multis hominibus iunior invenitur. Diod. Sic. Hunc propter paternam in subiectos caritatem, pro Deo habitum prodidit. Quódque ex eius fratribus, Neptunus quidem regiæ classis Præfectus; Pluton verò funerum inventor, aut curator, in Grēciâ, essent; ea res illi maris; huic inferorum imperium ac numen, apud stultam antiquitatem, peperisse censeatur.

PROFANORVM DE ABRAHAMO TESTIMONIA.

Sed antè, quàm ad Isaaci natalem & ætatem delabamur, operæ-pretium facturus videor, si externorum Scriptorum de Abrahamo testimonia & elogia in medium adferam. ut liqueat in medijs etiam errorum tenebris, exiguam historicæ lucis nebulam, aut certè umbram, subinde promicuisse.

Berosus in primis, teste Iosep. Decimâ, inquit, à Diluvio stirpe, præclarus quidam iustusque vir, & singulari cœlestium rerum doctrinâ præditus, apud Chaldæos exstitit.

Hecatæus, librum de eodem peculiariter conscriptum reliquit.

Nicol. Damascenus, 4. Histor. narrat Abrahamum Damasci (ubi & Vicus eius nomine dictus ostendatur) regnâsse, è Chaldæâ eum exercitu profectum. nec multo-pòst indidem in Cananæam, quę posteâ Iudæa, migrâsse. Vnde fame invalescente, in Ægyptum, regionem rerum necessariarum copiâ adfluentem, se receperit: &, pro re natâ, præter alia vitę bene instituendę præcepta, Mathematicas disciplinas Ægyptijs tradiderit. Alexander Polyhist. & Polemon, hæc de eius maioribus:

Babylonem ab ijs primùm conditam, qui è Diluvio evaserât. qui, Gigantes, posteà-quàm Turris, quam exstruere cœperant, divinitùs concussa concidisset; per universum terræ-orbem variè sint dispersi. Decimâ verò stirpe, in Camirine, Babyloniæ urbe, quam Vrien dicunt, quasi Chaldæopolin, natum esse Abrahamum; qui in Phœnicen venerit, ibique habitârit: Solis Lunæque motum, & alia Astrologica, Phœnicas docuerit. Quùm verò Armenij Phœnicas bello vicissent; & patruelem Abrahami, inter cęteros, captivum abduxissent; illum Vernis suis stipatum Armenios fudisse. nec fratris filium modò liberâsse, sed ingentem ex hoste prædam reportâsse. Et cùm ab hostium legatis, de reddēdis captivis, interpellaretur; acceptis tantùm, quę ad victum necessaria essent, eos humanissimè restituisse. Illumque à pugnâ reduocem, in urbe Algarizâ, (mõte Altissimi) à Melchisedecho, Dei Sacerdote & civitatis rege, hospitaliter fuisse acceptū.

Quùm verò in Ægyptum, præ annonæ inopiâ migrâsset, & Coniugem (quam rex, illius sororem ratus, abduxerat; & domestico malo, Aruspicumque responsis, alienam esse uxorem cognouerat) intactam recepisset; Heliopoli cum Sacerdotibus congressum, eos Astrologiam, ab Enocho, ciusque maioribus sibi quasi per manus traditâ, edocuisse.

Subiungit idem. Primùm Babylonijs Belum esse dominatum: qui Græcis, κρόνος, Latinis Saturnus. A quo Belus II. & Chanaan orti sint. E Chanaane verò, patrem Phœnicum esse natum, qui genuerit Chum, (fortè Chusum) & hunc Aiboson à Græcis appellari, patremque esse Æthiopum: & fratrem Mesraimi, Ægyptiorum propenitoris.

Atlantem

Atlantem, quem Græci iactarint, Astrologiæ inventorem, eumdem cum Enocho esse. Enocho progenitum Mathusalen, permulta ab Angelis didicisse, & ad posteros transmisisse.

Artapanus Histor. Hermuith, inquit, Iudæos fuisse appellatos; & Hebræos ab Abrahamo dictos. Hunc ad Pharetatem (al. φαρεθώνην) Ægypti regem accessisse, vigintique pòst annis in Syriam revenisse.

Melon, ijs libris, quos adversus Iudæos conscripsit. ab Armenijs reliquias Diluvij, quæ ad eos pervaserant, pulsas, deserta Syriæ montana occupasse. & tertiâ (leg. decimâ tertiâ, τρισκαιδεκάτῃ) stirpe, Habraamum natum. quod nomen, patris-Amicum, ceu φιλοπάτορα, significet. Qui duas uxores duxerit; Ægyptiam vnam, alteram indigenam. Ex Ægyptiâ ancillâ, filios xii. suscepisse. à quibus, ceu regibus, Arabia possessa sit. Ex indigenâ, unicum Isaacum. quod nomen Risum appelles. Qui xii. similiter filiorum fuerit pater: quorum postremus Iosephus; & ab hoc tertius Moses.

Cleodemus, qui & Malchus, & teste eodem Polyhistore, exemplo Mosis Iudæorum historiam contexuit. Inter filios, qui ex Cheturâ nati, treis recenset; Aferum, Assurem, & Afranum.

(Iosepho Aphram, Surim, & Iaphram.) Ab Assure Assyriæ: ab Afrano & Afero, urbi Afræ & regioni Africæ, nomen relictum. Hos ductu Herculis contra Antæum militasse. & Herculem ex Afræ filiâ, genuisse Dedoeum. quo natus Sophones, Sophacas barbaros nomine suo donârit.

Sic profani illi, alucinati, ad lucem veritatis historicæ adluserunt, & faculam adluxerunt.

I S A A C V S.

2079. | Abrabamo, centum iam annos nato, Sara, nonagenariâ maior, tempore à Deo præstituto, Geraræ in Palæstinis, Isaacum peperit. | 1871.

Is eo nomine dictus, quod risum lætitiamque, suo ortu, natu grandibus & effœtis parentibus attulerit. Annus hic erat xxv. à promisso divino. Hinc autem ad Exodum, putantur illi, quos dixi, ɪᴅᴠ.

Pater, divini præcepti meminens, filium (in quo Deus testamentum suum constituere & firmare decreverat) octavo die circumcidit. Quem morem & ritum Iudæi in posterum servarunt: quum Arabes contrà, tertio-decimo ortûs sui anno circumcidantur. propterea quòd Ismahel, generis princeps & gentis auctor, eâ demum ætate fuerit circumsectus.

Sub id ferè tempus, V. Assyriorum rex Aralius, al. Analius, Arij Filius, regn. ann. 40.

Isaacvs itaque natus, anno ab institutâ Circumcisione altero; & ab ortu Ismahelis, xiv. vitam produxit ad vicesimum alterum annum à reditu Iacobi filij, è Mesopotamiâ. Eiusque historia pertexitur à xxi. cap. Genes. usque ad finem cap. xxxv.

2084. | Idem anno ætat. V. non sine parentum voluptate, & publicâ convivij celebritate, ab uberibus maternis & lacte amotus est. | 1866.

At Ismahel, quòd ioco & ludo, (B. Pau. Gal. 4. persecutionem vocat) sibi ius primigenium vindicare velle, aut sibi ablatum indolere; & insultare fratri Isaaco, visus esset; Sarâ maritum instigante, & Deo adprobante, domo, cum matre Agarâ, excedere coactus est. Qui quùm in solitudine Bersabéæ deerrassent, & siti propè enecti deficerent; Angeli præsidio (puteo commonstrato) defensi sunt. (Ios. & Pastorum benignitate è miseriâ erepti) Et adolescens, ex assiduâ in silvis venandi adsuetudine, iaculandi etiam peritiâ inter suos præstantissimus evasit. Et sede in vastis Pharani campis collocatâ, Ægyptiam maternæ gentis feminam matrimonio sibi coniunxit. (Ios. ductâ in uxorem Principis indigenæ filiâ, magnam Arabiæ

2104.

partem possedit.)

A finibus Ægypti (Theodor.) usque ad Babylonem, eius progenie, vastum illud Desertum abundavit.

Eodem pænè tempore Abimelechus, Geraræorum rex, cum Phicole, exercitus sui principe, quod Abrahamum, & filio herede auctum, & præsente divini numinis auxilio circumseptum esse, in omnibus, quæ ageret, perspexissent. & ne quid posteris eorum, aut regioni, reliquo tempore, ab eo incommodaretur, reformidarent: fedus inter se, cum perpetuâ iniuriarum oblivione, ad puteum Bersabéæ, è re natâ sic dictum, pepigérunt.

Devs autem, multis pòst annis, quibus pacatè inter Palæstinos ille degerat, Abrahami fidem tentare, & eius erga se pietatis obedientiæque periculum facere volens; suâ manu immolandum sibi ab eo Isaacum filium, annos iam quinque & viginti natum, unicum familiæ caput & stirpis spem, deposcit.

(Hebr. ad 37. ætat. annum. alij ad 27. al. ad 13. al. ad 15. referunt. Chron. Alexand. ad an. 35. qui fuerit Abrahamo 131.

1846.

Ille itaque (naturam inter, fidemque medius) Deo parendi certus, dum rebus ad sacrum peragendum, præter victimam, comparatis, & in asini tergum impositis, tertio demum die, ad montem, longè conspicuum, (Iosep. Morium, Hebr. Moriah, & Sion, ubi Templum posteà à Solomone exstructum) & sibi diuinitùs demon-

ftratum, pervenisset: & remotis arbitris, atque ad radices subsistere iussis famulis; cum filio adscendisset: eumque obsequentem, strue lignorum super-imposita, ferroque arrepto, iam-nunc truncare & immolare pararet; voce de cœlo ab Angelo emissa, puero parcere, dextramque sustinere iussus, arietem præsto, cornibusque inter vepres implicitum, victimæ vicem, mactavit.

(Hebr. tradunt hæc acta primo die mēsis 7. Tisri. atque hinc eo die à Iudæis Festum Tubarum, sive Cornuum Arietinorum celebrari.)

Illi itaque, quòd dicto paruisset, neque unigenæ filio pepercisset; tum beata generis posteri propagatio; tum fortunata hosticæ Cananæorum terræ possessio (cum CHRISTO venturo, cuius typum hic præferebat Isaacus) iterum promissa est.

2114. | Anno Isaaci xxxv. qui patri Abrahamo erat cxxxv. mortuus est Thares, Avus, in Harane (Gen. 11. & Act. 7.) postquam ccv. vitæ annos expleuisset. | 1836.

Illuc profectus Abrahamus, communi, cum Nachore fratre, curâ & officio, patrem sepelivit.

Nachor verò neque à patris morte Abrahamum fratrem in Cananæam est secutus; Harane, sive Charris, (quòd ea sedes & patriæ antiquæ, Vræ; & fraternæ Arani ibidem sepulturæ, esset propior) fortè delectatus.

NACHORIS PROGENIES.

ILLE è Melchâ, Arani, fratris alterius, filiâ, eâdemque Sarræ sorore, hos Liberos suscepit.

1. Husum; unde Jobus ortus putatur.
2. Buzum; unde Balamus: qui Iobo, Eliu Buztres.
3. Camuelem; unde Syri & Damasceni.
4. Caledum; unde Chasdum, hoc est, Chaldæi.
5. Azavum,
6. Pheldam,
7. Iedlaphum,
8. Bathuelem; è quo nati,
   - Rebecca, Isaaci uxor, mater Iacobi.
   - Labanus, cuius
     - Lia, / Rachel, — Iacobi vxores.

E Româ, Hebr. Rheumahâ, al. Rumâ, concubinâ, hi nati.

1. Tabees,
2. Gahamus,
3. Tahas,
4. Maacha.

A Iosepho his nominibus appellantur.

Priores. Vxus, Bauxus, Manhel, Zachamus, Azamus, Phelda, Iadelpha, Bathuel.

Posteriores, Tabæus, Gadamus, Tavius, Macha.

2116. | Anno Isaaci xxxvii. mater eius Sara, quæ cxxvii. vitæ annum exegerat, decessit in Hebrone. | 1834.

Ea Civitas est Arbeē dicta, hoc est, Quattuor. à totidem scilicet ibidem sepultis; Adamo, Abrahamo, Isaaco & Iacobo. Hieronymus in Genes.

Quumque Abrahamo, qui ne pedis solistimum quidem, uti advena, eâ in regione possideret; commune sepulcri ius, funeri uxorio, Cives Hethæi, ob spectatam viri pietatem; &, quâ apud ipsos flagrabat, gratiam & auctoritatem, ultrò offerrent. atque adeò Ephron, Seoris filius, non modò expetitam ei fini speluncam, sed agrum etiam conterminum, gratis ei tradere paratum se diceret; ipse adpenso ecce. siclorum pretio (octogenis circiter scutatis, al. florenis, nostrati monetâ) redimere à possessore; & mancupio sibi dari, maluit. Atque ità Saram, cui supremum luctûs anteà & funeris officium præstiterat, in fundum coēmtum, ceu monimentum hereditarium, intulit.

2119. | Idem iam viduus, & omni copiarum genere divinitùs abundans, annos cxl. natus, | 1831.

Quùm Isaaco F. uxorem è profanâ Chananæorum gente, vbi tum iussu Dei versabatur, nuptijs coniungi nollet; servuum è suis natu maximum, (Damascum Eliezerem,) quem multò-antè, præ legitimę prolis desperatione, animo, velut adoptivum, sibi destinare visus esset. (à quo urbem etiam Damascum, omnium Asiæ vetustissimam, conditam volunt, Ios.) quē omnibus familiæ suæ negotijs præposuerat; arcessitū, manu ad femur (ubi fidei & circum-cisionis signaculum esset) admotâ, iurisiurandi religione obstrinxit; ut despectis Chananæis, in Mesopotamiam profectus, uxorem indidem,

quæ

[illegible] cognatione & propinquitate teneretur, [illegible] eligeret; &, Angelo D[illegible] duce, secum adduceret.

Qui ille H[illegible] oratione confirmatus, & à rebus [illegible] quo dubiaque itinere necessarijs instructus, [illegible] Carrhis, oppido, in quo Nachorem, [illegible] fratrem, rerum ac fortunarum sedem [illegible] ac dele[illegible] cognouerat, adpropinquaret & [illegible] Rebeccam honestissimâ facie Virginem, Nachoris, è Bethuele Syro F. neptem, inter cæteras (quæ hauriendæ è fonte suburbano aquæ caussa egressæ erant) non sine omine, & precibus ad Deum precibus, incidisset: ab eâque, & sibi & tumentis, potum ciuiliter impetrasset: ab agnatis tandem, & Labano fratre, quorum liberali hospitio aliquot tam dies vsus fuerat; abducendæ secum puellæ, quæ heroli filio coniux, Deo auspice, esset futura; potestatem exorauit. Et una cum illâ, opidò volente, nec sine prosperâ adfinium omnium congratulatione, domum [illegible] est.

Eam Isaacus, quadragenarius, in matris suæ tabernaculum introductam, ut vxorem, adsciuit; & tam vehementer amavit, vt dolorem, quem nuperâ matris morte ceperat, facilè leniret.

2129. | An. Isaaci 50. inchoatum fuisse traditur Argivorum regnum, sub Inacho. | 1821.

(Q[illegible] quingen[illegible] & sexaginta ferè pòst annis, M[illegible] [illegible]ntiatum.)

R[illegible] per xiv. reges, tondem, uti dictum [illegible] annis. Alij, initium regni illius ad x. [illegible] Iacobi annum reducunt. Vid. inf. an. 2589.

Abrahamus verò iam decrepitus, Ceturam (hanc Hebr. Agaram ipsam, Ismahelis matrem; olim concubinam, esse putarunt) sibi in matrimonium adsciuit.

Ex quâ Liberi suscepti, & Nepotes.

- Zamramus,
- Jecsanus, — Saba, / Dadanus, — Assurim, Latussim, Loomim, — Hi sunt populi in Castris, Tabernaculis, & Insulis habitantes.
- Madanus,
- Madianus, — Epha, Epher, al. Opher, Henochus, Abida, Eldaa,
- Iesbocus, &
- Suéus.

Qui Iosepho hisce nominibus compellantur.

Zembranes, Iazares, Madanes, Madianes, Lusubacus, Suus.

Süo natis Sabacanes, & Dadanes.

Madane: Epha, Ophres, Anochus, Ebidas, & Eldas.

Et Ophres quidem, cum exercitu profectus, Libyam occupasse: & nepotes eius Africam, ab ipso, nominasse produntur.

His omnibus Abrahamus pater, & munera impertitus est (quod alij interpretantur, disciplinas & arteis mechanicas) & ab Isaaco, in solidum paternæ possessionis herede, separatis, deducendæ in plagas Eôas coloniæ, auctor fuit. Occuparunt itaque ij Troglodyticam sub Ægypto regionem: & Felicem, quà ad mare Rubrum spectat, Arabiam.

ISMAHELIS PROGENIES.

Is[illegible], quem ex Agarâ Ægyptiâ, Saræ famula, A[illegible] sustulerat: ab Hevilà, vsque ad Suricem [illegible] (quæ in conspectu Ægypti est, quaque in Assyrios iter panditur) sedes sui principatus protendisse proditur. Eugub. ait, Ipsum cum filijs, omnem eam regionem, quæ à Sinu Persico, ubi Tigris & Euphratis fluminum, ostia; usque in Assyriam patet; possedisse.

Eius autem Liberi, hi recensentur.

1. Nabæothus (cuius sororem Mahelетham Esavus in matrimonium adsumsisse dicitur. Gen. 28.)
2. Cedar,
3. Abdeelus,
4. Mapsamus,
5. Masma,
6. Duma,
7. Massa,
8. Hadadus,
9. Thema,
10. Ieturus,
11. Naphis,
12. Cedma.

Iosepho his nominibus appellantur.

N[illegible]æothes, Cedar, Abdeel, Edumas, Mapsamus, Masmassus.

Masmæsus, Chodamus, Themanus, Ieturus, Naphæsus, Calmasus.

Hi duodecim fratres, Tribuum suarum per castella & opida principes, quidquid terrarum (sic Ioseph.) Euphratem inter & mare Rubrum, habitarunt: & Nabathææ regioni nomen indiderunt. Ab ijs, ceu ducibus, Arabes gentem suam, eiusque Tribus, denominarunt.

IACOBVS, ET ESAVVS.

2139. ISAACVS, anno ætat. LX. Domino non semel supplex, Rebeccæ uxori, eatenus sterili, vicesimo à nuptijs anno, fecunditatem impetravit. 1811.

Et quùm illa duos, quos simul conceperat, in alvo, quasi inter se colluctanteis, non sine molestiâ, persentiret; & ignara mysterij, Deum (sive sacerdotem) consuluisset; (Ios. vult Deum ab ipso Isaaco consultum) intellexit, duas in utero suo esse genteis, sive populorum inter se dividendorum principes. (Ios. Ex utroque filio, exorituram esse gentem, suo quamque auctori cognominem.)

E quibus alter altero superior, & maior minori futurus esset servus.

Hoc oraculum, historicè innuit, fore, vt populus Iacobi minoris, superaret Idumæos, ab Esavo maiore, qui & Edom, propagandos. eos namque David tributarios fecit.

Mysticè, populum maiorem esse, qui carni obsequatur; minorem, qui spiritui. Deinde maiorem, Iudæorum populum, minori Christianorum, serviturum; & Synagogam Ecclesiæ. Aug. hb. 16. c. 35. Ciu. Dei.

Quùm itaque pariendi tempus advenisset, illa gemellos edidit. Ex quibus prior, rufus & setis horridus, Esavus è re natâ dictus est. (ab Orientalibus postmodò & Seir, & Edomus, à pilis rufis; uti à Græcis, ἐρυθραῖος.)

Posterior, quòd manu fratris ex utero egredientis plantam apprehendisset; Iacobus appellatus est, ceu Supplantator.

Hi anno Avi Abrahami CLX. nati, duarum gentium, Idumææ & Israeliticæ, Patriarchæ, naturâ & moribus, vitâ & fortunâ dissimillimi. Ille venandi gnarus & agricolandi; hic, simplici mitique ingenio, in tabernaculis degebat. Ille, patri; hic matri percarus.

Hinc ad Natalem Iosephi, an. putantur, XCI.

Et ad descensum Iacobi in Ægyptum, CXXX.

Vixit Iacobus cum Semo Patriarcha XVII. annis. Cum Avo Abrahamo, XV. Cum patre Isaaco, CXX.

Circà hoc tempus, Balæus, eo nomine secundus, VII. Assyriorum rex, regn. ann. 30. dictus & Balamæus, & Xerxes, hoc est, Victor ac triumphator; quòd victricia ad Indos usque arma protulisset.

Accidit fortè, ut Esavus ex agro, & forte venatu, lassus, & domum reversus, in fratrem Iacobum, domi assiduum & matri carum, qui pulmentum è leguminibus rufum sibi coxerat, incideret. & fame, aut gulâ stimulante; ac fratre haud aliter stipulante, primigenij iuris (quod, ut volunt Hebræi, & principatum familiæ, & sacerdotium, & bonorum paternorum bessem comprehendebat) prærogativam, ultrò ciuraret: & tam vili rufoque edulio venderet, an prostitueret? (Ex quo, Edom, (Rufus) ceu per iocum, fit appellatus.) Vnde acerbissimi, in hominem profano, adversus fratrem odij semina.

3154. Anno Iacobi 15. Abrahamus avus, expletis CLXXV. ætat. suæ annis, diem functus est. Corpus autem eius sepulcro, de quo dixi, Saræ uxoris; communi filiorum, Isaaci & Ismahelis, curâ atque officio, adpositum est. 1796.

Post id tempus, quùm gravis annonæ inopia terras iterùm incesseret; Isaacus à Deo admonitus ne in Ægyptum, vt antea pater, descenderet; in Geraram, ad regem Palæstinorum Abimelechum, concessit. Ibique ipsi & posteris universæ illius regionis possessio, cum singulari beatitudinis ad-precatione, ob patris Abrahami pietatem, & divinorum præceptorum observantiam, divinitus promittitur. Illum Abimelechus, quòd hospitij & amicitiæ ius, inter ipsum (vel cognominem ipsius patrem) & Abrahamum prius intercessisset; non sine insigni benivolentiâ excepit. Et ne quis uxori eius, (quam mortis metu, quòd ea formâ venustâ & illice præstaret, sororem sibi esse ipse in vulgum iactarat; & rex posteà, ex domestico maritalis licentiæ ioco, legitimi connubij consortem esse certò cognoverat) ne vim adferret, constitutâ capitis pœnâ, severè cavit.

Sed quùm Palæstini, atque adeò rex ipse, manifesto propitij Dei beneficio, illius segetem centeno fenore augere; & pecoris fœturam, familiæque incrementa, immensum exaggerari prospicerent; gente invidiâ, ab incolis, qui puteos, à patre aggestâ terrâ obstruxerant, tantum non expulsus: & deinde ab rege ipso, quem adfectus vulgaris, & æmulæ potentiæ metus, mutauerat; ab se, & urbe procul secedere iussus est.

Et quamvis non invitus ad Torrentem (al. Vallem, & Fauceis) haud longè à Geraris situm, recessisset, & puteos sibi alios refoderet; nihilo secius inuida pastorum manus, vel armis opera impedire, vel rixis odij, inimicitiæque plenis, incessere, & sibi puteos revindicare non destiterunt. Donec Isaacus in Bersabéam profectus, ibique à Deo novis promissis confirmatus; & tabernacula latius protendit: & remotior, tutiorque novos puteos effodi sibi curavit.

ABIMELECHVS intereà, qui Isaaci, ob simultatis suspicionem digressi, pótentiam cum opibus, in dies; magis magisque, Dei ope, increscere intelligeret; & ne quando recens offensa plus, quàm pristinæ amicitiæ apud eum valeret memoria, reformidaret: cum amicorum intimis ad illum accessit, fœdus (ὅρκιον) iureiurando sancitum initurus.

ISAACVS illos liberali convivio acceptos, & mutuo sacramento obligatos, fideque vtrimque datâ voti

vota compotes, à se domum dimisit. Hinc nomen urbi Bersabée partim à puteo, eius sacramenti conscio; partim ab aquæ copiâ, quam Servi puteo effosso tunc ubertim scaturijsse renunciarant; impositum est.

Circiter idem tempus, Inachi, qui primus apud Argivos regnauit, filia, Iô, Isis posteà dicta, in Ægyptum venisse; & post mortem Otiridis, mariti, prudentissimè regnum administrasse, & litteras ibidem docuisse, traditur. Hanc alij ex Æthiopiâ venisse reginam; & ob iustitiæ opinionem, honore imperij dignatam, volunt.

Alia ab hâc est Io, Iasi F. à Phœnicibus rapta, quadringentis amplius pòst annis.

| Anno Iacobi x x. Armamithres (al. Armamertes) v i i i. Assyrior. rex, annis 38. Et |

Leucippus Sicyoniorum, qui Thurimachô successerat, ann. 53.

2169. | Anno consequente, x v i i. apud Ægyptios Dynastia, (quam ipsi Secundam dixére) inchoatur. durat que annis, plus minus, 103. | 1781.

Hæc P[a]storum, sive Hi[c]sorum dicta est. sub cuius [i]n[itiu]m, antè Diospolitano[s], probabile est Iacobu[m] in Ægyptum descendisse. Qui verò fuerint [hu]ius Dynastiæ principes, obscurum est. Putant p[l]erique, pastores, abiectissimum hominum genus, olim in Ægypto ex convenis collectum, à frequentibus latrocinijs ad apertam [s]u inde rebellionem fuisse progressos. adeò ut reges ex [s]uis interdum crearint, & veris Ægyptiorum regibus negotium facessierint. Scalig. putat Phœnices fuisse advenas; & occupatâ Memphi, arceque belli erectâ, Ægyptios sub suam potestatem redegisse. Euseb. perperam pastorum originem ad Iosephum, Iacobi F. eiusque fratres, reducit. Nec rectiùs alij adserunt, seditionis illius exemplum à Mose tractum: quem longè his temporibus posteriorem fuisse constet.

2179. | Esavus iam quadragenarius duas sibi Coniuges, ex Hethæis, Iudi[t]ham Beeri, & Balemathen Elonis (Ios. Ismahelis) Filias. Idem Ios. alibi, Adam Helonis, & Alibamen Esebeonis; Chananæorum Dynastarum, filias nominat) Patre Isaaco quem ab istiusmodi adfinitate abhorrere sciret, inconsulto; in matrimonium adsciuit. | 1771.

Quæ ambæ, vel agnatâ animorum pervicaciâ, & idololatriæ studio; vel amaris domi inter se contentionibus, soceros à se itâ abalienarunt; ut Rebecca mater Iacobum Esavo, licet maiori, quâvis ope anteferre, & præsidio amplificare, contenderet.

2200. | Anno Iacobi l x i. sævum in Achaiâ Diluvium: (Vid. Oros.) quo Cyclades diu sub aquis latuére. | 1750.

2202. | Biennio pòst, Ismahel iam natus ann. x x x v i i. supra 100. vitâ defunctus est. annis post Patrem Abrahamum 48. | 1748.

Qui coràm cunctis fratribus suis obijsse dicitur. Eosque, alij filios interpretantur: sed veriùs fratres eius consanguineos, quos Abrahamus ex Ceturâ (nisi & hæc Agara) susceperit, intelligamus. Id accidit 14. annis antè profectionem Iacobi in Mesopotamiam. Tradunt Hebr. Esavum, huius Ismahelis viduam, sororem; nuptijs sibi coniunxisse.

2206. | Anno 67. Belochus Priscus i x. Assyrior. rex, regn. an. 35. Hic alijs Belachus, quasi belli amans, idololatriam apud suos auxisse dicitur. Qui σύγχρονος Phoroneus, Inachi F. & Argi | 1744.

regis Pa[tr]e, [A]rgos [ho]mines ac dispersos in unum coegi[ss]e [l]ocum; & primus leges Græ[cis] iudiciaque con[s]tituisse. & Argos, urbem, vel condidisse, vel mœnibus sepsisse, putatur.

Eius frater Phegous, tantum-non pro Deo cultus. Vid. Aug. C. D.

2208. | Anno aut[em] 69. Ogygi[u]m, in Atti[c]â, Diluvium, annó circiter 7. Phoronei Ar[g]i[v]i. & antè primam Olympiad. [a]n. 1020, Ac proinde annis antè Romam Conditam, 1045. | 1742.

Ogygem illum [a]l. Atticæ, al. Thebarum Bœotiarum regem fuisse volunt, qui Eleusinem condiderit.

Ab eo, usque ad primam Olympiadem, omnia apud exteros, penè fabulosa, aut incerta. hinc Varro sæculum μυθικὸν dixit.

2216. | Anno 77. (vt probabile est) quùm Pater Isaacus annis (137.) gravior, & itâ senio confectus esset, ut oculi eius hebescerent, & iàm caligarent; Esavum, quem uti officiosum & obsequentem, | 1734.

[p]ræ [c]æterum qu[a]dam animi inclinatione habebat, ad se ac[ci]tum, monuit, ut quoniam senuisset, & fatalis sibi diei incertus esset exitus; foràs cum venabulis ad prædam capiendam egrederetur & ex eo,

ex eo, quod cepisset condituum & adparatum cibum, quem palato sapere & gratum esse sciret, sibi mox adponeret. utque, eo sumto, ipse vicissim læta ei omnia & prospera antè mortem, adprecaretur. Illo autem in agrum, venatum, digresso, Rebecca mater, quæ voluntatem & mariti nolla tesciuisset, Iacobum, quem contrà amabat, & omnibus bonis mactum esse volebat; hortata est, ut è grege domestico hædos duos deligeret. & ad se pronùs adferret. Ex quibus ipsa cibum, quo pater libenter vesceretur, adparatura esset. Quumque ille multa excusaret: fratrem hispidum, se læuem (al. lenem) esse: Patrem, si contrectaret, & illusum sibi putaret, malè ipsi, ità deprehenso, imprecatu[rum].

Tandem matris consilio, quæ non ignara myste[rii] & [illegible] ut Patris diræ in suum potius redundarent [illegible] optare diceret, non illubens, [illegible] matri [illegible] deinde paratum, cum pane [illegible] pertinuit. vestibus Esavi fratris à matre in[illegible] & hœdinis pellibus, manuum colliq[ue illegible] ad aspernatem fingendam, contectus. Patri [illegible] & contrectanti, cui vox qui[illegible] manus autem Esavi esse videntur, se Esavum, maiorem natu filium, esse respondit. (ius scilicet Primigenium ab eo emerat) qui venatum egressus, prædam, Deo fortunante, reperisset.

Ità creditus, iussusque, cibos adponit, vinumque miscet. Quibus sumtis Pater, & suavio dato, fausta omnia Iacobo filio est precatus Opimam, cœlo terrâque faventibus, frugum copiam: summum in populos Tribusque, atque adeò in fratres imperium; & addicta omnium in se voluntatum studia. In cuius semine, CHRISTO, Domino & Salvatore, venturo, & ex ipso nasci turo, omnes terræ gentes essent benedicendæ.)

Vix autem absoluto Patris sermone Iacobus è triclinio erat egressus, quùm Esavus venatu rediens, & cibos adparatos adferens, Patrem compellat, ut edat, & sibi benè precetur. se Esavum, maiorem filium, esse. Pater, qui vehementer ad hæc subita obstupuerat, & suprà fidem admirabatur, Quisnam ille, quærit & inclamat, qui paullo antè, per fraudem & insidias, precationem & vota, ipsi uni deb[it]a, præripuisset? Quæ ut rata tamen, perpetuaque illi alteri sint futura, ex diuini consilij re[gu]la, necesse esset.

Intellecto demùm errore, quùm Esavus in germani sui dolos iracundè inveheretur: Verè, & è re, Iacobi nomen præferre: qui iam altera vice se supplantasset. & prius primogenio iure; nunc faustâ Patris adprecatione fraudasset. E[illegible] nihilo m[illegible] cum ein[illegible] à Patre pia precamina depo[illegible] Isaacus lac[rim]is suis & mœrore commo[tus illegible] terræ [illegible] ei vovit & ex[illegible] & am[illegible] bell[illegible] gloriâ, celebrem, [illegible] posteris, [illegible] tamen [illegible] iugum [illegible] aliquando excutiat Id [illegible] sub Ioram rege. 4. Reg. 8.

Hic observa. Quæ Pater Isaacus prædix[it] & precatus est, in Iacobo non omnia esse perfecta. quùm ipse septies humi fusus fratrem adorasse e-

gatur. & Triginta reges, ex Esavo orti, inter suos iam erant antè, quam ullus ex Israelitis rex extitisset. Vt illa Isaaci adprecatio, ad exspectatum, ex Iacobi stirpe, CHRISTVM, transmittatur. Ad quem totus etiam sacræ historiæ sensus, veluti ad scopum, collineet.

Hoc itaque ex facto, tantâ Iacobus apud Esavum fratrem invidiâ flagravit, ut de eo interficiendo tum cogitare cœperit. Cuius consilij, tàm nefarij, certior facta Rebecca mater, Iacobum filium arcessit, & quid frater in se moliatur, exponit. suadetque, ut ad certum tempus, dum fratris ira deferveat, & factorum memoria effluat; ad Labanum avunculum, qui Carrhis, Mesopotamiæ urbe, habitabat, confugiat. & inde, sedato fratris furore, tempestiuè revocetur.

Quod consilium ut Isaacus [fac]ilius comprobaret; ipsa apud eum de Nuribus Hethæis, quæ Esavo nupserant; quæque sibi, ad vitæ usque fastidium, exosæ essent, conquesta [e]st. emori in se malle, quàm ut Iacobus ex eàdem gente Vxorem sibi adsciscat.

Pater itaque Iacobo Chananææ stirpis coniugia interdicit: & non sine solennibus iterum votis, in Mesopotamiam Syriæ, ad domum Bathuëlis, avi materni, proficisci. & ex eàdem Labani avunculi familia uxorem accipere imperavit.

Quod quum Esavus intellexisset; & Vxores suas, e Chananæis ortas, parentibus eo nomine minus esse gratas animadvertisset: ad Ismaelem (sive verius, ad Ismahelis, qui pridem, XIV. antè annis, obierat, filios) concessit; & Mahelethan, Nabaioth, maximi ex ijs, sororem, sibi adsciuit.

Iacobus autem è Bersabeâ in Charanem proficiscens, & iter per Chananæorum fines faciens, quod fortè ad nullum ex ijs divertere vellet; sub dio quiescebat, lapide, pulvini vicem, capiti subiecto.

Hic verò per soporem, eiusmodi illi visum obiectum est.

Videre visus scalam, quæ e terrâ ad cœlum pertingeret, (sive, è cœlo in terram esset demissa) per quam Angustæ Cœlitum mentes adscenderent alternis, & descenderent. (Spiritus administratorij, missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis.)

In eius scalæ fastigio Deum manifestè apparuisse: & terram, in quâ cubaret, posteris eius, qui, immane quantum multiplicandi, & in omnes mundi plagas di[ss]eminandi essent) possidendam. promisisse. Vniversis gentibus beatitudinem, in SEMINE eius, [im]pertitum [ir]i. Atque adeò ipsum, Dei præsidio tutum & voti compotem, eodem esse revecturum.

Hoc [or]aculo lætus Iacobus, & expergefactus, locu[m illegible] Beth-el, Dei-domus [illegible] & prædicavit. Et Lapidem, quem capiti subiecerat, oleo delibutum, tituli & [m]onumenti instar [illegible].

Hic Vrbi, quæ prius Luza, nomen Beth-el, hoc est, Do[mus illegible] Dei, inditum est. vovitque, si rebus pr[illegible] & [in]columis reverti[ss]et; se Deum sincerè & ex animo ve[ner]aturum & lucum [illegible] sibi sacro[illegible] & decimas omnium,

quæ

quæ ſibi, Deo iuvante, quæſita eſſent, non ſine ſacrificio, oblaturum. Atque ità primus omnium vota Deo nuncupaſſe, non immeritò, cenſeatur.

Quùm autem opido, ubi Labanus habitabat, adpropinquaſſet, de via feſſus, ad puteum quemdam conſtitit, quò opiliones, gregem quiſq; ſuum, aquatum ſolebant adducere.

Et cognito ex paſtoribus, Labanum rectè valere; & Rachelam, eius filiam, cum grege patris ſui, quem paſcebat, adventare; ipſe ſaxum, quod ori putei erat de more impoſitum, devolvit, & eius oveis primùm adaquavit: deinde eum fletu oſculatus, ſe Rebeccæ, materteræ, filium, & Labani Patris agnatum & fratrem eſſe indicavit. Quod quùm illa patri nuntiaſſet; ipſe obviàm prodijt, & amicè hoſpitem amplexus domum ſuam officioſè deduxit.

Ibi cognità profectionis tam longinquæ cauſſâ; & menſe inter congratulationes ac convivia, expleto; iuſſit eum dicere, quid mercedis pro famulatu accipere vellet.

2217. | Agebat tunc Iacobus unde-octogeſimum ætatis annum. | 1733.

Erant autem Labano filiæ duæ: maior natu, Lia, quæ lippis erat oculis, ex eoque deformior; & Rachela minor, ſed formâ eleganti, & venuſto vultu. Hanc itaque alteri anteferens, ſeptem annis pro illâ ſe ſervиturum eſſe recepit. Quâ conditione accepta, & annis ſervitij, cui ultrò ſe manciparat, exactis; cum Labano egit, ut filiam ſibi promiſſam daret.

Sub id tempus Æthiopum regnum cæpiſſe traditur; & regibus licet annisque incertis, ad CHRISTVM uſque, duraſſe.

Labanus, die nuptijs conſtituto; & amicis ad epulum promiſcuè invitatis, veſperi Liam maiorem, pro Rachelâ, in lecto geniali, Iacobo ignoranti, ſupponit. qui-cum ille ex more congreſſus, & manè Liam agnoſcens, partim erubuit; partim iratus ſocerum graviter obiurgavit, quòd ſe ità fefelliſſet. Cui ille nihil aliud cauſſæ dixit, præter, Nequaquam ibi in more eſſe poſitum, ut minores natu filiæ, antè maiores, elocentur. Si alijs ipſe ſeptem ſe annis pari ſervituti ſubderet, poſt ſolennem illam genialium dierum hebdomadem, nuptui etiam traditum ei iri minorem, quam expoſceret. Quod ubi ſpopondit, & ſeptiduum expletum fuit; adamatâ ſponſâ potitus eſt. Cuius quùm amorem priori præferret; Deus, Rachele diu ſterili, Liam ſecunditate beavit. quæ annis quatuor conſequentibus, totidem mares, Rubenum, Simeonem, Levim, & Iudam procreavit.

Id autem quùm Rachel ægrè & moleſtè ferret, & ſorori inuidére cæpiſſet; ne deteriore, ob ſterilitatem, apud maritum, conditione aut gratiâ eſſet; Balam, quam Pater famulam ei addixerat, ceu uſuariam coniugem, illi permiſit, ex quâ liberos ſuſciperet. Ea autem heris ſuis, Danum priùs, deinde Nephthalimum dedit. (Quos quidam, ortùs tempore, Levi & Iudæ, conſanguineis fratribus, anteponunt.)

Lia verò, quæ partionem deſijſſe ſibi viſa eſſet, ſororis exemplum ſecuta, Zelpham ancillam, pari lege utendam, marito tradidit. ex quâ ille Gadum & deinceps Aſerem ſuſcepit. Neque hoc contenta. quum liberum vnius noctis concubitum, Maudragoræ malis, quæ puer Rubenus ex agro ad matrem attulerat, à Rachele, novæ frugis avidâ, vix redemiſſet; duos iterum continenter mareis, Iſſacharem & Zabulonem, & filiam poſtremò Dinam, partu edidit.

2230. | Rachel autem, quæ Deum fuerat deprecata, ut iam non ancillæ, ſed ſibi liberos daret; deſperato tot annis partu, Ioſephum progenuit. | 1720.

His omnibus Iacobi liberis nomina è re impoſita.

Vt Ruben; quaſi, Videns filium: Simeon; Exaudiens, dicatur.

Levis; Firmans ſocietatem: Iudas; Laus & gratiarum actio.

Dan; Iudicium: Nephthalim; Æquiparatio: Gad; Felicitas.

Aſer; beatitudo: Iſſachar; merces: Zabulon; habitaculum.

Ioſeph; Augmentum.

Chron. Alexand. putat Iacobo natum Rubenum, anno ætat. 80.

Simeonem, 85. Levim, 83. Iudam, 86. Iſſacharem, 87.

Zabulonem, 88. Dinam, 91. Ioſephum, 92. (Al. meliùs, 91. & circiter 14. pòſt eius in Meſopotamiam adventum.)

Beniaminum (de quo poſteà) 106. quo anno Dina vitiata eſt.

Lapidan. cenſet, Rubenum natum anno Patris 81. Simeonem, 86. Levim, 87. & Iudam, 88.

HI SVNT PATRIARCHAE, SIVE XII. IN ISRAELITIS, TRIBB. AVCTORES.

In quorum ætatem, Apollo, Mars, Volcanus, Venus, Minerva, Iovis liberi, præcipua Græciæ Numina, ſive Superſtitionum Antiſtites, incidiſſe putantur.

IACOBVS tot liberis auctus, agere demùm cum ſocero cæpit, ut ſibi in patriam, cum prole & Vxoribus, rebuſque omnibus, redeundi poteſtatem faceret. Ille verò, qui agnoſceret & fateretur omnia ſibi, eius ad ſe divertentis cauſſâ, proſperè & divinitùs eveniſſe, & rem familiarem mirandum in modum eſſe amplificatam; de eo apud ſe retinendo ſolicitus, hanc novam ſeptuennis in poſterum ſervitij, ſimul, & mercedis, pactionem accepit. Vt cum partitis inter ſe gregibus, & locorum intervallo diſpretis, quidquid è minutiore pecore, cuius cuſtodiam genero ipſe crediдiſſet, vario & maculoſo vellere naſci contingeret, eidem in lucrum compendiumque cederet. tum atra & candida reliqua,

reliqua, herili avunculi peculio adcenserentur.

Vsus autem astu (sive veriùs, divino per Angelum instinctu) Iacobus, dum virgulta è populo amygdaloque, aut platano, partim detractis corticibus candentia; partim nativo virore integra, atque ita variegata, & per canalcis digesta, admissarijs, arietibus aut capris, & ovibus, inter potandum & coëundum, obiectaret; ut foetura variũ illum colorem, ex speciei informatione imbiberet, & velleribus, quasi transfusum, præferret; istiusmodi mangonio, effecit, utque eadem, priore & vernâ admissurâ, vegetior esset, procuravit. At serotina tantùm, sive corda, diversi ab illis coloris omnia, præcipiti æstate, siue auctumno ineunte, nata, soccro segregavit. Et hâc quidem ratione, divitijs immensùm auctus, gregibus, & camelorum asinorumque armentis, ac familiâ abundavit.

Quæ omnia non iniquâ fraude parta, sed legitimæ ex longo & molesto servitio mercedis vicem, Deus & uxores postmodò comprobarunt.

2236. | Quùm namque post alterum sexennium, non obscuræ inuidiæ rumusculos à filijs Labani in vulgum seri, & se peti, quasi patris eorum | 1714.

facultatibus esset per fas & nefas ditatus, cognovisset: & parum æquum erga se soceri animum ex vultu experiretur, dolumque ab eo suspectaret: atque immò, à Deo, de repetendâ patriâ, commoneretur. rem totam vicissim Liæ & Racheli, uxoribus, ad se in agrum clàm arcessitis, exposuit. Se patri earum tot annos sedulò servijsse. & quamvis ab eo circumventus; & subinde pactæ mercedis conditiones, nunc varijs, nunc candidis è grege foetibus, sibi attributis, mutare coactus esset; nihil sibi interim fraudi vertisse. Deumque, ceu quemdam iniquitatis ultorem, fortunas & bona soceri sibi transcripsisse.

Astum, quo in variandis pecudum velleribus usus esset, se à Deo, qui sibi in Bethelâ initiò apparuerat, per visum, edoctum fuisse: ab eoque identidem, vt in terram natalem revertatur, iuberi.

Vxores verò, quæ à patre, sui nimium tenace, nihil hereditariæ portionis aut benignitatis in posterum exspectarent: à quo indotatæ, &, velnti alienæ, venditæ potiùs essent, quàm elocatæ. & insuper pretio, quod mariti laboribus debebatur, fraudatæ: atque idcircò eius facultates, æquissimo Dei iudicio, in se ac filios suos esse translatæ iudicarentur; lubentissimis animis consilium mariti ac sententiam sunt amplexæ.

Iacobus itaque, quo tempore socer Labanus, tondendarum ovium caussâ, peregrè erat profectus; quemque fugam suam latére volebat; uxoribus ac liberis in camelorum terga impositis; & rebus omnibus, quas in Mesopotamiâ quæsierat, convasatis, cum gregibus & familiâ, iter in Cananæam, ad parenteis, ingressus est.

Iamque amne (Euphrate, qui Mesopotamiam à Syriâ dispescit) transmisso, in monte Galaado tendebat: quùm Labanus tertio die domum reuertens, Iacobum cum suis fugisse cognouit. Et adscitis secum fratribus (& cognatis) septem eum diebus persecutus, in monte eodem, quem dixi, deprehendit; & quasi in conspectu tabernacula etiam sua collocavit. Sed in somnis à Deo commonitus, nequid duriùs in generum consuleret; postridie cum eo civiliter, neque oraculo dissimulato, expostulat, quòd clàm, se absente, cum filiabus & nepotibus insalutatis, & ceu bello captis, aufugisset. Vt id omne patriæ repetendæ, & ad suos visendi desiderio condonetur; quâ tandem fronte Deos domesticos furto secum auferre ausus esset?

Hic Iacobus cùm de clandestino discessu facilè se purgavit; quòd veritus esset, ne, si rescisset, vi filias suas pater averteret. Tum de furto respõdit; Se, quo minus is, apud quem invenirentur Dij eius, in fratrum conspectu protinùs eneceтur, non recusare. ignarus ea patriæ religionis Idola (Teraphim) à Rachele rapta fuisse. (Ios. non quod Deos illa coleret, quorum vanitatem & contemtum à marito iam didicisset; sed quòd (vt quidam volunt) Aurum, ex quo ea conflata, doti sibi, vel mercedi marito debitæ, imputaret (vel patrem, eiusque familiam impio dæmonum cultu liberaret.)

Labanus perlustratis Iacobi & Liæ, & utriusque famulæ tentorijs, neque Dijs inventis; ad Rachelem ingressus (quæ sacra patria subter cameli stramentis properè condiderat (Ios. in clitellas, sive sarcinam Cameli, quâ vehebatur, deposuerat) & super ijs considens stato morbo, menstruóve mulierum profluvio, laborare se fingebat; ab eâ delusus, re infectâ, discessit.

Tunc verò Iacobus in iurgia vicissim prorupit; & incivilem soceri investigationem, & de furto suspicionem, increpavit. Suam vicennis servitij, & in re pecuariâ industriæ fidẽ; Illius contrà erga se acerbitatem & sordeis commemorat. Quæ omnia vel Deus ipse vera esse hesterno ei oraculo declarârit.

His dictis territus Labanus, & ferociæ oblitus, Iacobum ad fedus secum icendum invitat: & tumulo è lapidibus aggesto (unde Galaadi nomen) & victimis super eo, Deo (quem pater Isaacus piè usque coluisset) testi, immolatis; mutuas in posterum iniurias deprecati sunt; & vale dicto, pacatéque, alteri ab alteris digressi.

Iacobus autem cæptum in Cananæam iter persequens, Angelos Dei (binas Angelorum acies, cum totidem ducibus, fortè Mesopatamiæ & Chananææ custodibus) qui bonam ei in posterum spem facerent, obvios habuit: & loco, Manahaim, al. Mahanaim, hoc est, Castra (Domini) nomen imposuit.

Quùm verò præter regionem, quæ est trans mare Salinarum, sive Lacum Asphaltiten (quamque frater Esavus (aliàs Edom, rufus; & Seir, hirsutus; dictus) incolebat; & de se Edomen, sive Idumæam, atque adeò Seïram, vulgò à se appellari patiebatur) iter destinasset; missis priùs legatis, & è grege muneribus, suspectum sibi, ob veteres simultates, fratris animum explorare, & benivolum amicumque sibi reddere voluit. Quem simulatque reversi legati obviàm sibi, cum 10. virorum manu procedere renuntiârunt; Ille exterritus, & comites suos cum gregibus & armentis in turmas partitus,

& Deum

& Deum pro suorum incolumitate deprecatus, rursum iterum, è pecuaria opulentia, munera ad fratrem, per interualla, præmisit. Et transmisso è Castris sub noctem, cum uxoribus & filijs, Iaboci vado, aliquantulum ab agmine reliquo semotus, cum Viro quodam (Ios. spectro. Sulpit. Domino, sive Angelo veriùs, qui humanam speciem adsumsisset) ad primum usque diluculum est colluctatus. Quumque à provocatore superari nequisset; & ille contacto femoris nervo, qui statim in stuporem, sive torporem, resolutus est, missionem ab adversario peteret, neque impetraret, Mactum virtute, exclamavit, qui non ex hominibus quempiam, sed Deum ipsum luctâ & robore vicisset. quod magnę illi in posterum securitatis & felicitatis esset præsagium, Itaque, pro Iacobo, vocatum iri Israëlem. Quæ vox, vel principem cum Deo, vel Dominantem: sive cum Angelo reluctantem & prævalentem significet.

Hinc Hebræi, dicti deinceps ISRAELITÆ, Iacobi progenies.

Iacobus hoc viso lætus, locum, Phanuëlis nomine, à conspectu Dei, appellavit. (Lapid. vult, eo in loco urbem ædificatam cognominem, quam Strabo, πρόσωπον θεοῦ, Faciem Dei appellet, l. 16. Sed istud Strabonis promontorium mari Phœnicio imminet, Tripoli adversum. Hæc autem Phanuël, ultrà Iordanem, Iaboco torrēti adiacet.) Et quoniam Iacobus luxa à inter luctandum coxendice, claudicaret: ab esu nervorum Israëlitas post id tempus abstinuisse, proditum est à nonnullis.

Adpropinquante autem iam Esavo, ipse agmen familiare ita divisit. vt famulæ, cum liberis suis, in fronte: Lia & liberi, in medio: Rachel cum Iosepho, in tergo collocarentur. (Ios. Vt è longinquo spectarent pugnam Virorum, si manus conferendi frater cupidus esset. Scilicet.)

Ipse cæteris antegrediens, prono in terram corpore, fratrem procul & septies adoravit. Cumque vicissim amplexus Esavus oscula cum fletu communicasset: & uxores, cum liberis, quæ suam quæque vicem ad eum adorandum accesserant, blandè amicéque accepit; & munera, quæ præmissa fuerant, non nisi grauatè admisit. Quumque ultrò societatem itineris fratri offerret; & Iacobus, foetarum ovium & iumentorum lassitudinem, & matrum parvulorumque teneritudinem, excusaret: lento se passu vestigia eius persecuturum. Ille, unde venerat, in Seiram se recepit.

Iacobus verò è Socotho, ubi domum ædificârat & tabernacula fixerat; (à quibus loco nomen.)

Transgressus in Salem, Sichimorum urbem, haud procul inde habitavit. parte agri, in quo tetenderat, ab Hemore Hevæo (al. Chorręo) loci principe, centum denarijs redemtâ.

Quum autem Sichemus, Hemoris illius filius Dinæ, unicæ Iacobi è Liâ filiæ, quæ solenni quâdam Sichimitarum celebritate (Iosephus ad spectandum mulierum indigenarum cultum) in opidum venerat, raptæ stuprum obtulisset. (Alex. Polyh. eam paullò maiorem decennio fuisse memorat. Veriùs circiter undecennis, an. Iacobi patris, 106.)

Atque ille vehementi peregrinæ puellæ amore correptus, patre Hemore, apud Iacobum eiusque liberos, intercedente, coniugem sibi, & communem simul civibus advenisque rerum omnium societatem exposceret; conditionem, quam filij Iacobi, iniuriâ violatæ sororis, & ultionis cupiditate inflammati, per dolum tulerant; temerè accepit. Vt ex ritu Hebrææ gentis, ipse priùs, cum viris omnibus, præputia sibi circumsecari paterentur; quàm vel coniugij, vel mutuæ communionis commodo, potirentur.

Iamque sub diem tertium, ingravescente, in cæsis, vulnerum dolore, Simeon & Levis, fratres Dinæ germani, (Idem Polyhist. tradit Simeonem, 21. annos, & quadrimestre; Levim, suprà 20. annum tum natos fuisse) arreptis gladijs, in urbem confidenter ingressi, mares universos, unà cum rege & filio, interemérunt; & sororem Dinam reduxérunt. (Ios. (qui factum istud, uti atrocius, apud genteis dissimulare voluisse videtur) ait; Obseruato die festo, quo Sicimitæ voluptati & convivijs operam dabant; & invasis noctu custodibus sopitos contrucidâsse.)

Hoc facinoris & vindictæ exemplum secuti cęteri fratres, impetum in femineces fecérunt: & urbem cum agro vicino, funditùs sunt depòpulati, uxoribus eorumque liberis in captiuitatem abductis.

At tantâ filiorum audaciâ obstupefactus Iacobus, & factum indignè ferens; qui totius Chananæorum vicinię odium in se concitatum prospiceret; à Deo monitus est, vt in Bethelam conscenderet, ibique sedem figeret. (Polyh. tradit decennium in Sichimis habitâsse.)

2241. | Elus anno 102. Balæus iunior, x. (al. ix.) Assyriorum rex, 52. an. Sub eo Indi Babyloniorum potestati se permiserunt. | 1709.

Iacobus antè, quàm in Bethelam adscenderet, ibique votivum altare erigeret; familiæ suæ tentoria lustrari imperavit, omnesque mundis vestibus indui. Et defossis sub Terebintho, haud procul à Sichimis, Dijs alienis, eorumque ornamentis, (Ios. in Labani Deos incidisse scribit, quos à Rachele furto sublatos ignorârat.) fortè etiam alios, ex recenti Sichimorum, profanæ urbis, prædâ.) tum iter secutus, ut iussum, instituit. Et immisso divinitùs per vicinas civitates sui terrore Luzam pervenit: eamque re, Bethelam, hoc est Domum-Dei appellavit. Ibique Deboram, matris Rebeccę nutricem, quæ ab alumnæ obitu, (qui incertus est) ad Iacobū filium se receperat, ad montis, in quo sita est Bethela, radices, sub quercu, non sine lacrymis, sepelivit.

Eidem autem Deus iterùm apparens, nomen Israëlis, non sine magnificis propagandę posteritatis; & Terræ, quam maioribus eius addixerat, adeundæ ac possidendę, promissis; anteà impositum, confirmavit. Et ipse vicissim Titulum è Lapidibus, non sine libamine & oleo, ibidem Deo erexit & consecrauit.

Illo

Illo indè in agrum Ephratanum (quę posteà Bethlehem. & ea dicta ab Ephratâ, uxore Calebi) progresso, Rachel è dolore & partûs difficultate laborare cœpit. quo in enixu emoriens,puerum,Benoni, à dolore ; pater verò Ben-iamin , ceu dextræ filium,dici voluit. (Id contigit XVI. annis post nat. Iosephum) & uxorem perpetuo monimenti titulo honoravit. Eam Hebr. XXXVI. al. XXX. annorum tum fuisse. & Polyhist. XXIII. annos cum Iacobo convixisse tradit.

Patre,trans Turrem-Gregis(quæ est Gader) sive Ader. & fort. Area-Atad) tendente; Rubenus, primæ ætatis filius,cum Balâ , Rachelis olim ancillâ,& patris sui concubinâ(ex quâ Danus & Nephthalis erant exorti) concubuit. Quod magno illi flagitium in posterum stetit.

2247. Et sexennio pòst,plus minus,(Isaaco Avo etiamdum superstitite. B. Aug. l. 18. C.D. contrà quam Sulpit. sentit: qui post excessum patris,Iacobum in solo eo,in quo ille vixerat,commoratum tum dicat. Sed hysterologia est c. 35. Gen.) 1703.

IOSEPHVS filius patri multis nominibus carissimus ; atque ob id, aliasque, tum domesticarum criminationum,tum somniorum, caussas,fratribus, quibus imperaturus quandoque portenderetur, invisus.

(Quùm namque suum tritici , in agro manipulum , exsurgere , & stare loco; atque ab incurvatis fratrum aliorum manipulis adorari visum esse: Tum Solem & Lunam,cum undecim stellis, è cœlo in terram descendisse,& se adorasse, puerili simplicitate , iactarat.

Præterea, Balæ & Zelphæ filios, fratres sibi consanguineos, de flagitio infami apud patrem detulerat.)

Ille , inquam , annos iam natus 16. (sive 17.) quùm à patre ad eosdem,qui tum in Sichimis oveis pascebant, revisendos,ceu explorator (è valle Hebronis.) An hæc alia , à Mambræâ?) submissus esset ; & in Dothain pervenisset: Rubene , inter cæteros , à consilio necis abhorrente ; priùs in cisternam veterem,seu lacum,ubi siti fameque enecaretur, nudus, demissus. Deinde, fratribus à Iudâ ad mitiora deductis, negotiatoribus Ismahelitis , sive Madianitis (viginti siclis argenteis, al. minis ; Lapid. xx. floren.) venditus , & in Ægyptum est asportatus.

Pater autem ubi tunicam filij polymitam , seu multilicem , quam recenti hœdi sanguine fratres tinxerant,& ad eum transmiserant; conspexit: à ferâ devoratum existimans, ipse cilicio indutus, in longinquum atque insolabilem mœrorem datus est.

IVDÆ PROGENIES, EX QVA CHRISTVS nasciturus.

Sub idem ferè tempus, Iudas Iacobi F. sextus ordine , annos natus XIX. à fratribus, in urbem Odollam , ad Hiram sibi familiarem, divertens, Suæ, hominis Chananæi, filiam , in matrimonium adsumsit : ex eâque tres filios; Hetem , Onam , & Selam sustulit.

Ex quibus,duo priores, Thamari cuidam(quam quidam Melchisedechi Sacerdotis fuisse filiam hinc conijciunt , quòd socer Iudas scortationis convictam,comburi , non lapidari iusserit. Genes. 38. Quæ lex Hebræis usitata , & à Moyse, Levitici 20.& 21. repetita, de filiâ sacerdotis , & cæteris scortis,cum supplicij discrimine.)

Thamari,inquam , à patre vicissim coniuncti; ille ob vitæ morumque pravitatem ; hic ob semen, præ fraternæ memoriæ nominisque odio, humi effusum, sine prole divinitùs exstincti sunt.

Et Thamar, quam socer domum patris remiserat, dum Selas, tertius , adolesceret, & connubio utilis esset; quùm nullam futuri cum eo iam adultiore coniugij spem, à patre, præ consimilis mortis metu , adfulgére videret. & socerum , ab uxore, Suæ filiâ,viduum , in opidum Thamnam,ad oveis tondendas, adscendere cognovisset; ipsa, prolis ex tam beatâ stirpe procreandæ cupida , & occasionem furari coacta; meretricio & æstivo habitu , ignota, in bivio,quà iter ille facturus esset , consedit: & expetiti concubitûs mercedem ab homine intemperante,pacta,pro arrhabone, annulum & pedum ab eo abstulit.

Cuius quùm uterum, trimestri pòst , intumuisse Iudas inaudisset;& illa ob stuprum,ad incendij pœnam exposceretur ; missis ad socerum , eius , quicum gem habuisset & concepisset, indicijs, & pœnâ & culpâ intemperantiæ liberata est. & iamtum geminos conceperat.

Vbi verò dies partûs advenit , res mirifica accidit. In ipso namque Infantium enixu,uni, qui prior manum protenderat, obstetrix , dignoscendi caussâ , coccum adligârat, uti qui prior ex utero egressurus putaretur. Illo verò manum retrahente, egressus est alter. cui ob membranam perruptam, & secundas, Phares nomen inditum. Frater autem, qui prioris ortus specimen dederat, Zara est appellatus.

(Insignis figura mysterij, quod de Fide & Gratiâ explicatur ad Rom. IX. & ad Heb. VII. c.

Ex priore David rex, & CHRISTVS, exorti.

Et ipsa Thamar contenta matris nomine, continenter deinceps vixisse putatur.

IOSEPHVS interea , quem sibi venditum Ismahelitæ in Ægyptum perduxerant , & Putiphari Eunucho, exercitus regij principi (Iosepho est Petephres , qui Pharaothis coquis præ. rat) vendiderant, quùm ab hero quidem , quòd Deo carum adolescentem , sibique ad omnia utilem perspexisset, benignè haberetur ; & domum eius familiamque fidei

fidei servili creditam probissimè administraret; tum ab herâ, cuius intemperanteis oculos, in se, insigni specie decôrum, converterat; nec perversæ tamen mulieris, quæ amore eius deperibat, voluntati, sæpiùs etiam appetitus, obsequi voluerat; falsò ab eâ crimine, & pallio etiam ceu fugitivi ostentato, apud virum traductus est, quasi stuprum ipsi inferre voluisset. Et à nimis credulo, in regium maleficorum carcerem coniectus. Vbi quùm ob parem morum comitatem, & ergà Deum reverentiam, apud Commentariensem carcerarium gratiâ plurimùm posset; & fidam custodiæ vinctorumque curam per se gereret: & duo Regis ministri, pincerna & pistor, qui in eâdem erant custodiâ, somnia sua ad ipsum rettulissent: Ille futura ex ijs coniectans, unum ex illis, qui uvas in calicem regis expressisse sibi visus esset, brevi liberandum: alterum, cui aves è canistro cibos, arte Pistoriâ adparatos, sustulissent, pœnas capite luiturum, sive cruce suffigendum, pronuntiavit. Cuius expositionis veritatem exitus intrà triduum comprobavit: & magnam ei egregij coniectoris, sive somniorum Interpretis, opinionem, in posterum peperit.

2258. Hàc ferè tempestate, præter Balæum, x. Assyrior. regem, Messappus IX. Sicyoniorum rex erat; quem alij Cephisum nominant (B. August. lib. 18. c. 4. C. D.) 1692.

Et tertius Argivorum, Apis. (hunc Pausan. Sicyonijs adcenset, à quo tota intrà Isthmum regio, antè Pelopem, Apia sit dicta.) Hic paullò post navibus in Ægyptum transvectus, & ibi mortuus, Ser-apis dictus est, & pro maximo omnium Deo habitus, qui & Memphim condiderit. De quo aliàs.

2259. Hoc an. qui CXX. Iacobo ætatis fuit, Pater Isaacus, ann. natus CLXXX. (Ioseph. anno ampliùs.) 1691.

Ad quem ille in Mambréam Vallem (Arbeën, sive Hebronem) è Mesopotamiâ tandem pervenerat, neque diu convixerat; è vitâ decessit. Et communi filiorum suorum, Esavi & Iacobi, pietate ac curâ, hereditario ibidem parentum suorum monimento, iuxtà uxorem, quæ iam antè fuerat defuncta, sepultus est.

Filij, quos eadem avitæ peregrinitatis terra, ob immensam divitiarum abundantiam, & familiæ gregumque copiam, capere & sustinere non posset; ut facultates, ita sedes inter se sunt partiti. Esavus, Hebronem, Chananææ terræ portionem, Iacobo cedens; cum suis omnibus in montem Seirum, (qui & Saira) quæ & Edom sive Idumæa, nomen ioculare, ut vult Ios. ab ipso, Rufo; sive qui rufum, sive rubentem è lenticulâ Cyceonem, à fratre, olim magno redemisset, adepta; habitatum concessit. Ea autem regio, Gebaleniam, Amalecitidem, aliasque genteis complectebatur.

In eo autem terrarum tractu, Horrim, qui & Horræi; & Chorræi, Gigantes, habitâsse antea traduntur: ab Esavo, eiusque posteris, aut finibus suis expulsi, aut funditùs deleti. Deuter. cap. 2. Eorum verò, qui principatum ibi obtinuêre, series, Gen. 36. hoc ordine pertexitur.

SEIRI HORRÆI PROGENIES.

SEIR Horræus, hos filios Nepotesq; habuit —

- Lotanum (euius soror Thamna) —
  - Hori.
  - Hemam, al. Homam.
- Sobalum —
  - Alian, al. Alvan
  - Manahat.
  - Ebal,
  - Sepho, al. Sephi.
  - Onam.
- Sebeonem —
  - Aia.
  - Ana, —
    - Dison,
    - Oolibama filia.
    - (Hic Thermarum, al. mulorum inventor, iunctis Equo & Asinâ.)
- Anam, al. Auam — 1. Paral. 1. — Dison F.
- Disonem —
  - Hambdam, al. Hamram,
  - Eseban,
  - Iethram,
  - Charan.
- Aserum, al. Eserum —
  - Balaan,
  - Iavan, al. Zavan,
  - Acan, al. Iacan.
- Disanem —
  - Hus, &
  - Aram

ESAVI PROGENIES.

ESAVI, qui & Edom, Idumæorum Patris, hi Liberi, ex 3. Vxoribus; & Nepotes.

- Ex Adâ, Filiâ Elonis Hethæi (quæ Ioseph. A'a. & 26. cap. Genes. Besemath.) — Eliphas, Ios. Aliphazes, euius Filij, Duces,
  - Theman,
  - Omar, — Ioseph.
  - Sepho, al. Sephi
    - Ophus
    - Iothamus
    - Ocanasus.
  - Gathan,
  - Cenez,
  - Core 1. Par. 1.
  - Thamna.
  - Amalec (ex Thamnâ concubinâ, Lotani Sorore.)
- Ex Basemath, Filiâ Ismabelis, Sorore Nabaiothi (quæ Gen. 28. Baheleth, & Ioseph. Mosametha.) — Rahuel. euius sunt
  - Nahath, al. Nabath.
  - Zara,
  - Samma, al. Summa.
  - Meza.
- Ex Oolibamâ (Ioseph. Alibama) Filiâ Anæ, filij Sebeonis Hevæi, (quæ Gen. 26. est Iudith Beëri. (Chettæi.) Hanc volunt, post reconciliationem, in gratiam fractis, de filij eius, Iudæ, nomine, sic appellatam. — Hi Duces
  - Iehus, — Ioseph. sunt. Iaus,
  - Ihelom, — Iolamus,
  - Core, — Coréus.

HI VERO

HI VERO REGES, SEV MONARCHÆ, IN TERRA EDOM, QVÆ ET IDVMÆA, REGNASSE (PER ELIgentium suffragia) narrantur antè, quàm Israëlitæ regem haberent.

- BALE. qui & Bela, & Balac. in urbe Denabâ.
- IOBAB, F. Zaræ de Bosrâ (quem quidam Iobum fuisse putant)
- HVSAM, è terrâ Themanorum.
- ADAD, F. Badad, in urbe Avith. (hîc percussit Madianitas in Moabitide;)
- SEMLA, de Masrecâ.
- SAVL, de fluuio Rohoboth. (1. Par. 1. quæ iuxtà amnem, Euphratem, sita.)
- BALANAN, F. Achobar.
- ADAR, al. Adad, in urbe Phan. cuius uxor Meetabel, filia Matred.

Ab huius ADARIS, sive Adadi, morte, hi Duces, ex Esavo orti, per Tribus & certa Imperij loca distributi.

Thamna,	Ela,	Mapsar,
Alva,	Phinon,	Magdiel,
Ietheth,	Cenez,	Hiram.
Oolibama.	Theman.	

IOSEPHI principatus; & IACOBI Israëlitarumque in Ægyptum Migratio.

2260. | Iosephus, annos iam natus, plus mínùs, xxx. quorum penè semissem, cum in servitute apud herum Ægyptium, tum in iniquâ custodiâ, exegerat. | 1690.

Hâc viâ, non ad libertatem modò, sed ad quoddam etiam regalis penè dignitatis fastigium, perductus est.

Biennio pòst, quàm pincernæ & pistori, regijs, ergastuli consortibus, sua ipse cuique somnia & eventa dissueruerat; regi quoque Pharaoni geminum unâ noctè somnium obiectum est.

Et priùs quidem visus est sibi rex, secundùm flumen inambulanti, videre boves numero septē, benè pastas, & rarâ corporũ habitudine spectabileis, quæ è fluctibus in prata irrigua escenderent. Et mox totidem, macie extenuatas, visuque fœdas: quæ eodem ex flumine emergerent, & virenteis ripas depascerentur. quæque devoratis obesis illis prioribus, nullum tamen saturitatis vestigium ostenderent; sed pari macie ac squalore horrérent.

Deinde, quum obrepente sopore rursus obdormisset; Vidit spicas septem, uno ex culmo enatas, fruge gravidas, & messi maturas: quæ à totidem tenuibus, & quasi uredine sideratis, funditùs sint absumtæ.

Rex Pharaon his visis attonitus, arcessitis ad se ex toto regno Divinis, somnium quidem duplex enarravit; sed nihil illis solidum explicantibus, in maiorem datus est perplexitatem.

Qua animi in rege solicitudine animadversâ, pincernâ ille ingratus, quem, Iosepho interprete, carcere exemtum, & in gratiam cum rege reductum, diximus; culpam priùs fassus, regem admonet; Adolescentem adesse, Hebræum gente, eximium somniorum Interpretem; qui sibi, & socio, pistorum magistro, tùm communi apud principem militiæ custodiâ vinctis, ex somnijs futura præsignificârit; & eventus constanter probârit. Se namque pristino muneri restitutum; pistorem, ut ille præsagierat, iussu regio, in crucem actum.

IOSEPHVS itaque iam tricenarius, carcere solutus, & squalore vestis deposito ad regem adductus; ex ijs, quæ ille sibi per somnium, duplici specie, visa commemorârat; Septem annis proximis maximam frugũ ubertatem; & consequentibus totidem, parem inopiam futuram, portendi, interpretatus est. Suasit propter-eà regi, ut virum prudentiâ & industriâ spectatum universæ Ægypto præficeret; qui, per Vicarios, sive regionum Satrapas, venturæ faméi & septenni sterilitati prospiciendum curaret: & indictâ in præsens aratoribus frumenti professione, quinctam saltim fructuum, quibus priores septem & fertiles anni sint abundaturi, partem, in horrea, sub regiâ potestate, condi percipique iuberet.

Rex, tàm divinam Interpretandi sapientiam, quàm consilij rationem, in Iosepho admiratus, ipsum, & rei annonariæ, & universæ Ægypto,

pænè æquato secum Imperio, præfecit: & Psontomphanechum (hoc est, eum qui res occultas patefecisset; al. Servatorem Mundi) appellavit. Eique Assenetham, Putiphaæ, Helio-politani sacerdotis, Filiam, in matrimonium collocavit.

Iosephus autem eâ à rege potestate, & annuli signatorij prærogativâ auctus, & sellâ curuli per Ægypti provincias circumvectus; abundantibus in summâ segetum luxurie frumentis, magnam annonæ vim, per continens septennium, in publica oppidorum horrea congessit; & adversus futuram famem consuluit.

Sub idem autem tempus, duos è Coniuge Ægyptiâ liberos sustulit. E quibus maiorem, Manassen nominavit, quasi prioris fortunæ oblivionem. Alterum, Ephraimum, hoc est, Incrementum (Iosep. Restitutum, quòd maiorum suorum libertati redditus esset.)

2268. Transacto verò perissochoregiæ, sive laxioris annonæ septennio, orbem-terræ, & vicinas Ægypto regiones, grauis frumenti inopia, 1682.

quam ille prædixerat, quatere & flagellare cæpit. Quùm anxium autem vulgus, fame (quâ necessitate nullum est aliud malum intolerabilius) iam stimulante, concitatius, & ceu motum aliquem cōminans, ad regiæ fores confluerent, & alimenta efflagitaret; Iosephus, ad quem illi remissi à rege, & parere iussi fuerant; horreis apertis, non modò Ægyptijs, quos panis defecerat; sed finitimis etiam advenis, quos longè acerbius inopiæ malum oppresserat, ad penso pretio divendebat.

2:70. Quâ famâ excitus Iacobus Pater, quùm annona quoque inter Chananæos ingravesceret, & ad biennium caritas iàm perstitisset; t680.

filios decem, retento domi apud se Beniamino, postremo, & uterino Iosephi fratre, in Ægyptum, coemendi frumenti, amandavit.

Illi à fratre; rerum tum potente, & annonæ Ægyptiæ arbitro, quem more regio cum reliquis adorarant, agniti; & duriùs ab eo, per dissimulationem, sunt compellati. quasi hostiliter infirmiora regni alieni loca exploratum; non ea, quæ ad victum necessaria, mercatum, advenissent. Et quamquam se de hostili machinatione excusarent: se à Patre, decrepito sene, cuius ipsi omnes filij essent, ad emendum publicè frumentum, è Chananæá, dimissos. è fratribus duodecim, minimum natu domi à Patre retentum; alterum, fuisse. Res in id deducta est, ut in custodiam dari, tertiò demùm die, cà loq liberi, & à suspicione expertes. abire permitterentur; si uno ex ipsis relicto, cum frumentis ad Patrem profecti, eòdem mòx reverterentur: & fratrem ætate postremum, secum adducerent. Illi, quum præsentiam eius polliciti essent, ex quo quæreret, an explorandi caussâ in Ægyptum ipsi intrâssent: & memoriam præteriti temporis repetentes, Rubene inter cæteros expostulante, diras Iosephi fratris, summâ cum immanitate olim oppressi & venditi, ultriceis adesse. (conscientiâ sceleris memoriam, ante duos & viginti annos admissi, refricante) lamentarentur. (quæ Iosephus, linguæ Hebrææ gnarus, non sine fletu, coràm audiens, dissimulabat) Simeone relicto, & obside vinciri permisso; (quòd is forteà acerbior fraternæ calamitatis auctor anteà, & Rubeni, saniora suadenti, adversatus fuisset) cum saccis, frumento, de industriâ, gratuito, suprà viaticum, onustis, ad Patrem reverti sinuntur.

Illi in Chananæam reversi, Patri totius itineris & negotij eventum commemorant. Se pro inimicis, regni exploratoribus, comprehensos fuisse. quo crimine ut solverentur, coactos Simeonem fratrem apud præsidem, regis vicarium, in vinculis relinquere; donec Beniaminus, quem illuc adducere iussi essent, & facturos promisissent; verbis eorum fidem præsens adstrueret.

Iacobus, cui factum filiorum & promissum displiceret; & præter Iosephum, olim amissum, Beniamino præterea privari, morte durius videretur; ut adsentiretur, induci non potuit. Licet Rnbenus duos filios suos vades & certæ morti obnoxios, nisi Beniaminum incolumem ex Aegypto redbibéret, dedere Patri paratum se esse confirmaret. (Huic parum fidei Pater tribuisse putetur, ob petulantiam in patrium cubile olim commissam.)

Illos itaque, in tam pertinaci Patris recusatione, quid agendum sibi in præsens esset, incertos, magis exterruit pecunia, in saccis frumentarijs reperta, quā Iosephus clàm per famulos reponendā curârat.

Quùm autem Iacobus, absumtis interim, quæ filij attulerant, alimenns, & fame urgente compulsus, illos, ut eòdem reverti & frumenta coemere vellent, cohortaretur: & illi, nisi pacto staretur, & Beniaminus comitaretur, redire ad Præsidem abnuerent: vix à Iudâ, qui se vadem pro pueri incolumitate ad mortem daret, persuasus senex, Beniaminum ijs comitem, & duplex frumenti pretium tradidit: & rariora è Chananææ regionis proventibus munuscula, regio Vicario portanda, adiecit. nec sine lacrymis, & solicitudine, pijsque ad Deum votis, illos dimisit.

Qui quùm in conspectum præsidis, cū fratre suo Beniamino, venissent; & in domum, ubi convivio accipere eos constituerat, introduci, per Oeconomum, iussi essent. ne qua calumnia sibi intenderetur, quasi dolo malo prioris frumenti pretium intervertissent, apud eumdem se purgârunt.

Quo negante se eâ umquàm pecuniâ desiderasse: divinâ potiùs virgulâ ipsis thesaurum illū suppetisse. animis iam esse securiores cæperant, alia præterea hospitalis comitatis indicia & officia experti. Nam & Simeonem liberum inter se versari: & non modò pedes aquâ sibi ablui, sed asinis etiā ipsorum pabula præberi vidérunt, & admirati sunt. Nec seciùs, Iosepho, ab ante-meridianis munijs domū regresso, dona indigenitalia, pronis ipsi in terram vultibus adorantes, obtulerunt. Atque adeò amicè ab eo resalutati, & rogati, Patrem suum vivere & sospitem esse; & fratrem, ætate minimum, à se ex pacto adductum, quem coràm intueretur, respondérunt.

Ille,

Ille, qui ad fratris uterini conspectum, lacrymas tenere nequierat, seque ab arbitris intrò paullisper subduxerat; iterum progressus, tribus seorsim positis mensis, ne Ægyptij, scilicet, cum Hebræis, ceu profanâ gente, permiscerentur, suo quemq; ordine accubare iussit. Et inter prandendum, præ cæteris, Beniaminum, quinctuplâ fyrficiorum portione ampliùs honorauit. (Id matris Rachelis honori datum interpretatur Alex. Polyh. ne ea Liæ, sex marium matri, cedere videretur.) Illis autem cibo ac potione expletis, & cubitum digressis; negotium dedit Oeconomo suo, cum ut frumentum, quod singuli asportaturi erant, abundantius admetiretur, pretiumque in saccis recondere: tum ut in minimi ex ijsdem fratris sarcinam, præter tritici pretium, scyphum etiam argenteum, quem in delicijs ipse habebat, immitteret. (Ios. periclitari volens cæterorum fratrum, adversus Beniaminum, animum atque benivolentiam. essentne fratris, de furto convicti, caussam suscepturi; an, eo deserto, perinde ac maleficium illud nihil ad se pertineret, ad patrem regressuri.) Hos itaque, quum primâ luce læti, & omnium ignari, cum onustis alinis, ex urbe dimissi, & aliquantulum essent progressi; ecce, Oeconomus, ex composito, & heri iussu, manu aliquantâ stipatus, repentè circumvenit: & viros sceleratos, qui tot beneficiorum, & tàm recentis comitatis hospitijque immemores, iniuriam reposuissent, altùm inclamavit.

Scyphum, quem furto sustulissent, hero suo in delicijs eximium, & auguralem esse, (hoc est, (uti Ægyptij opinabantur) quo divinationes exerceret. hinc Lecanomantes, & Engastromythi, ex pelvi vaticinantes) Meritas itaque confestim tanti flagitij, omneis, pœnas daturos.

Illi inopinato incursu turbati, cum furti crimen, quod innocentibus sibi obyci ægerrimè dolebant, amoliri sunt conati. qui pecuniam anteà in saccis repertam, & nullius conscientiæ obnoxiam, ultrò è Chananæâ usque reportassent, & bonâ fide restituissent, haud probabile esse, ijs, à quibus tàm nupero hospitij honore dignati fuerint, damnum ullum aut malũ, datâ operâ, date aut inferre voluisse.

Tum inquisitionem longè in præsens certiorem, quàm orationem, rati, scrutari sarcinas iussérunt. Non recusare se, quin & ille qui in furto deprehensus esset, capite luat: & universi, uti consci, servitute damnentur.

Eam conditionem quùm Ægyptij accepissent; & unius, qui convictus esset, supplicio se contentos fore dixissent; saccis humi depositis atque apertis, ordine eos scrutati, in Beniamini sarcinâ scyphum, quem petebant, repererunt.

Hic omnes ad lamenta & ploratus conversi, tum fratrem, qui flagitij pœnas mox daturus esset, commiserabantur: tum suam ipsorum vicem dolebant, qui fidem parenti de Beniamini incolumitate tàm sanctè datam, præsenti casu, fallere cogerentur. Ipsi nihilo minus, & sarcinis iterum in iumenta impositis, & scissis præ luctu vestibus, Beniaminum, qui abducebatur, comitati, & in opidum regressi, ad Iosephum, qui necdum loco se moverat, adeunt; & provolutis pariter in terram corporibus, nec sine effuso eiulatu, adorant.

Quumque ille facti improbitatem exaggeraret, quod & in tàm beneficum hospitem ausi essent; & ipsum, qui augurandi scientiâ cæteris antistaret, (idq; pro re natâ fingeret) latere minimè potuisset. Et Iudas vicissim, nihil in tam manifesto crimine solidũ posse obtendi aut excusari, ingenue cõfiteretur. Et non tantùm scyphi furem, sed se etiam cum cæteris fratribus eo facto libertatẽ perdidisse. iure suo in eos, tamquam nocenteis, uteretur, & in servitutem addiceret. Iosephus iterùm, se alios, quorum innocentiam compertam haberet, morari negat: unius pueri, qui deliquerit, supplicio contentum. Abirent ipsi impunè, quò & quando vellent.

Quâ tam præfractâ præsidis oratione, cæteris tàm grauiter perculsis, vt præ dolore vox deficeret; Iudas, qui præcipuus Patri adolescentis secum dimittendi auctor fuerat. vir alioqui strenuus & intrepidus, se, pro fratris salute, periculo obijcere non dubitavit. Et propiùs ad præsidem accedens, veniamque confidentiæ præfatus, sic caussam agere cæpit.

Rogati nuper à te, honoratissime Præses, Patrem nobis superesse natu grandiorem respondimus; & fratrem etiamdum impuberem, (licet 24. annorum fuisse alij velint) quem extremâ ille ætate genuerit; & hoc nomine tenerrimè diligat; quòd, uterino eius è vivis pridem sublato, solus, è carissimâ omnium coniuge, supersit. Illum ut huc adduceremus, imperasti, & gratam eius tibi fore præsentiam promisisti. Quumque id fieri non sine summâ molestiâ posse, & Patrem, filij carissimi, si eius è sinu avelleretur, & sinistri quid accideret, desiderio, protinus exstinctum iri, subiecissemus; Tu, pro istâ, quâ secundùm regem, hîc polles, potestate, imperium ingeminasti; & nos, nisi fratrem huc adduxissemus, in tuum ne umquàm conspectum veniremus, vetuisti.

Hæc quum Patri, iam reversi, renuntiassemus: & ille aliquanto pòst tempore nos huc iterùm redire, & frumenta coemere iuberet. neque nos absque illo, quem desideraras, fratre, huc ad te venire auderemus; exprimi verbis non potest, quàm grauatè Pater illum à se avelli sit passus, & nobis comitem adiunxerit. qui fratrem eiusdem uterinum, quem à feris olim devoratum rumor erat, tam implacabili tot annorum luctu etiam-num prosequatur. & coram omnibus sit protestatus, Siquid adversi in viâ illi acciderit, nos mortis ipsi præproperæ caussam fore, aut perpetui mæroris. Quâ igitur fronte, ad Patrem, cuius anima ex unâ filij tàm dilecti animâ pendeat, absque eodem, redire sustineamus! quo non conspecto, aut salvo, & ipse diutius superesse nolit; & nos eius canitiem, tam inominatò, ad inferos deduxisse, meritò existimemur.

Quo ore, calamitatis, quæ miserum alioqui senem oppressura est, testes adsistamus? Sive igitur, æquissime & optime Præses, plectere hunc vis; me vicarium, qui in meam eum recepi fidem, vademque me dedi, ac perpetuas in patrem impraratis crimine adstrinxi; ad supplicium rape. Sive ad servitium addicere malis; me, quem ministerijs tuis magis idoneum vides, in nexum trade. Puer

tantum hic, cum cæteris fratribus, incolumis ad Patrem redire sinatur.

Hâc orationis æquitate, & fraternâ pietate victus Iosephus; & iam ægrè irati aut dissimulantis personam sustinens, arbitris, mutuæ fratrum agnitionis, remotis, in vocem prorupit flebilem, quâ regia tota pænè personvit. Et se fratrem ipsorum Iosephum confessus, securis eos esse animis iussit; neque ob maligniorem fortè sui venditionem, pudore aut immoderatiore pœnitentiâ præteriti errati, quidquam contristari: sed potius bonum, Deo itâ dispensante, iniquioris olim consilij eventum, interpretari & libenter ferre. Se à Deo præmissum Pharaoni consiliarium, & Ægypto principem datum; vt communi omnium utilitati vitæque prospiceret. Irent itaque, & hæc Patri tenuntiarēt. Et quoniam fames adhuc qu inquennalis terris impendeat; ut ad se in Ægyptum, cum omni progenie & familiâ, filijs & nepotibus, armentis & gregibus, utensilibus & fortunis, è Chananæa, sine morâ, commigret, sedulò cohortarentur. Commodam, in terrâ Gessemiâ. (Hæc Hebr. Thebais dicta postmodò. Alijs, præfectura est Tanitis, & Heliopoleos. Vid. Psal. 77.) colonis, pastoribus, sedem fore. Alimenta à se abundè omnibus suppeditatum iri.

His dictis, priùs Beniaminum, deinde cæteros, non sine osculis & lacrymis, amplexus, ad mutua colloquia familiariter invitavit. (Insignis hæc in Iosepho animi altitudo, quæ & fortunæ insolentiam superarit; & fratribus iniuriam, oblatâ licet ulciscendi occasione, condonarit.)

Quumq; celebri sermone in Aulâ vulgatū esset, fratres Iosephi advenisse; impensè gavisus Pharaō, ut, præter iumenta, frumentis cibarijsque onusta, quibus intereà domi sustententur; plaustra etiam, parvulis ac Coniugibus, in Ægyptum confestim subvehendis, idonea, suppeditarentur, imperavit.

Iosephus prættereà vestibus ac muneribus fratrum quemque, sed Beniaminum eximiè; & Patrem, trecentis insuper siclis, donavit: & commendato mutuæ in viâ concordiæ studio, dimisit.

Iacobus cognito ex filijs, iam reducibus, Iosephi filij, qui non modò mortem effugisset, sed splendidâ apud regem Ægyptium fortunâ floreret; & concredita sibi totius regionis gubernacula teneret; statu: in quo spes & opes regni pro tempore sitæ essent. quasi è veterno expergefactus, & coràm dona plaustraque regia intuitus, vix fidem adhibuit. Et ad filium, cuius præceptam tot annis mortem luxerat, in vivis visendum, se comparavit.

Ipse itaque, post sacra Deo ad Puteum Sacramenti (Bersabéam) persoluta, Viso nocturno ab eodem confirmatus, & ut in Ægyptum descenderet, commonitus. *Ibi progeniem eius, immane quantum, brevi tempore, multiplicatum iri: & ipsum, præsenti ubique Numinis ope, in itu reditúque, tutum fore, Iosephum prater-ea. ex supremo pietatis officio, morienti Patri oculos clausurum; interque eius filij manus placidè ipsum e vita excessurum.* Parvulis & uxoribus, cum omnibus facultatibus & instrumentis, in plaustra, quæ Pharaon rex submiserat, impositis; cum omni denique progenie ac familiâ, in Ægyptum contendit.

2270. | Id gestum an. ætat. eiusdem Iacobi, Tricesimo suprà centesimum. | 1680.

Hic autem annus est à Natali Abrahami, 290. vel 291. Et à principatu Iosephi, 10. saltim iniens. Caruerat ille Patris conspectu, 23. annis a sextodecimo ætat. ad unde-quadragesimum: qui tertius erat famis. Fruitur deinde XVII. annis.

PROGENIES IACOBI.

Animæ (sive capita) quæ ex Iacobo prosatæ, & unà cum eo in Ægyptum ingressæ sunt (præter Nurus) numero, LXVI. His si accedant duo Iosephi filij in Ægypto nati, unà cum Patre & Avo, evadent LXX. Interpp. autem Græcis, & B. Lucæ, Actor. 7. sunt LXXV. qui filios Ephraimi & Manassis, tum vix novennium, posteà natos, adnumerent. E Manasse namque Machir, & ex Machire Galaad. Ex Ephraimo, Vtalaam, al. Sutalaam, & Iaam: Et ex Sutalaam, Edem, nati sunt. Vid. B. August. lib. 16. C. D. Totum, inquit, Tempus Ingressus Iacobi, id habetur. quo vixit Iosephus. per quem videtur ingressus. Multi namque ex Nepotibus, qui hic (Gen. c. 46.) commemorantur, nondum erant nati. Vid. & Num. c. 26.

			Ioseph. dictis his nominibus.	
Iacobi Filij, & Nepotes. Ex Lia Coniuge	Ruben, cuius	Henoch. Phallu. Hesron. Charmi.	Anoches Phalles Essaron Charmisus.	— (Hon.)
	Simeon, cuius	Iamuel, (al. Namuel,) Iamin, Ahod, Iachin, Sohar, (al. Zare,) Saul, ex Chananitide.	Iumilus, Iaminus, Puthodus, Iachenus Zoar Saar	
	Levi, cuius	Gerson, Caath, Merari,	Golsemis Caathus Mararis.	
	Iuda, ex Suē Chananitide —	Her, Onan, Sela (al. Sala	mortui in Chananæâ. —	Aram, Aminadab, Naasson.
	Ex Thamare Nuru. —	Phares Zara	Hesron Hamul. (Iosep. Amirus.) —	Aram, Aminadab, Naasson.
	Isachar, cuius	Thola, Phua, Iob (qui Iasub) Simeron. al. Semrom & Semran	Thulas Phruras Iobus Samaron	
	Zabulon, cuius	Sared, Elon Iahelel, al. Ialel.	Saradus Ianel	
	Dina, Filia —		Iosepho.	
Ex Zelpha, ancillâ Liæ.	Gad, cuius	Sephon. al. Sephion. Aggi, al. Haggi. Esebon — al. Suni. Esebō. Suni (al. Ozni) Heri, al. Her. Arodi, al. Arod. Areli, al. Ariel.	Zophonias Vgis Suuis Zabros Aerines Erodes Ariel.	
	Aser, cuius	Iamne, al. Iemna, Iesua Iessui Beria, al. Brie. Sara, Filia —	Iomnes Essus Iubes Baris. Heber, Melchiel. - Ios.	Abatus, & Melmiel.

IACOBI, Filij, & Nepotes.

Ex Rachele Côniuge.

Beniamin, minor. cuius:
- Bela, al. Bale, — Hered, Noeman (Num. 26.) — Iosepho. Bolossus
- Bechor — Bacchatis
- Asbel — Asabel
- Gera — Ared, 70. Int. — Gela
- Naaman — Næmanes
- Echi — Ises
- Ros — Aros
- Mophim — Nomphthis
- Ophim, al. Hupham. — Optais
- Are d. qui sup. — Sarodus
- —Hi, ex Num. 26.
- Ahiram
- Supham.

Ioseph, maior. cuius
- Manasses — Machir — Galaad: Iezer, Helec, Asriel, Sechem, Semida, Hepher - Salphaad
- & Ephraim: Suthala, Heran, Becher, Theben

— *Vid. 1. Par. 7. de 2. Filijs Manassæ.*

Ex Bala, ancillâ Rachelis
- Dan — Husim (Num. 26. Suham. Ioseph. Vsis
- Nephthalim. — Iasiel, Guni, Ieser, Sallem. al. Sellem. — Eleinus, Gunes, Sares, Hellimus

Iosephus, cognito patrem aduentare (Iudas namque præcurrerat, id significare iussus) obviam iunctis quadrigis profectus, ad Gessemam (Ios. ad Heroum opidum) illi occurrit, & in mutuos amplexus ruit. Atque inde, quinque è fratrum numero secum adsumtis, (qui extremi hic dicuntur, hoc est, infirmissimi. ne robusti, militiæ aut alijs regis ministerijs addicerentur) Regi adesse Iacobum patrem, cum familia, nuntiavit. Quumque ille percunctatus quibusnam illi studijs delectarentur, aut dediti essent; pastoritiam omneis artem callére, & in eâ à pueris adsuetos, intellexisset; uberrimum ijs regionis Gessemiæ (inf. Ramesses. Ioseph. Heliopoleos) agrum incolendum dedit: &, si vellent, pecoris etiam regij magisterio præfecit. Ad eumdem Iacobus à filio introductus, & triginta suprà centum annos se natum esse, neque ad maiorum suorum ætatem pertigisse, professus, non sine faustâ utrimque adprecatione & adplausu dimissus est: & a filio, cum omni familiâ, præbitis abunde cibarijs, in summâ & longinquâ annonæ difficultate, sustentatus.

Increbescente namque per orbem terræ fame, Chananæis in primis atque Ægyptijs infestâ; quum frumentum non nisi præsentariâ pecuniâ ex horreis præberetur: Iosephus ingentem pecuniæ vim in regium ærarium intulit. Quâ tandem defecti etiam Ægyptij, prius pecora, déinde agros suos frumento commutarunt, & unà secum regi addixérunt.

Solis sacerdotibus, quibus ex publico alimenta præbebantur, agrorum immunitas est relicta.

Fame verò tam leniente (Ios. Nilo arva solenniter irrigante) & terra ad pristinam fertilitatem inclinante; Iosephus regnum passim obiens, agrorum, quos illi Regi cesserant & mancipârant, usum-fructum quidem popularibus restituit; & acceptâ semente, haud secus quàm proprios, coli iusitque præcepit. eâ tamen conditione, ut quinta fructuum pars regi, ceu domino, cederet aut penderetur. Eoque pacto cum Iosephi in vulgum auctoritas & existimatio; tum gentis totius ergà ipsum & regem benivolentia, mirandum in modum accrevit. Et ius quinctæ partis fructuum, quâdam veluti usu-capionis lege, stabilitum atq; inveteratũ, penes regum posteros & successores permansit.

2273 | Anno circiter CXXXIII. Iacobi, Dynastiam (quæ Eusebio, XIX. est | 1677.
sub Diospolitanis, apud Ægyptios inchoatã volunt. quæ durarit ann. 348. Et a Dios-poli (quam Thebas Ægyptias, sive ἑκατομπύλους, aliqui vocatam scribunt) nomen traxerit.

2287. | Iacobus, (anno principatus Iosephi 27. sive 17. postquam ipse in | 1663.
| Ægyptum advenerat) iam Centum & Quinquaginta, tribus minus, |

annos

annos natus, die mortis adpropinquante, Iosephum F. obtestatus est, ut ab excessu suo corpus suum ex Aegypto deportaret, & sepulcro maiorum suorum, in Hebrone, redderet. præsagus liberationis suorum ex Aegyptiâ servitute; & Chananææ, ceu hereditatis, per eosdem adeundæ. Eiusque filijs, Manassæ & Ephraimo, suis & Rachelis Nepotibus, sibique adoptatis, duarum familiarum sive Tribuum, inter cæteros liberos, prærogativam & principatum, & commune in Terrâ promissâ successionis ius attribuit.

Et manibus ad benè precandum in capita eorum impositis, (quamvis Iosephus Pater contrà obniteretur) Ephraimum minorem, Manassæ maiori antetulit, potioremque habuit. Cuius posteri, & rerum gestarum claritate, & regiâ inter suos, sive decem Tribus, dignitate, futuri essent præstabiles. Iosepho ipsi, extrà fratrum suorum sortem, agrum in Sichimis donavit: centenis siclis ab Hemore, Sichemi Patre, olim redemtum, & post cædem eorum contribuliumque, quasi iure belli usurpatum ac possessum; vel ab Amorrhæis, iniustis occupatoribus, reciperatum.

Cæteris deinde Filijs ad se, ingruente iam morbo, evocatis, partim benè precatus; partim res consecutis ætatibus futuras, vaticinatus est.

RVBENVM, qui paternum cubile incestasset, haud multâ prole abundaturum; & primigenij iuris prærogativâ fraudandum. Duæ namque hereditatis partes, Iosepho; Sacerdotium, Levi; & regiæ dignitatis decus, Iudæ, cessérunt.

SIMEONEM, & LEVIM, (undè Levitæ & Scribæ, iniquitatis in CHRISTVM Dominum exercitæ, auctores, orti putantur) qui præcipitis consilij societate coniuncti, Sichimitas furiosâ cæde ulti erant & deleverant, & urbem ipsam effrenatâ vindictæ cupiditate everterant; atque adeò Iosephum fratrem peregrinis vendiderant: dispersis & vagis, inter cæteras fratrum Tribus, sedibus esse habitaturos.

IVDAE, qui ob multas corporis animique doteis, eximiâ inter fratres laude esset præstaturus, inimicis terribilis & suis reverendus; diuturnam regni patrij dignitatem; quæ nisi sub adventum MESSIAE (ex eadem stirpe orituri) unicæ Gentium spei, esset desitura; ominatus est.

Et in illum certè pleraque omnia, quæ hîc prænuntiantur, expetere censentur. Qui morte suâ Mortem ipsam vicerit, & Diabolum perterrefecerit. seipsè è mortis somno suscitarit. Qui populum è Gentibus & Iudæis cōflatum Sanguine suo expiarit: & à morte obitâ, splendidus vegetusque, toti terrarum orbi Euangelicæ legis lætitiam gratiamque (per Apostolos) invexerit.

ZABVLONI, portus & maritimæ sedes: & littorum, à Mari Galilææ ad Sidonem ferè usque, & Mare Mediterraneum, possessio portenditur. Quibus limitibus, Nazarethum, Mons Thabor, & Capharnaum, loca CHRISTI gloriâ & miraculis pòst illustrata, comprehenduntur.

ISSACHARI, labor, agrorumque colendi studium, adsignatur. Qui Zabulonijs & Nephthalitis interiectus, otium & vitæ rusticanæ commoda bello sit antepositurus: & ex ijs, quas perceperit & distraxerit, frugibus, vectigalia non grauatè heris suis persoluturus.

DANVM, iudiciariæ auctoritatis non expertem fore prædicit; (ex hâc namque Tribu Samson, inter XII. Iudices, adlectus) Et in bello astutum, colubro cerastæve adsimilem: qui admorsis equi ungulis, adscensorem excutere solet. Sic idem Samson, solus, ingentem Philisthæorum manum oppressit: & vulpium operâ eorum agros cum segetibus incendit. Sic ipsi Danitæ urbem Laïsam (quæ Dan, & Paneas) de-improviso adorti sunt, & expugnârunt. Sic Anti-Christus, ex eâdem, ut putatur, stirpe nasciturus, perniciosi serpentis instar, in Iustos homines omni immanitate & calliditate grassaturus est; dum à vero hominum Servatore, quem Iacobus, ex aliâ quidem Tribu, exspectare se dicit, è medio exterminetur.

GADO, & robur militare, & expeditus armorum usus, quo & se tueri, & fratres propugnare, hostéq; profligatum in fugam vertere, valeat:

ET ASERI, deliciosa triticeæ messis ubertas, quâ vel reges ipsos oblectare possit:

ET NEPHTHALI, plusquam cervina in rebus agendis velocitas, & decora in dicendo gravitas (al. terræ irriguæ fertilitas, vel ingens posteritatis incrementum) præsignificatur.

IN IOSEPHO, omniū gratiosissimo, Dei insignem curam concelebrat. Quem ipse, & ex invidorum fratrum manibus, & ex Ægyptiorum insidijs ac calumnijs, atque adeò carcere, liberarit; & ad summa honorum fastigia evexerit. Qui pro suâ adversus parenteis & fratres pietate, in duas Tribus excreverit, splendida Israëliticæ gentis columina. Et hoc nomine, illi, tùm præsens Dei auxilium, tum omnem bonorum abundantiam precatur. Immò, & votorum omnium, quæ Maioribus eius olim divinitùs facta, cumulum; & sanctorum desideriorum, quæ ultimis temporibus reservetur, perfectionem, ominatur.

BENIAMINI posteros bellicosos fore ait, & Luporum more rapaceis; quique ex continentibus bellis spolia de hostibus sint reportaturi. Hi namque bello, quod reliquæ Tribus, ob violatam indigniùs Levitæ uxorem, ipsis posteà facessivérunt, priùs duobus in conflictibus superiores; & postremo, præter paucos, quibus victor pepercit, & rapiendarum ad connubia Virginum potestatem permisit, omnes sunt deleti. B. Paullus quoque (ex hâc stirpe ortus; uti & Saul rex, & Mardochæus.) Primùm, Lupi in morem, CHRISTI Ecclesiam armis exagitavit; & mòx Gentibus pænè universis Christianæ Legis delicias, ceu pabulum, impertivit. Quæ omnia, ad CHRISTVM, ceu caput, eiusque membra, ex arcano sensu, referenda esse censentur.

IACOBVS, filijs omnibus istiusmodi adprecatione lustratis; & mandatâ sui, in Mambræâ Valle, sive Hebrone, sepeliendi curâ (in quod sepulcrum Maiores, Abrahamus cum Sara, & Isaacus cum Rebeccâ, atque adeò Lia uxor; (quam mortuam tradunt Hebr. anno ætat. 44.) fuerant illati) naturæ concessit, ann. uti diximus, CXLVII. natus.

Sic

Sic autem ſe habet temporum ratio.

Iacobus natus eſt 60. Iſaaci ætat. anno: qui erat à Diluvio annus ccccлıı. Fugit Carrhas, ad Labanum, anno ætat. LXXVII. Indè poſt XX. annos (ætat. 97.) redit in Chananæam. Poſt x. ann. mortua eſt Rachel, nato Beniamino: & Ioſephus in Aegyptum venditus. Indè remanſit adhuc in Chananæâ XXIII. annis. Nam anno ætat. CXXX. in Aegyptum profectus, ſupervixit ann. 17.

Mortuus poſtremum an. æt. CXLVII. Qui Lapid. annus eſt ab O. C. 2256. & à nobis diſcrepat, ob annos Cainani prætermiſſos: alioqui conſentit.

Vide Elogia Iacobi, Sap. cap. 10. & Eccleſiaſt. cap. 44.

IOSEPHVS verò corpus patris, more gentis conditum; & iuſtis, non ſine planctu, etiam Ægyptiorum, perſolutis honoratum; bonâ cum Regis gratiâ; & non modò fratribus, ſed & Viris ex Aulâ primoribus, atque equitatu, comitatus, ex Ægypto deportavit. Et exſequijs ad Aream-atad. (quæ & Bethagla, propè Hierichuntem, trans Iordanem, ſita) nec ſine vicinorum Chananæorum, ex inſolito planctu, admiratione, concelebratis; tandem in eo, quem diximus agro, ex-adverſum Hebroni, ſive Mambrææ Valli, magnificè ſepelivit.

Fratres à funeris officio, ſecum iā reverſos; & de ſuâ in poſterum ſalute, ob veteris in eum maleficij atq; iniuriæ memoriam, ſolicitos, iuſſit poſito metu nihil in poſterum mali ſuſpicari, aut reformidare. Non ſine Dei numine ea eveniſſe. Se, quâ cæperit benivolentiâ & liberalitate, eſſe omnes proſecuturū.

Acta hæc putantur, Argo, Apios F. (al. fratre; al. Phoronei F.) Argivorum: Erato, Sicyoniorum; & Balæo, Aſſyriorum, Regibus.

Hinc ad mortem Ioſephi, anni ſunt 53. aut 54. ubi patet ex natali.

2294. | Septennio, circiter, pòſt mortem Iacobi, Altades, al. Sethus, XI. Aſſyrior. rex, ann. 32. | 1656.

2300. | Ex ſex pòſt annis. Sparta, ſive Lacedæmon, condita putatur à Sparto Phoronei Filio. | 1650.

(Pauſan. Spartam à Lacedæmone, Eurotæ Filio, vult conditam: & Spartæ Vxoris nomine appellatam.) Paullo-antè Sicyonij, al. Telchines, Rhodum; & Apis, in Ægypto, Memphim condiderat.

Mamithus, apud Aſſyrios, Altadi ſuccedit, & regn. 30. ann. qui Syris & Ægyptijs formidabilis fuiſſe traditur.

2340. | Ioſephus anno principatus ſui LXXX. qui & ultimus; à morte patris LIV. & ætat. ſuæ, CX. | 1610.

Poſtquam ex Ephraimo, ad tertiam uſque ſtirpem; & ex Machire, Manaſſæ Filio, Nepotes vidiſſet, & pacatè cum ſuis vixiſſet: fratreſque iuriſiurandi religione obſtrinxiſſet, ut in Terram, maioribus ſuis à Deo promiſſam, & cuius hereditatem ipſi quandoque eſſent adituri; oſſa eius ſecum ex Ægypto olim aſportarent, & decenter ibidem contumularent; de vitâ exceſſit. (Regibus, Aſſyrior. Mamitho 12. Sicyoniorum Plemnæo, 11. Argivorum, Argo. B. Auguſt.) Eius cadaver aromatis patrijs conditum, & in urnâ ferali collocatum eſt.

Deliria hîc delirant Hebræi, qui tradiderint, in Arcâ æneâ conditum, & in Nili profluentem eſſe proiectum, interque Ægyptiorum Deos relatum. Et, ut Græcis quibuſdam placuit, ab Ægyptijs conſecratum, Ser-apidis, principis boum, nomine: & immani ſimulacro, ac fano, in quo bos, Apis, alebatur, Agriculturæ ſymbolum.

(Quod ſimulacrū ſub Theodoſio Imper. tandem everſū, tradit Suidas.) Ægyptus ab eo edocta, & ad humanitatem informata, cæpit bonas diſciplinas excolere. (Adludit Pſalm. 104.) Immò & nonnulli volunt, hunc illum Teuth, Mercurium, fuiſſe: qui Thebis profectus ad Thetmoſim, regem totius Aegypti potentiſſimum (à quo paſtores, Hicſi, ex Aegypto ſint expulſi: quemque Plato, in Phædro, Thamnum, al. Hammonem, Deū vocant) arteis à ſe inventas, Arithmeticen, Geometriā &c. docuerit.

Delirant & Profani ſcriptores. Iuſtin. quidē l. 36. Poſt Damaſcum, qui urbi nomen indidit, Azelum, & mòx Adorem; déinde Abrahamum, & Iſraëlem, in Damaſcenâ regione, reges fuiſſe.

Et hunc x. filiorum proventu clarum, populū in totidem regna diviſum filijs tradidiſſe: omnneiſque, ex nomine Iudæ, qui pòſt diviſionē deceſſerat, Iudæos eſſe appellatos. Colique eius ab omnibus memoriam iuſſiſſe, cuius portio omnibus acceſſiſſet. Minimum ætate inter fratres fuiſſe Ioſephum. cuius excellens ingenium veriti fratres, clàm interceptum peregrinis mercatoribus vendiderint. Eum in Aegyptum deportatum, quum Magicas ibi arteis ſolerti ingenio percepiſſet, brevi ipſi regi percarum fuiſſe: qui &. prodigiorum ſagaciſſimus eſſet, & ſomniorum primus intelligentiam condiderit. Et quum nihil divini iuris humanique ei incognitum videretur; ſterilitatem etiam agrorum ante multos annos providerit. ciuſq; monitu rex edicto ſervari per multos annos fruges iuſſerit. tantaque eius fuiſſe experimenta, vt non ab homine, ſed à Deo reſponſa dari viderentur. Additque filium eius Moſem fuiſſe: quem præter paternæ ſcientiæ hereditatem, formæ etiam pulcritudo commendârit &c.

Putantur per idem tempus, Prometheus & Atlas egregij Aſtrologi, extitiſſe. Ex quibus ille, Iapeto, uno ex Titanibus, ortus, quòd rudeis homines ad cultum humanitatis informârit, hominem ex luto finxiſſe. Quòd in Caucaſo, Scythiæ monte, ſiderum curſus obſervarit aſſiduè, eidem Caucaſo adfixus fuiſſe. Quòd ignis è ſilice eliciendi alendique rationem monſtrarit, ignem dijs ſubripuiſſe, dictus eſt à Poëtis. Atlas verò frater, propter ſummam Aſtrologiæ ſcientiam, cœlum humeris ſuſtinuiſſe; & Atlanti, Mauritaniæ monti,

in quo

in quo regnavit, nomen fecisse. (B. Aug. lib. 18. c 8. C. D. ad Mosis ætatem revocat.)

Postquàm Esavus in Idumæâ, & monte Seiro potenter regiequ fuisset dominatus; Balacus, qui & Bale, filius Beotis, primus Idumæorum rex creatus est.

HACTENVS ex Lib. Genes. Sacræ Historiæ seriem pertexuimus. A morte Iosephi, incipit EXODVS. Quo libro, Patriarcharum, & Hebrææ gentis historia, à morte Iosephi, ad annum usque alterum ab Egressu Israelitar. ex Ægypto, perscribitur. Complectitur liber ille res gestas annor. CXLV. Nam à morte Iosephi, ad natum Mosem, anni sunt LXIV. Moses autem anno ætat. 80. populum eduxit: & anno consequente Tabernaculum erexit. quo in opere desinit.

Antè, quàm ad Servitutem Israëlitarum, quam in Ægypto servierunt; quæque Iosephi mortem (seriùs, ocyùs) est consecuta; eiusque annos deveniamus; paullò accuratior temporum antegressorum ratio nobis hîc constituenda.

Annos itaque, sive LXV. inchoatos, sive LXIV. expletos, à morte Iosephi intercessisse ad Natalem Mosis, sic contrà Genebrardum probetur.

Inter Levim, Iacobi F. & Mosem pronepotem eiusdem Levis, duæ tantum geneæ interfluxisse memorantur, Caathi & Amrami. Quæ periodi angustia, non patitur multò maiorem termino iam adsignato excessum. Genes. 46. unà cum Iacobo Caathus, eius ex Levi nepos, in Ægyptum descendisse traditur: qui vixerit CXXXIII. ann. & filium reliquerit Amramum. (Exod. 6.) Is vixit ann. CXXXVII. & genuit Mosem. Moses verò agebat annum ætat. LXXX. quum populum ex Ægypto eduxit.

Horum trium anni simul & coniunctè efficiunt, CCCL. ann. Sed ex hâc summâ deducendi anni illi, quot habebat Caathus, quum in Ægyptum venit: tum illi, quibus Amramus cum filio Mose vixerit. ne bis numerentur.

Vnde longè à vero abesse constet Genebrardum, qui à Descensu Iacobi, in Ægyptum, annos numeret. CDXXX. de quibus Exodi c 2. agi putaret. At illorum initium, ut suprà diximus, à primâ promissione, Abrahamo factâ; sive ab anno eiusdem LXXV. sumi debet: ut à Natali eius ad Natum Mosem anni tantum fluxerint CDXXV. sive ad Exodum (quæ anno ætat. Mosis LXXX. contigit) anni DV.

Annos autem tantùm CDXXV. ab Abrahamo ad Nat. Mosis, intercessisse, sic colligatur.

Ab eiusdem Abrahami ortu, usque ad I. promissionem, anni LXXV.

Ab illâ promissione, ad Legem Mosi datam, Exodo, anni, CDXXX. Gal. 4.

Hi simul efficiunt annos DV,

Ex his si subtrahas LXXX. annos, quot tum erat natus Moses, quum Lex data est; reliqui erunt illi CDXXV.

Atque hinc quoque haud difficile fuerit numerum annor. Servitutis (de quâ deinceps erit dicendum) inire. Nam ad annos illos LXV. qui post mortem Iosephi fluxisse dicti sunt, si adijcias LXXX. Mosis, ad Exodum; Mansio Israelitarum, à morte Iosephi, fuerit CXLV. annor. Hinc si subducas XXII. ann. quot Iosepho superstes fuit Levis frater, à cuius demùm morte servitus cæpisse existimatur; anni meræ servitutis restabunt, CXXIII.

Est tamen & altera Hebræorum sententia. Servitutem scilicet, quam Asperam dicunt, LXXXVII. annis dumtaxat fuisse circumscriptam. à natâ videlicet Mariâ, Mosis sorore, quæ fratrem annis VII. natu antecesserit. & è re natâ dictam Mar-Iam, ab amaritudine servitutis, quæ tunc cæperit invalescere.

Neque hîc prætermittenda mihi visa est Alexand. Polyh. in horum annorum putatione, diligentia, apud Euseb. Colligit ille à Patriarchis, in terrâ Chananæâ, ann. XV. suprà bis centum, habitatum.

Ex ijs Abrahamum XXV. Isaacum LX. Iacobum CXXX. ibi degisse.

Quumque iam tertiùm fames per omnem latè viciniam grassaretur, Iacobum, annos, quot dictum est, natum, in Ægyptum commigrâsse. anno, inquit ille, ab Ortu Adami, Ter millesimo, sexcentesimo, & vicesimoquarto.

A Diluvio, Millesimo Trecentesimo Quadragesimo. (Idque secundum 70. Interpp. non tamen sine alucinatione, in aliquot, plus minus, annis.) Iacobum ibidem morte exstinctum, quum Cētum & Quadraginta septem ætatis annos exegisset.

Levim verò, pari annorum numero, decennio minus, defunctum, quadragenarium reliquisse filium, Elath (F. Caath), alterius Abrahami (Amrami) parentem. Et huius anno XIV. Iosephum, decennio ampliùs, centennem, obijsse. Abraham verò, (Amram) ex Lochabethâ, avunculi sui filiâ, anno ætat. septimo suprà septuagesimum, Aaronem, & dein Mosem sustulisse. inter quorum Natalem triennij spatium intercesserit. Amramum CXXX. vitæ annos explevisse &c.

Ioseph. tradit reliquos Iacobi filios, Iosephi fratres, vitâ feliciter quieteque exactâ, in Ægypto esse mortuos; quorum corpora filij & Nepotes in Hebronem relata sepelierint. sic Actor. 7.

Defunctus est ipse (Iacobus) & Patres nostri, & translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulcro, quod emit Abraham pretio argenti à filijs Hemor, filij Sichem, &c. Quod de solo tamen Iosepho alij interpretantur.

SERVITUS ISRAELITARUM IN ÆGYPTO.

QUÆ ut laxè capiatur ab Excessu Iosephi, fuit CXLIV. annor. De quibus B. Augustin. lib. de C. D. 16. c. 43.

Eam tamen alij constituunt tantùm LVI. alij XX. anno, ab eiusdem Iosephi morte. Vnde non levis apud Chronographos in putando varietas exsistit.

Ioseph. Iudæus alibi per annos CD. servitute laboratum fuisse, perperàm tradit: alibi nobiscum consentit.

Lapidan. eam annor. XC. facit: Torniell. CVI.

HEBRÆI itaque, qui in Ægyptum, quâ diximus occasione, devenerant, incredibile memoratu, quam-celeriter numero aucti sint, & propagatâ subole Ægyptum compleverint.

Neque incredibile, ex Viris circiter LXX. post annos CCX. prodijsse DC. Mill. virorum, 20. annis maiorum. Si enim des, ut quis anno 30. liberos habere incipiat, & 10. liberos habeat; & liberi posteriq̀ue idem faciant: ille unus ante quàm CC. succedat annus, habebit trinepotum decies centena millia. at-nepotum C. millia; abnepotum X. millia, pronepotes mille, nepotes C. & X. filios. Hoc contrà Genebr.

Sed defuncto rege eo, qui ipsos benignè, ob merita Iosephi, foverat. (Ioseph. quùm regnum Ægypti in aliam familiam demigrásset; & tempus paullatim veterum beneficiorum memoriam oblitterásset) succedentium regum imperio, & invalescente Ægyptiæ gentis invidiâ, ita depressi sunt; ut non modò assiduis tributis, & laboribus attererentur. flumen in multas fossas deducere: aggeres, arcendæ eiusdem violentiæ, obijcere: vrbeis (Pithom & Ramessen) horreis regijs destinatas, exædificare: insanas illas Pyramidum substructiones, quæ suum inter VII. Mundi miracula locum emeruérunt; (sed quæ posterioris ævi fuisse videntur) sub duris operum magistris & exactoribus, fabricare; verumetiam, quia multitudo peregrinorum iam abundans metuebatur; ne quandoque armis libertatem vindicarent, & cum hostibus regni societatem coïrent; parvulos recens natos, vel interficere, vel aquis demergere, edictis regijs adigerentur. Nec dissimulari, per indigenas obstetrices, cruentum regis imperium liceret.

Addit & aliam metûs, odijq̀ue caussam, Ioseph. cur Hebræorum genus magis magisq̀ue exstinctum cuperent.

Quemdam scilicet, ex Patriæ religionis Scribis, prænuntiásse regi, nasciturum per id tempus, apud Israëlitas, qui res Ægyptiorum olim graviter adfligat; & peregrinos Hebræos in libertatem adserat, mirificéque provehat. Sed, opprimente licet rege, Hebræos ærumnis vegetiores fecundioresq̀ue fieri diceres.

2340. | Annus Ætatis Tertiæ CCCLXI. vel CCCLXII. iniens, qui primus est à morte Iosephi; primus etiam statuatur nobis Hebraicæ servitutis. | 1610.

Licet non statim, uti dictum est, à morte Iosephi servire illi cæperint, aut atrociùs opprimi.

2344. | Anno à Servitute, sive à morte Iosephi, IV. Misphar-muthosis dominatur Ægyptijs, per ann. 26. & Hebræos adhuc leniter tractat. | 1606.

Antè hunc, in Dynastiâ Diospolitanâ, hosce reges constituunt —

Amasim, qui 25. — Chebronem, qui 13. — Amenophin, qui 21. — Mephrem, qui 12. an. regnárint.

2356. | An. 16. Assyriorum rex Manchalæus (al. Aschalios) XII. aut XIII. | 1594.

Cuius regni an. XXVII. à Româ, Itali, qui & Kithim sive Cethim, dictus est, filiâ, Aboriginum reginâ, opidum cognomine conditum volunt, in Italiâ, sive Latio. Et regnum illud cum Etruscis mòx coaluisse: Et paullo-post Latinos in Laurenteis invaluisse. Vid. Dion. Halic.

2362. | Anno 22. LEVIS, frater Iosephi, annos iam natus CXXXVII. vitâ defungitur. (Id alij referunt in ann. 24.) Et huic anno tribuunt initium servitutis, & Edicti de infantibus Hebræorum enicandis. | 1588.

2370. | An. 30. Teuthmosis in Ægypto regnat, 9. ann. nondum Hebræis molestior. Fortè idē cum Thetmose, qui Thāus Platoni, de quo sup. | 1580.

2379. | Anno 39. apud eosdem Amenophis secundus regnat ann. 31. | 1571.

Hunc cognomento Lapidis-loquentis donatum putant; & eumdem cum Memnone, cuius saxea effigies, vocalem sonum edens, passim celebrata.

Hic paucis post annis adversus Hebræos durior, rex novus ille esse putatur, cuius mentio, Exod. cap. 1. Qui luto, paleis, & lateribus (gravissimis in opere, quod instituerat, oneribus) eosdem opprimere cæperit.

2386. | An. 46. Sphærus (al. Iphcræus) XIV, aut XV. Assyrior. rex, an. XX. Cuius ann. 2. natum putant Deucalionem. | 1564.

Hunc Promethei F. Iapeti nepotem, dixére historicè & mythicè. Ab Iapeto oriundus; qui singulari numinis providentiâ ex Diluvio servatus. Pater Hellenis & Amphictyonis.

Anno

2395. Anno LV. annis ante natum Moysem circiter decem, incepisse putatur à Cecrope, Aegyptio, Regnum Atheniensium. 1555.

Alij referunt ad ann. à morte Iosephi 99. & Mosis nati 35. Vide infr.

Eius Cecropis an. XL. Exodus contigisse putatur.

Regnatum est Athenis per ann. 488. sub regibus 17 Cessavit autem regnum in Codro. Vid. infrà seriem, ad ann. 2470.

Ibidem verò Areopagus tum dictus, anteà Pagos, hoc est, Promontorium, sive Saxum excelsius. quòd ibidem Mars, qui Græcis Ἄρης, homicidij crimine reus, qui Alirrhothionem, Neptuni F. occidisset, ob vim filiæ suæ, Alcippæ (quam ex Agraulo, Cecropis filià, susceperat) ab eà illatam; iudicium Deorum subijt. Alij Pagon illum, Areion dictum putârunt; quòd ibi loco & tribunali perpetuo, de cædibus quæstiones instituerentur, quibus Mars præsideat. Vide reliqua inf.

2397. Anno LVII. nata est MARIA, soror Aaronis & Moysis, septennio ante Moysem ipsum. 1553.

Hunc annum Hebræi & alij quidam, statuunt primum Servitutis asperrimæ, quæ annis 87. durârit. Et ita appellatam Mar-Iam, à præsentis calamitatis amaritie; sive difficillimo Israëlitarum tempore, & statu.

2401. Anno LXI. nascitur Aaron, triennio ante Moysem, fratrem. Erat namque tempore Exodi, 83. annor. 1549.

2402. Anno LXII. Amenophis ille, de quo ad annum Servitutis 79. parvulos Hebræorum aquis fluminis, per obstetrices, extingui iubet. (Exodi 1. 1548.

Aaron extra periculum natus; non ita Moses: In contextu sacræ historiæ hysterologia esse meritò censeatur, ne reliquæ turbetur series narrationis, quæ de Mose subtexitur. Fit itaque priùs mentio, indictæ per regem submersionis, quam nati Aaronis.

Obstetrices, Dei reverentes, & tam immane facinus detestatæ, quùm regi non parérent, & officioso mendacio usæ, Hebræorum mulieres sibi esse ipsas obstetrices, ac partu solvi priùs solitas, quàm ipsæ advenirent, respondissent; tum edicto longè crudeliore rex omnibus universé suis præcepit, ut mares omneis, qui ex Hebræis nascerentur, in flumen promiscuè deijcerent; & feminas solas servarent.

MOSES NATUS.

2404. Anno Servitutis, sive à morte Iosephi, LXIV. qui erat IIX. Servitutis, ut alij putárunt, gravissimæ, sive Asperæ; 1546.

Natus est Moses, patre Amramo, matre Iochabedà (quæ Num. 26. filia Levi dicitur, in Ægypto nata. Alijs, est neptis, matri cognominis.) Hic Iacobi abnepos, ab Abrahamo septimus fuit.

Regnantibus tum apud Assyrios quidem, Sapharo, (qui & Sphærus, & Iphereus) Apud Sicyonios, Orthopoli XII. & apud Argivos, Criaso V. qui & Pirasus, sive Piratus.

Eiusdem Mosis genealogia.

- Levis, Iacobi F. Cuius sũt,
  - Gerson
    - Lobni. al. Lebni,
    - Semei.
      - Inde ortus Asaphus auctor Psalmorum. 50. & 73. & decem consequentium.
  - Caathus, cuius
    - Amramus. Et huius, ex Iochabedâ, patruele; sunt hi,
      - Aaron, qui ex Elisabetâ, filiâ Abinadab, sorore Nahasson, genuit,
        - Nadab. al. Nadam,
        - Eliu. al. Abiud,
        - Eleazarem, cuius ex unâ de filiabus Phutielis,
          - Phinees.
        - Ithamarem.
      - Moses, ex Sephorâ Raguelis F.
        - Gersamum,
        - Eliezerum.
      - Maria, Soror.
    - Isaar, al. Iesaar. cuius sunt,
      - Core,
        - Aser;
        - Elcana,
        - Abiasaph,
          - Hi in deserto vaticinati, multos de CHRISTO Psalmos condidérunt, qui 2. Psalterij lib. comprehenduntur. Et ab ijsdem orti Samuel Propheta: Heman, consiliarius Salomonis; & alij auctores Psal. 84. 85. 87. 88. Item 42. 44. & 5. consequentium.
      - Nepheg,
      - Zechri.
    - Hebron,
    - Oziel, cuius
      - Misaël,
      - Elisaphan,
      - Sethri.
      - (His ab alijs, additur, Mera. unde Ethan, auctor Psalm. 89. Sed veriùs idem videtur, cum patrŭo, Merari, qui sequitur).
  - Meraris, cuius
    - Moholi,
    - Musi.

Fallitur hîc Fregevilla, (aliàs diligens Chronographus) qui Amramum ipsius Caathi, & Caäthum Meraris, & Merarim Mosis, patrem faciat. Vid. Exod. c. 6.

Amramus iste omnių̃ maximè longævus fuisse ab Hebr. traditur, (cui tamen S. historia tantùm 137. vitæ annos, Levi avo æqualeis, attribuit, Exod. 6.) Hebr. namque vitam universè humanam septem virorum ætatibus, ab Orbis Conditi principio, ad finem usque continuandam, adseruérunt. Adami, primi hominis, vita ad Mathusalemum usque se porrexit: Mathusalemus vidit Semum, Noëi F. Semus ad Iacobum pervenit: Iacobus ad hunc usque Amramum; & hic ad Ahiam Saloniten, æqualem sive σύγχρονον Heliæ Thesbitæ, qui ad mundi exitum duraturus sit. At quo pacto Amramus, qui 13. an. ante Egressum, ex Ægypto, obijt, videre potuerit Ahiam illũ, qui, ab excessu Salomonis, Propheta inducitur, 3. Reg. 11. quis explicet? aut tantis cervicibus est, ut eius rei adseverationem sustentet?

Ios. l. 2. c. 5. narrat, Amramum (quẽ Amaramen vocat) istâ Regij Edicti, de necandis Hebræorũ infantibus, acerbitate perplexum; cui & publicè totius gentis pernicies doleret; & privatim prægnantẽ domi uxorem haberet; consilij inopiâ laborâsse: & ad implorandum Dei auxilium se convertisse. A quo per insomnium benè sperare iussus sit; & nasciturum sibi puerum didicerit, qui Hebræos quandoque servitute Aegyptiâ esset liberaturus.

Ille itaque filium recèns natum, (ann. ætatis suæ, iuxta Chron. Alex. 74. & promissionis 350.) formâ eleganti & liberali iam-tum præstãtem, (quemque, Ios. teste, mater tam facili partu erat enixa, ut observatores fefellerit) per treis menses domi clàm enutriendũ curavit. Quùmq́, non sine periculo diutiùs cęlari posset; fiscellę papyrię, sive sirpeę, bitumine & pice illitę, impositũ, flumini & Divinę providentiæ cõmisit. Fortè autem accidit, ut filia regis, Pharao-

Pharaonis (Hæc Iosſ. Thermuthis. Chron. Alexan. Merrhis, sive Merrhina; Palmanothis, Heliopoleos reguli, filia; quam pater Chenebroni, Mempheos regi, elocârit. Contrà Artapano, apud Euseb. Meris est; Chenephris, Ægyptiorum regis, filia)

Ea, inquam, cum æqualibus & pedisequis, ad ripas fluminis ludibunda & corpus lotura, in fiscellam, proximè fluitantē, incideret. Quę infantulum conspicata, ac vagientem miserata, quamvis ex Hebræorum pueris unum esse non temerè (ex præputio fortè, notâ generis tum peculiari) conijceret, confestim ex undis tolli. & dum puer alienigenarum mulierum papillas aversaretur, Mariâ (quæ Iosſ. Mariame) pueri sorore, quæ ex-adversum ripæ stans, rei eventum observârat, suggerente, Hebręam nutricem adduci iussit. Ea autem, & pueri, & puellæ, tam de fratre solicitæ, communis erat mater, cæteris ignara.

Eademque puerum suæ fidei, propositâ etiam mercede, à reginâ traditū. & quâ par æstimari est, curâ educavit, & grandiusculum redhibuit.

Regina verò (sive ea Tharmuthis, sive Meris,) illum, licet Hebræis parentibus prognatum, filium sibi instituisse; & Moysis nomine, quod ex aquâ sublatus esset, donâsse traditur. (Iosſ. ex eo casu, quòd in profluentem proiectus fuisset, nomen compositâ voce esse sortitum. quòd Aqua Ægyptijs, Mo, vocetur: yses verò, ex eâdem servati sive extracti. (nescio, quàm acutè.) Eman. Sà, vult Ægyptio nomine appellatum Monios: quod ab Hebręis accommodatè reddatur Moses. Eugub. à Masha. i. Extraxit, nomen deducit. Artapan. Hunc, inquit, Iudæi Mosen, Græci Musæum appellârunt, Orphei præceptorem, scilicet!) Illum autem tam eximiâ, post tertium ætatis annum, indole & venustatis gratiâ, præluxisse feruntur Thermuthis, quæ alioquin & germanis liberis careret, & sterilis esset, successorem & regiæ dignitatis heredem sibi destinârit, & patri commendârit.

Quùmque pater, ceu rarum filiæ beneficium daturus, diadema suum puelli capiti comiter imponeret; ille etiam idem, ceu puerili quâdam protervià, de capite suo detractum, & humi prolapsum, pedibus conculcaverit. Hæc Iosep.

Quod quidem factum, quantumvis toti regno ominosum plerisque visum esset; & Vates puerum ad necem mature deposcerent: qui ut Ægyptijs perniciem, ita novam quamdam Hebræis futuræ felicitatis & libertatis spem portenderet; Thermuthidis tamē curâ, & patris regis benivolentiâ, quàm accuratissimè & tutissimè educari, in omnem sapientiam institui, litterisque Ægyptijs excoli, porrò perstitit.

Sub idem pænè tempus, Mamelus (al. Mamylas, aut Mamylus) XV. apud Assyr. regn. an. 30.

2410 | Et sexennio pòst, Orus magnus, apud Ægyptios, annis XXXVIII, qui à pueris Hebræorum demergendis abstinuisse proditur. | 1540.

Alius hic ab Oro, Osiridis F. (quem Græci Apollinem nominârunt) quemque extincto Tiphone, postremum ex Deis in Ægypto regnâsse volunt.

2415. | Anno à morte Iosephi LXXV. aut circiter, inchoari putantur anni CCC. de quibus Iepthes meminit, Iudic. 11. Vide infr. | 1535.

2436. | Anno XCVI. Sparetus, al. Spartheus. XVI. Assyrior. rex, 40. annis, Syros & Phœnicas subegisse traditus. | 1514.

Iosep. Mosem iam adultum, & in regiâ eatenus educatum, admirandæ virtutis suæ specimina edidisse; & quantum vel Hebræorum, vel Ægyptiorum rebus momentum adlaturus esset, prætulisse, tradit. Ægyptios nimirum, longo & difficili adversus vicinos Æthiopas bello penitùs exhaustos, ex oraculi fide, ducis Hebræi auxilium advocasse. & regem vicissim à Filiâ, ut Moyses universis copijs cum imperio præsit, postulâsse. Illum communi utriusque rogatu negotium non illubenter suscepisse diverso & suæ Hebræorum, & Ægyptiorum gentis adplausu atque omine. His insidiarum occasionem sibi oblatam reputantibus; illis ex longinquâ servitute evadendi facultatem, eodem duce, sibi olim adfore, præsagientibus.

Quùm itaque ille iam procinctus, & in belli curam incumbens: atque adeò iter sibi, vel secundùm adversi fluminis ripas, vel per interiora incultæ regionis loca, faciendum, haud ignarus; hostem potiùs novâ arte eludendum, & de subito, nec sine certâ victoriæ spe, opprimendum existimasset: per ingenteis solitudines, omnique serpentum genere infestas, contendit. hoc uno strategemate, sive commento, adversus perniciosam venenatam naturam, usus.

Vasa, è papiro plexa, Ibidibus, alite mansuetâ, sed serpentibus inimicissimâ, quos solo halitu, cervorum in morem, ad se pertrahere & devorare adsolent, compleverat.

Exercitu itaque in loca tam infesta progresso, irritatis bestijs Ibides, quas dixi, immisit, & iter impunè peregit. & simul Æthiopas, in quos de-improviso invaserat, prœlio fudit, castrisque exuit. Quos multis etiam opidis solo æquatis, procul ab Aegypto submovere non contentus; ad postremum in Sabam, eius gentis regiam (quam Cambyses Persarū posteà rex, de sororis suæ nomine, Meroen appellasse dicitur) cōpulsos, obsidione offendit. Hic quùm contra summas loci, qui tribus fluminibus, muris & aggeribus, cinctus, pro inexpugnabili haberetur; capiendi difficultates, consilio satis providere non posset; & exercitum ibi diutiùs otiosum desidére molestè ferret: accidit, ut Tharbis, Aethiopū regis filia, ducis Hebræi, cuius facta & virtutes è mœnibus prospexerat, & fuerat admirata; amore caperetur: & per fidos homines, coniugium ei sua ultrò offerret.

(Minois scilicet & Scyllæ, ad Nisæâ, congressus)

Cui quùm ille eâ conditione adsensus esset, ut ipsa priùs urbem sibi traderet; deinde expetitis nuptijs potiretur; deditio quidem facta est; cæterùm in

rum in c..is sævitum, & præda militibus divisa. Quâ re gestâ iam clarior Moyses, exercitum victore ... decennali expeditione domum reduxit. neque tamen Aegyptiorum invidiam evitavit.

Artapan. apud Euseb.l. 9. Pr. Eu. Hunc Moysem belli instrumēta reppetisse, & litteras à se inventas sacerdotibus illic tradidisse, tes. rt. Aegyptiorum civitatem in sedecim parteis, sive Nomos, distribuisse; singulisque præfectos dedisse, quò populus regi parentior esset.

(Eadem penè alij, & quidem probabilius, tradunt de Iosepho, quem Mosi patrem dedére) Hinc quasi Deum ab Aegyptijs cultum; & Mercurium, à litterarum invento, esse dictum.

Vnd Chenephres, invidiâ commotus, eius intercidii caussam captâsit, & adversus Aethiopas, Aegypto imminenteis, eum cum imperio miserit; exercitu ex Iudæis potissimùm conscripto; ut præ militū imperitiâ, insidijs aut exitio magis obnoxius esset.

Bellum hoc decennio gestum. (sic & Chron. Alex.) eoque loco, quo consederant, urbem à Iudæis conditâ, quæ Hermopolis, (quasi Mecurij civitas) & deinde Memphis ut dicta. ubi Ibis primò consecrata fuerit, ob Serpentiū stragem. Atque Aethiopas, ob eximiæ in Moyse virtutis admirationem, circū cidendi ritum ab eo didicisse. Eumdem è bello victorem, præter alias insidias, sibi à rege intentatas, ad matris Meridis, quę in Aethiopiæ finibus, in urbe cognomine, Meroë, fuerat sepulta, Tumulum, proficisci iussum. sed inde in Arabiam profugisse.

2440. | Anno ferè 36. post natum Mosem, natus putatur Iosua. qui tempore Exodi, 44. fuerit annorum, & vixerit 110. | 1510.

2444. | Anno XL. ætatis eiusdem (qui est CIV. à morte Iosephi; & XLVIII. asperæ Servitutis: & XL. ante Exodum) | 1506.

Moses palàm negat se esse filium filię Pharaonis. & incōmodis, quibus tribules Hebræi pro tempore adfligebantur, temporarij etiam regni & honoris commoda postponit. Act. 7. & ad Hebr. 11.

Hinc ad visendos fratres, & ad præsentem eorum statum, animo conversus, quum Hebræum quemdam ab Aegyptio indigniùs pulsari conspicatus, iusto dolore permoveretur, & fratrem ab iniuriâ vindicare contenderet, Aegyptium (Chron. Alexan. Chanetothem nominat) fortè sibi obnitentem) percussum (al. calce, al. terrificâ voce) interemit; & clàm arbitris, ac circumspectè, sabulo obruit.

Et quùm postridie tribules etiam sui, inter certandum, in ipsum, pacificatorem, insurgerent; & cædem Aegyptij, pridie adversarij patratam ei exprobrarent: neque Iudicem, licet benivolentem, & æquissimum, pati velle viderentur. ille, metu supplicij, quòd rex etiam de cæde certior factus in fugitivum & domus suæ desertorem, intentabat; ad terram Madianitidem profugit.

(Ios. ait, Aegyptios victores, odium pro gratiâ, Moysi, duci suo, reposuisse; & insidias acriore studio machinatos, apud regem de cæde eum postulasse. eàque caussâ Moysem, subitâ per solitudinem fugâ, perniciem evitâsse; & ad urbem Madienam, in Rubri maris littore sitam, quæ ab uno liberorū Abrahami, ex Cheturâ, sic vocata esset; pervenisse.)

Hic Moyses a Raguēle (qui infr. Iethro, & Ios. Ietheglæus Alij verò putant Raguēlem patrem Iethronis fuisse: & Avum non tam de more, quàm Sacerdotij iure & auctoritate, nepteis in filiarum censu adscripsisse.) Ab-eo, inquam, regionis illius sacerdote ac principe, cuius filias septem, patrij gregis custodes, ab æmulorum & rivalium pastorum vi atque iniuriâ, in adaquando, defenderat; amicè acceptus hospitio (Ios. & in filium adoptatus) unam è filiabus eius, Sephoram, nuptijs sibi coniunxit. ex quâ filios duos, Gersamum, qui Peregrinum; & Ebezerum, qui Deum adiutorem, nomine sonat, suscepit.

Illa quoque ex Abrahamo genus traxisse memoratur:

Ex Cheturâ namque, illi Iessan (al. Iezanus) progenitus est. unde natus Adamus (al. Dadanus) Raguēlem, Iothoris & Iacobi (al. Iobabi, vel Obabi) patrem, procréarit.

2446. | Anno CVI. (a morte Iosephi) natus est Calebus, Iephonę F. quo senior fuerit Iosuès, 24. annis. | 1504.

Biennio pòst Acengeres, al. Acencris, apud Aegyptios regnat XII. ann. Cui Achoras succidaneus regn. IX. ann. Eoque defuncto, & Cenchre suffecto, Israëlitæ ad Dominum clamare cœpérunt. de quo infr.

Regem illum, quicumque is sit, qui multo pòst tempore mortuus esse dicitur, Exod. 2. (& cap. 3. *Mortui sunt omnes, qui quærebant animam tuam*, &c.) Artapan. apud Euseb. memorat, non modò indignis modis Hebræos adflixisse; sed vestitu etiam, uti profanos, ab Aegyptijs dispretuisse, ipsumque elephantiæ morbo consumptum esse.

2470. | Anno CXXX. à morte Iosephi (qui erat ætat. Moysis LXVI. al. LXVII. al. LXIV. & Cecropis, apud Athenienses regnantis, XXXI. | 1480.

Contigit Diluvium in Thessaliâ, sub Deucalione rege. qui unà cum Locris & Aetolis, Pelasgos, vetustissimam Græciæ Aeolicę gentem (quæ ab Elisâ filio Iavan, orta, Thessaliam incolebat) expulerat: & partim in Epirum, partim in Italiam, fugere compulerat.

Id tamen alij Cecropis, alij Cranai, alij Amphictyonis temporibus adsignant.

Deucalion ille, planis Thessaliæ eluvione maris & fluminum obrutis. mortaleis complureis in Parnassi iugis, ubi locis Phthiæ propinquis imperitabat, conservavit: eosque Pyrrhæ coniugis operâ, ab agresti duriâque vitâ ad humanum civilitatis cultum traduxit. Vnde fabulis locus, quæ ei haud dissimilem cum Noëo eventum adfingunt; & humani

mani generis reparationem.

Anno autem consequente, gravissimus evénit æstus quo omnia pęné tosta fuisse produntur: quod Phaëthontis Incendium vocârunt. quia ad Eridanum fluvium, in Italia, Phaethonte rege, ille æstus exarserat. Alij id in Aethiopiâ contigisse volunt.

Tunc quoque Oenotrus, Lycaonis filius, quasi [illegible] ex illo incendio relaturus, colonis ex Arcadia deductis, & Vmbris indigenis repulsis, Ausoniam Occiduam, ad mare Inferum, Italiæ portionem, frequentâsse, & de se Oenotriam dixisse, proditur.

Hi Aborigines primùm, ab incertâ origine; deinde ab Italu rege Itali appellati, alterum regioni nomen fecêre.

Troia verò, in Asiâ, condita esse putatur xv. annis ante egressum ex Aegypto; sive Lxv. anno ætat. Moysis. Vbi primus rex Dardanus, annis 64. Et ab eo cæptum Troianorum regnum, sub vi. regibus durârit ann. 301. Vid. ann. O.C. 2776.

HOC LOCO REGNVM ATHENIENSIVM, EIVSQVE INITIA ET PROGRESSVS; REGES, RESQVE GESTAS, SVB VNVM CONSPECTVM DARE, VISVM EST.

ATHENIENSES, soli pæné inter cæteros Gręcos, non modò nobilibus incrementis, (qui non, ut aliæ urbeis, à sordidis initijs ad summa crevére) sed originis etiam antiquitate, semper gloriati sunt. quippe non advenæ, sed eodem innati solo, quod incolerent. Primi, lanificij, olei & vini usum docuére. Arare quoque, & serere frumenta, mortalibus, glande tum vel [illegible]tibus, monstrarunt. Litteræ & artes & omnis civilis ordo disciplinæ, veluti Templum Athenis habuére.

Paulus, Actæum (al. Actæonem) primum in Atticâ regnâsse tradit, qui Erisichthonem F. immaturè amiserit: cuique propterea CECROPS, gener, successerit. homo Ægyptius: quem διφυῆ .i. biformem, (seu duplicis naturæ fuisse dicunt; supra virum, infra feram al. serpentem) quòd ex agrestibus & feris, legum cultu humanos fecerit. Sive, infrà feminæ formam prętulisse: quòd coniugijs in Atticâ institutis, auctor fuerit patris & matris: quùm anteà promiscuis connubij, nemo certos paréteis agnosceret.

Hic, Atticam regionem, quæ prius Acte, de suo nomine Cecropiam dixit: & (teste Strab. lib. 9.) omnem incolarum multitudinem in xii. civitates coegit. Quarum, vel posteà sic dictæ Cecropia, T[illegible], Epacria Decelea, Eleusis, Aphydna, Dor[illegible], Brabron (al. Brauron) Cytherus, Sphetus, Cy[illegible]a, Phalerus.

Quas posteà omneis unam in urbem Theseus coegerit: quæ Athenæ hoc nomen adeptę, ab olivæ arbore, repentè [illegible] enatâ. quâ Minervam, Athenam designari, Delphicum oraculum portéderat: & ex mulierum suffragijs, contra Neptunum evicerat.

Af[illegible] auctor est, Ogygem primum in Atticâ regnâsse: eamque terram incultam ac desertam per annos [illegible] à Diluvio mansisse, ad Cecropem. Actæum & cæteros, qui Cecropi antecessisse feruntur, [illegible].

At Paulin. addit, Cecropem, ex Agraulô, Actæi filia, [illegible] Hersam. Aglauron alteram, & P[illegible] & [illegible], Erisichthonem, qui patre superstite [illegible].

Ex Ag[illegible] & Marte nata, Alcippe; Dædali, ex [illegible] mat[illegible]. (Plut. matrem eius vult, Meropen, E[illegible].)

Ex [illegible] & Mercurio, Cephalus, Tithoni, ex Au[illegible] Phaëthontis avus, Astinoi proavus, San[illegible] ab[illegible]us, Cinyræ atavus, Adonidis & Myrrhæ [illegible]avus.

[illegible] nidem ex Cinyrâ ipso, & Myrrhe filiâ, [illegible] volunt.

[illegible] post L. regni annum, ex humanis excmto & in Acropoli (teste Clemente) sepulto; CRANAVS indigena, & inter civeis potens, successit. Sub eo demùm Deucalionis Diluviû contigisse putatur.

Hic ex Pediade, Menetis Lacedemonij F. præter Cranaën & Cranæchmen, Atthidem sustulit. à quâ, ante nuptias defunctâ, pater regioni nomen, Atthidem, sive Atticam fecit.

Huic post novennium, per seditionem expulso,

AMPHICTYON, (quem alij Deucalionis, alij alterius indigenæ filium faciunt) licet filiam eius uxorem haberet, regnum abrogavit. Ab hoc Græcorum Concilium institutum: & ab eodem, qui illic, in Phocide & Delphis, aut alibi convenirent, Amphictyones cognominati.

Strabo l. 9. in Delphis, totius Græciæ meditullio, intra & extra Isthmum, atque adeò terrę umbilico, collegium hoc vult constitutum: quod & de publicis consultaret rebus; & communem Templi ditissimi sustineret procurationem.

Acrisius tamen primus memoratur, ab alijs, Amphictyonû ordiné instituisse; & urbeis, quibus eo in consessu locus esset, definijsse, & iudicia ordinâsse.

AMPHICTYON (quem Iustin. primum Minervæ urbé sacrâsse, & nomen ei Athenas dedisse tradit. sub quo, quùm aquarum illuvies maiorem populorum Græciæ partem absumsisset, permulti tum ad Deucalionem, Thessaliæ regem, ratibus evecti & servati sint: à quo propterea Genus hominum conditum aut reparatum feratur)

Ab ERICHTHONIO, eiusque factione, itidem pulsus est. quem Hephæsti sive Vulcani, ex Cranaë Cranai, (al. Athene sive Pallade) filium putârunt. Fabulantur scilicet, Deum Vulcanum præ libidine inire conantem, in virginis, Minervę, reluctantis femur semen effudisse: quod illa lanâ detersum, in terram deiecerit & operuerit. atque inde homini nato nomen Erichthonij impositum (ex ἔριδος (vel ἐρίου, luna) καὶ χθονός.

Hunc illa dum immortalem facere studet, clam alijs Dijs eduxavit, & cistæ inclusum Pandroso Cecropis F. commendavit, retegique vetuit. At Pandrosi Sórores, Aglauros & Herse, cistâ curiosiùs apertâ, draconem puero incubantem inspectarunt: & ab irata Pallade in furorem datæ, de summâ sese arce præcipites eiecerunt. Alij à dracone ipso interemtas dixere. Home. Il. 2. hunc Erechtheum vocat.

Δῆμον Ἐρεχθῆος μεγαλήτορος, ὅν ποτ' Ἀθήνη
Θρέψε Διὸς θυγάτηρ, τέκε δὲ ζείδωρος ἄρουρα.

Inde dicti Terrigenæ Athenienses & Erechthidę.

Illum verò anguineis fuisse pedibus memoriæ proditum est: ideoque currus invenisse, quo corporis deformitatem celaret. Virgil.

Primus Erichthonius currus, & quatuor ausus
Iungere equos, rapidisq; rotis insistere victor.

Hic interea in Templo à Minervâ ipsa enutritus; & regno deinceps per annos L. potitus, signum eiusdem altricis suæ in Arce erexit; & Panathenæorum celebritatem instituit. Et ex Pasitheâ, Naide nymphâ, PANDIONEM sustulit.

Huius extremis annis, Iesus Navæ F. mortuus reperitur. (B. Aug.)

PANDION, patre vitâ functo, & in primâ Palladis Æde sepulto, regnum per quadraginta annos adeptus est. Quo regnante, Ceres & Dionysius in Atticam venisse traduntur. Ex quibus illa à Celeo in Eleusine, honorificè accepta, Triptolemum eius filium, frugum serendarum rationem edocuerit. Cuius muneris honorem, noctes Initiorum (sacrorum Eleusiniorum) sacratæ.

Hic Icario ibidem hospiti, Erigones patri, vitis palmitem muneri dederit, & ex eo vini faciendi artem monstrârit.

PANDION ex Zeuxippe, matris suæ sorore, filias, Procnen & Philomelen; & geminos, Erechtheum, Butenque suscepit.

Conflato, de Terræ finibus, adversus Labdacum, Thebanum, bello, ipse Tereum, Martis & Bistonidis F. è Thraciâ, Daulide, (quæ est supra Chæroneam) in belli societatem advocavit. eoque præclarè gesto, auxiliari regi Procnen filiam nuptum dedit. Vide cætera, de Ity & Philomele, apud Ovid. Metamorph. VI.

Pausanias Tereum sibi Megaris manus ipsum attulisse, ibique Epopem avem primùm apparuisse. Mulieres, ob iniuriam, & exercitam in Ity vindictam, lacrymando contabuisse. Hinc fabulæ de ijs in Lusciniam Hirundinemque commutatis; quòd aves illæ lacrymabilem cantum edant.

Vbi PANDION fato concessit, filij, patris bonis inter se distributis,

ERECHTHEVS quidem regnum accepit, & L annos administravit; Butes verò Minervæ Neptunique sacerdotio honestatus est. Sic & Iustin. per ordinem successionis regnum ad Erechtheum ait pervenisse. Sed Pausan. Attic. Pandionem, quamvis amplificandæ potentiæ caussâ adfinitatem cum Thrace coiisset; nullos mareis, tantæ fœditatis (in Philomelen, alteram filiam à barbaro rege exercitæ) ultores reliquisse.

Et Diod. Sic. lib. I. Hunc Erichtheum, genere Ægyptium, Atheniensibus imperâsse. qui, quùm ex maximâ siccitate, ingens frugum hominumque perniciès esset consecuta; ex Ægypto, uberi regione, ob cognationem frumentum eò adportârit; & mysteria Cereris Eleusinæ ab Ægyptijs translata docuerit. Et in Arce, Erechthéi qui fertur fuisse Terrigena, Templum fuisse, in eoque Oleam, & Mare Neptuno & Minervæ, in testimonium initi de regione, eiusque nomenclaturâ, certaminis posita.

Herod. lib. 8. (nisi forte de Erichthonio IV. loquatur) Sub hoc tamen, inquit, rege, qui anteà Cecropidæ & Cranai, mutato nomine Athenienses & Erechthidæ sunt appellati.

Idem Erechtheus ex Praxitheâ, Phrasimi & Diogeneæ Cephisso natæ, filiâ, Cecropem alterum; Arnéum (al. Orneum) Petei patrem, Menesthei avum; Pandorum, & Metionem:

Filias verò Procrin, Creüsam, Chthoniam, & Orithyiam, procreavit.

Ex quibus primam Cephalus, Deionis F. Æoli nep. Hellenis pronepos, coniugem adscivit.

Creüsa, Xutho, Hellenis filio, cui Peloponnesus cessit, Dori & Æoli fratri, coniuncta, Achæum & Ionem genuit: unde Achivi & Iones nuncupati.

Chthoniam Butes in coniugio habuit.

Boreas Thrax, Orithyiam rapuisse traditur, unde Zetes & Calais editi.

Pandorus frater, Eubœam incolendam accepit, cuius filij, Alcon & Dius: hic Dij; ille Abantis conditor, & pater Chalcodontis, cuius est Elephenor.

Conflato inter Eleusinios & Athenienses bello, Erechtheus Dei oraculum de victoriæ eventu sciscitatus, ut rem feliciùs gereret, ex responso, filiarum minimam immolavit. sed reliquæ, factâ mutuæ omnium cædis conspiratione, se ipsæ iugulârunt.

Hoc bello Xanthus (qui alijs Asterius. sed hæc alij melius, Ioni Xuthi filio attribuunt) Cretæ rex, Atheniensibus celeriter auxilium tulisse, & ductâ Creüsâ gener ab Erechtheo adscitus esse dicitur. Et hinc ius regni Atheniensis, quod Androgeos, Minois filius, Xanthi nep. ab Ægéo, Thesei patre, posteà repetivit.

Erechtheus, post Immaradum, Eumolpi, (qui Neptuno, & Chione, Boreæ & Orithyiæ filiâ, genitus fuisse proditur) filium, qui magno cum exercitu è Thraciâ Eleusinijs suppetias advenerat, in acie obtruncatum, (alij, & Eumolpum ipsum cæsum volunt) ipse quoque in pugnâ cecidit.

Et bellum hisce conditionibus compositum; ut Eleusinij cætera Atheniensibus obtemperarent; Initia verò Cereris seorsim administrarent: Deæ autem, utrique, Eumolpus & Celei filiæ, sacra peragerent.

Eumolpidarum hoc stemma. 1. Eumolpus Thrax. 2. Ceyx. 3. Eumolpus II. 4. Antiphemus. 5. Musæus Poëta. 6. Eumolpus III. qui mysteriorum Cereris Eleusiniæ inventor. Eorum posteri, sacrorum illorum Hierophantæ.

Erechthei domo, ita, ex Neptuni simultate, adflictâ & dissolutâ,

CECROPS alter, filiorum maximus (alijs, frater est) regnum capessivit, & per XL. annos tenuit.

Pausan. Xuthum, captum de successione arbitrum, Cecropi regnum adiudicâsse tradit; & hoc nomine à reliquis fratribus è regione eiectum.

Ille ex Metiadusâ Eupalami (qui Metionis & Alcippæ filius) filiâ, alterum PANDIONEM sustulit.

Is unà cum patre, Cecrope, regnans, à Metionis liberis per seditionem eiectus; & Megara, ad Pylam regem, profectus, filiam eius Peliam uxorem accepit: eidemque socer, ob Bianti patrui cædem, exsul, regnum tradidit: & ipse gente suâ in Peloponnesum traductâ, Pylum urbem condidit.

Intereà Pandioni Megaris regnanti (universè XXV. annis regnâsse traditur) nati sunt filij, Ægeus, Pallas, Nisus & Lycus. (Pausan. Oeneum etiam Pandionis filium Nothum agnoscit.) & nonnulli Ægeum ipsum Scyrij filium esse dixerunt, quem

Pandion

[illegible]ion (hi [illegible] fecerit.) Idem apud [illegible]t. Pallantidæ [illegible] ârunt. Adoptatum ab [illegible] di[illegible]ne Ægeum, neque ullâ attigisse Erechthi[illegible] natione.

E[illegible] Pandionem quidem ex morbo ibi obijsse tra[illegible]d[illegible]t; [illegible] tumulus, ad mare, in Megarensium agro, sit ex[illegible] quem Fulicæ-scopulum appellârint.

P[illegible] ius vero [illegible] bitum, filij Megaris ab exsilio rev[illegible] ad[illegible] Athenas exercitu, Metionidas [illegible] & regno in IV. partes distributo, summa Imperij Atheniensis penes

ÆGEVS, natu maximum, fuit per XLIX. annos.

NISVS frater, Megaris, & vicinæ ad Corinthum usque regioni; LYCVS, Euboeç & PALLAS Thelmilæ plagæque Austrinæ, imperitârunt.

[illegible] quum Sciron (quem Pandionis filiam ha[illegible]bu[illegible]erunt) Pylę filius, Lelegis nep. Clesonis p[illegible]p. Lelegis, qui ex Ægypto profectus Megar[illegible] regnavit, abnep. cum Niso, de regno pate[illegible], contenderet; Æacus arbiter lectus, belli præfecturam ei adiudicavit.

ÆGEVS, licet priùs Metan, Ophletis; deinde Chal[illegible]pen R[illegible]enoris, filias, sibi coniugio iunxisset; quùm [illegible] se [illegible]role augeri videret; fratrum, qui eius o[illegible] insidiarentur, metu, Pythiam de liberorum progenie consuluit.

Cuius obscurum, de pede, qui ex utre prominet [illegible] in[illegible] non antè quàm in patriam ipse [illegible]t, exsoluendo, oraculum, quùm Pittheus, P[illegible] F. Troezeniorum rex, à quo ille hospitio acceptus erat, sapienter intellexisset; Ægéo, vino [illegible] madenti Æthram filiam comprimendam [illegible]. Quam eâdem nocte cum Neptuno con[illegible]e perhibent aut saltim rumorem Pitthea [illegible], eum, qui apud se educabatur, ex Neptun[illegible] prognatum.

[illegible]um iam adultum, & præclarâ indole præstan[illegible], Æthra ma[illegible] paterna ortûs sui & ingen[illegible] (γνωρίσματα dicunt) Ensem & Cal[illegible] ingenti olim saxo deposita, tollere iussit & A[illegible]as ad patrem navigare. Sed ille Her[illegible]cu[illegible] brini. [illegible]ius eâ tempestate fama erat ce[illegible], virtutum laborumque æmulus; quòd iter è P[illegible]so, Athenas terrâ commeantibus, fre[illegible]q[illegible]nio infestum esse cognovisset; ad pe[illegible]st[illegible]ius[illegible]di scelerum è viciniâ exterminandam se c[illegible]t. Et Peripheten in primis, Corynetam [illegible] a[illegible] tentem, in Epidauri finibus: Sin[illegible] P[illegible] campten; qui in Isthmo dispes[illegible] viatores enicabat: Phæam in C[illegible]ve suem feram, sive atrocem & lasciva[illegible]: Scironem, in Megaris, qui calcibus pe[illegible] in [illegible] scopulo deturbabat: Cercyonem A[illegible], sæuissimum in Eleusine luctatorem [illegible], cognomento Procrusten, ad C[illegible]d [illegible]ospites violenter in lectis excruc[illegible]et [illegible] medio sustulit. [illegible] ipse Palæstricæ [illegible], partibus singulos ita victos supp[illegible].

[illegible], & itinere à maleficijs pacato, A[illegible]ctus cum publicè civitatem seditio[illegible]n; tum patris Aegéi domum priua[illegible] Me[illegible]ę, quæ Corintho illuc profugerat, [illegible]nio ægram adflictamque offendit.

Ipse pariter ex nuperis factis celebritate commendatus, ab Aegéo ignaro, & suspicaci; quem Medéa, omnia de Theseo præsentiens, quò vellet, impellebat; ad convivium, tamquam hospes, sed uxoris consestim medicamentis tollendus, invitatur. At postquam ille gladium, ceu carneis adpositas eo dissecturus, distrinxisset, eique ostentâsset; pater calice, quem iam-tum ut hosti porrigebat, humi proiecto, filium agnitum amplexus est: & advocatâ populi concione, heredem salutavit.

Hinc per divortium decedens Medéa, in Colchos, cum Medo filio, quem ex Aegeo susceperat, concessit.

Pallantidæ verò, qui L. numero Pallâtis fratris filij censebantur; quique regnum avitum, in tam longinquâ Aegei patris orbitate, iam spe & animis præceperant: & iniquè ferebant, Theseum advenam iterum regno destinari, bellum commovérunt.

Sed Theseus, patefactis eorum consilijs, insidiatores (quorum partim in Sphettiâ, partim in Gargettio delitebant) de-repentè adortus, oppressit & dissipavit.

Taurum etiam quemdam, Deorum irâ immissum, qui ex Cretâ in Peloponnesum, & inde per Argivorum agrum, in Atticam penet. â[illegible]at, & Marathonem Tetrapolimque fœdè vastabat; & in ceteris, Androgeum, Minois F. in Panathenæorum certamine, tunc apud Athenienses celebri, victorem, paullo-antè confecerat; vivum cepit & civibus exhibuit.

Sunt qui Androgeum Athenas ad Laij (Thebani) certamen euntem, ab Athletis, ob invidiam, dulo necatum esse, tradiderunt.

Diod. verò Sic. veriùs Aegeum, ob nimiam eius cum Pallantidis consuetudinem, quòd suspicaretur, ne quando ab ijs, Minois ope, regno pelleretur; insidijs paratis, Thebas ad spectacula proficiscentem, eum, per regionis Atticæ incolas, interficiendum curâsse.

Cæde autem filij perturbatus Minos, Athenas venit, & supplicium ab interfectoribus exposcit, atque adeò contemtus, Aegeo & Atheniensibus bellum indixit.

Is tum Cretæ rex, classe, & rei maritimæ imperio præpollebat. Cuius originem Diod. l. 4. sic exponit.

Tectamus, Dori filius Hellenis nepos, Deucalionis pronepos, cum Aeolis & Pelasgis, in Cretam adpulsus, Insulæ imperâsse proditur. Ille ex Creti sâ Asterium procreavit. Qui prole carês, Europam, quam ex Phoeniciâ raptam Iuppiter in Cretam deportârat, duxit: & treis ex eâ Iovis filios, Minoem, Rhadamanthum, Sarpedonem adoptavit, & regni successores reliquit.

Minos, ex Itone, Lyctij filiâ, Lycastum genuit. Hic ex Idâ, Corybanti filiâ, Minoem alterum suscepit; quem nonnulli illum Iovis filiû fuisse tradunt.

Iste imperio maris potitus, ex Pasiphaë, Solis Cretæque (al. Perseidis) filiâ, sustulit Deucalionem, Creteum, Glaucum, & Androgeum: Ariadnen & Phædram. Deucalione nati, Idomeneus & Molus, &c. quorum Homer. meminit.

Cretes itaque classe in ditionem hosticam inve-

cti, quùm alia Megarensium oppida primo statim impetu cepisset; Nisum, Aegei fratrem, qui Nisæam confugerat, obsidione offenderunt. & Megareum, Hippomenis (al. Neptuni) fil. ex Onchesto, cum Bœotis suppetias Niso socero venientem, in acie interemeruut.

Nisum autem memorant crineis habuisse in capite purpureos; quibus attonsis moriturum eum oraculo fuerat præsignificatum. Ibi Scyllam, Nisi filiam, Minois hostis amore captam, patri crineis, quibus invictus esse ferebatur, è medio capitis vertice præcidisse. quo facto statim ille interierit: atque ita Minoem Megaris potitum; & Virginem vinctam pedibus è puppe in mare deiectam submersisse, cuius cadaver aves marinæ dilacerârint.

At quùm id bellum diuturnius sibi fore, neque Athenas facilè capi posse videret; Minos Iovem, ut ab Atheniensibus commissi criminis pœnas expeteret, obsecravit.

Hinc quùm pestis & fames simul, aliæque clades, Atticæ incubuissent: neque malum, Hyacinthi, qui Lacedæmone Athenas commigrarat, filiabus ex veteri oraculo, ad Cyclopis tumulum, Geræsti, immolatis, remitteret; Iussi sunt à Numine Athenienses cum Minoe ultrò in gratiam redire; & quas ipse proponeret, pœnas dependere. Illi autem missis Legatis, & pace inter se conciliatâ, grave & luctuosum stipendium inponi sibi passi sunt.

[Vt impuberes Nobilium liberi, utroque sexu septeni, in Cretam, ad Labyrinthum, sorte delati, & à Minotauro devorandi, asportarentur.]

Philochorus apud Plut. tradit Labyrinthum in Cretâ custodiam fuisse, unde, ob multiplicem viarum ambagem, nulla effugij spes esset. Et Minoem, qui perpetuæ Androgei memoriæ & solatio ludos Gymnicos instituisset; pueros Atticos, qui tunc in Labyrintho adservabantur, victoribus præmium dedisse. Vicisse autem prioribus ludis Taurum quemdam belli ducem, cuius tunc prima apud regem esset gratia & auctoritas; feris & duris hominem moribus, qui pueros illos crudeliter superbéque habuerit.

Postquam ergo tertij tributi tempus (anno iam nono, & Theseo commodùm recepto) advenit; Civium, in Aegeum regem (qui totius mali auctor in pœnæ societatem non veniret; neque, regno in Nothum translato, aliorum orbitatem respiceret) querelæ recruduerunt.

Verùm Theseus, fortunę publicæ consortium non defugiens, ultrò & extrà sortem sese obtulit.

Diod. tradit, ab ipso Minoe, qui septennio pòst in Atticam cum exercitu venerit, cum cæteris delectum: & legem ab eo præscriptam, ut impositi in nauem impuberes nulla secum arma circumferrent: sublato Minotauro, finem fore pœnæ. Vnum ex his devotis Menesthea fuisse, Sciri ex filia nepotem.

Quùm autem navis atro velo funesta, quasi certam in perniciem, mitteretur; & Theseus patris cõfirmandi caussâ, Minotaurum a se debellatum iri iactaret: alterum gubernator Aegeus candidũ tradidit; quod, si sospes rediret filius, palàm in conspectu portûs, ceu salutis victoriæque indicium, attolleret. Votis itaque nuncupatis, Theseus, cum ijs, quorum nomina iactis sortibus exierant, solvit. Et in Cretam adpulsus, accepto ab amante Ariadnâ, Minois filiâ, filo, quo Labyrinthi ambages dissolveret, Minotaurum occidit. sive is vir, sive monstrum biforme fuerit. Tradunt alij probabilius, Taurum quemdam Minois ducem, à Theseo, dum navem conscenderet, prœlio navali interemtum. Sive, dũ ludos ederet Minos, Taurum tum ob mores immaneis populo odiosum, tũ Minoi ipsi, quod consuetudinem stupri cum Pasiphae uxore habere crederetur, suspectum; a Theseo, luctæ certamine victum, perijsse. Vnde lætus Minos, & Theseo pueros restituerit, & Atheniensi civitati tributum remiserit.

Hinc forte fabulæ, de operâ, quam Theseo Ariadna, regis filia, eius amore & virtutum splendore capta, tum in cæde Minotauri, tum in extricandis Labyrinthi erroribus, posuerit. quam nocte clàm recedens rapuerit, & in Insulam Diam, sive Naxum, devexerit. Et virginem eidem ablatam Bacchus uxorem duxerit, interque cœli sidera retulerit.

Postquam verò Atticę Theseus cum classe adpropinquaret; & mandati, quod olim pater Aegeus dederat, vel gaudio, vel desertæ Ariadnæ dolore, oblitus, non candido illo, sed atro & funebri velo, in portum inveheretur; Aegeus, amissum fato filium ratus, è summo scopuli veruce præcipitem in mare se deiecit.

THESEVS, post eius interitum, in regnum succedens, legibus præclare constitutis, populum, anteà divulsum, vnâ ciuitate constrictum, ad humanitatem informauit; & multa, quæ ad amplitudinem urbis, incolarumque frequentiam facerent, perfecit. Vnde viribus & auctoritate auctæ Athenæ, populis ex omni Atticâ, liberiate propositâ, coactis; & Megarensi agro adiuncto; Græciæ penè totius principatum, in posterum, obtinere visę. Rep. tum in Patricios, Opifices & Agricolas, distributa. Vt Patricij quidem (quibus sacrorum, & magistratuum ex ordine dandorum, ius erat permissum, cum legum disciplinâ) dignitate; Agricolę verò, utilitate; & Artifices, numero præcellere, censerentur. Hinc Homero Δῆμ@ ἐρεχθῆ@ à popularitate: cui tum princeps dominatum cessisse videatur.

Postquam verò Minos, Dedalum (qui Eupalami, Pausan. Palamaonis, F. Metionis nep. ob cæsum à se Talum (al. Telen. al. Calum) Perdicis sororis filium, in Cretam Athenis profugerat. & ibi Pasiphaen Tauro, cuius amore capta esset, ligneâ Iuvencâ artificiosè conclusam, subiecerat. atque ideo capitalis fraudis damnatus, in vincula fuerat coniectus) Pasiphaë navim clam præbente, fugientem alij tabulantur, Alis cerâ compactis, & suo filijque corpori adplicatis, supra mare avolasse: & Icarum F. laxatis alarum compagibus, in mare decidisse) longis cum navibus è Cretâ persecutus & in Siciliam tempestatibus eiectus, à Cocalo Dædali hospite, Sicanorum rege, qui deletis Cyclopibus regnum Insulæ occuparat; interfectus, (al. in balneis æstu extinctus) vitam amisisset:

Et Deucalion, eius F. Atheniensibus etiamdum offensus, Dædalum sibi dedi per legatos deposceret; alioqui pueros, quos pater obsides acceperat, interfe-

[illegible]urum [illegible] Theseus, qui sibi con- [illegible], M[illegible] filiâ, natum) tueri, & p[illegible] v[illegible]se[illegible] comparatâ classe, unà cum Dæd[illegible]o, & ex[illegible]ul[illegible] [illegible]etum manu, de-inopinato in portum inv[illegible]ctus, & factâ [illegible]sione, Gnossum [illegible]t; & prælio in [illegible]nbu[illegible] Labyr[illegible]nthi conserto, Deucalionem cum satellitibus confecit.

C[illegible] v[illegible] regni procurationem Ariadna soror su[illegible] et fœdere cum eâ icto Theseus impuberes [illegible]es recep[illegible]t: & cum belli in posterum detestatione [illegible]tuam inter Atticos, Cretasque, amicitiam stab[illegible]ivit.

Dio[illegible] contrà. Deucalionem, Phædrâ filiâ Theseo desponsâ, belli cum Atheniensibus societatem co[illegible]t Pausan. Theseum, quùm ducturus Phædram, no[illegible]et, si quando liberos ex eâ susciperet; aut a[illegible] illoru[illegible] nutu pendere Hippolytum, quem ex Amazone genuerat; aut ijs amotis, regnum ab hoc usurpari. ad Pitthea, avum maternum, eum transmi[illegible], regno illic Troezenis olim potiturum. Quo qu[illegible]n[illegible] cæde Pallantidárum expiandus ipse posteà dive[illegible]tisset; Phædram, vesano Privigni amore ca- p[illegible]an[illegible] & reiectam, ea, quæ vulgo à Poetis celebr[illegible]t, animo agitâsse & designâsse.

Ægre namque illa ferens ab adolescente acriùs se increpari, & illicitos amplexus pertinaciter denegari, Theseo domum redeunti, Hippolytum de stupri int[illegible]rpellatione insimulat. Ille patris declinans furorem, incenso curru & equis turbatis, discerptus est. & super eius corpus Noverca, facinus falsa & d[illegible]estata, gladio se ipsa confecit.

Theseum aiunt olim, post Isthmia Neptuno consecrat[illegible], in Pontum Euxinum navigâsse, Herculi ad bellum Amazonicum com[illegible]tem: à quo, virtutis præmium, Antiopam acceperit, Hippolyti matrem. quæ bello ab ijsdem Amazonibus in Atticam usque promoto, post aliquantam utrimque cædem, pacis auct[illegible] fuerit.

Il[illegible]um præterea, Pirithoo, Ixionis F. in nuptijs, qu[illegible] Hippodamiam sibi iungebat, Lapithis adversus Centauros depugnantibus, auxiliatorem: Iasoni, in [illegible]lchos naviganti, socium: Adrasto, in cadave[illegible]bus procerum ad Cadméam cæsorum, per inducias reciperandis adiutorem fuisse. & cum Meleag[illegible], [illegible]alydonium aprum occidisse.

P[illegible]ullo-pòst Theseus & Pirithous, iam uxoribus, ill[illegible] P[illegible]ædrâ, hic Deidamiâ, orbati, simul Spartam v[illegible]isse traduntur. & Helenâ inde abreptâ, fugam ce[illegible]e.

Et tran[illegible]missa Peloponneso, in tuta receptos, & inter se pactos esse, ut is, cui sors obtigisset, eam (Helenam) uxorem haberet; & alteri ad nuptias quærendas adiutor esset. Theseum, voti compotem, H[illegible]lenâ Aphydnis apud matrem Æthram depositâ, cum Pirithoo, in Epirum abijsse, ad Aidonéum, qui alijs Pluton & Orcus, Molossorum, sive Thesprotorum, regem; cui uxor, Persephone, hoc est, Ceres; & filia, Core sive Proserpina; & canis nomine Cerberus, essent.

Ibi proposito cum cane certamine, & puellâ vi-ct[illegible]ori promissâ; quùm rex Pirithoum, non procatu[illegible]m, s[illegible] raptum venisse intelligeret; hunc extem- p[illegible]ò [illegible] immissum canem interemisse: Theseum verò in v[illegible]culis servavit.

Intereà MENESTHEVS, Petei, (quem Diodor. Ægyptium gente, & duplici naturâ fuisse contendi, utriusque scilicet Politiæ, Græcæ, & Barbaræ, participem) filius, Ornei nepos, Erechthei pronep. populari arte studia civium solicitare, & absenti multam nobilitatis invidiam concitare cœpit: & in odium contemptumque, Thesei facinora, & urbis patriæ regimen, adducere. Cui quidem molitioni & seditioni, bellum à Tyndaridis, Helenæ fratribus, tum fortè coortum; sive ab ipso Menestheo subornatum, haud parum momenti adiecit.

Illi itaque Aphydnis, ubi Helena adservabatur, vi captis, non Helenam modò, sed & Thesei matrem, Æthram, secum abduxere; & Athenas ingressi, amicéque sunt accepti.

Theseus vinculis ab Hercule, Aidonei hospite, liberatus; & in urbem, nondum à se prorsus alienatam, regressus; dum pristino more imperare, & Remp. tractare contenderet, in graveis populi motus incurrit. ut rebus demùm deploratis, liberos suos ex Phædrâ, Demophoontem, Acamâtem, &c. clàm in Euboeam, ad Elephenora, Chalcodontis F. mittere sit coactus: & ipse in Scyron, ad regem Lycomedem, navigans, (ubi vel belli, in perduelleis Athenienseis, subsidium flagitaret; vel priuatam in paternis ibi prædijs vitam deinceps agitaret) ab eodem Lycomede (sive tanti viri gloriam reformidaret; sive suum Menestheo studium probare vellet) de eduâ rupe præceps datus sit, & interemptus. tricesimo, quàm regnare cœpisset, anno. Hunc divinis pænè honoribus Athenienses posteà, & sepulcri Asylo honestârunt.

Atque ita MENESTHEVS Athenis impunè dominatus est, ann. XXIII. Thesei verò liberi Elephenora, Abantum ex Euboea ducem, ad bellum Troianum secuti, & defuncto illic Menestheo: reversi, regnum receperunt.

Fertur & Theseus ex Perigune; Sinidis illius Pityocamptæ filiâ, progenuisse Melanippum. unde natus Toxus: & hinc Toxidæ, in Cariâ nobiles.

MENESTHEVS, unà cum cæteris Græcorum principibus, susceptâ in Troiam, repetendæ Helenæ, expeditione, ab Homero prædicatur, Atheniensium dux fuisse, L. navibus stipatus. cui nemo eâ tempestate mortalium par fuerit, in aciebus equitum, peditumque scutatorum, instruendis: multaque eius præclara facinora eo bello commemorantur.

Huius postremo regni anno (Euseb. XIIX.) captam fuisse Troiam, prodidere. Alij, id primo aut secundo Demophoontis; qui fuerit XIIX. Agamemnonis, adsignant.

Vix igitur sibi constare censeatur Iustinus, qui Demophoontem deinceps à morte patris Thesei regnum possedisse, & auxilium Græcis adversus Troianos hinc tulisse, dixerit. quùm is tantùm sub Elephenore ad Troiam militâsse; & Menestheo, ibi, vel in Melo insulâ, inter redeundum, defuncto, in Atheniensem principatum successisse, dici possit.

Strabo l. 6. Scilletium, sive Scylacéum, in Italiâ, coloniam eorum, qui Menestheum fuerant secuti: & in Turdetanis, eiusdem Menesthei oraculum fuisse, tradit.

DEMOPHOON, ab Ovidio canitur, dum à bello

Troiano

Troiano, in patriam rediret,& maris tempestatibus in Thraciam delatus esset, à Phyllide reginâ, Lycurgi filiâ,hospitâ, vix fide reditûs datâ, dimissus esse. qui auditâ Menesthei morte, ad regnum sibi vindicandum properaret.

Et Pausan. Phocic. Fertur,inquit, Æthra, Thesei mater,captâ iam Troiâ,quò Helenam fuerat comitata, in Græcorum castra confugisse: eamque,a-viam scilicet, ab Agamenone Demophoon repetisse: quod ille,Helenâ adsentiente,haud gravatè concesserit.

Idem, Attic. Diomedem,exciso iam Ilio,ad Phalerum(navale Atheniensium)de nocte naveis adpulisse: ibique Argivos comites, per errorem, tamquam in terram hostilem,populabundos excurrisse. Tum Demophoontem,eodem errore, quem Argivi laterent, ut vim à patriæ finibus arceret; aliquot ex ijs interceptos necasse, & Palladio abrepto rediisse. Quâ caussâ in ius vocatus, & in Delphinio sit absolutus. Is XXXIII.ann. regnâsse perhibetur.

Patri OXYTES,al. OXYNTHVS, succedit,& regn. XII.ann.

Huic APHIDAS F.qui uno:

Tum THYMOETHES,eius frater,qui XIIX.(al.IIX.) ann. regnarint. Hic ultimus ex Thesidis Athenis regnavit: eique regnum ereptum

MELANTHVS occupavit. Memorant namque, bello de Celænis, quæ in confinijs est, inter Athenienses, Boeotiosque exorto, Xanthum Boeotium provocasse Thymeten Atheniensf. regem. Quo certamen detrectante, Melanthus, qui tum ibi, cum Nestoris posteris, è Messeniâ per Heraclidas eiectis, peregrinus erat; Andropompi F. Bori nep. Penthili pronep. Periclymeni (qui frater Nestoris)abnepos:adversarium, singulari pugnâ, sed dolo, vicerit. & fingens adiutorem ei à tergo adsistere, quùm se ille retrò convertisset, occupârit. quem tum ultrò Athenienses regem sibi creârint.

De cæteris Regibus, Archontibus, & Reipubl. mutatione, post Codri mortem, dicetur fusius sub Descensum Heraclidarum in Peloponnesum, anno O.C. 2851.

DE ACHÆIS, IONIBVS, ET DORIBVS.

HIc quoque obiter observandum. Xuthum (Dori & Æoli fratrem) Hellenis F. patre mortuo,ab agnatis,Thessaliâ expulsum,& Athenas profugientem, acceptâ in matrimonium Erechthei filiâ, Creusâ, Achæum & Ionem progenuisse. atque inde iterum eiectum in Aegialon concessisse, ibique diem extremum obiisse.

Ex liberis eius, Achæum, collectâ ex Aegialensibus, & Athenis,manu, Thessaliam, regnum avitum, invasisse.

Ionem verò, à Selinunte, Aegialensium rege, & generum,traditâ unicâ filiâ, Helice,adscitum; & regni heredem designatum. à cuius nomine incolæ ibi Iones sint de-integro appellati.

Hic quidem bello Atheniensium, adversus Eleusinios, dux arcessitus, ibidem obiit. Posteri verò eius,qui & Pelasgi, Ionum imperium obtinuerunt, donec ipsi, cum populo,ab Achæis, Aeolicâ gente, sunt expulsi. Evenerat enim tunc, ut ipsi etiam Achæi à Doribus,Lacedæmone & Argis eijcerentur. Licet antè Doriensium adventum,soli ex Peloponnesijs, Lacedæmonij & Argivi, fuissent Achæi appellati. & hæc quidem caussa:

Archander,Achæi F. & Architeles, ex Phthiotide Argos profecti, & Danao ibi generi facti, hic, ex Automate,ille ex Scæâ, eiusdem filiabus, quùm multùm ibi possent, effecerunt,ut eius loci incolæ Achæi appellarentur.

(Danai tamen posteri, Argivi peculiariter dici maluerunt.)

Illi itaque à Doribus inde, ut dixi, eiecti, misso caduceatore, ab Ionibus postularunt, ut communicato incolendi iure, ipsos cum rege Tisameno,Orestis F.pacatè in terram suam,Aegialon,reciperent. Sed quum Ionum reges vererentur, ne si cum suis consociarentur Achæi, Tisamenum, ob roboris generisque præstantiam, communibus suffragijs regem crearent; repudiatis eorum postulatis,arma ceperunt: & Tisamenus eo in prœlio occidit. Achæi nihilo minus victos licet Ionas, & obsidione in Helice circumventos, impetratis pòst conditionibus, discedere permiserunt. Eosque posthæc in Atticam profectos, Athenienses, & novus tùm rex Melanthus, Andropompi F. & ipse è Messeniâ à Doribus eiectus; in parem iuris libertatisque conditionem receperunt. memores Ionis, eiusque facinorum bello, quod adversus Eleusinios & Eumolpum gestum erat: & domesticæ potentiæ, adversus Doriensium conatus, amplificandæ cupidi. Vide consecuta ad ann. Davidis X.

A profanis ad sacra,& liquidiora redeamus.

I O B V S. circiter annum Moysis 66.

HOc tractu temporum, quo Iacobi progenies floruit, uti vult Severus,IOBVS fuit, legem naturæ, & cognitionem Dei, omnemque Iustitiam complexus. Prædives opibus; atque eò illustrior, quòd neque his integris corruptus, neque amissis depravatus est. De huius genere variatur.

B. August.l.18.c.47.de C.D. Sanctus & mirabilis vir Iobus, qui nec indigena, nec proselytus, sive advena.i. populo Israelitæ adscensus, fuerit: sed ex gente Idumæâ,agnatâ quidem, genus duxerit,ibi & ortus & emortuus. Qui divino sic laudatur eloquio, ut quod ad Iustitiam pietatemque attinet, nullus ei homo suorum temporum adæquetur. Colligunt quidam ex libro eius, tertiâ generatione posteriorem fuisse Israële.

B. Hieron. Huz, Thraconitidis & Damasci conditorem tradit, qui inter Palæsthinam & Cœlen-Syriam (al. in confinijs Idumææ & Arabiæ) principatum obtinuerit.(Hinc regio Ausitis apud LXX. quasi Huzitis) Iste autem Huz ex filijs fuit Arami,

fratris

fratris Abrahami, non ex Esavi posteris.

Alij, Chuz & Bu[illegible] filios fuisse volunt Nachoris, alterius Abrahæ fratris, natos de Melchâ, Saræ sorore. ut Iobus utrumque sanguine attingat, Aramum & Nachorem, per Melcham, atque adeò ipsam Saram.

Alij eius originem ex Esavo sic deducunt.

Abrahamo scilicet Isaacum; & Isaaco Esavum: Esavo, ex Basemathâ, Ismahelis filiâ, Zaram; Ex Zarâ (matre Bosrâ) Iobadum, qui & Iobus; fuisse ordine procreatos. ut ipse quinctus aut sextus sit ab Abrahamo. Vide suprà de regibus Edom, & genealogiâ Nachoris, ubi quartus est ab Esavo.

Aristeas apud Euseb. Ipsum Esavi, aut filium, aut nepotem fuisse memorat: Iobam prius dictum, al. Iasub & Iobab.

Philo & Chald. Paraphr. natum illum tradunt eo tempore, quo Iacobus cum totâ familia in Aegyptum descendit: & eiusdem Iacobi generum fuisse, ex Dinâ filiâ.

Sed ea incerta. hoc constat,

Inter scelestos homines, in Ausitide, finitimâ Idumæis regione, versantem, nullâ vitiorum labe impuratum, neque ab officio pietatis discessisse. Qui quùm in Belæ, sive Balachi, primi Idumæorum regis, locum successisset, & quæ eius sæculi præcipuæ opes erant, omni armentorum genere, & familiaribus divitijs abundaret: tamen nec principatûs auctoritate ad alienam iniuriam; nec bonis tam copiosis ad privatam libidinem sit abusus.

Quùm autem ex uxore Arabissâ filios septem, & filias tres suscepisset; & fratres cum sororibus, suo quisque die, & in orbem, convivia mutuarent; ipse veritus ne quid illi in Deum peccâssent, status sacrificijs singulorum capita expiare erat solitus.

In eum verò Satanas tantâ invidiâ, nocendique libidine, exarsit, ut apud Deum testem, eius virtutibus (quas temporis tantùm causâ, scilicet, aut propositâ rerum secundarum spe, colere diceret) Innocentiâ & Religione, extenuatis; bonorum eidem eripiendorum, liberûmque interficiendorum potestatem à Deo impetrârit. Vtque è vestigio, quùm maximus natu è liberis, prandium cæteris præberet, Sabæi ab illo, adversario, instigati, boves aratores & asinas, in agris pascenteis, rapuerint; omnesque bubulcos, præter unum, calamitatis nuntium interfecerint. mox alter oveis de cœlo tactas, & pu[illegible]s igni consumtos, nuntiârit. Quo adhùc casum suum eloquente, ingressus tertius, camelos omneis, impetu à Chaldæis facto, abactos, puerosque occisos, narrârit. Et quartus, nuntium superioribus longè acerbiorem, pertulerit; de repentinâ liberorum omnium morte: quos apud primigenam eo die prandenteis, domûs ruina, ex venti Austrini violentiâ, oppressisset.

Has ille tam subitas, tamque crebras clades, tam forti & constanti tulit animo; ut veste discissâ, & tonso capite, Deum veneratus, in voces, eximiæ fortitudinis & moderationis indices, proruperit. *Se è matris suæ utero nudum esse egressum: & nudum eodem reversurum. Dominum ea, quæ dederit utenda, abstulisse, sive repetisse; cuius nomen omni laude sit dignissimum.*

Quùmque Deus postremò Satanæ, qui toleratam fortiter facultatum ac liberorum iacturam, in Iobo, iterum elevaret, malignæ libidini, corpus etiam ipsius, tamquam noxam, dedidisset, dùm nequid in eius animum, sive in vitam, ulteriùs moliretur: Et ille confestim totum eius corpus, à calce ad verticem, teterrimo ulcere deformâsset, ipse, tamquam domo & urbe expulsus, & in sterquilinio sedens, saniem fluentem testâ eradebat. Vxorem, quæ tantam animi in ferendis miserijs constantiam, stupiditati cuidam, nedum fortitudini, tribueret; & ad Deum maledictis vexandum impellebat; insulsè tantùm, fatuarum ritu, prolocutam esse increpavit. *Qui bona à Deo accepissent; quin & mala ferrent, defugere non posse.*

Dolorem verò, ex tam asperâ uxoris adlocutione, vehementiùs tres eius Amici auxerunt: Eliphazus Themanorum; Baldadus Suhitarum (Aristeæ, Sauchæorum) & Sophar Naamathitarum (al. Minæorum) principes viri. qui accepto tantæ illius calamitatis nuntio, eius consolandi causâ, simul die & itinere constituto, advenerant. Quùmque eminùs eum ita malè adfectum conspicati non cognovissent; & propiùs deinde accedentes, cum clamore, lacrymas, aliaque doloris signa, edidissent: nec verbum ullum, per septiduum, præ dolore, quem eum ferre videbant, & in se ex parte derivabant, facere potuissent. tamen, simulatque ipse eloqui cæpit; & illi vicissim, inter differendum, respondere: primùm, quæ pateretur, eum pro sceleribus suis pati, obiectabant. deinde, audacem & temerarium dicebant, qui se cum Deo compararet, & iudicium subire non vereretur. postremò arrogantem appellabant, quòd de se ipse magnificè prædicaret: tantasque sibi virtutes tribueret, quæ vel falsæ, vel nullæ esse, ex ijs, quæ diuinitùs inflicta tolerabat, convincerentur.

Ipse vicissim eorum sententiam gravissimis rationum momentis ita refellebat; ut, qui consolandi sui, & levandi doloris causâ venisse iactabant, molesti contrà fuisse censerentur, & obmutescerent. Elihu quodam Buzite, ex agnatis Rami, dum cæteri conticescerent, partim Iobum defendente, partim incusante.

Hæc autem illorum de Iobo existimatio, Deus, quantoperè sibi displiceret, duobus modis edocuisse videtur.

Primùm quidem, quùm non scelerum causâ, de illo à se sumptum supplicium adseveravit; sed ut è Satanâ, fortiter debellato, maiorem pareret victoriæ gloriam. Deinde, quùm Eliphazum Themanitem obiurgavit; & ob multa perperàm eo in sermone dicta, ipsum cum duobus socijs, septem tauris, totidemque arietibus, facere; & ceu victimam piacularem, immolare; Iobumque pro ipsis deprecari iussit. Atque ita, eum, qui non modò ab alienis, sed etiam à suis fuerat contemtus, Deus dignum indicavit, qui cum ipse in familiare colloquiũ veniret. & quæ singula eis Satanas eripuerat, oves & Cameli, boves & asinæ, dupla eidem omnia sunt restituta. Atque adeò relictis ex se filijs septem, cum tribus sororibus, formâ præstantissimis, quùm post hasce miserias, quadraginta & centum annis feliciter beatéque supervixisset, (Isidor. universò 248. aut ampliùs, annos vixisse tradit) placidè è vitâ excessit.

Sermo

Sermo eius omnis, magnâ ex parte, de Humanæ vitæ miserijs, de Dei providentiâ & potentiâ, de vitæ suæ sanctitate: de improborum supplicijs, & bonorum præmijs, instituitur. multaque de universâ Corporum resuscitatione prædixit; & cæteros Prophetas multis sæculis antecessit. In crucibus illis, sive plagis, quæ eius libro commemorantur, alij XII. mensibus, versatum; alij VII. annis, tradiderunt. Plerique Moysem ætate longè inferiorem, volunt auctorem esse Libri, qui eius nomine inscribitur, aut saltim ex Arabico in Hebræum traduxisse. Alij, ipsum Iobum, aut alium è Prophetis scripsisse.

2477. | Anno à morte Iosephi CLXXVI. apud Assyrios regnat Ascatades annis 40. cuius anno nono, Cenchtes Ægyptius, divinitùs ab Hebræis victus, in mari Rubro periit. | 1473.

Eiusdemque anno 40. sive ultimo; Berosus apud Iosep. lib. 5. Antiquitatum, ait Troianorum regnum cœpisse.

MOYSES PVBLICÆ HEBRÆORVM LIBERTATIS VINDEX.

HEBRÆI tandem multiplicato diuturnæ & asperrimę Servitutis onere oppressi, & querulis clamoribus in cœlum conversi, spem auxilij aut levamenti à Deo exposcebant, & exspectabant.

Tum Moysi, oveis Iethronis, soceri sui, in Madianitide, pascenti, & in penitiora deserti, ad montem usque Horebum, sive Sinæum, progresso; repentè rubus ardere visa. Flammis tamen, quod erat admirabilius, innoxijs.

Quâ novitate ille obstupefactus, nudis pedibus, uti facere iussus erat, ad rubum, locumque sanctum, propiùs accessit. statimque ad eum istiusmodi ferè verbis DEVS (Filius Dei, magni consilij Angelus) è rubo locutus est:

Deum se esse Abrahami, Isaaci & Iacobi, progenitorum suorum. quorum subolem, pragravi Ægyptiorum dominatu depressam, præsentibus malis ereptam cupiat. quæ vicissim liberata, eodem in monte, hostias, grati animi & vindictæ testeis, sibi sit in posterum immolatura. Iter ergo susciperet, ad Pharaonem, regem Ægypti; ducémque se populo, in libertatem restituendo, præstaret.

Illum cunctantem, & multa excusantem, mirificâ potestate Deus confirmat, & faciendorum prodigiorum virtute imperiit.

2484 | Anno itaque CXLIV. à morte Iosephi, sive Servitutis, (qui alijs, ob quam dixi causam, est LXXXIIX.) A Diluvio, DCCCXXVII. Huius tertiæ Ætatis, DV. A natali Moysis, LXXX. | 1466.

MOYSES in Ægyptum. Deo ita mandante, cum bonâ soceri gratiâ, ex Madianitide, (post XL. fugæ, sive exsilij annum) profectus, adsumto fratre Aarone (qui ei haud procul ab Horebo monte occurrerer, & disertum, in caussâ coram rege disceptandâ, interpretem agere, iussus erat.) & uxore Sephorâ, cum pueris, quos urguente cum minis Angelo ipse circumciderat, domum patris regressâ. ac signis priùs apud Hebræorum seniores, fidei testandæ & auctoritatis stabiliendæ, editis: ad Regem adijt: verbisque Dei, qui sibi sacra in deserto fieri cupiat, populum Israëliticum dimittere iubet.

Artapan. apud Euseb. Quùm Moyses, quotidianis Deum precibus solicitaret, ut Hebræi illo servitutis iugo aliquando liberarentur; Ignem, memorat, è terrâ, ubi nulla incendio materies asset, subitò erupisse: & vocem esse editam, quæ & in libertatem, & in antiquam patriam restitutum iri Hebræos, promitteret. Quibus prodigijs fretus Moses, ad Ægyptiorum regem, soceri consilio, descenderit; & omnipotentis Dei iussa denuntiárit. Qui quùm à rege in carcerem coniectus esset, noctu custodibus extinctis, & foribus ultrò reseratis, egressus, rectà in cubiculum regis penetrárit. Hunc stupentem, & nomen Dei, à quo missus esset, percunctantem, & postea-quàm id inaudísset, mutum de-subito concidisse; & à Mose esse suscitatum. Et sacerdotes, qui nomen Dei, ignotis sibi litteris exaratum, deridérent, violente spasmo exspirásse. Hæc ille.

Rex verò impius, & negans se Dominum, quî ista imperaret, nosse: non modò imperio parere abnuit; sed gravioribus etiam laterum faciendorum, & substructionum oneribus populum oppressit. Nec sine acerbis populi in Moysem & Aaronem convicijs; qui longe maiorum sibi in præsens malorum & ærumnarum caussa, nedum exoptatæ libertatis auctores, essent.

Ingressus itaque Moyses subinde ad Pharaonem, quùm firmando divini mandati testimonio, ex Virgâ, quam Aaron frater manu gestabat, colubrum fecisset: & Magi regij quorum principes, Iannes & Mambres, 2. Timot. 3. Rabbini. memorant an-

rant anno à morte Iacobi CLXIII. Pseudoprophetas è [illegible]ijs Ephraim & Galaad, populum ab avitâ religione abduxisse, ex quorum fortè sectâ fuerint illi, qui Moysi restitisse traduntur) Magi, inquam, idem suis virgis, arcano carmine, per præstigias, fecissent; quas prior tamen virga devorárat; tum ad extremum signis alijs portentificis, & decem corporum regnique plagis, quibus XII. pænè mensium spatio, (alij XXVII. diebus continenter, sive mense Lunari. Alij; singulis mensibus plagam unam attribuunt.) per Angelos adflicti fuére Ægypti; ita induratum regis ingenium contudit ac perfregit; ut tandem Hebræis abeundi, & quo vellent loco immolandi, potestatem fecerit.

Primùm namque, amnis Nilus, (quem pro Deo Ægyptij haberent) ac cæteri rivi & lacus, ex iactu virgæ, sanguineis fluentis, & piscibus emortuis, torpentes, ad tantam potus inopiam eos redegérunt, ut effossâ circùm flumen aquâ sitim levare cogerentur.

Deinde immensa ranarum vis terram eorum est populata: & non modò per agros, sed per domos etiam fœdâ cum lue grassata.

(Aquæ ranas ebulliérunt, pro pueris Hebræorum in illas anté demersis.)

Tum Ciniphes (al. Scnipes) è terræ pulvere excitati, homines æquè ac iumenta acerbissimis stimulis terebrárunt. (Ios. magna pediculorum examina ex Ægyptiorum corporibus scatebant) Hic Magi vim divinæ maiestatis fateri, qui arte sua tale quid emoliri, uti hactenus in cæteris præstigiosé fecisse visi érant, ne in speciem quidem evalerent.

Rursùs, muscis terram omnem promiscuè inundantibus, & in domorum penetralia insinuantibus, (LXX. Interp. Κυνόμυιαν. hoc est, caninam muscam dixére. meliùs fortè Κοινόμυιαν sive παμμυῖαν. Et Iosephus multiformibus bestiolarum noxiarum speciebus, totam per regionem immissis, & venenum spargentibus.) Quùm hoc præsentaneo exitio rex commotus, Moysi potestatem faceret, Deo suo sacra, sed intrà Aegypti fineis, immolandi: [illegible] ille nefas esse, & periculo adfine, diceret; Deo suo ea animantia palàm immolare, quæ Aegyptij summo cultu; sive potiùs superstitione, venerarentur. simulatque imminens clades resedit, ad ingenium redijt; neque, uti promiserat, populum dimisit.

Atque adeò nec pestifera contages, quâ Iumenta, pecora maiora & minora, passim & acervatim exstincta sunt: nec ulcera, ex sparso in cœlum cinere enata, quibus hominum animantiumque corpora, intùs & in cute, miserabilem in modum, turgebant & exedebantur; durum hominem de insaniâ deijcere potuérunt.

At posteaquam Grando, turbine, tonitru, & fulgure ignito, permista, non solùm homines, cum iumentis, elisit, sed agrorum etiam sata, (præter serotina germina & arbores, radicitùs everberavit; rex vindicem Dei manum, suamque & populi sui impietatem agnoscere quidem simulavit; sed à malitiâ non destitit.

Et quum ad locustarum mentionem, quas die crastini in omneis regionis fineis invecturum se Moyses comminabatur; & ad futuram ex ijs vastitatem, Aulici regij exhorrescerent: ipsi quidem regem inducere conati, ut Moysi, cum suis, abeundi & sacrificandi copiam faceret: ille verò, dolum & seditionem suspicans, solos Hebræorum viros, uxoribus & liberis eorum, ceu obsidibus, retentis, id facere permitteret. confestim quædam veluti locustarum nubes, vento ferente & urente (Hebr. & Chæld. Orientali. Septuag. Austrino, al. Euronoto) terris superfusæ, quidquid intactum grando reliquerat, ita absumsérunt; ut nulla colligendi, in hornum, fructuum spes relinqueretur.

Tum demum rex coram Moyse & fratre, quos properè ad se arcessendos curárat, peccatum suum fassus, & cladem istam deprecatus; mox; locustis, vehemente ab Occasu vento, in Mare Rubrum delatis; impotens sui, & ad damnatos mores reversus, nec tot cladibus resipuit.

Ad extremum, quùm tam horrificæ & densæ tenebræ, ut propè palpari possint, toti Aegypto, præter regiunculam Gesseniam, (in quâ ab omnibus his, quas commemoravi, calamitatibus, Hebræi immunes usque exstiterant) & loca ea, quæ Israëlitæ incolebant; fuissent circumfusæ. neque in tantâ caligine, quæ omnem prospectum eripiebat, loco se quisquam, sine offensione, commovére posset; Rex Moysi discedendi, unà cum uxoribus & liberis, atque in deserto immolandi, eâ conditione potestatem dedit, ut iumenta & greges, aliaque fluxa, quæ dicuntur, bona, relinquerent Aegyptijs; quòd post tot calamitates, nihil sibi è pristinis facultatibus superesse, illi iure conquererentur.

Moyse verò æquum postulari negante; alioqui non habituros præstò, unde sacrificarent. iratus ille facessere procul à se Moysem iubet: neque sine certo vitæ & capitis periculo, in suum posthàc conspectum venire.

Quod Moyses tamquam omen accipiens, & pro tempore digressus, à Deo didicit; unâ adhuc plagâ icendos Aegyptios; & tum ultrò missionem Hebræis daturos, vasis aureis argenteisque, & alijs in iter usumque domesticum utensilibus, non illubenter commodatis. Atque ita iterùm & liberè ad Pharaonem ingressus, extrema Dei mandata exposuit. „*Medinoctio consequenti universa tam hominum, quàm iumentorum primigena, nullo ætatis ordinisve discrimine,* (incolumibus solùm Hebræis) *ultrice Dei manu exstinctum iri. Ipsum regem, unà cum optimatibus, tum se demissè rogaturum, ut quamprimùm emigret, & quò velit proficiscatur.*

PHASE, SIVE PASCHA.

Sed priùs quàm populus ex Aegypto egrederetur, novis Dei mandatis instrui iussus est. ut rudis adhuc temporum, mensem illum, qui tunc erat, omnium mensium primum esse cognosceret.

Hebræi namque antiquitùs annum à Septembri, sive ab Aequinoctio auctumnali, ordiebantur. Et quùm Annum Lunarem in XII. menseis, &

CCCLV. dies, distributum haberent, qui, per Embolismos, Solis decursui exæquari solebant; hunc mensem, quo egressi sunt, anni principem habere iussi: qui posteà apud eos dictus Nisan, Romano Martio ferè respondet.

Alij putant Hebræos, more Ægyptiorum, menseis habuisse æqualeis xxx. dierum: & annum inchoâsse ab unde-tricesimo Augusti. & vicesimo tertio eiusdem mensem duodecimum terminâsse: cui adnectebant V. dies intercalares; & anno bissextili, vi. Hæc priùs.

In Exitu autem, Pharmuthi mensem, qui octavus, vocârunt primum. atque ita Duodecimus complebatur xxi. Martij: post quem alios v. dies intercalabant. Lunares namque erant menses, ab uno Lunæ coitu, cum Sole, ad alterum: quod Neomenia est, sive Novilunium. Et constat istiusmodi mensis Lunaris, xxix. diebus, & x i. horis, quæ horæ alternis mensibus iungebantur, ut hi xxix. illi xxx. dierum essent: & Annus Lunaris, dies complecter. tur CCCLV.

Edocuit, & edixit præterea Moyses sacrificium illius diei (Pascha) in solennitatem consequentium sæculorum, ita esse celebrandum; *Vt xiv. die stati mensis, Agnus purus & anniculus, quatriduo antè provisus, victimæ vicem, caderetur: Eiusdem sanguine postes illinirentur: Caro ex eo, ossibus minimè confractis, exederetur: septem diebus à Fermento ipsi abstinerent: & Lactucis agrestibus, Panibusq́, azymis uterentur. ritúmque hunc posteris traderent; & diem illum, Phase, hoc est, Transitum appellarent.* (Quod eâ nocte Dominus, domos Israëlitarum transgrediens, Ægyptios quidem plagâ letali adfecisset; illos v rò conservâsset) *eumdémque præcipuo semper in honore haberent.*

Philoni, teste Diabateria; & Iosepho, Hyperbasia. Alij Transultum maluere, quòd Angelus feriens quasi transil erit domos Israëlitarum.

Instante itaque, sive præcipitante die xiv. mensis, qui Ægyptijs Pharmuthi, Macedonibus Xanthicus, & Hebræis Nisan, dictus est. Quùm Hebræi, sub vesperam, per sodalitia uno in loco distributi, & ad exitum procincti, victimis cæsis & immolatis vescerentur, (epulis & cerimonijs indictis indulgerent: carnibus tostis, & lactucis agrestibus, &c.) & domos suas ex ijs sanguine, quem hyssopi fasciculo exceperant, lustrassent: atque adeò, cœnâ peractâ, carnium reliquias flammis exussissent;

Nediâ nocte DOMINVS, per Angelum exterminatorem, omnia, quæ primæ apud Ægyptios ætatis essent, promiscuâ cæde percussit: & eorum Deos contrivit. Putant Hebræi, eâdem nocte, omnia in Aegypto Templa, & simulacra corruisse. B. Hieron. Num. 33.)

Exorto autem per universam Aegyptum luctu & clamore, & factò à vociferantibus agminatim ad regiam concursu; cùm rex, communis etiam mali particeps, Moysi ad se accito mandavit, ut è vestigio, cum suis generatim omnibus, ad sacrificandum egrediatur, & Deum sibi propitium faciat: tum Aegyptij cæteri, ad iter accelerandum, quò impendentis calamitatis metu citiùs liberentur, eâdem impensè urguebant: neque vasa, aut vesteis, aliaque itineri necessaria, commodare gravabantur. (Iosep. addit Aegyptios flevisse, & tam diuturnæ in Hebræos atrocitatis pœnituisse, & abeunteis donis honorasse.)

EXTERNA DE IVDÆIS, & de hoc eorum Egressu, Scriptorum TESTIMONIA.

HIc observatione dignum, Græcos & Latinos scriptores, vel rarò, vel malignè, rerum Iudaicarum, originúmque gentis, meminisse. Sic tamen, ut facilè intelligamus, semina quædam veritatis per totum orbem disseminata; sed quę Aegyptiorum, Hebrææ gentis æmulorum, mendacijs fuerint præimbuta.

1. Quoniam, teste Demetrio Phalereo, S: qui de ijs scribere temerè instituissent, adversâ corporis valetudine subinde adflicti sint. ut Theopompus. Neque Spiritus S. à profanis res sacras contrectari pateretur.

2. Quia Satanas eorum memoriam, quorum erat adoptio & testamentum, &c. perpetuâ oblivione sepultam vellet.

3. Quòd Iudæi, qui regionem maritimam initiò non haberent; neque longinquis negotiationibus ijs opus esset; nativis patriæ terræ copijs & opibus contenti: & legis divinæ prærogativâ tumidi, aliarum gentium, uti canum, commercia adspernarentur.

4. Quòd Græcorum & Latinorum historiæ in idem cum Hebræis sæculum non cadant. A Moyse namque ad bellum Troianum ampliùs ccc. anni interfluxerunt. & ab eo deinde bello ad Cyrum (antè quem nihil aut parum pænè certum habent Græci, quùm in eo Iudaica historia desinat) anni, plus minus, DCC.

Hinc apud Manethonem, Iustinum sive Trogum, Tacitum, Strabonem, aliosque, prodigiosa de Mose & Iudæis commenta.

Tacit. libro 5. Histor. Iudæos Cretâ insulâ profugos novissima Libyæ insedisse memorant, quâ tempestate Saturnus, vi Iovis pulsus, cesserit regnis. Ab Idâ, inclyto Cretæ monte, Idæos; & aucto in barbarum cognomento, Iudæos.

Quidam, regnante Iside, exundantem per Aegyptum multitudinem, ducibus Hierosolymo ac Iudâ, proximas in terras exoneratam. Plerique, Aethiopum prolem; quos rege Cepheo, metus atque odium mutare sedes perpulerit.

Sunt qui tradant, Assyrios convenas, indigum agrorum populum, parte Aegypti potitos; ac mòx proprias urbeis & propiora Syriæ coluisse.

Alij, Solymos, gentem Homeri carminibus celebratam; conditæ urbi, Hierosolymam, nomen è suo fecisse. Plurimi auctores consentiunt, ortâ per Aegyptum tabe, quæ corpora fœdaret, regem Occhorim (vulgò Bocchorim) adito Hammonis oraculo, remedium petentem; purgare regnum, & id gennis hominum, ut invisum Deis, alias in terras ablegare, iussum. Sic conquisitum collectúmque vulgus, postquàm vastis (Arabiæ) locis relictum esset,

essent cæteris per lacrymas torpentibus; Mosem unum exsulum, monuisse: Nequaquam Deorum hominumve opem exspectarent, ab utrisque deserti: sed sibimet, ut duci cælesti crederent. (Talia suprà Nemrotho veriùs attributa)

Assensere, atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil æquè, quàm inopia aquæ fatigabat. Iamque haut procul exitio, totis campis procubuerant, quùm grex asinorum agrestium è pastu in rupem, nemore opacam, concessit. Secutus Moses, coniecturâ herbidi soli, largas aquarum venas aperit. Effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimque depulerant, penetrali sacravére, cæso ariete, velut in contumeliam Hammonis. Illi continuum sex dierum iter emensi, septimo, pulsis cultoribus, obtinuére terras, in quibus Vrbs & Templum dicata sunt. Moses, quò sibi in posterum gentem firmaret; novos ritus, contrariosque cæteris mortalibus, indidit. Süe abstinent; memoriâ cladis, quòd ipsos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium. Longam olim famem, crebris adhuc ieiunijs fatentur. Et raptarum frugum argumentum, panis Iudaicus nullo fermento detinetur. Septimo die otium placuisse ferunt, quia is finem laborum tulerit: & septimus quoque annus, ignaviæ datus. Alij, eum honorem Saturno haberi putárunt.

Iustinus lib. 36. Filius eius (Iosephi) Moses fuit. quem, præter paternæ scientiæ hereditatem, etiam formæ pulchritudo commendabat. Sed Aegyptij, qui scabiem & vitiliginem paterentur, responso moniti, eumdem, cum ægris, ne pestis ad plures serperet, terminis Aegypti pellunt. Dux igitur exsulum factus, sacra Aegyptiorum furto abstulit. quę repetentes armis Aegyptij, domum redire tempestatibus compulsi sunt. Itaque Moses Damasco, antiquâ patriâ repetitâ, montem Sinan petit.

Quò, septem dierum ieiunio, per deserta Arabię, cum populo suo fatigatus, quùm tandem venisset; septimum diem, more gentis, Sabbatum appellatum, in omne ævum ieiunio sacravit: quoniam illa dies famem illis erroremque finierat.

Post Mosen filius eius Arvas, sacerdos sacris Aegypiijs, mox rex creatur. Exinde mos hic apud Iudęos, ut eosdem reges & sacerdotes haberent.

Strabo libro 16. Fama est, ab Aegyptijs fuisse propagatos, qui nunc Iudæi appellantur. Moses namque unus ex Aegyptijs sacerdotibus, cum partem quamdam regionis obtineret, ac molestè ferret præsentem statum; indè huc emigravit, multis cum comitantibus, quibus honor & cura Numinis erat. Docebat ille non rectè sentire, tum Aegyptios, qui bestiarum ac pecorum imagines Deo tribuerent: tum Afros & Græcos, qui Dijs hominum figuram adfingerent. Id verò solum esse Deum, quod Cœlum & Mundum, & rerum omnium Naturam, appellamus.

Proinde dignum ei templum ac delubrum constituendum, ac sine aliqua figurâ colendum. Ita persuasos in ea loca deduxit, ubi nunc condita sunt Hierosolyma. Interim loco armorum, sacra & Deum prætendebat, cui se dicebat sedem quęrere. Et eiusmodi cultum ac sacrificia traditurum pollicebatur, quæ nec impensâ, nec divinis adflatibus, neque re ullâ absurdâ cultores offenderent. Hinc non contemnendum ille adeptus imperium, multis sibi adiunctis. & successores aliquam-diu in ijsdem institutis permansére, iusti ac verè religiosi.

His pænè gemina Tacit. eo, quem dixi, libro.
„ *Ægyptij pleraque animalia, effigiésque compositas venerantur. Iudæi mente solâ, unúmque Numen intelligunt. profanos, qui Deûm imagines, mortalibus materijs, in species hominum effingant. Summum illud & æternum, neque mutabile, neque interiturum, &c.*

Hæc illi, partim imperitè, partim inuidè aut malitiosè. Ex quibus tamen antiquitati nonnihil lucis accedat.

ALTERA PARS

TERTIÆ ÆTATIS, AB EGRESSV, AD DAVIDEM REGEM, QVÆ EST

ANNOR. CDXXXVI. (Vide B. Augustinum lib. 16. de Ciu. Dei cap. ult.)

2485. | Expletis peregrinæ Israëlitarum in Ægypto habitationis, CD. & XXX. quos diximus, annis (Exod. c. 12. | 1465.

Habitatio filiorum Israël, quâ manserunt in Ægypto, fuit 430. ann. Septuag. addunt. *Quam habitarunt ipsi & patres eorũ, in terrâ Ægypti, & Chanaan.*) Vbi duplex Synecdoche. 1. quod Israelis nomine comprehendatur etiam Israël ipse, eiusque pater & avus. 2. Quòd per moram in Ægypto Moses complectatur totam Israëlitarum, sive Tharidarum ξενιτείαν, in terrâ non suâ. cuius quidem peregrinitatis pars maxima in Ægypto transacta.)

Eâdem die, (XV.) mense 1. post religionem Phase, de nocte, concelebratam; sive post novas, & solenneis in posterum, Azymorum ferias. (partę libertatis monimentum) Et post promiscuam primigenorum, tam ex hominibus, quàm ex iumentis, Ægyptiorum stragem. (Quo nomine, & tam commemorabilis rei memoriâ, DEVS omne sibi vicissim ex Hebręis primigenium consecrari in posterum mandavit) populus omnis, duce Mose, & rege missionem dante, simul egressus est, & copijs suis dives, & Aegypti spolijs cumulatior. Cuius numerus, ex LXX. sive LXXV. capitibus, qui primi in Aegyptum, cum Iacobo, descenderant, ad DC. virorum M. (præter decrepitos, mulieres, & parvulos vicennio minores) pervenerat.

(Hebr. tradunt universè fuisse, Decies-octies Centena millia; præter Alienigenas, quorum infinitum examen in Egressu sese adiunxerat).

Movit autem ex Ramesse civitate (quam alij Busiridem aut Heliopolin: & B. Hier. pagum Arsinoitem, dictam volunt) quò totâ ex Aegypto convenerant; in Socothum. Abstulit & secum ossa, sive reliquias Iosephi, ex voto, quo Hebræos olim ille adstrinxerat.

Hæc acta, novissimo tempore Cecropis, Atheniensium regis.

Apud Assyrios, Ascatade (Euseb. Belucho, VISI. rege)

Apud Sicyonios, Maratho, al. Perato:

Apud Argivos Triopâ; regnantibus, B. Aug. lib. 18. c. 11. de C. D.

Ab eo autem tempore, quo primùm Abrahamus in terram Chananitidem accesserat, anno CDXXX. Cui addi posse censeatur annus, quo miracula à Mose perpetrata volunt.

Annis post natum Isaacum, 400.

Sulpit. A Diluvio putat annos MDLXXV. (secundum 70. Interpretes, quos sequitur) sed omittit annum I. Diluvij, & postremum prodigiorum. Illi namque putant à Diluvio ad ortum Abrahami MLXX. ann. Indè ad Ingressum eius in Chananæam, LXXV. Et ex eo tempore, ad Egressum Israëlitarum ex Aegypto, CDXXX. Vnde exsistit summa illa, MDLXXV. annorum Sulpitij.

Hebræis itaque properè (die XV. mensis 1.) egressis, & instructo agmine armatis, prosperrimâ, in singulis, corporum valetudine; Columna nubis, interdiu; & noctu, Ignis columna præferebatur. & Dominus, (sive Angelus Domini) commodum se utroque tempore itineris ducem præbebat.

Ipsi autem relictâ, ad sinistram, Philisthinorum, bellicosæ & infestæ gentis, regione, quò recta & viciniot via ducebat. (ne fortè ijs, in subito tam propinqui belli terrore, & noto continentibus terris itinere, redeundi in Aegyptũ cupido incesseret) aversi, & ad Rubrum mare (Diodoro χλωρὸν. alijs Algosom) è Socotho, per Ethanem, de. a. 1; tandem ex-adversum Phihahirotho (quę Magdalo, & mari, haud procul Beel-sephonte, erat interiecta) castra-metari iussi sunt. (Num. 33. *Venerunt contrà Phi-hairoth, quæ respicit Beel sephon, & castrametati sunt ante Magdalum.*)

Rex autem Pharaon (hic, al. Thetmosis, vel Amasis. al. Cenchres, XII. Pharaon est; quem & Bocchorim sive Bachorim vocatum dicunt. de quo Tacit. l. 5. Histor.) Hebręos viæ errore in obiectum mare, undè nullus exitus esset, (quòd à sinistris, marisà tergo, exercitu hostili. antè, & à dextris; arduis mõtium vallati essent) devenisse ratus: datę missionis pœnitẽs, & furens animo, exercitũ, curribus sexcentis, & eò ampliùs, inter cætera instructum, (Ios. DCC. currus, eum delectis L. equitum, & CC. scutatorum peditum, MM. memorat) properè educit: & fugienteis persecutus, eorumque vestigijs insistens, in castris, ad Phi-hairothum, ex-adversum Beelsephonti, positis, deprehendit.

Hebræis metu trepidis, & in murmura effusis; & Angelo interim se, inter utrorumque castra, cum nube, quæ illis tenebras offunderet: & his lumen ostentaret, obijciente: Moyses, à Deo commonitus, percussum sublatâ virgâ mare discidit. & populus, cedentibus in latera aquis, sive fluctibus in montis speciem utrimque curvatis, velùt in continente, & siccato ventis solo, iter pervium habuit.

Rex

Rex autem ita cedenteis insecutus; & mare, qua patebat, ingressus; coeuntibus mox aquis, & undique refusis ac stipantibus, cum omni exercitu, obrutus & deletus est.

(Qui scilicet Hebræos fluvio ante submergere erant conati; ipsi pelagi fluctibus oppressi periérunt. Iosephus addit, tonitru & fulmine multos elisos.)

Quum mare Rubrum nequaquam æstui reciproco sit obnoxium; hic transitus cum miraculo coniunctus haud immeritò censetur.

Negant autem Hebræi, à maioribus suis mare illud solidè, sive à litore Ægypti in litus Arabicum, traiectum fuisse. sed ad idem litus, ducto intra mare longo circuitu, ceu semicirculo, undè ingressi fuerant, revertisse. Quia Israëlitæ, ante transitionem, in deserto Ethanis hæsisse; & postquam transijssent, in eodem offendisse, memorantur. Numer. 33. *Transierunt per medium mare in solitudinem.* Vbi triduum vagati castra in Mara posuerunt. Exod. 15.

Deinde mare Rubrum, Aegyptum ab Arabià, non autem à Terrâ-sanctâ dispescit. ut necesse non videatur fuisse, in mare ingredi; nisi ut Pharao, cum suis persequens, submergeretur, & pœnas tot scelerum lueret.

Huc accessisse aliud volunt miraculum. ut non unus, cunctis simul Tribubus, in mare ingressus patuerit; sed mare ipsum, virgâ percussum, duodecim in parteis, ceu semicirculos, fuerit divisum. Psal. 135.

Nahasson, cum Aminadabo patre, Aaronis socero, Iudææ Tribus principes, primi Moysem in mare secuti produntur.

Artapan. apud Eusebium. Casum illum dupliciter narrari, ait. Memphitæ quidem aiebant, à Mose, ut locorum gnaro, æstum maris, sive reciprocationem. transmissioni commodam, fuisse observatam. Quemadmodum & Iosephus memorat; Alexandro in Asiam ducente, Macedonibus Pamphilium mare cessisse, & illàc iter aperuisse: quùm Deus, eius opera, ad evertendum Persidis imperium, uti decrevisset. quod rerum ab illo rege gestarum scriptores testantur. Et Strabo libro 16. Quo tempore, inquit, Ptolemæenses cum Sarpedone, duce Demetrij, pugnârunt in litore, inter Tyrum & Ptolemaidem: fugâ insigni facta, pelagi adfluxu, qui inundationi adsimilis esset, fugienteis, obrutos: atque alios in pelagus abreptos, alios in locis concavis mortuos & relictos fuisse. Post defluente iterum æstu, corpora detecta, atque ostensa, inter mortuos pisceis, promiscuè iacere. Vid. Athen. l. 8.

Heliopolitæ verò: Quùm rex, Gazæ, furtim ex Aegypto per Hebræos asportatæ, cupiditate, & facti indignitate commotus, magnam manum in eosdem educeret; & Hebræi cedentibus aquis, duce Mose, incolumes transirent; Aegyptios cum rege temerè ingressos, tum fulminibus, tum refluentibus aquis, fuisse exstinctos. Hæc ille.

Tunc verò Moyses, incolumitate suorum, & exitio hostium, & Dei in primis virtute exsultans, Carmen, hexametris, ut multi tradunt, versibus, Epinicium, cum omni virilis muliebrisque sexûs turbâ, cecinit. Quod idem fratris exemplo, Maria, cum feminis, fecit alternis. Hoc autem Carmen; Lini, Musæi, Orphei Hymnos, annis plus ccc. antecessit) Et Hebræi spolijs hostium, armisque, ad litus adnatantibus, adfatim & impunè potiti. quibus adversus Amalecitas, & Chananæos deinceps usi.

Verùm hanc recentem, ex tam insperatâ salute, lætitiam, insolens per loca squalida, & extremâ ciborum aquarumque inopià infesta, itinerum molestia, offuscavit.

Quùm namque ex triduanâ per solitudinem viâ lassi, & siti confecti, in Maram venissent: & aquas ibi, non sine probabili communis levamenti spe, repertæ, tàm amaræ essent, ut neque hominibus, neque iumentis, usui forent, (à quo vitio nomen, Mar, conveniens loco impositum est) impotentis populi contumacia in Moysem iam efferebatur; nisi ipse à Deo eductus, frustum ligni (typum Crucis) aquis immisisset; & dulcem saporem fluentis reddidisset. (Iosephus tradit, à robustissimo quoque puteos certatim exhaustos, & aquam ex continenti agitatione puriorem, non adspernando potui fuisse. Sic ille multa Naturæ iniquiùs attribuit, quæ Dei propria.)

Exin promotum agmen, apud Elim (Ios. Ilym) xii. aquarum fontibus, & Lxx. palmis repertis, consedit. (Iosephus ait, hos fonteis non ita aquarum largos fuisse; neque palmas à fructibus tàm uberes, ut operæ pretium fecisse viderentur. atque hinc nova murmuris occasio) Hic locus irriguus, Ita dictus, quod pascendis arietibus aptus esset.)

XXXI. die (qui mensis secundi, xv.) venerunt in Sin, desertum, inter Elim & Sinam. ubi farinâ, quam secum ex Aegypto raptim, & sine fermento, ut quidam volunt, extulerant, deficiente; populus in querelam de fame effusus, Moysem cum fratre increpabat: & pristinum Ægypti servitium, cum adsoliâ, scilicet! inibi, saturitate ventris, desiderare clamitabat.

Tum autem sub vesperam, uti Deus Moysi, multùm turbato & deprecanti, promiserat; greges Coturnicum, superne (sive è mari propinquo) demissi, castra opplevérunt. (hoc genere alitum, præ cæteris, Arabicus sinus abundat. Ios.)

Et postero die, extra Castra, parvis quibusdam siliquis, rori adsimilibus, sòlum coopertum animadvertérunt, quarum species, in modum coriandri seminis, glaciali albedine erat, & pruinæ adfinis. (Manna, minutum & rotundum, instar coriandri, colore lucidum & album, sapore melleum) Illud autem quotidie, præter sabbata, recens decidit deinceps: ut talis commeatus divinitùs & perpetuùm ipsis suppeteret. (Ioseph. tradidit, suâ etiam ætate, totam eam regionem, hoc mannæ genere (fortè, medico) compluì solitam.

Tum per Moysem populus admonetur. *Panem hunc eis Dei munere demissum: unumquemque, paratis in id vasculis, tantum usurpare matutino tempore, ante Solis, (ne idem tabefaceret, & in puterem resol-*

resolveret) exortum debere, quantum in diem unum, pro numero, singulis satis esset. Sextò tamen die, quia Sabbato colligi nefas esset, duplum præsumerent.

Hic primam Sabbati celebritatem, Deo ita iubente, agitárunt, sive verius restituérunt. Nam Sabbatum ab initio Mundi institutum fuerat & cultum. sed in Ægyptiâ servitute fortè obliteratum.

At quùm populus, parùm dicto audiens, ex reconditis, in posterum quoque diem consuleret, ea quæ reposuerant, dito fœtore in vermeis effervescere viderunt. quùm die sexto collecta, & in Sabbatum reservata, integra permanerent.

Hoc, Hebræi per XL. ann. continenter, depluente cibo usi sunt. Cuius sapor melli, & similæ oleo imbutæ, proximus, atque adeò omnem suavitatis gustum palato exhiberet. Nomen autem Manna, ex admirantium iteratâ voce, *Man-hu! Quid hoc est?* fluxisse traditur.

In tam-divini autem muneris testimonium, Moyses gomor unum (quæ decima pars est Ephæ: al. tres semicotylæ. al. cotylæ Atticæ cum dimidià. al. 4. libræ.) ex eo semine plenum, vase aureo, in Tabernaculo adservandum, posteris reliquit.

Motis ex eo loco castris, Num. 33. *Egressi (de Sin) venérunt in Daphca. unde castrametati in Alus.)* Vndè quùm in Raphidim pervenissent; & novâ aquæ penuriâ tentarentur; vix à Ducis exitio temperárunt. Verùm hic, Domino mandante, apud Horebum, virgâ petram percutiens, largè aquæ copiam fecit: & loco nomen, à Deo importunis Hebræorum iurgijs Tentato, MASSA, imposuit.

Hebræis autem in Raphidim aliquam-diu commorantibus; Amalecitæ (Iosep. Qui Gobolitidem regionem; al. Gebaleniam; & urbem Petram, incolebant. quique suos latè vicinos, adversus Hebræos, sibi ab Esavo usque invisos, ceu Ægyptiorum fugitivos; in expeditionem instigárant) populi Israëlitici castra incursionibus vexabant.

Moyses verò suis in prœlium animatis, & eductis, quùm Iesum (Navéi, è tribu Ephraimitide, F. qui anteà Hosee, & mox Iosuë, dictus est) bellatoribus delectis præfecisset; adsumtis secum Aarone fratre, & Hure (sororis Mariamnes marito, Ios.) spectator pugnæ futurus. in montis verticem conscendit. Et quùm dubio eventu acies concurrissent: ex alternâ, inter precandum, brachiorum, in eodem Moyse, in altum contentione; aut deorsum remissione. tandem eiusdem perseverantiâ & precibus victor Iesus, hosteis, in noctem, variè cecídit. Et eosdem in posterum (id factum Saüle rege) internecino bello persequi, omnemque memoriam penitùs delere, iussus est. Iosep. ait incruentam fuisse victoriam, & ne unum quidem ex Hebræis fuisse desideratum. quùm hostilium contrà cadaverum numerus vix præ multitudine iniri potuerit. Et Moysen, mactatis victimis, aram DEO VICTORI posuisse.

Per idem tempus, (alij tamen hæc acta putárunt sub exitum primi ab Egressu anni, ut hìc sit hysterologia) Iethron (quem quidam, Raguelι patri, in pontificatu, sive Sacerdotio, & principatu, apud Madianitas, successisse, volunt) Socer, vel adfinis Moysi; dum famâ accepisset admirabilem, Deo propitio & auspice, Israëlitarum ex Ægyptiâ servitute liberationem, & res à Mose præclarè gestas; Sephoram (sive filiam, sive Sororem) quæ Mosi nupta, proficiscente in Ægyptum viro, vel domi resederat (ut vult Sulpit. vel, ut suprà & veriùs, irata, an lubens! præ metu Pharaonis, in patriam reverterat. & unà communeis liberos, Gersamum & Eliezerum, ad Moysem reduxit. qui tunc ad Horebum montem, ubi Rubum anteà sine noxâ ardentē conspexerat, castra erat metatus. Et is ab illo amicè acceptus, & de omnibus Dei in Hebræos beneficijs edoctus, Deum, salutis & libertatis auctorem, holocaustis & faustis carminibus, unà cum Aarone & optimatibus, concelebravit. (Hæc Iethronis in verum Deum pietas & fides, à posteris, Rechabitis, accepta & propagata. 1. Paralip. 2.)

POLITIA, SIVE REIP. INSTITVTIO.

IDEM Iethron Moysi, quem continenti quotidianorum negotiorum mole obrui videret coràm, & indoleret: qui unus lites omneis cognosceret, atque omnia iudicia exerceret: auctor fuit, ut alijs in partem onerum vocatis, laborem sibi ipse minueret, & graviora tantùm reservaret. itinerum, ac publicorum operum, earumque rerum curam, quæ ad Deum, eiusque colendi ritus, pertinent, ageret. Et partim Iudices ac magistratus, ex omni plebe delectos, industriâ & pietate spectatos, veritatis iustitiæque amanteis, & avaritiæ exosos, litibus ex iure aut æquo dirimendis præficeret. Partim copijs lustratis, & in certas parteis ordinesque distributis, Principes, Tribunos, Centuriones, Pentecontarchos & Decanos, castrensibus negotijs, bellicisque munijs addiceret.

Neque ita multo-pòst, Deo monente, Concilium ex LXX. Senioribus, qui unà secum publica populi onera sustinerent, idem instituit.

Iethrone in patriam reverso, frater eius Obabus Moysem comitatus esse traditur.

Mense autem tertio, (qui Sivan dictus, Maio nostrati respondet) die tertio, (qui ab Egressu dies erat XLVII. aut XLIIX.) ad montem Sinæum, omnium eâ in regione celsissimum, & quâdam Numinis religione horrendum, perventum est. Vbi Moses à Domino adscendere iussus, admonetur; ut populus in tertium diem (qui futurus erat L. sive πεντηκοστή, ab Egressu; & sextus dies mensis ineuntis) omni animi corporisque cultu, sanctimoniæ operam darent, DEI voceslegesque audituri.

Postea-quàm verò DEVS monti institisset; validis tubarum clangoribus aër perstrepere; & densæ nubes, crebris cum tonitribus & fulminibus, ingeminari. Et Moses quidem, cum Aarone, in montis cacumine, propter Deum: populus verò, de loco ca-

... astrorum egressus, cum reliquis sacerdotibus, circa montis ima consistere.

Inter hos terrores, Lex data: sive Decalogus ... re Domini sive Angeli, posteà à Mose in librum relatus. Cuius hæc capita.

1. *Non erunt tibi, ô populus Hebræorum, Dij alieni præter me. qui te de Ægypto eduxi, & à servitute liberavi. Neque ullum tibi idolum, aut effigiem ex rebus cælestibus aut terrestribus, efformabis, quod colas aut adores.*

Exod. 23. Neque per externorum Deorum nomen iurabitis.)

2. *Non abutéris Dei nomine, sive inter iurandum, sive quidpiam faciendum; temerè & in vanum.* Pœna periurio comes erit.

3 *Sabbato feriaberis*; neque, in rebus divinis dedditus, opere id ullo profanabis.

4 *Parentibus honorem debitum præstabis.* quo facto vitæ diuturnitatem in terrâ promereberis.

5. *A cæde abstinebis.*

6. *Non adulteraberis.*

7. *Furtum non committes.*

8. *Falsi testimonij dictionem adversus proximum tuum non depones.*

9. *Non concupisces uxorem proximi tui.*

10. *Non domum, nec agrum: non servum, neque ancillam: non bovem, neque asinam: neque quidquam alienum.*

Leges autem geminas Deus præscripsisse videatur: ex quibus una ad religionem, decem præceptis comprehensam; altera ad Iudicia, sive Disciplinam civilem, pertineret. quæque potissimùm de Cæde, Furtis, Vsurâ, Stupris, & Falsi testimonij dictione, &c. ageret.

Quæcumque ea Deus, quæ dixi, palàm promulgaret & Tubæ nihilo minus circumstreperent, lampadesque inardescerent; & fumo mons undique omnis obtegeretur: populus præ timore rei insolentis cohorrescens, neque Dei vocem sustinens; poposcit à Moyse, ut ipse solus cum Deo colloqueretur, & audita ad se referret. Ille autem propria Iudiciorum præcepta à Deo iussus est exponere. quorum hæc summa.

PRÆCEPTA IVDICIORVM PROPRIA.

„HEBRÆUM *puerum, pecuniâ emtum, sex quidem annis esse serviturum: sed post hæc, unà cum uxore si quam antè habuerit, liberum fore. Sin autem sponte suâ, præ uxoris, & liberorum, quos ex eâ susceperit, desiderio, in servitute pristinâ permanserit; aurem sibi subulâ, ad postes herilis domus, perforari; & perpetuæ se servituti* (ad Iubilæum usque *coram Iudice, addici patietur.*

„*Filia, quam pater famulatui cuiuspiam mancipârit; more ancillarum, quum libertate ea donantur sine mercede, servitio non exibit. Si hero, cui tradita fuit, displicuerit; ab eo dimittetur. Neque, si eam ad peregrinas fuerit, genti alienæ vendere fas erit. Si filio eam suo despondeverit; pari cum filiabus dote honestabit. Si it alteram superduxerit, nuptias puellæ, vestem & dotem, ceu quoddam amissæ pudicitiæ pretium, procurabit. alioqui in gratis exire licebit.*

„*Si quis hominem volens occiderit; capite pœnas luat. Qui imprudens; ritè exsul in Asylum sibi constitutum, perfugiat. Qui malignè & per insidias occiderit; à Dei etiam altaribus avulsus, morte plectatur.*

„*Qui patrem, matremve pulsaverit, conviciumve eis dixerit, capitali supplicio adficitor.*

„*Si quis Hebræum, mangonio sive plagio subreptum vendiderit; noxæ convictus, morti dedatur.*

„*Si rixâ inter viros coörtâ, alter alterā saxo pugnove percusserit: neque mors fuerit consecuta: sed is, post aliquantam, ex infirmitate aut vulnere, in lectulo decubationem, convaluerit. percussor à crimine quidem erit immunis, sed desitas læsi operas compensabit, & sostra medico persolvet.*

„*Si quis servum proprium, servamve, flagris ita ceciderit, ut eo ex ictu, è vestigio, obeant; reus iudicio fiet. Sin ad biduum illi supervixerint; noxa eximetur.*

„*Si iurgio inter viros exorto, alter mulierem prægnantem percusserit, & partum, illâ superstite, excusserit, multam, quam arbitri constituerint, marito exsolvet. Sin mors mulieris fuerit subsecuta, sanguine luet:* ut in simili cæterorum membrorum ruptione aut offensione, pœnam, ex pacto & lege, Talionis subibit.

„*Si quis servo aut ancillæ oculum dentemve extorserit; ipsi vindictâ liberabuntur.*

„*Taurus, si cornibus hominē petens occiderit, lapidibus obruetur. Si verò dominus vitij in bestiâ guarus, & palàm à vicinis commonitus, minùs consulaerit: aut ipse morte punietur, aut pretio se redimet, quantum accusator poposcerit. Si servam taurus occiderit; bove lapidato, triginta drachmæ domino numerabuntur.*

„*Si bos aut asinus, in cisternam, quam quis recèns effodit, neque cooperuit, fortè deciderit; ab illo pretium enectæ pecudis exigetur.*

„*Si bos alienus alterius bovem peremerit, ipsi domini inter se, & vivi bovis pretium, & cadaver emortui, dispertient. Quod si dominus vitij in tauro præscius, non consulueris; taurum suum cedet, & cadavere alterius integro potietur.*

„*Si quis bovem aut ovem, furto sublata, occiderit aut vendiderit; in illo quinctupli, in hoc quadrupli pœna esto.*

„*Si fur in ipsâ ædium effractione, vel parietū suffossione prehensus, letale vulnus acceperit, percussor à culpâ criminis immunis erit.*

„*Sin orto Sole id patrârit, iam homicidij pœnas luet.* (Al. Nocturnum furem occidere, fas: diurnum, nefas esto. nisi cum telo furtum tueri contendat.)

„*Si fur furto reddendo non est, venumdetur.*

„*Si viva penes abactorem pecora reperiantur, dupla restituito.*

„*Si quis agrum alienum, vineamve læserit: aut iumenta sua in alterius sata, ad depascendum, immiserit; ex suo agro, vineâve damnum resarcito.*

„*Si fortuito incendio vel segetes, vel acervi fru-*

gum exasti fuerint; damnum ab eo, qui ignis succensi auctor fuerit, reciperabitur.

,,Si depositum perierit; is, penes quem depositam fuerit, si modo nihil se dolo egisse apud Iudices iuráris, non tenebitur. Alioqui ipse, uti & fur inveatus, duplionis pœnam subibit.

,,Si quis aliena custodiæ iumenta sua commiserit; eaq., nullo suspectante, mortua aut debilitata, aut ab hostibus capta fuerint; depositarius, interpositâ iurisiurandi religione, absoluetur. si furto ablatum, damnûs deponenti esto. si à bestiâ interceptum, cadavere reddito, liberabitur.

,,Si quid eius, quod dixi, generis, utendum quis à proximo acceperit: & absente domino, emortuum aut mutilatum fuerit; de damno tenebitur. Domini verò presentia, potissimum si id alter conductum operis sui mercedi imputet, eumdem excusabit.

,,Si quis virginem nondum desponsam corruperit; dotabit eam, & ita uxorem accipiet. sin pater puellæ nuptias recusarit, dotem raptor dabit.

,,Maleficorum criminis obnoxios, è medio tollendos curabis. Et quicum pecude se commiscuerit, quique Dijs alienis immolarit morti dedatur.

,,Advenis nullam molestiam exhibebitis. ob memoriam vestræ in Ægypto peregrinationis.

,,Viduis & orphanis nihil incommodabitis: alioqui uxores vestræ & filij, vobis vindice Dei gladio interemtis, pari cum calamitate conflictabuntur.

,,Pauperem è tuâ gente debitorem, nec importunâ exactione, nec acerbis usuris oppressum tenebis. neque eius vestem, nisi ad solem occasum, oppigneratam detinebis.

,,Iudicibus & principibus populi, diras non imprecaberis, nec eos maledictis incesses.

,,Decima & primitiæ sine morâ exsolvenda. & omnia tam ex hominibus, quàm animantibus, primigenia; Domino, rerum omnium creatori ac principi, septimo die offerenda. Et sanctitati studendum ijs, qui Deo grati esse velint.

,,A carne, quam fera mordicus prægustârit, abstinendum.

,Coitiones in mendacium, aut falsum testimoniũ, aut quâcumque in malitiâ, non facienda. Nec à vero aut æquo discedendum.

,,Inimici pecus, exerrans, non præteribis, sed reduces. & si idonei succubuisse videris, sublevabis.

,,Innocentem & iustum non occides. Ea namque impietas Deo summè exosa est.

,Munera non accipietis. quibus vel prudentes excæcantur; vel iusti etiam ad perversitatem inducuntur.

,,Advenæ benignè à vobis habendi. quales apud Aegyptios fuistis.

,,Sex diebus opus faciendum: septimo, qui sabbatum est, requiescendum. Et post continentem sex annorum sementem, & frugum perceptionem; septimi anni reliquiæ pauperibus & egenis relinquẽdæ. (Qui Annus Sabbaticus dictus: uti Quinquagesimus, Iubilæus.)

FERIÆ ANNIVERSARIÆ.

Hisce omnibus, quæ observanda Hebræis Deus proposuerat, ista deinceps subiecit:

Quotannis tres ferias solemneis, suis quasque vicibus, & muneribus votivis, concelebrabitis.

1. *Pascha, cum Azymis, per septiduum, quo mense ex Ægypto egressi estis.* (Qui primus, & Nisan, & novarum frugum, dictus est; & in vernum incidit Æquinoctium.)

2. *Pentecosten* (cui præcidaneæ præmetiæ messis triticeæ) *ipso die quinquagesimo, post alteram Azymorum diem. mense Sivan*, & u esse iam perre... à.

3. *Scenopegia*, sive Tabernaculorum (quæ feriæ, alijs, uti Tubarum, Expiationum, sive Ieiunij, & Collectorum festis, erunt succidaneæ.) collectis tunc demum sub exitum anni (al. redeunte anni tempore; *Tisri mense, sive Septembri præcipiti*, sub æquinoctium auctumnale (Quo annus, ex antiquo Hebræorum more, desinebat olim & inchoabatur) omnibus ex agro frugibus, quæ conduntur; & vel areæ, vel torculari destinantur.

Ter itaque quotannis, quibus dictum est, ferijs, quidquid masculi sexus fuerit, in Templo, quod Dei cultui consecratum esset, sistere se; & frugum primitias comportare, iubentur.

Quæ autem Deo offerenda erant; azyma esse oportebat. Et ne sacræ flammæ materia deesset, hostiarum adipes eodem die absumi.

Ab earum autem animantium, quæ recèns in lucem prodijssent, & adhuc tenellæ essent, esu abstinendũ: neque eas, materno salsum lacte, condiendũ.

Deus prętereà, si eiuscemodi mandatis sedulò & constanter obtemperarent; & Angelo, quem ducem itineris ipsis erat præbiturus, audientes dicto forent: omnibus vicissim bonis cumulatos & tutos, in vacuam Chananææ regionis possessionem introductum iri, promisit. Quæ quidem a mari Rubro, ad mare Palęsthinurũ; & à deserto Ægypti, ad fluvium usque Euphratẽ, longè latèq; extẽderetur.

Postero die (à lege acceptâ) Moses, Altaru, ex xii. lapidibus, ad montis radices exstructo: sive xii. Titulis, aut columnis per xii. Tribus erectis, totidem vitulos immolavit. & populum sanguine adspersit. Sanguinẽ federis, quod Deus, ex recenti legis lectione & adprobatione, cũ illis pepigerat, interpretatus.

Ipse verò rursum in montem, in quo Dominus consistebat, iussus adscendere, Aaronem, & Nabadum Abiudumque eius filios, & LXX. natu maiores, secum adscivit. Hi quantumvis Dominum ipsum intueri non valerent, locum tamen, in quo ille state; aut thronum, in quo considere. & pedibus premere videretur, inspexerũt. mirabili quasi lapidis Sapphirini forma, & eximiâ ceu cœli sereni claritate, spectabilem. Et tantùm abfuit, ut LXX. illi, qui procul à castris, ad Deum videndum, recesserant, ullò incommodo sint adfecti; ut eadem etiam naturę munia, esu & potu, testarentur.

Moses autem a Domino arcessitus, ut Tabulas lapideas, & legem ac mandata, in eis exarata, acciperet, eamque doctrinam populo traderet. senioribus foris exspectare, & siquid intereà in populo controversum esset, ad Aaronem & Hurem referre iussis, solo Iosua comitatus, ad altiora conscendit. Tunc vero mons nube opertus est: & Gloria Domini super Sinæo monte, ita nube contecto, ignis ardentis latèque conspicui in morem, diebus sex habitavit. Eo autem die Moses & Iosua ieiunio inj-

no initiati esse putantur.)

Septimo, Moses solus (Iosuâ in priore loco adhuc subsistente, uti videtur) e caligine evocatus, in montis cacumine; & in interiorem nubem, quæ Dominum circumsteterat, ingressus, XL. dies, totidemque noctes illic hæsisse traditur.

Quo tempore, Deus cultûs sui exercendi rationem, ritus & cerimonias præscripsit. quæ Tabernaculo cum suis vasis; Arcâ testimonij seu fœderis; Oraculo seu Propitiatorio, cum 2. Cherubis; Mensâ; Candelabro cum lucernis; Altari, cû lebetibus, &c. Vestibus Aaronis & filiorum sacerdotum, eorumque consecrandi ritu; sacrificijs quotidianis, Altari Thymiamatis, Labro æneo, Sabbati observatione, & alijs ferè continerentur.

Ad hæc autem omnia efficienda, peritissimos artis opifices duos, Beseleelum F. Huri, nepotem Hur, ex Tribu Iudæâ (Ios. Vronis & Mariammes, quæ Mosi soror, filium. Lapid. Hic Hur filius Calebi, qui fuit Esronis, qui fuit Pharesi, qui fuit Iudæ) Et Ooliabum filium Achisameci. (Iosep. Eliabum, Isamachi F.) ex Danitis, nominavit. Duas denique lapideas Testimonij tabulas, quas suâ manu ipse descripserat, Mosi tradidit.

Hæc fusè tractantur à 25. c. Exod. ad 32.

IDOLOLATRIA, sive VITVLI ADORATIO:

DVm autem in monte immoraretur diutius Moses; populus desperato eius reditu, (Iosep. quem alij a bestijs devoratum, alij à Deo raptum, vanè iactabant) Aaronem adgressi, ut Deorum, qui sibi, scilicet, duces posthàc in Chananæam itineris, vel in Aegyptum reditûs, essent, simulacra faceret; adegerunt. At ille gravatè, ex auro collatitio (inauribus matronarum & puellarum) Vitulum (quod fortè Apim, sive Serapim Aegyptium, ex patriâ superstitione, adorare constituissent) opere fusili conflavit, & scalpello efformavit. Quo conspecto *Deos illos esse, qui se ex Ægyptiorum servitute vindicâssent, læti conclamârunt.*

(Ios. hoc crimen populi silentio præterit; fortè ne gentem suam apud Ethnicos tam impiæ stoliditatis traducat.)

Hoc factum Aaronis variè varij interpretantur.

Ipse, ut tam improbæ populi pervicacitati moram objiceret, Altari ex-adversum erecto, ferias in crastinum Deo solennes, præconis voce indixit: & fortè, unà cum ijs, qui melius sentirent, (inter quos Nadab, Abiu, Hur & LXX. Seniores) piaculares, pro errore, quod invitus susceperat, victimas immolasse, censeri possit. quùm populus contrà, vino & ventri deditus, cantu & choreis Idolum novum veneraretur.

Lapidan. vult hîc lapsum Aaronem, qui studio popularis auræ & ambitione eò sit adductus; ut non iam metu, sed sponte suâ Altare Vitulo ædificârit. Eum... a Ferias Domini, non Vituli, dicit. sperabat se... Mosen priùs rediturum.

Theod... Si propositum & scopum huius facti consideremus; non erit Aaron indignus veniâ, qui Hebræos in Aegyptum recogitanteis distinere voluit. Diodor. Veritus, si fortè caussam non susceperit, ne sibi alium principem legerent. moras & difficultates interposuit. In Vituli dedicatione... tempus exegit, ut Sacrum in Moseos reditum incideret. Postridie eius diei Altare Domini... erexisset, sacrificium obtulit pro tanto crimine, quod invitus susceperat.

... rill. Aaronem bellè irrisisse sacrilegorum conatus, cum simulacro Vituli producto, subiecit; *En hi sunt Dij tui!*

Vide... ipse ad Moncei. Si propiùs animadvertimus, & in extructione altaris, & solennitatis in diem crastinum indictione, aliquid video, quod Aaronem vehementer purget à crimine; factique infamiam non parùm extenuet. Vt per moram temporis ardor populi paullatim defervesceret; possetque interea de Moyse nuntius aliquis intervenire; differt solennitatem. Quo facto ostendit se animo ab hâc impietate alienissimo fuisse. licet metu fortasse-an rem absurdam, ut priùs, fecerit, &c. Sic illi.

Hanc populi sui insaniam, ex alto, nec sine iusto dolore, despectans Deus, improbos, & tot beneficiorum immemores, nisi à Moyse, qui cum adhuc colloquebatur, anxiitùs fuisset exoratus; penitùs delere decreverat.

Digressus itaque inde Moyses, postquàm populum, in luxu & sacrilegio deditum, saltare coràm deprehendisset; duas è lapide Tabulas Testimonij, quas manu Dei exaratas, & ab eo acceptas, deferebat, ad montis radices impegit & confregit. Quùm enim Tabulæ istæ dotalium instrumentorum instar haberent; Sponsa verò in ipso limine Thalami ad committendum adulterium declinasset; iure dotaleis litteras confregit.

Vitulum exustum, & in pulverem comminutum, in torrentem, qui è monte exoriebatur, proiecit, & potum ex eo, populo, miscuit & propinavit. Atque adeò, acceptâ Aaronis purgatione, Levitas ad se adgregavit: & concursu per castra facto, districtisque gladijs, promiscuè & nullo discrimine, eos ex populo, quos nuditas, (honoris pristini & divini præsidij inopia) & vultus, fortè-an, tanti sceleris conscius, arguebat; trucidare præcepit. Quo impetu XXIII. (al. XXXIII. At 70. Interp. III. tantùm) millia nocentium virorum peremta traduntur.

Postero die Moyses, expositâ, coràm reliquâ multitudine, peccati, quo Deus offensus fuerat, gravitate; ipse eum, pro sceleris admissi veniâ, deprecaturum se, spopondit. Quod tanto quidem animi studio & contentione fecit, vt potiùs è libro Vitæ expungi passurum se diceret, quàm populus divinæ misericordiæ expers negligeretur.

Quùm nihilominus Moyses Deum non sustinere audijsset, ut inter eos ampliùs versetur: sed Angelo negotium daturum, quo duce in sedes sibi promissas deducantur; à precibus non priùs destitit, quàm Deum exorâsset: ut suâ ipse præsentiâ eos porrò protegere & ducere dignaretur. Atque immò, quùm populus, tam acerbâ divinæ iræ denuntiatione perculsus, deposito ad Horebum ornatu, tristiore, quoddam pœnitentiæ spe-

tiæ specimen ediditset, Moyses Tabernaculum extrà castra, uti tanræ gratiæ indigna, constituit; & populi controversias ibidem diiemit. Et quotiens in id fuisset ingressus, columna nubis pro foribus adstare, & DOMINVS coràm cum Moyse colloqui visebatur.

Illi autem, pro tam intimæ familiaritatis iure, deposcenti, ut Dominum in maiestate propriâ adspectaret; responsum est: faciem, sive formam Dei radiantem, mortalibus oculis cerni non posse: posteriora tamen eius, sive tergum (speciem humanitatis CHRISTI, sive Carnem in Transfiguratione) aliosve diuinæ gratiæ effectus, videre concessum. (Idque per foramen petræ, hoc est, oculum fidei, spe contemplantem rerum abditarum arcana.)

Iussus ille duas tabellas, instar priorum, quas confregerat, præcidere; & mâne iterum in montis verticem, sine arbitris, adscendere; ibi Deum, nube lucidâ obtectum, multa deprecatus, & propitium nactus; multaque vicissim, *de commercio cum profanis gentibus in posterum vitando; de obseruandâ anniversariarum feriarum, Pascha, Pentecostes, & Scenopegiorum, atque adeò Sabbatorum, celebritate: de primigenis Deo consecrandis;* alijsque edoctus; post dies XL. totidemque noctes, sine potu & esu, in tam suavi Dei adloquio transactas, cum novis Federis, sive X. præceptorum, Tabulis, manu Dei inscriptis (mense septimo, qui Tisri dicitur, & Octobri nostro ex parte respondet. decimo die eiusdem mensis, hoc est, secundo nostri Octobris) de monte descendit.

Eius autem, in descensu, facies tantâ luce renidére visa est, ut intueri eum Aaron & populus non valerent. & quòd insuetatâ radiorum, quos è fulgore Dei, secum colloquentis, contraxerat, & cornuum in morem diffundebat, claritudine adstantium oculos præstingueret; ipse vultum velamento obregere coactus est, atque ita palàm Dei mandata refertt.

SACRÆ CEREMONIÆ, VESTES, ET TABERNACVLVM.

POSTRIDIE itaque, quæ sibi à Deo præcepta fuerant, exponere palàm cæpit: quæ scilicet ad cultum divinum pertinerent. de Sabbato, Primitijs, Tabernaculo construendo, Arcâ, &c. Sic ut Hebræi verbis eius accensi, aurum, vesteis, purpuram, byssum, gemmas, (Aegyptiorum spolia) aliaque munera, certatim & in commune contulerint, ex quibus Tabernaculum, eiusque interiora ædificarentur. Vt ob immoderatum in conferendo studium, Præconis voce, populus ab ulteriore largitione coërceri debuerit.

Omne aurum, quod oblatum est in donarijs, (& dein expensum) XXIX. Talentorum fuit, & DCCXXX. siclorum, ad mensuram sive pondus Sanctuarij.

Talentum vulgarium, libræ erant LX. Sacrum verò CXX.

Libra, quæ & Mina & Pondo; Vnciæ XII. al. Sicli XXV.

Sielus vulgarius, drachmæ II. Sacer, IV.

Alijs verò Talentum constabat Minis C. & Mina drachmis CCXI.

Alijs Talentum valebat III. Millib. Siclorum.

(Lapidanus vult Talentum Auri, valuisse XII. Mill. coronatorum Francicorum. & Argenti, III. Mill. florenorum.)

Collatum verò fuit ab ijs omnibus, qui de DCIII. Millib. & DL. Armatorum, annum vicesimum, & suprà, excesserant.

Fuerunt præterea C. Talenta Argenti, & MDCCLXXV. sicli. Æris quoque LXXII. M. & CD. sicli. præter extraordinaria Mulierum, texendi & nendi peritarum, munuscula.

TABERNACVLVM autem, Ædificium erat, Templi instar, ex lignis effectum, quod particulatim compingi ac dissolvi, & quoquoversus deferri posset.

In eo, locus interior & sanctior, velo distinctus, Sancta Sanctorum, appellatus est. Et ibidem Arca Federis, cum duabus Decalogi Tabulis, adservabatur: quæ, operculi vicem, habebat Propitiatorium, aliàs Oraculum, duobus Cherubis, alas super-expandentibus, insignitum. cui proximum Altare aureum Thymiamatis.

Extrà Velum autem, Mensa erat; cum XII. panibus sacris, Propositionis. Candelabrum prætereà cum lucernis septem, & Labrum aureum.

Extrà Tabernaculum verò, cum Labro æneo ex speculis mulierum, Altare erat æneum Holocausti.

Prætereà Atrium, obversis in quatuor mundi plagas tentorijs, & columnis distinctum.

Hæc omnia à Beseleëlo & Ooliabo, quos dixi, architectis (præter alios Opifices, istiusmodi peritiâ præstanteis, qui ultrò operas suas hîc commodarunt) adfabrè elaborata sunt. Idque ex præcepto Moysis, in ceremonijs Levitarum, per manum Ithamari, qui Aaronis sacerdotis alter fuit filius.

VESTES quoque, quibus Aaron, Mosis frater, una cum filijs suis, Nadabo, Abiudo, Eleazaro & Ithamaro, pridem designatus, & in sacerdotij parteis adscitus, inter sacra ministeria indueretur; summo ab iisdem artificio confectæ.

Epomis, sive Super-humerale, Ephod dictum. in cuius utroque latere singuli lapides (Onychini, al. Sardonyches. al. Smaragdi) auro inclusi; & arte gemmariâ senis utrimque Patriarcharum, sive Filiorum Iacobi, hine maiorum, inde minorum, nominibus insculpti.

Rationale, quod Iudicij appellarunt, Quadrangulum, in pectore, cum quatuor lapidum ordinibus, in quibus indem XII. Israëlitarum Tribus singillatim essent inscriptæ. In eo erat Doctrina & Veritas (Hebr. Vrim & Thummim)

Tunica talaris hyacinthina: in cuius extremâ, ad pedes

ad pedes, sive talos usque, parte, XXXII. mala punica t...id ... n tintinnabulis intermiscebantur.

Tunica è lino, stricta, rugæ omnis expers.

Feminalia linea, ad genua poplitesque promissa.

Baltheus, Cingulum sive Zona, quæ lineam Tunicam, umbilicum inter & pectus, adstrictam cohiberet. & hinc, ad crura dependeret; indè, in lævum humerum retorqueretur.

Tiara, sive pileolum rotundum, bifidum, non autem acuminatum: quæ & Cidaris.

Lamina aurea (Hebr. Corona sanctitatis) quæ Tetragrammato Dei nomine inscripta, fronti immineret.

2486. Anno II. ab Egressu ex Ægypto, & à principatu Moysis; mensis primi die primo, (quem VI. Kalen. Aprilis fuisse volunt) indictis ferijs & solemnibus sacris, inunctum, erectum & dedicatum est TABERNACVLVM, ab omnibus ijs, quæ Deus Moysi facienda mandárat, instructum. 1464.

Fuerat id à XXIIX. die mensis quincti, anni primi ab Egressu, per menses VII. cum vasis suis, fabricatum.

Eo consummato, nubes supernè delabens omnia operuit: & Maiestate DOMINI latè coruscante, ipse Moyses aditu in tectum federis exclusus est. Eâdemque nube à Tabernaculo discussâ, Hebræi iter turmatim capessebant. & desuper iterùm impendente, sistebant. Toto namque itinere, & Nubem interdiu, & Ignem de nocte, Tabernaculo incubare conspexérunt.

Hactenus EXODVS. qui Liber totus ad primum annum attinet. Cuius quidem primi anni, (qui cæperat XV. die mensis Nisan, quo Phase primum celebrárunt) hæc summa est.

VII. die, ab Egressu, Hebræi ad mare Rubrum adpulsi sunt.

Ad XV. usque diem mensis insequentis, (Aprilis) frumento, quod secum ex Ægypto exportárant, usi. Deinde, in deserto Sin, Mannâ, & semel Coturnicibus. (Exod. XVI.)

XXII. die, primam Sabbati celebritatem agitárunt.

Mense III. qui Sivan & Maius, in Sinæum montem perventum. Et VI. die, qui Pentecoste, hoc est, L. ab Azymis; ad eundem montem, XII. statione, traditus est Decalogus. Sed & Lex, multò quàm anteà uberiùs, per XL. dies continenteis, quibus Moyses ieiunus in monte consedit. usque ad XVII. mensis quarti, (qui Thammus & Iunius) explicata est. Quo quidem die quùm populus peccásset, descendit ille & tabulas confregit. Idem XXIX. eiusdem mensis placavit Dominum.

XXIX. Ab, sive Iulij, iterùm adscendit; & mensem Augustum ieiunio transigens, usque ad X. Septembris, alteras Tabulas à Deo consecutus.

Deinde per quattuor menseis integros Tabernaculum, quęque ad illud pertinebant, absolvit.

Hinc XXIII. die mensis Adar, sive Februarij, cæpti sunt dies Consecrationum; & primo die Nisan, sive Martij, expleti.

Sub idem tempus, quo DEVS Ecclesiam in Abrahami familiâ parturiebat; Sathan in Gentibus superstitionem propagare contēdebat. Bina namque oracula à duâbus colombis, ex Ægypto provolantibus, manâsse putantur: Hammonis quidem in Libyâ; & Dodonæi, Iovis in Græciâ. Herod. l. 2. tradit II. fuisse feminas Sacerdotes, Thebis, ex Ægypto, à Phœnicibus abductas & venumdatas.

Hamnonis vocabulum ab Ham, sive Cham, Noéi filio, fluxisse videatur. Dodanim verò mentio est Genes. X. filij Iavan, nepotis Noéi. Idque fortè ut geminis Hebræorum oraculis, Vrim & Thummim in Ephod, responderent. Ex quibus unum erat mutum, perinde atque Hammonium: alterum, æquè ac Dodonéū, vocale, à vivâ vel Dei, vel Vatis, voce.

Vide Ios. lib. 3. c. 9. de lapillis, qui Sardonyches, quos Pontifex in humeris gestabat; & alijs XII. gemmis, Oraculo inclusis.

Exin Liber LEVITICVS, consequitur.

SIc dictus, quòd Levitarum, quibus sacri ministerij ius traditum erat, officia & munia complectatur. uno mense, qui primus erat anni secundi, à Deo dictatus. In eo, ritè litandi præcepta traduntur; & mandata etiam, ceu quædam latæ superiùs Legis appendices, addūtur, plena omnia sacerdotalibus institutis & mysterijs.

Huius libri tres sunt partes. Prima agit de sacrificijs, eorumque varietate & discrimine. à cap. I. ad 8.

Secunda, de personis offerentibus, & adparatu; à cap. 8. ad 23.

Tertia, de temporibus ad offerendum destinatis, à cap. 23. ad finem. Vbi nonnulla de Votis, eorumque redemtione.

Quæcumque narrantur à cap. XIX. Exodi, ad finem eiusdem: quæque toto hoc Levitico: & Numeris, usque ad cap. 10. in Sinai gesta sunt omnia. Verùm hæc Levitici præcepta in Tabernaculo, recèns fabrefacto, tradita sunt Moysi à Deo, anno 2. Egressûs. qui fuit ab O. C. 2455. (Lapidano. Is namque omittit Cainani annos: alioqui nobiscum consentit.)

DEVS itaque Moysem ad se de more evocatum, edocet, totam sacrificiorum rationem; & oblationum discrimina præscribit. Quorum quidem sex genera memorantur. Holocaustum; Munus, (al. Libamina). Oblationes; Vna pro peccato, & altera pro delicto. Sacrificium consecrationis; &, quod vocant, Pacificum, vel Salutare.

Et Ho-

Et Holocaustum quidem, igne divino consumtum, Domino totum cedebat, pelle tantùm hostiæ Sacerdoti relicta.

Munus, Dei erat & sacerdotum.

Pacifica, pro impetrando felici rerum successu, aut pro gratiarum actione, Deo, Sacerdoti, & offerenti impertiebantur.

Ex ijs verò, quæ pro peccatis, scienter, sive imprudenter admissis, offerebantur; renes & iecinora Deo adolebat; & carnis reliquum Sacerdotes edere soliti.

DEVS certè, qui nullius rei indiget, & se talibus victimis, si cultu interno destituantur, nequaquam delectari, per sacros subinde Vates, declaravit; quò populus tamen, qui multos iam annos, in Aegypto, Dæmonijs sacra fieri vidisset, & facere etiam didicisset, atque adeò gestiret; peregrinam superstitionem faciliùs exueret, ritus quosdam sacrificiorum instituit & permisit. hâc tamen cautione.

Vt quæ apud Ægyptios in honore erant & colebantur, ea sibi mactari iuberet. Ex quadrupedibus quidem, vitulum, capram, ovem: ex volucribus, turturum, columbarúmve pullos. Quæque mitiori prædita erant ingenio, destinarentur aræ: cætera verò immunda censerentur.

Sic effecit, ut ipsi pariter hæc abominati, è numero Deorum penitus expungerent: illa verò dona, quæ votis hominum essent obnoxia, pro Deis non haberent. Atque ita illum solum colerent ac venerarentur, cui talia, pro ratis singulorum facultatibus, oblatum & consecratum irent.

Paullo-pòst Moyses, coacto ad Tabernaculi fores totius populi cœtu, Aaronem, & filios eius obtulit & lavit. Et illum quidem, uti Pontificem decebat, &, quo præscriptum erat, vestitu ornatum, oleo super caput effuso, unxit & consecravit: hos verò, tunicis lineis vestitos, baltheisque accinctos, mitris capita redimivit.

Hic observa Pontificem his vestibus, & hoc ordine vestiri solitum. 1. Femoralibus lineis. 2. Super ea, lineâ tunicâ. 3. Tunica Cingulo constringebatur. 4. Eidem lineæ Tunicæ Hyacinthina subijciebatur. 5. Huic superinducebatur Ephod cum Rationali. 6. Ephod cingulo polymito adstringebatur. 7. Caput Tiarâ operiebatur. 8. Tiaræ appendebat lamina aurea, cui inscriptum SANCTVM DOMINO.

Minores verò sacerdotes quatuor vestes habebant: Femoralia, Tunicam lineam, Zonam, & Tiaram.

MOYSES deinde hostiarum, quas manibus suis Sacerdotes contigissent & immolâssent, sanguine; unguento (Ioseph. & aquis fontanis) ipsos, cum vestibus, adspersit & expiavit. Et peractis id genus cæteris ceremonijs, dies septem in Tabernaculo permanere, & quasi pervigilium agitare iussit.

Octavo autem die, Aaron munus Pontificium, filijs iam sacerdotibus, & sedulò administrantibus, exercere cæpit. Et holocaustis ac pacificis, hostijsque [pe]cularibus, ritè iam comparatis, & suo quibusque loco compositis; quùm manu extensâ populo fausta quæque imprecatus, ab Altari descendisset; & unà cum fratre in Tabernaculum ingressus esset; Ecce de-subito, & divinâ quâdam vi, Ignis, fulguris in morem, coruscus emicuit: & inspectante populo, omnia in Altare imposita flammis suis absumsit.

Hunc Ignem è cœlo delapsum sacerdotes, lignis adpositis, ad Captivitatis usque Babylonicæ tempora, perpetuum aluisse traduntur. Quo tempore in cisternam quamdam immissus, & post annos LXX. à Nehemiâ quæsitus; non ignis inventus est; sed Aqua spissa, quæ iterùm tamen divinitùs accensa sit. Vide lib. Machabæor.

NADABVS & Abiudus, Aaronis, natu maiores, filij, dum arreptis thuribulis ignem alienum & profanum de focis suis, non de illo Aeterno, qui noctu diuque subiectâ materiâ erat alendus, adolerent; (Ioseph. Quùm in Aram intulissent victimas, à præscripto alienas) Igne illo cœlesti, (ex altari holocaustorum, sive Thymiamatis) exusti sunt; & intactis licet eorum vestibus, pectora vultusque depasti, aut corpora adflati.

Sic DEVS, uti tum subiecit Moyses, *Sanctum se arguit, & Sanctitatis amantem:* & in Sacerdotes, qui sancta iura violassent, exemplum edidit.

Pater autem Aaron eam calamitatem, ut generoso animo pertulit; ita silentio dissimulavit. Et Moyses cadavera, per patrueleis suos, Misaëlem & Elisaphanum, Ozielis filios, è conspectu Tabernaculi tolli, & extrà castra asportari præcepit. (Ioseph. & honorificè tumulari) Et cum toto populo, super inopinatâ illorum morte, planctum permisit; tum patrem, cum duobus reliquis fratribus, à mœrore voluit abstinere: & neque capitibus rasis, neque vestibus scissis, luctum prodere. atque adeò ne pedem extrà Tabernaculi fores efferrent.

DEVS autem & per se, & per Moysem, leges Aaroni vivendique rationem præscripsit: quibus observatis sacerdotes & Deo placere possent, & ritè pro populo apud Deum intercedere. Deinde ostendit, quibus animantibus Hebræi vesci, & à quibus abstinere debeant. hoc est, quæ munda, quæve immunda censeantur.

Item, quot dies puerpera immunda esse statuatur; & quo eam hostiarum genere mundari oporteat.

Porrò lepræ, & utroque in sexu gonorrhoeæ, cognoscendæ & expiandæ rationem tradidit.

Præterea, quando, & quomodo Pontificem in sanctuarium ingredi; & quâ religione septimi mensis Ieiunium, peccatorumque expiationem, institui oporteat.

Et ut omnis impietatis, In clandestinis idololatris, tolleretur suspicio; quicumque vel vitulo, vel ove aut caprâ facere velit; sanguinem ad Tabernaculi fores, per sacerdotes, profundere; & ab eius gustu, & cuiusvis morticini esu, abstinere iussit.

Atque ut se maiorem vitæ sanctimoniam, morumque civilium honestatem, quàm vel inter Ægyptios

ptios animadvertiſſent, vel inter Chananæos deprehenſuri eſſent, in Hebræis deſiderare oſtenderet; hiſce eos legibus, non ſine præmio & futuræ vitæ ſpe, obſtrinxit.

POLITIA, ſeu Leges Civiles.

VT, cum à propinquorum quorumlibet, hoc eſt, à Patris & Matris, Novercæ; ſororis, ſive germanæ, ſive uterinæ. (al. Nothæ.) *Neptis, ſororis conſanguineæ, amitæ & materteræ: Tum ab Adfinium, hoc eſt, à Nurûs, fratriæ; privignæ, eiuſq; liberûm: à gloris; & mulieris, etiam propriæ, menſtruo profluvio fœdatæ, vel alteri enuptæ, conſuetudine & complexibus, nuptijsve, abſtinerent; ſeverè præcepit.*

Liberos ſuos Molocho (qui al. Baalus, al. Saturnus eſt) *per feraleis flammas conſecrare. Cum maſculo præpoſterâ libidine commiſceri: cum pecore coire*, vetuit. Ob hæc enim propudia, genteis Chananæorum è ſedibus ſuis iam-nunc exterminatum iri: & parem Hebræis, ſi paria deſignárint, in poſterum calamitatem impendére.

Hæc inſuper vitæ humanioris præcepta ſubiecit.

A meſſe & vindemiâ, ſpicarum racemorumq; reliquias, quas pauperes & peregrini colligant carpantve, avarè non invidendas.

A mendacio, fraude & impoſturâ, periurio, vi & calumniâ, à mercedis fraudatione, ab offendiculo, ab iniquo iudicio, à criminatione, ab odio, & ultionis cupiditate, abſtinendum.

Ex diverſi generis animantibus ſubolem non propagandam. Neque agros vario ſeminum genere conſerendos. Veſtem è lino ſimul & lanâ non contexendam.

Arborum pomiferarum fructus, quarto demum à ſatione anno, Deo ſacrandos; & deinceps privatim eduleis fore.

Comam calamiſtro non criſpandam, aut in gradus frangendam. Neque in luctu barbam radendam; aut ſtigmata inciſo corpori inurenda.

Filias à parentibus non proſtituendas.

Augurijs, & ſomniorum obſervationibus; magorum & ariolorum reſponſis; neque fidem, neque auctoritatem adhibendam.

Canitiei & ſenio honorem habendum.

Advenis nihil moleſtiæ exhibendum.

In ponderibus; & rerum ſive liquidarum, ſive aridarum, menſuris, ſtatam æqualitatem & rectitudinem ineſſe debere.

LEGES SACRÆ.

SAcerdotem abſtemium eſſe: neque cadaveris contactu, neq; funeris curatione, contaminari oportere. Præterquam parentum, liberûm, fratrum; & ſororum, ſed innuptarum & virginum. Neque vel raſo capite, vel genis laceratis, aut ſtigmatis (quæ omnia à ſanctimoniâ abhorrent) *luctum incendere.*

Scortum, aut vile proſtibulum; aut eam, quam maritus repudiarit: in coiugium non adſciſcendam.

Sacerdotis filiam, quæ ſtupro ſe, patriſq; domum inquinárit, flammis uſtulandam.

Pontifici verò, ſive ſummo ſacerdoti, neque caput nudandum, neque veſteis conſcindendas; Neque funus ul[...]us, Patris etiam aut Matris, procurandum, aut præſentiâ ſuâ honeſtandum. Ne ſanctam Tabernaculi ſedem incæſtet.

Caſtæ Virginis, & ſanctis prognatæ parentibus, nuptias, (cæteris, quæ vel impuræ, vel minus innocentis vitæ inſtitutum ſecutę fuerant, reiectis) *ei quærendas.*

Quicumq; è ſtirpe Leviticâ Aaronis, mutilo aut maculoſo corpore inſignes fuerint; cæci, claudi; ſimi aut ſilones; vari aut loripedes; manci, gibbi; lippi, luſcioſi; ferâ ſcabie aut impetigine aſperi; ramicoſi, aut monorches; à ſacris miniſterijs arcendos.

Ab eſu ſanctificatorum, ſive eorum quæ Iſraelitæ Domino obtulerint. *eſu; ijs præſertim, qui elephantiâ aut gonorrhoeâ laborant, abſtinendum.*

Victimas, vel ex voto, vel ſponte oblatas; ſive holocauſta fuerint, ſive pacifica; præter iuſtam in ijs ætatem, omnis maculæ experteis, & minimè vitioſas, eſſe, oportere.

De Ferijs porrò, quæ publicâ celebritate peragendæ eſſent, hæc addidit, ſive veriùs à capite repetivit. Illæ autem ſunt.

Dies Sabbati: Phaſe, ſive Paſcha cum VII. diebus Azymorum. Et alterâ die Azymorum, feſtum primitiarũ. Et poſt VII. hebdomades, ſive L. dies, Pentecoſte, cum feſto alterarum primitiarum.

Septimi autem menſis die primo, Feſtum Tubarum: & decimo, dies Expiationum. Et à XV. eiuſdem, Scenopegia, ſive Feriæ Tabernaculorum, per dies ſeptem. Et XVIII. Collecta, hoc eſt, Cœtus populi, ad celebritatem collecti.

Tradidit præterea, quo modo Lucernæ, oleo puriſſimo de nocte ardentes, extrà Velũ Teſtimonij in Tabernaculo Federis, perpetuo cultu & ritu eſſent concinnandæ, & ſuper candelabris imponẽdæ. Et XII. è ſimilâ, propoſitionis, panes (qui XII. Tribus numero æquarent, & altoris omnium Dei commonefacerent) in menſâ ſtatuendi; & quot-hebdomadis, thure inter ſacra adolito, mutandi.

Inter hæc accidit forte, ut in caſtris quiſpiam, filius Salumithæ, (quæ filia erat Dabri, è Tribu Daniâ) quemque illa è viro Ægyptio, inter Iſraelitas, ſuſtulerat; cum altero, gente Iſraelitâ, prior iurgio contenderet: & inter iurgandum, impijs maledictis nomen Domini violaret.

Quo nomine ad Moyſem adductus, & in carcerẽ coniectus; paullo-poſt, Deo ità mandante, & leges de blaſphemis, homicidis & percuſſoribus, ferentẽ; & teſtibus manus ſuas capiti rei imponentibus, extrà caſtra, lapidibus, ab univerſo populo, oppreſſus eſt.

ANNVS SABBATICVS, & Iobilæus.

DEVS præterea, non ea modò, quæ populo, per deserta erranti, in præsens conducibilia essent; verùm quæ etiam, post aditam Chananææ terræ possessionem, observari vellet, per Moysem promulganda curavit.

Et quemadmodum *septimo quoque die, quod Sabbatum dicitur, à laboribus respirare iusserat; ità septimo quoq; anno agros, cùm vineis, requiescere*, & ab aratro, satione, ac putatione, intactos: & quæ eo anno terra produxerit, publica omnia, usùsque ità promiscui *esse*, præcepit; ut neque indigenæ, neque advenæ, à fructibus iis colligendis arceri debeant. Hic annus Sabbaticus: quem trienni frugum copiâ Deus semper beârit.

Item, post septem Annorum hebdomadas, sive quinquies decem annos, (qui annus L. Iobilæus, hoc est, Remissionis seu Libertatis; à Tisri, sive Septembri, initium ducebat: & singulis annis Cornu arietino, sive Corneâ Tuba, denuntiabatur) *non modò à semente & messe supersederi iussum est; sed ut debitoribus etiam fenus remitteretur*. Et servi, qui, licet contribules, vel ob legis violatæ crimen, vel supplicij vicem, libertatem perdiderant, & sui iuris esse desierant, aut alteri ob inopiam se addixerant; manu-mitterentur.

Agri quoque ad pristinos dominos, hâc tamen cautione, *redirent*: Si venditor & emtor, ratione inter se subductâ, fructus maiores fuisse comperissent; venditor agrum reciperaret. Si plus expensi rettulisset emtor; ipse quidem, quod defecerat, aufrret, sed alteri possessionem pristinam cederet. Sin paria utrimque fecissent; possessio à vetere Domino revindicaretur.

Idem beneficij ius in domos esse, quæ in vicis, non munitis, sive villis, venijssent; neque antè Iobilæum fuissent redemtæ. Quæ verò intrà opidorum pomœria mancipio datæ fuissent; neque intrà annum vertentem pecuniâ redditâ à venditore receptæ; perpetuæ emtoris, eiusque heredum possessioni adiudicarentur.

Levius, quorum suburbana in mancipatum venire nequaquam possint, ut ædeis urbanas vel pretio redimant; vel, Iobilæo instante, recipierent, licere. Pecuniam aut alimenta, quæ tribulis, in rei familiaris angustiâ, mutua ab aliquo acceperit, cum fenore, aut acerbitate non exigenda.

Ex finitimis nationibus mancipia adsciscenda. Et ex advenis, famulos, hereditario etiam iure, ad posteros transmitti.

Sin verò Hebræus advenæ præpotenti, ob egestatem, se vendiderit; eum, vel per se, vel agnatorum adiumentúmve benignitate, redimi posse. sic tamen, ut pro operarum, quas dependerit; vel annorum, qui propiùs longiúsve à Iobilæo absint, ratione, pretium ex æquo aut imminuatur, aut augeatur. Cætero-quin Iobilæus eum, & liberos, in libertatem, seu liberali caussâ & manu, adserere censeatur.

DEVS autem, vt ad diligentiorem sui & sacrorum cultum, eorumque, quæ præceperat, observationem, Hebræos invitaret; præmia & pœnas proposuit. Obtemperantibus quidem, pluvias opportunas; adsiduam terræ arborumque fertilitatem; sedes ab hostili terrore, & à belluis tutas; incruentas de hostibus victorias. Immorigeris contrà, egestatem & morbos; sterilitatem, aut hosteis segetum infestos; belli offensiones, aut servitutem; cœlum impluvium, & terram malignam; immanem à feris vastitatem; pestilitatem & captivitatem; famem & stragem; meram denique, colonis in longinqua abductis, solitudinem. Resipiscentibus & ad saniora conversis, semper propitium se ac clementem fore.

Addidit ad extremum, *in Votis, quæ quis Deo fecerit, solvendis aut redimendis*, ratam portionem & cautionem. Vt votum maius non fit, quàm voventis facultates, aut ætas, aut sexus ferat: quod quidem Sacerdotibus æstimandum relinquatur.

Hæc precepta à Deo Moysi in monte Sinæo tradita, quæ Hebræos ipse edoceret.

XIV. die 1. Mensis, anni 2. ab Egressu, celebrârunt Hebræi secundum Pascha in monte eodem. Qui mensis Nisan, etiam Novarum frugum dictus est; quòd in Ægypto & Palæstinâ, nova tum secari soleant frumenta.

Immundi verò, aut quibus domus funesta; & qui stato tempore peregrè redire & adesse non potuerant; mense consequenti (14. Aprilis) Paschæ cerimonijs sunt perfuncti. Hæc Numeror. 9. c. ubi hysterologia quædam subesse videtur.

STATIONES ISRAELITARVM.

CONSEQVITVR deinceps Liber NVMERORVM. Sic dictus; quòd ibi populi Israelitici census ex DEI præscripto sit conditus. Et Mansiones, sive Stationes eorumdem (Loca, ubi castra, toto illo errore, stativa metati sunt) dinumerentur. Complectitur autem historiam, sive res gestas XXXIX. annor. à secundo mense Anni secundi Egressus, usque ad XL. ann. peregrinationis in deserto, sive, ad finem pænè vitæ Moysis; hoc est, ad initium mensis XI. anni XL.

2486. | Anno itaque II. ab Egressu, primo die mensis II. Aprilis. (Massæo, VI. Kalend. Maij) in Deserto montis Sinæi, | 1464.

Tribu Leviticâ anteà in sacerdotiū segregatâ; & sacris ministerijs, Tabernaculique custodijs, vacare iussâ; Moyses, animo ad rei militaris curam converso, & in eventum bellorum intento; reliquarum Tribuum Censum indicit. Et negotio delectis familiarum principibus demandato, numerum eorum, qui militari ætate essent; hoc est, qui annum vicesimum, & suprà, excessissent, & arma ferre possent, recensuit. Censa autem sunt eius-modi hominum capita, ad Sexcenta tria millia, Quingentos & Quinquaginta (al. DCL.)

DVODECIM itaque TRIBVS, sub principibus turmatim & vexillatim distributæ, castris undique in IV. Mundi plagas obversis, & quadrato agmine, Tabernaculum circumdare iussæ, hoc ordine consedérunt.

AD ORTVM, principes in expeditione.

IVDAS, Principe Nahassone, Aminadabi F. cum 74. mill. & 600.
ISSACHAR, Principe Nathanaele, Suari F. - 54. mill. & 400.
ZABVLON, Principe Eliabo, Helonis F. - 57. mill. & 400.
CLXXXVI. mill. & CD.

AD AVSTRVM, secundi.

RVBEN, Principe Elisuro, Sedeüri F. cum 46. mill. & 500.
SIMEON, Principe Salamiele, Suri-saddai F. - 59. mill. & 300.
GADVS, Principe Eliasapho, Duelis F. - 45. mill. & 650.
CLI. mill. & CDL.

AD OCCASVM, Tertij.

EPHRAIM, Principe Elisamâ, Ammiüdi F. cum 40. mill. & 500.
MANASSES, Principe Gamaliele, Phadassuri - F. 32. mill. & 200.
BENIAMIN, Principe Abidano, Gedeonis - F. 35. mill. & 400.
CIIX. mill. & C.

AD AQVILONEM, novissimi.

DAN, Principe Ahi-ezero, Ammisaddai F. cum 62. mill. & 700.
ASER, Principe Phegiele, Ochrani - F. 41. mill. & 500.
NEPHTHALI, Principe Ahirâ, Enanis - F. 53. mill. & 400.
CLVII. mill. & DC.
Summ. universè, DCIII. mill. & DL. (Ioseph. & al. DCL.)

Ioseph. vult inter Tribuum castra, quæ ad mille passus à Tabernaculo undequaque dissita essent, Areas intercessisse, & forum promercale rerum venalium, & opificum officinas.

LEVITÆ verò, mediâ inter contribuleis, itâ, uti dictum est, castrametatos, statione, à militiâ quidem immunes, sed religionibus dediti, Tabernaculum, utensilibus suis instructum, circà Atrium, in orbem cingebant; & id, uti inter proficiscendum deponebant; itâ inter metandum portabant & erigebant. Horum quoque numerus, sic initus: & stationes, circà Tabernaculum, certis cum singulorum munijs, adsignatæ.

AD OCCASVM, Tabernaculi posticum.

GERSONITÆ, geminas in familias, Lebniticam & Semeïticam, dispreti, sub Principe Heliasapho, Laëlis F. ab uno mense, sive tricesimo natalium die, & sup. - 7. mill. & 500.

Ex ijsdem, qui ad ministerium Tabernaculi, in suo quisque munere, per ætatem idonei essent, à XXX. (Ios. & 70. Interpp. XXV.) ætatis anno, & suprà, ad L. quique ITHAMARO, Aaronis sacerdotis Filio, parérent. - II. mill. & DCXXX.

AD MERIDIEM

CAATHITÆ, in IV. stirpeis distincti (Num. c. 26. additur familia Core) Amramitas, Iesaaritas, Hebronitas & Ozielitas: ab eadem teneriore, quam suprà diximus, ætate, sub Principe Elisaphano, Ozielis F. - 8. mill. & 600.

Verùm ex ijsdem, à XXX. anno ad L. recensi, & Eleazaro alteri Aaronis filio (qui prætereà inter reliquos principes & excubitores custodesque Tabernaculi, principatum obtinebat) parére iussi essent - 2. mill. & 750.

AD AQVILONEM.

MERARITÆ, in duos populos propagati, Moholitas & Musitas, sub principe Suriele, Abihaielis F. à mense, & suprà, dinumerati VI. Mill. & CC.

A tricesimo autem anno &c. recensiti, quibus Ithamarus, quem dixi, Aaronis F. præesset, III. M. & CC.

Summa universè ex priore censu XXII. M.

(Iosep. XXIII. Mill. & DCCCLXXX.)

Ex posteriore censu adultiorum VIII. Mill. & DLXXX.

AD ORTVM, anticam Tabernaculi partem.

Ipsi denique Moyses & Aaron, cum filijs, Amrami posteris, castra sua fixére; sed incensi. Quibus præcipua Sanctuarij custodia commissa, cum quodam in cæteros Levitas imperio.

HOC SCHEMA CASTRORVM.



Quùm autem Moyses, Deo mandante, ad extremum, masculi omneis sexus, & primæ tantùm ætatis, Israelitarum filios recensens, XXII. Mill. & CCLXXIII. repperisset: & hic posterior numerus, Levitarum eorum, qui ab eâdem ætate promiscuè fuerant censi, numerum excederet; quoniam omnes inter Hebræos primigenæ, Deo erant consecrandi, aut redimendi; eorumque vicem Levitæ explebant: præcepit, ut qui ex isto profanorum censu, superfluebant, pretio redimerentur; & pro quoque eorum sicli quinque (obolis viginti taxati) adnumerarentur, eaque merces Sanctuario & Levitis cederet: nemoque divinæ sortis & beneficij expers esset.

Atque adeò, ut non modò in Tabernaculo, sed in castris etiam suus sanctimoniæ & mundiiei constaret honos; omnes, qui elephantiasi, & gonorrhoeâ, & contactu morticini aut funeris, inquinati essent; è castris exterminari iussi sunt. Et siquis alteri iniuriam fecisset, præstare damnum.

LEGES CONIVGII.

ET quoniam summa Coniugij, quæ reip. benè moratæ pars non infima, felicitas in eo sita est, ut fides & pudicitia, præcipuum virorum pariter ac feminarum ornamentum, servetur; & unà cum familijs resp. legitimâ sobole augeatur: ne Hebræi, quorum ingenium noverat esse proclive ad sanguinem, levi etiam ex suspicione, profundendum, temerè ad pœnas de vxoribus, etiam innocentibus, expetendas concitarentur; Zelotypiæ examen sibi & sacerdotibus voluit reservari. Eæ namque, quæ falsò in suspicionem essent vocatæ, pòst iusiurandum & aquæ devotæ potum, maturo & felici partu proles enitebantur.

Quæ verò fidem Coniugalem, & Deum te-

stem fefellisset; disrupto ventre miserrimè interibat.

Qui autem seipsi Deo consecrassent; & ab usitata vivendi ratione segregâssent, (*Nazarei*) Alij perpetuum; alij ad certum tempus, *abstemij esse iussi sunt, & intonsi, infuneri* &c. donec voti sui dies explêssent.

Bini verò singularum Tribuum principes, tecta plaustra singula, cum duobus bobus, Tabernaculi per viam devehendi, contribuêrunt. Et in Altaris, recèns inuncti & sacrati, ministerium, eorum quisque Phialam, cum trulleo & acerrà, immensi pretij instrumenta. Ex quibus, hæc odoramentis; illà, farinâ, oleo subactâ, erant completa. Præterea, in holocaustum; vitulum & arietem, cum agno anniculo; & pro peccatis, hircum.

Victimas quoque, quæ salutares aut pacificæ habentur, per duodecim dies, assiduè, & suam quisque vicem, ijdem principes immolârunt. Boves scilicet duos, arietes quinque cum totidem hircis; & agnis anniculis.

Hic hysterologia quædam esse videatur. Quod hæc oblatio sit antegressa censum; (Altari iam-tum consecrato, & erecto Tabernaculo) quæ per XII. dies durârit.)

Deinceps quùm Moses in Tabernaculum, Oraculi consulendi causâ, ingrederetur; DEI vocem ad se loquentis è propitiatorio, quod erat super Arca inter duos Cherubos, exaudiebat.

Multa quoque de Candelabro & Lucernis, earumque situ, præscripta. Et Levitarum consecrandi ritus; & usus Tubarum ex argento, quibus populus ad castra movenda, ad bella, ad festa & sacrificia, conciebatur.

Torniel. vult sub hoc tempus Iobum illum Iustum decessisse; qui vixerit CCXVII. annos: quot sunt ab anno CXXX. Iacobi, quo natus ille putatur.

Eodem anno die mensis secundi XX. (hunc XV. Maij censent, quo Spiritus S. in Apostolos multo-pòst erat illapsurus) Nubes de Tabernaculo sedens elevata est. Quo signo dato, & clangentibus tubis, Israelitæ de monte Sinæo (circa quem mensis pænè XI. fuerant commorati) quadrato agmine, & per turmas, sub principibus quisque suis, & prætituto ordine distincti, in Pharanem sunt profecti, Tabernaculo in medium recepto.

Hic Hobabus, Raguelis F. licet redeundi in patriam, & ad suos visendi cupidus; à Moyse tamen cognato, amicis verbis, & opimæ remunerationis spe inductus est, ut remaneret; & non incommodum, per notæ sibi solitudinis loca, castris idoneè ponendis, ducem ac Magistrum se præberet. Hic Cinum, à quo Cinæi (Iudic. 4.) progeniti: & unà cum adfinibus in terras promissas pervenit.

Exorto intereà in populo, quem tàm laboriosæ peregrinationis, & triduani itineris pigère cæperat, adversus Dominum, murmure; immissus divinitus ignis extremam quidem castrorum partem absumpsit: sed deprecante Deum Moyse, mòx residit. Ex quo incendio, locus nomen invenit, (nescio an Iosepho Iseremoth.) Lapid. vult unum murmur fuisse, & unum eumdemque locum.

At quùm promiscua multitudo eorum, qui se in Egressu, ex Ægypto, Israelitis adgregârant, & patriam superstitionem adhuc resipiebant; indigenitalium deliciarum, carnium & piscium, & terrestrium frugum, vilium licet dapum, desiderio ac memoriâ, Mannam (quo cælesti & pænè quotidiano, & in omnem partem commodo, cibo, hactenus usi fuerant) fastidirent: &, Israelitis in factionem pertractis, convicia in Moysem, tam difficilis & ærumnosi itineris auctorem, iactarent. Et ille istiusmodi populi querelis concitatus, à Deo deposceret, partim ut fastidiosæ famelicorum cupiditati satisfieret; partim ut ipse tantâ publici regiminis mole allevaretur. Iussit illum Deus, cum, LXX. è nobilitate Viros, prudentiâ senili ac fide spectatos, deligere; in quos & pars oneris derivetur; & administrandi peritia, ex vaticino ipsius Spiritu, impertiatur: Tum omnibus universè Israelitis denuntiare, ut in crastinum diem expiati, carnium copiam, quæ ad satietatem usque menstruam sufficeret, exspectarent. Postridie itaque Dominus tàm immensam coturnicum vim, quæ vento quodam trans mare deferrentur, castris superfudit; ut quisque ad X. minimùm coros (Lapid. XXX. modios) collegerit.

Quas quùm avidè diriperent, carne vix primoribus labris admotâ, promiscuè interibant. ut (teste Sulpit.) XXIII. Virorum M. in castris perijsse: & eo-ipso, quem immodicè desiderârant, cibo puniti esse tradantur.

(Theodor. *ἀδηφαγία*, morbum, nauseam & cruditatem, plerisque attulit; & pluribus, tanquam plaga divinitùs illata, mortem.)

Locus, pro re nata, *Sepulcra Cupiditatis*; quod ibi, qui concupierant, sepulti sint; dictus est. (Iosepho Cabrathaba, quâ ne-scio voce, nuncupat.)

Indè digressi, XIV. statione, venêrunt in Haseroth-ibique, ob Mariam, Moysis sororem, leprâ candentem; (quâ temeratium eius adversus fratrem murmur, Deus erat ultus) aliquantisper substitêrunt. Illa namque, ex æmulatione; & Æthiopis feminæ, Sephoræ Madianitidis, sive Sabææ, coniugium: & singularem Imperij auctoritatem, & vaticini spiritus gratiam, quæ sibi soli Moyses vindicasset; unà cum Aarone seniore, fratri exprobrârat: & mòx malo elephantiæ siderata, ad septiduum, extrà castra, non sine ignominiæ notâ, exterminata latuerat.

Castris dein in desertum Pharanis (quod est in Cades. Iosep. 14. & Deuter. 1. *Cades-barne*) promotis, ad montem Amorrhæi perventum est. Et Moyses à Domino edoctus vicinas esse regiones, quarum possessionem eis promiserat; exploratores illuc (quod Deo diffidens populus efflagitârat) pro Tribuum numero, XII. ineunte Auctunno, & Deo connivente, emisit.

Ex quibus decem, post XL. dies reversi (Frigevill. dat annũ unum Exploratoribus) renũtiant; *Felicem omni rerum frugumq; copiâ esse regionem: sed validas Giganteâ staturâ genteis, & munita ingentibus*

ingentibus muris portisq́, opida. In Hebrone (quæ VII. annis antè Tanim, Ægypti regiam, condita esse prodatur.) *Enacia stirpis reliquias; ad Meridiem, Amalecitas: Hethaos, Iebusaos & Amorrhaos, in montanis; Chananaos, ad ripas Iordanis & vicinum Mare, habitare.* Et hæc non sine malignè adfectatâ ab ijs horroris exaggeratione, in vulgum sparsa. *Pestilentem denique esse agrum, & funera se passim obvia habuisse.*

Indè magna menteis omnium formido incessit: eoq́ue discordiæ processum est; ut spreto Moysei imperio, ducem sibi constituere pararent, cuius auspicijs in Ægyptum reverterentur. Quumq́ue Iosues, Nuni; & Calebus, Iephonæ, FF. qui inter Exploratores fuerant, (& Palmitem, cum botro uvarum, vecte adportâsse putantur) consciSSis vestibus flentes, intercederent: nihilque formidabile ijs in regionibus repperisse se dicerent: *Si promissis Dei confidant; hosteis preda potiùs, quàm terrôri aut exitio fore.*

Gens nihilo minus indomita, & sanis consilijs usq́ue renitens, in eorum perniciem, raptis saxis, ferebatur; nisi de-insperato DEI GLORIA in Nube, super tecto Federis, palàm apparuisset. Qui murmure isto & contumaciâ permotus, universam multitudinem pestilenti morbo protinùs exstinxisset; nisi Moysis precibus mitigatus; & decem illorum Exploratorum, qui falsis rumoribus cæteram plebem incenderant, supplicio in præsens placatus & contentus fuisset. *Neminem tamen ex ijs, qui sub egressum, ab anno ætatis XX. fuerant recensiti; quiq́, iam decimâ vice Deum superbè irritârant: præter Calebum & Iosuam, in Terra promissa limites ingressurum. Sed cadavera illorum, in vastis Arabica Solitudinis tesquis, dispersum iri. Et per XL. annos* (quot diebus Exploratores in Chananæâ fuerant morati; & déinde ipsi murmurârant) *iniquitatum suarum pœnas esse expensuros. Et liberis ipsorum, generosiùs per deserta & per labores educatis,* (de quorum incolumitate nimis solliciti fuissent; & ne hostibus prædæ forent, tantopere reformidâssent) *integram fore Terra, quam Patres fastidyssent, possessionem.*

REGNVM THEBANVM IN BOEOTIS.

2500. | Circa hoc tempus, qui XCVI. annus ætat. Moysi, cœpisse putatur regnum Boeotorum, sive Thebanorum, à Cadmo. | 1450.

Is à Patre Agenore, Phœnicum rege, (frater is Beli, Inachi abnepos; Neptuni, ex Libyâ, Epaphi Filiâ, Iûs nepte; Filius; & Busiridis frater, fuisse memoratur) ad Europam sororem conquirendam missus, Thebas in Boeotiâ condidit.

Cui Polydorus, Labdaci Pater, Laij avus, Oedipi proavuus, in regnum est suffectus; post Pentheum, Agauës sororis, & Echionis filium.

Antè Laïum ibidem regnârunt; Lycus Hyréi Filius, & Nyctei frater; & Amphion, Antiopes è Iove filius, Niobes maritus. Antè Oedipum, Creon Menoecei filius, & Penthei nepos. Vide inf. Seriem, paullò explicatiorem.

CLADES AB AMALECITIS ACCEPTA.

QVùm autem Deus, propterea quòd Amalecitæ & Chananæi è montibus in Valleis descendissent, ibiq́ue insidias instruxissent, Moysi, ut die-crastini castra eo ex loco moveret; & converso itinere, secundum Rubri-maris litora, procederet; imperâsset; populus, & subitâ Exploratorum morte; & istiusmodi Dei comminatione, consternatus, ut quasi novo facinore ingratum murmuris & rebellionis crimen expiaret, Moyse licet vetante, & cladem denuntiante; neque Arcâ è castris moveri sitâ: in montem Idumææ conscendunt: & manu cũ aduersarijs consertâ, magnam cladem accepérunt, hoste ad Hormam usq́ue persequente.

EXEMPLVM IN SABBATI VIOLATOREM EDITVM.

ET intereà dum Moysi Deus exponeret, quo sacrificij genere peccata, imprudenter, sive privatim, sive publicè, commissa, expiari oporteat: & hominem, qui obstinatâ animi contumaciâ Dei præcepta violâsset, è medio tolli iuberet. Accidit fortè, ut quispiam in lignis die sabbatino colligendis deprehensus, Moysi & toti cœtui sisteretur. qui in carcerem coniectus; &, consulto Dei oraculo, foràs eductus, lapidum iactu ab universâ multitudine obrutus est.

2515. | (Circiter hunc Annum, Amyntes XIIX. Assyrior. rex, annis XLV. | 1435.

STATIONES IN DESERTO.

REBELLIO Coræ, Levitarum contumacia, & frondentis Virgæ prodigium, (Num. 16. & 17.) incerti sunt temporis. Sunt, qui post biennium ab Egressu, quod iam certâ utcumque serie digessimus, putent Israelitas, annis ad XIX. consequentibus, hæsisse in Cades-barne.

(Deuter. 1. *Sedistis in Cades-barne multo tempore:* & c. 2. *Tempus quo ambulavimus de Cades-barne usque ad transitum Torrẽtis Zared,* XXXVIII. annor. fuit) Et XIX. anno, pugnam, adversante Dei oraculo, in Amalecitas infeliciter tentatam. Et déinceps alteris XIX. annis, in circumeundo Seiri monte, & variè palando, immoratos.

(Num. 33. c. Hæ stationes ordine commemorantur.) *Profecti de Mari Rubro* (post Maram & Elim) *castrametati sunt in deserto Sin - in Daphcâ - in Alus - in Raphidim* (ubi aquarum pænuria) *- in Deserto Sinai - in Sepulcris concupiscentia - in Haseroth - in Rhetmâ - in Remmomphares - in Lebnâ - in Ressâ - in Ceelathâ - in Monte*

Sepher -

Sapher - in Haradâ - in Maceloth - in Thaath - in Thare - in Methcâ - in Hesmonâ - in Moseroth - in Beneiaacan - in Gadgad - in Ietebathâ - in Hebronâ - in Asiongaber - in deserto Sin, quæ est Cades *- in monte Hor - in Salmona - in Phunon - in Oboth - in Ieabarin* (finibus Moabitarum) *- in Dibongad - in Helmon Deblathaim - in montibus Abarim, contra Nabo - in Campestribus Moab, suprà Iordanem, contra Iericho*, &c.

REBELLIO CORÆ, &c.

VIDETUR autem probabile, ut post memorabilem illam & subitam Exploratorum cædem, consecuta sit Coræ & aliorum contumax seditio, & exemplum in eosdem editum. Cores namque Isaaris F. Caathi Nepos, & Levi pronepos; Moysis & Aaronis, Patruelis. adscitis in partes, Dathane & Abirone, Eliabi, (qui filius Phallu, & Pater Namuelis), & Hone, Phelethi, è Tribu Rubenide, FFF. alijsque sibi adiunctis, ex optimatibus, publici concilij consortibus, ad CCL. Moysem, in celsiore præ cæteris dignitatis gradu constitutum; eiusque fratrem Aaronem, sacerdotij prærogativâ mactum; molestè & invidè ferebat. quos neque genere, neque opibus, aut sanctitate sibi præstare existimaret. Et concitato populo, ad Pontificatum, quo iure, quàque iniuriâ, adipiscendum, grassabatur.

Moyses verò, ut multitudinis, ab ambitioso homine incitatæ, impetum sisteret; placére sibi dixit; *Ut Dei arbitrio committeretur, quem sibi sacrorum ac publica religionis ipse Antistitem; & amplissimi in Tabernaculo muneris administrum, esse velit. In crastinum se compararent, & Dei calculo se submitterent.*

Cores, cum CCL. factionis socijs, totidemque accerso turo acerris: Aarone simul in certamen vocato, adessent. Et cuius ex illis inter sacra, suffitum gratiorem sibi esse Deus declarásset; pro Pontifice ritè delecto, haberetur.

Quùm verò, missi ad Dathanum & Abironem viatoribus, ut ad condictum venirent; illi non modò non obtemperarent, sed convicijs etiam quasi usurpatitium Moysis imperium lacesserent. & ipse à Deo commonitus, reliquum vulgus procul, & protinus, à tegum illorum, seditionis auctorum, tentorijs, ne pari eum illis clade involvantur; ut recederent, commonefecisset: Ecce, *terra horrendùm & repentè contremuit: & sonitu eliso, solum, quà seditiosi tendebant, subsedit; & immani hiatu omnes, ad unum, vivos absorbuit.*

Eodemque momento, ignis divinitùs immissus *CCL. illos viros*, qui pro Tabernaculo stantes acerris odoramenta adolebant - (Ioseph. unà cum Core.) Numer. 26. c. *Aperiens terra os suum devoravit Coré, - sic, ut filij eius non perirent.* Fort. in aere suspensi, dum hiatus coiret) - violento impetu ità absumsit, ut ne cadaverum quidem reliquiæ comparerent. Aarone inter hæc illæso.

At Moyses, qui vellet perpetuam eius supplicij memoriam ad posteros transmitti; ne quis temerè sacris se in posterum ministerijs immisceret; iussit Eleazarum, Aaronis F. Acerras eorum, in laminas producere, atque ità Altari æneo adfixas consecrare.

Postridie nihilo minus, dum tota pænè multitudo in eosdem fratres, ceu cædis tot optimatium auctores, coortà seditione insurgeret; & ipsi in Tabernaculum confugissent; & (quod addit Sulpit.) in eumdem locum, in quem nefas erat, nisi solis sacerdotibus, introire; persequentes irrumperent; mors cœlesti incendio armata ità in eos catervatim grassata est, ut, suprà quater & decies mille, Septingenti, fuerint peremti. Et momentò omnes interissent, nisi Aaron, monente fratre, & arrepto turibulo, medium sese, inter emorientes & vivos, obiecisset; & Deum pro ijs deprecatus, cladem avertisset.

Et quò certiùs Deus legitimam sacerdotum selectionem confirmaret; insulitato prodigio Virgæ Aaronis, (quæ inter XII. alias, à totidem Tribubus, sive familiarum principibus adferri iussas, Nominibus, suo quamque, inscriptas, & in Tabernaculo federis coràm Testimonio depositas; sola germinárat; & turgentibus gemmis in flores eruperat: qui latè se spargentibus folijs in amygdalas mòx sunt deformati) vesana ingrati & invidentis populi murmura compescuit.

Virga autem illa Aaronis, ceu perpetuum posteritati monimentum, in Tabernaculum illata & diu ad-servata est.

Pacato itaque rerum statu, quùm iàm populus tandem solam Levitarum Tribum à Deo in sacerdotium adlegi; se cæteros à ministerio sacrorum reijci perspiceret; itaque in re ità confirmati essent, ut dicerent, *Sine certâ totius gentis internecione, illâ de dignitate ampliùs sibi non esse contendendum.* Tum Deus iterùm certam Sacrorum legem statuit, *Ut sacerdotes præsint, & Levitæ ministrent: & siquis ex alijs accesserit, in eorum censum referatur.*

Deinde præcepit, *quid sacerdotes, quid Levitas accipere oporteat. Et illis quidem omnia, quæ offeruntur; his verò Decimas adsignavit.* Postremò Vaccam rufam, ætatis integram, maculæ iugique expertem, ad Moysem & Aaronem adduci iubet; quam Eleazarus sacerdos, extrà castra, coràm omnibus immolet: & foribus Tabernaculi aliquanto eius victimæ sanguine septies conspersis, solidam exurat, ligno cedrino, & hyssopo, cum coccino, in flammam iniectis.

(Huius sacri religio, CHRISTI Servatoris perpessionem & mortem protestabatur. cuius solius meritis & virtute cōstat omnis peccatorū expiatio.)

2524. Anno XL. Principatus Moysei, sive, ab Egressu ex Ægypto *Mense I.* 1426.
(Ios. mensis Xanthici Lunâ primâ) *Israelitæ ex Pharame in desertum Sin venére*, & in Cades substitére. (Num 33. - *Ex Asion-gaber profecti - in Sin, hæc est Cades*. Alij distinguunt Tsin à Sin, tanquam diversas stationes. Deuter. I.)

Ab Horebo, per viam montis Seïr, usque ad Cades-barne, iter numerant solùm XI. dierum. in quo tantùm moræ positum miremur.)

Ibi mortua est Maria, soror Moysis, anno ætat. CXXX. & sepulta. (Ios. super monte, qui dicitur Seïn, & pòst menstruum luctum, quo illam populus fuerat prosecutus; addit, funestum exercitum, Iuvencæ, de quâ dixi, victimâ, fuisse lustratum.)

Hic erat ann. ab Abrahamo DXLV.

Quùm autem iterum, ob aquæ pænuriam, populus in seditionem versus esset; Moyses, inter precandum à Deo monitus, vt Petram Virgâ feriret (Sulpit. Familiari sibi experimento: siquidem id iam antè fecisset) & aquam ex eâ eliceret. Postquàm semel atque iterum Petram percussisset; aqua largissimè effluxit. Et quoniam tum dubijs ad populum verbis, - *An è Petra elici aqua posset?* tum iterato illo ictu, diffidentiam quamdam, ipse cum Aarone, satis in se arguisset; Idcircò Dominus, populum, ipsis ducibus, in Terræ promissæ fineis ingressurum negavit; & mortem utrique propinquam denuntiavit.

Hæ Aquæ, Contentionis sive Iurgij, dictæ sunt.

Quum verò Moyses castra ex eo loco promoveret; & præter Idumæam, agmen è Cadibus educere pararet. Et ob ius sanguinis (gens namque illa, Esavi erat progenies) bello abstinendum ratus; missis ad regem legatis, & commemoratis tot recentibus DEI in fratres Israelitas beneficijs, qui eos è durissimâ Ægyptiorum servitute ereptos, ad Cades usque, urbem in extremis Idumææ finibus positam, perduxerat: liberè per fineis regni transeundi, consanguineæ genti, copiam posceret. fidem dare paratus, se sine cuiusquam iniuriâ iter esse facturum: Et, si rerum venalium forum exhiberetur, aquæ etiam pretium persoluturum.

Rex supplices adspernatus, non modò transitum negavit; sed cum exercitu etiam, Moysi, si vi viam moliretur, obviàm profectus est.

Moyses itaque vetitâ viâ abstinens, ne quam inter populos, antiquâ cognatione coniunctos, caussam belli præberet; iter in montem Hor, terræ Idumææ adfinem, convertit.

Ibique (Ioseph. quùm venisset in agrum Vrbis Arabum primariæ, quæ olim Arce, al. Recem, vel Arecem, nunc Petra nominatur. Deuter. 10. *Israelitæ moverunt castra ex Beroth filiorum Iacan, in Mosera*, Ibi &c. Vbi nominum in locis varietas observanda.)

MORS AARONIS; ELEAZARVS SVFFECTVS.

AARON, à fratre, de morte instante, præmonitus, in montem excelsum conscendere, & vestem Pontificiam exuere iussus est. Quâ mox à patruo Eleazarus indutus; & Patri, coram toto cœtu, in montis supercilio emorienti, in summi sacerdotij ius dignitatemque est suffectus.

Mortuus est autem Aaron anno ætatis, suprà CXXIII.

Ann. ab Egressu XL. primo mensis quincti die (25. Iulij.)

(Iosep. tradit, diem mortis incidisse in primam Lunam mensis, qui Atheniensibus Hecatombæus, Macedonibus Löus, Hebræis Sabba dicitur.)

Luctu dierum tricenûm publico, & iustis funebribus eum Hebræi cohonestárunt.

Rex autem Chananæus Arad (al. Itad) qui ad Meridianam plagam habitabat, Hebræos viâ, Exploratoribus ante tritâ, progressos, bello adortus est. Et prius quidem victor, prædam ex ijs reportavit. Deinde verò à victis, qui voto se damnárant, urbeis inimici regis funditùs deleturos; & rex interfectus est, & urbes eversæ.

Ex eo, loco nomen, HORMA, hoc est, Anathema sive Devotio.

Indè de monte Hor profecti, per viam, quæ ad Mare Rubrum perducit, (Num. 33.) *De monte Hor castrametati in Salmonâ: Indè in Phunon, in Oboth*) ut Idumæam, ex Dei præcepto, & belli metu, circumirent, quùm itineris longinqui & molesti, in magnâ panis & aquæ pænuriâ, pertæsi: & mannæ, cibi, uti aiebant, levissimi, fastidientes; adversus Dominum & Moysem dictis contumeliosis insurgere & furere cœpissent. Et Dominus vicissim, immissis igneis serpentibus, sive presteribus, plurimos ex ijs enecasset: ipsi tandem ad sanitatem reversi, Moysem, *ut apud Deum pro se intercederet*, deprecati sunt.

Ipse autem, uti iussus erat, *Serpentem Æneum conflavit, & signi vicem proposuit*. In quod intuentes à plagis convalescerent.

(Hoc signi mysterio, CRVX, vel CHRISTO teste, præ-figurata est, quæ mortem, Invidiâ Diaboli, antiqui Serpentis, importatam, exstinxit.)

Multas deinde terras, castris, hìc ibi, subinde (*in Oboth, Ieabarim, in Dibon-gad, Helmon deblathaim, ad montes Abarim contrà Nabo*, &c.) positis, emensi, *ad Torrentem Zaredum pervenére*. Quo ad lævam relicto, ex-adversum Arnoni (Ioseph. is fluvius, ex cognominibus Arabiæ montibus exortus, & medium penè desertum pererrans, in Asphaltiten lacum influit, Moabitasque ab Amorrhæis disterminat) metati sunt.

Hæc loca aquis per scopulos torrentibus undique irrigua, non minùs cœlestibus prodigijs, & memorabili putei apertione, & cladibus incolarum nobilitata fuisse, quàm Mare Rubrum; ex carminum fragmentis, quæ hìc meminit Moyses, coniicere possumus. Eò adludit Deuter. 2. *Hodie incipiam mittere terrorem - in populos, ut audito tuo*

nomine,

numine, in morem parturientium, contremiscant.

Quùm autem transitis Idumææ limitibus, viâ campestri, ex Elathâ & Asion-gabere, in loca Moabitis adfinia ventum esset; prohibitus est Moyses prœlio Moabitas & Ammonitas, (vti Lothi progeniem, sibi cognatam) lacessere. sed transmisso Arnone (cui Ar, Moabitarum regia, impendet) vireis in Sehonem Amorrhæum converteret.

Hic rex *in Hesebone habitavit.* (Iosuæ 12.) *& dominatus ab Aroëre, quæ sita est super ripam torrentis Arnonis, & mediæ partis in Valle, dimidiaq; Galaad, usque ad Torrentem Iebocum, qui est terminus filiorum Ammon. Et à solitudine usque ad Mare Ceneroth, contrà Orientem: & usque ad Mare Deserti, quod est Mare salsissimum, ad Orientalem plagam, per viam quæ ducit Beth-iesimoth; & ab Australi plagâ, quæ subiacet Aseroth usque ad Phasga.*

Idem rex paullo-ante, bello Moabitæ regi illato, suæ ditioni Hesebonem, & terram eius omnem, ad Arnonis usque ripaa; non sine ingenti incolarum clade, subiecerat.

(Iosep. Terram illam, ait, frugiferam esse, & Insulæ in modum tribus amnibus ambiri. Ex quibus Arnon, Austrinum; & Iebocus, al. Iobacchus, Boréum latus terminet: & qui ad Occasum est Tractus, Iordane adluatur.)

Ad hunc itaque regem, ex Cademothâ (Nu. 21. *Ex Bamoth, Valle, quæ ad extrema usque montis Phasgæ porrigatur: & quò, ex Mathanâ, & Nahaliele, pervenerant.*) Legati à Moyse missi, qui transitum, ad Iordanem, peterent: & fidem darent, sine ullo agrorum detrimento, aut colonorum iniuriâ, militem Hebræum regiâ viâ transductū iri. Atque adeò, rerum venalium pretium, ex æquo & bono, & si opus, aquæ etiam potum, persoluturos. Præstaret, quod iam Idumæi & Moabitæ comiter & impunè præstitissent.

Iudic. 11. & Deuter. 2. planè contrarium dici videtur. quod Lapid. sic conciliat. Vt Idumæi transitum per extrema saltim ditionis suæ concesserint: & Moabitæ primo adventu idem fecerint; sed posteà, cæso Sehone, negârint.)

Quod quùm Legati non impetrassent, pugnâ ad Iasam commissâ, exercitus cum rege suo ad internecionem ab Hebræis cæsus est. Et Hesebon regia, terraque omnis, quam ab Arnone ad Iebocum usque, & Ammonitidem (quæ firmis præsidijs tum tenebatur) illi antè possederant; in eorum potestatem, sedesque, non sine ingentibus spolijs, concessit. Ipsi intereà ab Ammonitis, & Ieboci accolis, ac montanis, abstinere iussi.

Tum Iazerâ, cum viculis, per vim occupatâ; iter & arma, in Ogem regem, per Basanitidem, convertérunt.

Is, de reliquijs Raphaim, *habitavit in Astaroth & Esdrai, trans Iordanem in terrâ Moab.* (Deuter. 1. & Iosu. 12.) *dominatus in monte Hermone & Salechâ, atque universâ Basane* (quæ & Bathanea) *usque ad terminos Gessuri & Machati; & dimidiæ partis Galaad, ad terminos Seon &c.*

(Ioseph. hunc Galadinæ & Gaulanitidis (al. Trachonitidis) regionum regem, Sehoni, amico & socio regi, subsidio serius venisse, tradit.)

Illum Hebræi in Edrai (quæ forte Ptolem. Adara) nacti, cum universis copijs, delevérunt. Et civitates, ad LX. egregiè muris & portis mœnitas, de eius ditione, non sine insigni vastitate, cepérunt.

Inusitatæ staturæ & roboris in hoc rege argumentum, in Rabbathâ, Ammonitarum regiâ, Lectus ferreus, quatuor cubitis latus, & novem longus, exstitisse; & ipse solus de stirpe Gigantum remansisse traditur.

Atque ità ex duobus Amorrhæorum regibus, aperto prælio cæsis, Terra trans Iordanē, ab Arnone ad montem usque Hermonem (qui & Sarion, & Sanir) & ad Galaaditidem, per campestrem planitiem, vacua & habitanda cessit Israelitis.

BALAAMVS PSEVDO-PROPHETA.

POSTEA-QVAM vero, haud procul Iordane, è regione Hierichuntis, in Campestribus Moabitarum, castra essent metati. (*de Beth-simoth, usque ad Abel-sathim*. quæ altera & quadragesima statio) Balacus, Sephoris F. Moabitarum rex, tot finitimorum regum cladibus; & vicini hostis, quem haud temerè suo quoque regno imminentem formidabat, metu, & suspicione perculsus; consilio cum Madianitis inito, Balaamum, Beoris F. Mesopotamenum (al. Syrum, aut Chaldæum) ariolum, qui non longè ab Ammonitis ad Euphratem degebat; legatione, & mercede semel atque iterùm ad se evocandum curavit. ut diris imprecationibus Israelitas devovéret, & à finibus suis abarcéret. Ille, Deo licet dehortante, ità inductus, & in iter ingressus; prodigio tamen Asinæ, quâ vehebat, humanum sonantis; & Angelo adstante, strictumque ensem vibrante, vectorem suum de crudeli inhumanitate, dum verberaretur, increpantis, territus, ab incepto destitisset; nisi Deus & illum suæ cupiditati permittere, & ex eiusdem Vatis ore suum ipsius ergà Hebræos studium elicere & declarare voluisset.

A rege itaque Balaco honorificè acceptus, & ad Excelsa Baali perductus, (Ioseph. In montem, Abarim, qui LX. à castris tum stadia abesset) undè extrema Hebræorum castra contemplari posset: Deum, cuius mentem cognoverat; quem tamen unum esse ex ijs, qui exorabiles putantur, sibi falsò persuaserat; magnifico sacrorum adparatu (septem Aris erectis, & totidem vitulis arietibusque mactatis) conciliare sibi iuxtà ac regi tentavit. (Sic Eugubin. Veriùs, à Balo auguria captavit.)

Sed mox improvisò veri Dei numine adflatus, & in fausta omina laudesque effusus, populum, quem exsecraturus advenerat, omni virtute ac pietate

mactum

mactum esse iussit. Et palàm fatidicâ voce DEUM, in quo omnem fiduciam illi collocássent, propitium iisdem est precatus.

Hos, hominum solos, Deo curæ esse; hos complecti; & omnium sub Sole felicissimos esse, cupere. Terra, quam ipsis promiserit, potituros: & eamdem posteris, immane-quantum propagandis, in perpetuum possidendam relicturos. Exoptare se denique, ut in talis populi societatem sortemque ipse adsciscatur, & in ea immoriatur.

Hæc ità canentem Balacus ægrè ferens, qui magnis muneribus ad male-precandum ab ipso conductus, tot contrà votis Hebræos cumulásset, illum in montis Phasgæ verticem perducit, undè in aliquantam modò exercitus partem despectus esset. Et pari sacrorum munificentiâ Deum placare ratus, Vatem, uti securiorem, ad detestandum iterùm invitat.

At ille, Deo rursus instigante, adlecit - *Deum, qui immutabilis sit, ab Hebræis staturum. Illis, quos ipse vindex ex Ægypto eduxerit, victorias & triumphos destinásse. Nullum inter Israëlitas vanis Deorum simulacris, sive augurijs, locum aut momentum esse. A Prophetis, quos spiritu suo Deus adflaturus sit, de futuris, & officijs suis, eos & in præsens, & olim ritè commonendos. Intereà ex omnibus prœlijs, non sine immani obstinatorum hostium strage, victores esse redituros.*

Hic denuò Balacus Vatem interpellat; & tàm à devovendo, quàm à bene-precando, in præsens, supersedére iubet.

Et paullo-post in mõtem Phagorem traductum; & paribus, ac priùs, sacris defunctum, ad novas exsecrationes instigat.

Ille, qui in artibus suis & augurijs nihil adversùs præpotentem Deum præsidij inesse; & linguam suam pro eiusdem arbitrio concitari, iam planè didicisset: ei, ut par erat, obsequens, in hanc ferè sententiam est prolocutus.

„*Tabernacula Israëlitarum* (quæ descriptis tribui in ordinibus habitari, non sine stupore, prospiceret) *Vallibus opacis, & hortis à flumine irriguis, meritò æquiparari. Posteritatem eorum, perpetuà subole propagandam, & multarum gentium dominatu cumulandam. Agagi regnum olim* (sub Saüle) *penitus delendum. Ipsos invictos passim fore; neque impunè inimicos à quoquam capiendos. Beatos fore, qui illis benè velint: infelices, qui hostilia moliantur.*

Hic postremò complosis, præ animi indignatione, manibus, Balacus Vatem graviter increpitum, & indonatum, domum relegat. Verùm ille, Dei consilium & sententiam minimè præstigijs aut muneribus interverti posse protestatus, rursum ista, raptus in ecstasin oculis, vaticinatus est. Quæ regibus, & civitatibus per orbem clarissimis, olim sint eventura; & in CHRISTO Servatore tandem patefacienda.

Orituram esse ex Iacobo stellam, & Virgam (*regem CHRISTUM*) *quâ non modo Moabus interficiendus; sed universum mortalium genus sit dirigendum.*

Idumæam, in hostium potestatem esse venturam. Amalecitas, qui primi omnium Hebræis, in transitu, obsistere ausi essent, *miserè aliquando perituros.*

Cinæos (Iethronis posteros) tutis licet sedibus præsidant; *ab Assyrijs* (sub Salman-assare; cum Nephthalitis) *capiendos esse.* Deinde Cethim, sive Macedonas, duce Alexandro, de Persis, Assyriorum successoribus, victoriam reportaturos. Et hos vicissim, à Romanis, qui ex Italiâ triremibus, in Asiam, transmissuri essent, unà cum Hebræis, debellatum iri. Qui & ipsi, ad extremum, è medio sint tollendi.

Hunc Balaamum, BB. Basil. & Nyss. non Dei, sed Satanæ Vatem fuisse putant. Et ipsum Deum, seu Dominum, quem consuluisse is dicitur, Diabolum interpretantur. Cui Deus ipse tamen, non vocatus, sed ignoratus, ultrò responderit. (Theodoret.)

Et quùm ex eo caussam adventûs rogaret; captâ hinc occasione, quid agi vellet, Vati denuntiárit. Sic Nabuchodonosori, impio regi, Filij sui adventum, in statuâ, patefecisse. sic Spiritum Dei in Saülem regem etiam illapsum esse.

Eugubin. Balaamum eo modo prophetam fuisse putat, quo Hermes Trismegistus apud Ægyptios; & Sibyllæ apud alios. qui tametsi vera pleraque cecinerint; idololatræ tamen, sive dæmonum cultores, fuerunt.

Origen. Homil. 13. in Numer. tradit; Vaticinia eius de CHRISTO futuro, & de stellâ apud Orientales, illius artis discipulos, usque ad eiusdem CHRISTI natalem, & stellam tunc exortam, adservata. quibus adducti ad regem adorandum venerint.

Ioseph. tradit Balaamum, postquàm è Moabitide digressus ad Euphratem pervenisset; & quasi ad ingenium redijsset; hoc regi Balaco & Madianitis consilium (uti Num. 24. attingitur) dedisse. Ut quoniam Hebræi, qui Deo cari & curæ essent, bello aut fame, aut aliâ clade, universè deleri non possint; hæc saltim brevis victoriæ de ijs reportandæ ratio ineatur.

Deum scilicet flagitia in ijs impunita numquam sinere. Qui viribus itaq; alienis superari nequeant; aut fraude, aut proprijs lubidinum inlecebris esse irretiendos, & perdendos. Formosas, & meretricio ornatu excultas Virgines, rex subornaret: quæ Hebræam iuventutem procaciter ad impudica sacra, quædam veluti Bacchanalia, invitarent; & à vero Deo ad impietatem; & eius Dæmonis, qui omnium turpissimè colitur, initia traducerent.

Dum itaque in Settim (quæ & Abel-satim. quo in loco gesta & dicta omnia, quæ deinceps Numeris, & toto Deuteronomio describuntur) etiamdum commorarentur; talibus Madianitarum insidijs circumventi; & à procacibus Moabitidibus ad epulas & sacrificia Beel-phegoris (qui aut Saturnus, aut Priapus; cuius statua in monte Phegore, ad venerationem, erat collocata) pellecti; & turpi earumdem consuetudine abusi; Dominum tàm gravi piaculo irritárunt, ut Moyses Principes, ex ijs, crucibus suffigere; & plebeios promiscuâ cæde mactare, iuberetur.

Neque hic tamen stetit impotens novarum lubidinum, & peregrinorum morum impetus.

Zambres

Zambres namque, Salui F. Tribus Simeoniæ Princeps, palàm, & cæteris, unà cum Moyse, ad Tabernaculi fores, non sine fletu, inspectantibus; cum Cosbiâ, Sun, nobilis inter Madianitas Dynastæ, Filiâ, quæ sui copiam ultrò offerebat, (Iosep. coniugio iam erat sociata) congressus est.

Cuius contumaciæ impunitate, & tam fœdo in vulgum exemplo, ne legum & religionis contemtus apud eos cresceret, veritus, Phinees, Eleazari F. Aaronis Nepos, è mediâ turbâ prosiliens; & arrepto pugione in lupanar ingressus, utrumque in flagitioso amplexu, & in omnium conspectu, transfodit.

Quo auctore, cæteri ad pulcerrimam virtutis æmulationem accensi, certatim, in eiusdem propudij reos, impetum fecére. Et ad XXIV. hominum millia (Iosep. XIV.) partim ferro, partim peste divinitùs immissâ, trucidavére.

Deus autem generosum istud Phineæ facinus, & legis tuendæ studium, ità collaudavit; ut certo quasi fœdere perpetuam sacerdotij dignitatem ipsi & posteris destinaret. Et in Madianitas (quos à bello immuneis anteà esse iusserat) tàm turpis & insidiosi consilij auctores, ultionem in posterum imperaret.

TERTIVS CENSVS POPVLI.

NOxâ eâ, quo diximus modo, expiatâ, Devs iussit Moysem cum Eleazaro, summam filiorum Israel. à XX. annis, & suprà, per Tribus, eorû, qui arma ferre possent, recensére.

Quod quidem eâ fini factum videtur: cum ut divini beneficij magnitudo, in Israelitarum, quorum tot millia in deserto erant absûmta, subole usque conservandâ, palàm fieret: tùm ut commodior certiorque Terræ, inter eos distribuendæ, ratio constitueretur.

Numerus autem tunc ex XII. Tribub. censorum, hic est.

A Rvbene, IV. familiæ propagatæ; Henochitæ Phalluitæ, Hesronitæ, & Charmitæ. confecére Summam. XLIII. M. & DCCXXX.

A Simeone, V. familiæ, Namuelitæ (al. Iamuelitæ) Iaminitæ, Iachinitæ, Zareitæ (al. Soharitæ) Saulitæ - Summ. XXII. Mill. & CC.

(Exod. 6. Ahod, erat Sextus, qui sine liberis obijsse censeatur. & imminuta opidò hæc Tribus, ex posttemâ plagâ, ob flagitium Zambri.)

A Gado VII. famil. Sephonitæ, Aggitæ, Sunitæ, Oznitæ, Heritæ, Aroditæ, Arielitæ. Summ. XL. Mill. & D.

A Iuda, III. famil. Selaitæ, Pharesitæ, Zareitæ. Et ex 2. Nepotibus, Pharæ FF. Hesronitæ, & Hamulitæ. LXXVI. Mill. & D.

Ex Issachare, IV. famil. Tholaitæ, Phuaitæ, Iasubitæ, Semranitæ. Summ. LXIV. Mill. & CCC.

Ex Zabvlone, III. famil. Sareditæ, Elonitæ, Ialelitæ. Summ. LX. Mill. & D.

Ex duobus Iosephi liberis.

1 Manasse, I. familia, Machiritæ. Et altera, ex Nepote, Galaaditæ. Et VI. ex pronepotibus; Iezeritæ, Halecitæ, Asrielitæ, Sechemitæ. Semidaitæ, & Hepheritæ. Ex ijs - Summa LII. Mil. & DCC.

(Num. c. 32. commemoratur Iair, Fil. Manassæ, & Nobe. Vid. inf.)

2. Ephraimo, III. familiæ, Suthalaitæ, Becheritæ, Thebenitæ. Et I. ex Nepote, Suthalę Filio, Heranitæ. Summ. XXXII. Mill. & DCC.

Ex Beniamino, V. famil. Belaitæ, Asbelitæ, Achiramitæ, Suphanitæ, Huphamitæ. Et II. ex Nepotibus, Belæ FF. Hereditæ, & Noemanitæ. XLV. Mill. & DC.

(Genes. 46. Filij decem numerantur. Quinque ex ijs fortè sine liberis sint mortui; aut in posteris eorum familiæ interierint)

Ex Dane, I. famil. Suhamitæ. Summ. LXIV. Mill. & CD.

Ex Asere, III. famil. Iemnaitæ, Iessuitę, Briitæ. Et II. famil. ex Nepotib. Brici FF. Heberitæ & Melchielitæ. Ex ijs Summ. LIII. Mil. & CD.

Ex Nephthali, IV. famil. Iesielitæ, Gunitæ, Ieseritæ, & Sellemitæ. Summ. XLV. Mill. & CD.

Summa eorum universè omnium, qui in censum venérunt, Sexcenta & unum Millia, Septingenti, & Triginta.

(Apollinar. In hoc censu putat, & Ingenuorum Tribus, & Libertinorum, fuisse simul censas: quod symbolum sit futurę in posterum Gentium cum Israelitis coniunctionis & societatis.)

Ex Levitica Tribu, cuius familiæ suprà, ex 3. c. Num. enumeratæ, ab uno mense & deinceps; tum recensita sunt XXIII. Mill. Marium capita.

Hoc Censu Tribuum peracto, voluit Deus Terræ promissæ possessionem, singulis, & sorte, quam ipse esset temperaturus; & pro ratâ Capitum censorum portione; tributim & æqualiter in posterum distribui. (Num. 33. *Pluribus latiorem, & paucioribus angustiorem.*)

Levitas verò inter cæteros non recenseri, neque in certam sortis partem venire: quibus aliâ mox ratione esset consulturus.

Inter hos autem omneis, nemo reliquus fuit ex ijs, qui antè, in deserto Sinai, nomina sua Aaroni & Moysi fuerant professi: quos generatim, ob peccatum, in vastâ illâ solitudine & longinquo errore, Deus immorituros prædixerat. Solis; pro

tempore

tempore, Calebo, Iephonæ; (qui & Cenesæus) & Iosua, Nuni, FF. superstitibus.

Quùm filiæ autem quinque Salphaadi (qui Heberis F. Manassæ abnepos, antè hunc Censum, in deserto, cum cæteris, sine virili stirpe, diem suũ obierat: nullius, præter commune peccatum, gravioris sibi flagitij, aut coniurationis conscius) intercederent, (Erant eæ, Maala, Noa, Hegla, Melcha & Thersa) ne paterni nominis memoria, aut dignitas, inter Tribuleis suos, oblitesceret: nève ipsæ, heredes, debitâ inter cognatos possessione fraudarentur; Deus, cuius oraculum Moyses consuluerat (quantum-vis Viris, uti bellorum patientibus, agros, stipendij vicem, adsignari; & mulieres, naturâ imbelleis, à victoriæ præmijs arceri oporteret, æquum videretur) pupillas neque destitui, neque ab adeundâ Patris hereditate excludi, voluit.

Ne tamen, per coniugia filiarum, heredum; possessiones Tribuum confunderentur, aut alienarentur; iussæ sunt illæ Tribulibus suis, & patruelibus nubere.

Et hanc legem in perpetuum sancivit: *Vt Patris, cui filius non esset, hereditatem cerneret filia: deinde fratres, tum patrui, postremò maximè propinqui.*

MORS MOYSIS.

Tunc Móyses iussus à Domino in montem Abarim adscendere; & Terram indè, quàm traditurus esset Israëlitis, contemplari; mortem sibi, cum fratre Aarone, ob peccatum diffidentiæ, ad Aquas Iurgij, admissum, communem; impendére cognoscit.

Et quùm de successore solicitus, Deum obtestaretur, ut multitudini sapienter regendæ consuleret, Iosuam sibi in principatum subrogare; cumque, manu impositâ, in partem gloriæ munerisque vocare, iubetur. Idque coràm Eleazaro, (cui benè consulenti idem ille in posterum sit obediturus) & universo Israelitarum cœtu.

Multa deinceps præcepta, de sacrificijs legitimè peragendis, eorumque ritibus: de anniversariâ dierum festorum celebritate: de Votis exsolvendis, palàm, uti à Deo acceperát, exposuit.

VLTIO ET CLADES MADIANITARVM.

Tunc demùm, Deo iubente, è singulis Tribubus, mille selectos, hoc est, xii. universè millia, armat: & duce Phinee, Eleazari F. in expeditionem, adversus Madianitas, pessima promeritos, cum Vasis & Tubis, emittit.

Quibus, cum quinque Indigenarum Principibus; Evi, Recemo, Sure, Hure, & Rebe, (Iosep. sunt; Ochus, Sures, Robeas, Vbes, & Recemus) & Balaamo, Beoris F. ariolo, inter cæteros, primo quasi conflictu victis, & interfectis; (ità ut nullum victor ex suis desiderárit) Vrbibusque & castellis flammâ absumtis: feminæ etiam (quas illi incolumeis ad Moysem & in castra adduxerant; quæque se Israelitis prostituerant anteà, sive à viris suis impietatis dogmata hauserant) cum parvulis, iugulari iussæ sunt. Virginibus (ad xxxii. mill.) in prædam reservatis.

Omnis autem præda (quæ præter immensam aureorum argenteorumque vasorum, & domesticę supellectilis vim, ad Ovium DCLXXV. Boum LXXII. Asinorum LXI. millia, fuisse proditur) igni anteà, aut aquâ, cum raptoribus, expiata, partim in sacra Tabernaculi donaria, & Levitas; partim in milites victores, & in-commune, ex æquo, distributa est.

TERRA Hostica distribui cæpta.

Tribvs autem Rubenis, & Gadi, cum dimidiâ Tribu Manassę, quæ præ cæteris pecore & iumentis abundabant; conspicatæ Iazeram, & Galaaditidem, regiones Cis-iordanias, quas nuper bello ceperant, ad pastus animantium uberrimas: sibi eas in legitimam possessionis partem à Moyse, & cæteris contribulibus, depoposcérunt.

Et licet graviter prius, tamquam communis caussæ desertores, increpiti; id tamen, quod cupiebant, eâ lege obtinuérunt; ut ipsi, impedimentis tutò depositis; & cum, incolumitate Vxorum ac Liberorum suorum, urbibus, in Galaaditide, muratis; tum, pecorum securitate, sepris & stabulis antè commissâ; communibus auspicijs militare; & armati, atque adeò in primâ acie constituti, contribulibus suis, totam, quà fas esset, Chananæam, quæ trans Iordanem, párere & subijcere pergerent.

Ijs itaque cessit, in præsens, tota Amorrhitis; hoc est; Sehonis Amorrhæi, & Ogis Basanitæ, regna: eorumque terra cum Vrbibus suis. (Deuteron. 3. *Ab Aroër, quæ Arnoni imminet, usque ad mediã partem Galaadi montis.*)

Et Gaditæ quidem has Vrbeis; Dibonem, Atarothum, Aroërem, Rothum, Sophanen, Iazeram, Iegbaam, Beth-nemram, & Beth-aran.

Rubenitæ verò; Hesebonem, Elealen, Cariathaim, Nabonem & Baal-meonem, & Sabamam; exædificárunt: sive novis munimentis & vocabulis interpolárunt.

Filij autem Machiris, sive eius ex Galaade Nepotes; Galaaditim (reliquam partem Galaad, Basan, & Argob) cæsis Amorrhæis, evastárunt & occupárunt.

Et Iairus, Manassæ F. (al. nepos, sed veriùs pronepos) vicos eius terræ, (regionem Argob,

usque

uſque ad terminos Geſſuri & Machati) Et Nobeus, Chanatham, ſuo nomine poſt donatam, ſibi vindicárunt.

(Paralip. 1. c. 2. Heſron, Pharæ F. nepos Iudæ, ex filia Machiris, Patris Galaadi, ſuſtuliſſe traditur Segubrum; & hic Iaïrum. Et ſic iſte, pronepos Manaſſæ, ex ſtirpe maternâ, & in eâdem Tribu recenſitus, terræ etiam portionem, in Galaado, cum Manaſſitis, poſſedit.)

Hîc pro re natâ meminiſſe juſſi ſunt Iſraelitæ, ut aditâ Terræ Chananææ, poſt tranſitum Iordanis, poſſeſſione, omneis universè incolas exterminarent: Titulos, ſtatuas, & veterum dæmoniorum Excelſa demolirentur. Quod ni faxint; reliquias colonorum, quibus pepercissent, perpetuâ cum moleſtiâ, poſſeſſoribus adverſaturas: & Deum pœnas, in ipſos immorigeros, converſurum.

Multa præterea ſuper cæteras, trans Iordanem, Terræ (quæ reliquis IX. Tribubus, & alteri dimidiæ Manaſſæ, ceſſura eſſet) partitione: de eius certis in IV. Orbis plagas terminis: & de Menſoribus (qui præter Eleazarum ſacerdotem, & Ioſuam ducem iàm deſignatum, ex ſingulis Tribubus Principes erant futuri) mandata, Moyſi Deus impoſuit.

Et ex universâ Terrâ, cuius ipſi poſſeſſionem creturi eſſent, XLIIX. opida, cum ſuburbanis, ad bis mille paſſ. undique protenſis, (ex quibus opidis ſena, futura eſſent, eis & ultrà Iordanem, eorum, qui cædis involuntariæ, aut ſortuitæ, rei forent, Aſyla. (Deuteron. 4. Vltra Iordanem, Boſor in Rubenitis; Ramod in Gaditis, & Golan in Manaſſitis) Leuitarum generi, pro ratâ cęterarum Tribuum parte, decerpi, atque ad habitandum ſeparari, in poſterum pręcepit.

SCHEMA SVBVRBANORVM &c.

Ex Lapidano.

PERIPHERIA SVBVRBANOR.
Mil. Cubit.
Mil. Cubit.
Triangulus Suburbanorum ad Occaſum, utrimque habet mille, i. universè, Bis mille Cubitos.
Triangulus ad Septentrionem, utrimque habet mille, i. e. universè, Bis mille Cubitos.
Muri.
Mil. Cubit.
Mil. Cubit.
VRBS.
Mil. Cubit
Mil. Cubit.
Muri.
Triangulus Suburbanorum ad Meridiem, utrimque habet mille, i. universè, Bis mille Cubitos.
Triangulus Suburbanorum ad Orientem, utrimque habet mille, i. universè, Bis mille Cubitos.
Mil. Cubit.
Mil. Cubit.
PERIPHERIA SVBVRBANOR.

Hactenus Liber NVMERORVM. quem consequitur DEVTERONOMIVM.

SIc appellatum; propterea quòd secundam quasi Legis-lationem contineat. Prima namque, duabus è lapide Tabulis, à Deo exaratis, fuerat mandata. Hæc autem altera, hocce libro comprehensa, à Moyse ipso conscripta est, & uberiùs explicata. & quædam quasi Ἀνακεφαλαίωσις.

Quo namque anno Deus populum suum ex Ægypto eduxit; Legem quoque in monte Sinæo tulit, ad cuius præscripta vitam in posterum instituerent, moresque componerent. Altero deinde anno, ad terras, quas promiserat, capessendas adhortatus; quòd illi, quasi ope eius diffisi, negligerent, & contumaciùs se gererent; iuravit: *Neminem ex ijs, quos Moyses initiò recensuisset, ad optatas sedes perventurum. sed fore, ut per annos XL. & vastas per solitudines errabundi, omnes, præter duos, emorerentur.*

Hinc maioribus exstinctis; ut filij, quâ anteà Ætate parentes fuerant lustrati, censerentur. & qui promissas sedes essent adituri, eamdem, quæ Patribus contumacibus lata priùs fuerat, legem edocerentur, præcepit. Vt hæc non tàm secunda Lex; quã brevis quædam, per capita, eiusdẽ Legis, quæ superioribus libris explicata est, repetitio, censeri debeat.

Neque enim aliud fermè continet, quam prolixam Moysis ad Israelitas Concionem, quâ commemorat beneficia à Deo in ipsos, per deserta peregrinanteis, collata. Et repetit Præcepta, & Iudicia, sibi in monte, quem dixi, tradita: eaque ut sanctè custodiant, sedulo commonefacit.

Hæc gesta eo, quem dixi, anno XL. primo die mensis XI. (hoc est, ut quidam putant, XXI. Ianuarij nostri.) In agro Moabitarum, trans Iordanem (quam vocat solitudinem, sive planitiem, contrà Mare-Rubrum. quæ totum illum Tractum, qui Iudæam & Arabiam, eiusque cognominem Sinum, interiacet, complectatur. (Ioseph. ad Iordanem, ubi nunc opidum Abilina visitur, agrum habens palmetis consitum.)

Moyses itaque, peractâ per dies aliquot continenteis Concione, de morte sibi imminente à Deo commonitus; & Iosuam iterùm successorem, coràm omni cœtu, nec sine divinæ Nubis prodigio, declarare; & ad fortiter agendum adhortari iussus; Legem à se scriptam, cum Federis divini formulâ, sacerdotibus, è Tribu Levi, tradidit, quam in Arcæ latere deponerent. Quæque à Regibus in posterum accuratè describeretur; & septimo quoque anno, in maximâ populi celebritate, Scenopegijs, recitaretur.

Canticum quoque conscripsit. *Audite Cœli &c.* Carmine elegiaco, ubi versus alterni senis & quinis constent pedibus: (Hieron.) ceu perpetuum quoddam divinæ ergà Hebræos beneficentiæ; & religionis, sanctitatis, atque obedientiæ, quam Deo benemerentissimo ipsi vicissim debeant, monimentum: sive mutui inter se, ac Deum federis Testimonium. quod & memoriâ teneant, & cantu assiduo usurpent, & ad posteros transmittant.

Deinde singulis Tribubus, præter Simeonem, fausta adprecatus; & ceu quædam extremæ antè mortem voluntatis, ac benivolentiæ elogia protestatus; eoque supremo munere defunctus, è planitie Moabitidis, in montem Abarim (qui & Phasga, & Nebo) adscendere; & promissam Chananeæ terram, quaquáversus, & denuò, contemplari iubetur.

2524. | Ibique ipse, CXX. annos natus, & ex ijs trientem principatu functus, corpore etiamdum integro & robusto valens, è vitâ excessit: & ex-adversum Phegori, ab Angelis, in Valle, loco hominibus incomperto, sepultus est. | 1426.

Idque die I. mensis secundi. (Genebr. VII. Februarij, die Sabbati, tempore pomeridiano. Ioseph. ultimo anni mense; die prima mensis, qui Macedonibus Dystrus; Hebræis Adar dicitur. Lapid. Tertio aut Quarto die Adar.) Hunc Israelitæ XXX. dierum luctu honorárunt.

Apocryphi quidam tradunt; Quo tempore mortuus est Moyses, lucidam Nubem, loco sepulcri incubantem, eorum, qui circumstabant, oculos præstinxisse: ut nemo neque morientem Legislatorem; neque locum, quo cadaver conderetur, inspicere potuerit. Et B. Iudas, Epistolâ; Angelum Dei cum Satana contendisse. qui fortè corpus Moysei in propatulo esse vellet: ut Hebræi ad idolomaniam propensi, quem hominem propè divinum cognovissent, in pósterum, uti Deum, venerarentur.

Ipse paullo-ante mortem, tredecim membranis Pentateuchi volumina (quorum nomina, ex primis Librorum verbis, Hebræi; Græci & Latini, ab argumento sive materiâ, in Librorum initijs, deducunt) exarásse proditur. Et ex ijs unum cuilibet XII. Tribuum, adservandum; & decimum-tertium Levitis concessisse.

Istud autem quùm priùs in Tabernaculo, deinde in Templo Salomonico depositum fuisset; & Templum sæpiùs, (uti ab Achaso, à Manasse &c.) profanatum; atque adeò res sanctæ impiè dissipatæ: haud mirum, si sub Iosiâ rege exemplar illud Legis, ab Helchiâ Sacerdote, inter Templi ruinas, repertum, in magnâ fuerit veneratione. tum ob scribæ Moysis auctoritatem; tum ob rei antiquitatem.

Traditur idem Iobi Historiam ex Arabico sermone convertisse.

Quæ verò pòst excessum eius, extremo Deuteron. cap. scribuntur; vel à Iosuà, vel ab Esdrâ, vel ab aliquo prophetà adiecta putantur.

Ex his autem Libris, Pentateuchi, perspicuum est. Moysem non modò omni Ægyptiorum sapientiâ excultum fuisse; sed arte etiam Historicâ, Poëticâ, Oratoriâ, Ethica & Nomotheticâ, ac Theologiâ præstitisse.

DII PROFANI.

Ex ijs Dijs, quos Græci coluérunt, circiter CCCL. antè bellum Troianum annis; & quorum sæculum non ità definitè observari potuit; quod hi-sce, quos dixi, CCC. annis, multi fuerint, & varijs in locis, ut nati, ità culti: Saturni, Ioves, Apollines, Hercules, &c. & quidem non ignobiles. (Cicer. de Nat. Deor. & B. Aug. de C. D. 18.) Nulli ferè Moysem, nedum Cecropem (qui, Diabolo iam-tum Deum, Mosaicorum sacrorum auctorem æmulante, simulacra & sacrificia profana in Græciam ex Ægypto induxisse proditur) antecessisse colligantur. ex eo quòd Saturnus, Iovis Pater, vix centenis antè bellum Troianum annis in Italia regnâsse tradatur. Et pænè sub idem tempus, Mercurius Tris-megistus, omnium antiquissimus, Nepos maioris cuiusdam Mercurij, cuius maternus (ex Maià filià) avus Atlas astrologus, & æqualis (al. frater) Promethei, floruisse putetur.

A Dijs illis, quos dixi, ad Romam conditam, putat Arnob. (libr. 2.) annos propè M. & ad CHRISTVM, MDCC.

Narrationes illæ fabulosæ (de quibus Herodot. & Diod. Sicul. commeminérunt) de Iô, Inachi F. (à quâ longè alia, & posterior est, Isis) à Phœnicibus rapta, & Osiri Ægypti regi collocata, ex qua ille Epaphum sive Apim genuerit. De Europâ, Agenoris, Phœnicum regis, F. in Cretam abductâ. De Minoë, Cretensium Legis-latore, Cretæ & Insularum in Ægéo potente. De Sisypho, Corinthi conditore, &c. in Moysis vel Iudicum mòx consequentium ætates incidisse existimentur. Herodot. namque l. 7. Minoëm, τελη ἀρχῇ περὶ τῶν τεχνικῶν, viguisse, tradit.

Sic Historiæ fabulosæ de Pelope, Sesostri, Heraclidis, Adrasto, Perseo, Atreo, Proteo Ægyptio; Eurystheo, Argonautis, Medeâ, Oedipo, Therâ, &c. Iudicum Hebræorum tempora excedere non videantur: adeò ut alij Moysis σύγχρονοι sive æquales; alij Iosuæ, alij alius è Iudicibus posterioribus, haberi possint. De quorum plerisque speciatim infrà, suo quodque loco.

Et Vide sup. Externorum Scriptorum de Moyse testimonia.

IOSVA, DVX ISRAELITARVM. (decimus-tertius à Iosepho Patriarchâ: ducentis, uno minus, annis posterior.)

Hic Librum cognominem, ceu quemdam rerum à se gestarum Commentarium, exemplo decessoris sui, conscripsisse putatur. Alij tamen Samuelem, aut Esdram, Libri auctorem statuunt. Quæ certè sub finem adiecta, de morte ipsius & sepulturâ; probabiliùs ab eorum, quos dixi, alterutro, scripta esse censeantur.

Dictus est IESVS; & CHRISTVM, verè Servatorem, nomine & rebus gestis præsignificâsse existimatur.

Ipse à Moyse edoctus Legis Iurisque divini intelligentiam, eamdem tradidit LXX. Senioribus, Et hi cum Prophetis; Prophetæ cum Sapientibus, Scribis & Pharisæis, communicârunt, à quibus Rabbini suam se sapientiam accepisse sunt gloriati.

2524. | Mortuo itaque Moyse, Summa Reip. Hebræorum penes hunc stetit. A quo deinceps, sub XV. Iudicibus, Aristocratia Iudaica annis CCCLVI. duravit, usque ad ann. O. C. MMDCCCLXXXI. | 1426.

Is à Deo, qui ipsum sibi non minori curæ, quàm Moyses hactenus fuisset, futurum esse, fuerat pollicitus; anteà delectus: & in præsens ad fortiter agendum, terramque occupandam, & tribulibus ex æquo distribuendam, iterùm confirmatus: initio suscepti Imperij, dimissis per castra præconibus, triduo proximo iter denuntiat. Proinde cibaria sibi quisque in id tempus pararent.

Rubenitas quoque & Gaditas, & è dimidiâ Tribu Manassitas, ad ea quæ Moysi promiserant præstanda; ut armati, & in acie Principes fratribus antecederent, & sedes novas quærerent, est cohortatus.

INGRESSVS IN TERRAM CHANANÆAM.

Ipse cognito per exploratores, quos Hierichuntem submiserat, & Rahabæ copæ beneficio atque astu incolumes receperat; hostium statu & terrore; castra è Settim movit, (ut quibusdam placet, 27. Martij) & ad Iordanem, per triduum besit. (Sulpit. & Ioseph. Iordanis, flumen validissimum, transitum prohibebat: quia neque navium copia pro tempore erat; neque vadari fluvius poterat) qui tum (quod quidem insolens tempore messis) pleno alveo tumidus ferebatur.

Hic Iosua, Deo ità mandante, Arcam Federis à sacerdotibus præferri; eosque ingressos adverso flumine consistere iubet. Quo facto, aquæ fluminis, partim incisæ; & perpetuo, dum deficerent, tenore in Mare-mortuum delatæ, partim, undè defluebant, in cumulos, aut in fastigium, exaggeratæ, & mole unà stantes: (ut indè ad Adom urbem, indè ad Sarthan diffunderentur) pervium iter populo præ-buérunt. Et copiæ per arentem alveum, sicco & stabili iam solo, traductæ sunt (ut volunt, x. die mensis I. sive Nonis Aprilibus.)

Huius tam prodigioſæ tranſitionis, & fluminis ità refrenati, monimenta ut exſtarent in poſterum; Deus decrevit. Quorum unum, ex Lapidibus XII. quos tondem populi Hebræi Principes, è medio fluminis alveo, in quo Sacerdotum, Arcæ baiulorum, pedes inſtiterant; tollere erant iuſſi: in loco caſtris proximè deſtinato, (undè nomen Galgalis, quaſi Acervi Revolutio. Ioſeph. Galgala à Libertate autumat appellata. quod ipſi flumen tranſgreſſi, & ab Ægyptijs, & ab ærumnis, quas in deſerto exanclárant, liberatos ſeſe exiſtimarent.) Alterum, in ipſo alveo fuit erectum.

Populo (quem XL. pugnatorum Mill. ex tribus, quas dixi, Tribubus, antecedebant) in tutum recepto; & Sacerdotibus in ſiccum, cum Arcâ, eſcendentibus; fluvius confeſtim, iam liberior, ad priſtinum aquarum æquor & limitem redijt. Hoc miraculum Amorrhæorum & Chananæorum reges in magnum terrorem coniecit.

Exercitus autem L. ſtadia progreſſus, ad X. ab Hierichunte ſtadium, caſtra metatus eſt. (Ioſ.) Atque ibi, Deo monente, eos Ioſua circumcídit, qui poſt Egreſſum ex Ægypto nati fuerant. quique in longinquo illo & continente per ſolitudinem errore, haud facilè acerbam præputij ſectionem tolerare potuiſſent.

Loco quoque nomen, Galgalis, factum, quod ibi Ægypti opprobrium (de Recutitis) Deus ab ijs abſtuliſſet. ſive, quòd Ægyptij impiè iactáſſent; *Deum non poſſe eos, ex Ægypto eductos, in terram deſtinatam introducere.* Neque ſe ipſi eo ex loco, niſi valentiores, commovérunt.

Die autem XIV. menſis, ex veteri ritu, Paſchæ ſive Azymorum ſolennia, in planitie agri Hierichuntini, peregérunt.

2525. Atque hic primus eſt Annus ab Ingreſſu in Terram promiſſam. 1425.
Et ab Egreſſu ex Ægypto, XLI. A morte Ioſephi, CLXXXV.
A gravi & verà Servitute, CXXIX. A Diluvio, DCCCLXXIIX.
Tertiæ ætatis, DXLVI.

Poſtridie, frugibus hornis, in ipsâ Chananæâ enatis, uti & frui cæpérunt; panibus azymis, & polentâ. Eoſque Manna, quo cibo tot annos per deſertum paſti fuerant, in poſterum defecit.

EXPEDITIONES IOSVÆ.

PRima Ioſuæ expeditio, trans Iordanem, adverſus Hierichuntem fuit. quæ præ metu ſuos muris & portis concluſos tenebat. Eiuſque expugnandæ rationem ab Angelo (Michaele, ut volunt, exercitus Dominici Principe) edoctus, poſtquam Sacerdotes, Arcam geſtantes, & armatorum cuſtodiâ undique ſtipati, per ſex continenteis dies, Vrbem quaſi lnſtrando circuiſſent; ſeptimo demum die, eâdemque Arcâ ſepties circumlatâ: & ad Tubarum, ſive Cornuum Arietinorum, quæ à ſeptem Sacerdotibus inflabantur, clangorem; & populi comitantis clamorem, muris turribuſque illicò ruentibus (& quaſi terræ hiatu abſorptis) & militibus per parietinas undique irrumpentibus; Vrbem cepit, & incendit. Et incolis, ſine ullo ætatis ſexúſve diſcrimine; atque adeò pecoribus, promiſcuè cæſis, eamdem devovit. Auro tantùm & argento, ære & ferro, ceu Manubijs, Domino conſecratis, & in ſacrum Ærarium illatis.

Et Rahaba, cōpa illa, quam exploratores benignè accepiſſe, & incolumeis dimiſiſſe, diximus; cum domeſticis & cognatis, inter cæteros, non modò diſcrimini exemta; ſed vitæ etiam & ampliori dignitati reſervata. Ea namque poſteà Salmoni, Tribus Iudææ Principi, enupſit. Salmou autem ille (cuius Pater Naaſſon, & avuus Aminadabus, in ſuâ itidem Tribu primarij, primi Moyſem in Mare-rubrum ſecuti fuiſſe traduntur) dux introitus etiam in terram promiſſam, unà cum Ioſue. fuiſſe proditur.

Hic verò reliquias exciſæ urbis ferro & incendio hauſiſſe non contentus Ioſua, diris etiam exſecratus eſt, quicumque ſemel vaſtatam inſtaurare olim moliretur. Quam imprecationem irritam nō fuiſſe, paret, 3. Reg. 16. ſub Achabo.

Hoc anno Euſebius, teſte Bedâ, ſecundùm Hebræos, principium obſervat LI. Iubilæi, expletis ab O. Cond. MMD. annis: ſingulis Iubilæorum ordinibus per quinquagenos ann. deputatis.

Quùm autem Ioſua, paucis pòſt diebus, ab Exploratoribus, qui hoſtium vireis eleváſſent, & contemnendas eſſe rettuliſſent, fortè perſuaſus, tria tantùm pugnatorum millia ad Haim urbem, (quæ Græcis Gai, Severo Geth dicitur. ad Ortum, Bethel, ſive Beth-avæ, obverſa) armis tentandam, miſiſſet. Et ij cum Haitis prœlio ad portam congreſſi; & in fugam, ad Sabarim uſque, mòx verſi, XXXVI. è ſuis deſideráſſent. & cladis, licet exiguæ, nuntius ducem & caſtra magnâ animorum conſternatione ac deſperatione compleviſſet; Iuſſus eſt ille à Deo exercitum, ſacrilegio & violatâ religione pollutum, luſtrare: & pœnas à ſacrilego exigere, qui præſenti calamitati cauſſam dediſſet.

Miſſâ itaque per ſingulas Tribus ſorte, quum ea in Tribum Iudæ cecidiſſet; & gradatim ad familiam Zabdi, (Ioſep. Zebediæ) Zaræ filij, perveniſſet; facto viritim examine, deprehenſus eſt Achan, Chaimi F. Zaræ pronepos. qui ex prædâ Vrbis devotæ, paludamentum varium, & aliquantam argenti ſummam, cum auri maſſâ, furtim & cupidius ſublata, in tentorio ſuo recondiderat.

Iſque furtum faſſus, in-ſpectantibus liberis, lapidum iactu obrutus eſt: & res furtivæ, cum omnibus ſimul copijs domeſticis (alij, liberos pari cum Patre ſupplicio adfectos volunt) flammis ſunt abſumtæ.

Hinc Emec-achor, ſive Vallis Achor, loci nomen apud Prophetas.

Exercitum ità luſtratum Ioſua in Haïtas educit. Et inſidijs, ad V. virorum Mill. verſus occiduam urbis regionem, haud procul Beth-ele, de nocte diſpoſitis; ipſe diluculò, adverſâ ad Aquilonem acie,

quæ

quæ x x v. Mill. constaret, hostem ad certamen prolicit.

Haitis verò universè ex urbe erumpentibus, Iosva, simulatâ fugâ, eos procul ab opido abstrahit, quasi partâ iam iterùm victoriâ insolescenteis. dū scuto in altum sublato, & ceu signo dato, qui in insidijs latebant, celeri cursu coorti, aversam vrbis pænè vacuæ portam occuparent: & ingenti, sine discrimine, incolarum cæde editâ, flammas tectis subijcerent. Tum enim utrimque, & à frõte, ab ijs, quorum fugam Iosua iam inbibuerat; & ab insidiatoribus, ex urbe, quam ceperant & incenderant, egressis, à tergo, oppressi sunt. Et, ademtâ fugiendi potestate, ad intemecionem cæsi. Vt ad xii. utroque sexu hostium Mill. eo die cecidisse memorentur.

Vrbe autem funditùs excísâ, & ruderibus in tumulum aggestis, præda omnis, captivorum capitū, pretiosæ supellectilis & pecorum, militi victori cessit. Et rex ipse in crucem actus, & immani lapidum acervo tumulatus est.

Bethelitæ, Haitarum vicini & socij, bellico clamore excitati; & conspectâ eminùs, licet simulatâ, Israelitarum fugâ, ad audendum, animati, ex suâ etiā urbe prodijsse memorantur. sic ut ne de suæ quidē urbis custodiâ, portis in eventum occlusis, cogitárint; in solâ cædis & hosticorū spoliorū spe debili. quos probabile est pari clade fuisse involutos.

His ità peractis, Iosua, ex Locorum, in quæ penetrárat, opportunitate, præceptū Moysis (Deuter. 27.) memoriâ repetens, in monte propinquo, Hebalo, Altare Deo, è lapide rudi & impolito, exstruxit: & super eo holocausta & victimas pacificas, non sine publico epulo, immolavit: & Mosaïcæ legis capita saxis inscripsit.

Arcam quoque Domini, quæ inter duos monteis in Valle constituta, humerisque sacerdotum esset imposita; Israelitæ omnes, tàm indigenæ, quā adscititij, suis quisque Ordinibus, ità circumdedérunt; ut hinc, v i. Tribus (Simeonis, Levis, Iudæ, Issacharis, Iosephi & Beniamini) super monte Garizimo, ad benè precandum: Inde, totidem alteræ, (Rubenis, Gadi, Aseris, Zabulonis, Danis & Nephthalis) in Hebalo, ad imprecandum, consisterent. Et omnes suâ præsentiâ, suisque suffragijs, repetitam divini Federis formulam, (quæ ab initio x x v i. capitis, ad finem x x x. Deuteronomio comprehensa est), palàm comprobarent.

Hæc ubi vicinarum Gentium regibus, (Hethæo, Amorrhæo, Chananæo, Pherezæo, Hevæo & Iebusæo, qui partim in montanis, ac cāpestribus; partim in maritimis, & in Anti-libano, incolebāt,) fuére comperta: magnâ animorum viriumq; cõsensione, in bellum, hostis à finibus suis arcendi, conspirant.

Gabaonitæ contrà, qui vicini tum erant Hierosolymis, & pars Hevæorum: civitas magna, & una ex Regijs, & bellicosis incolis referta: cognito Hierichuntinorum & Haitarum casu: & mòx in se iturum victorem suspicati; non ad arma, quibus nihil se profecturos scirent; neque ad preces, quæ frustrà furent apud eum, qui cum totâ Chananæorum gente internecinum bellum gerere decrevisset; sed ad astus se convertérunt. Mittunt ad Iosuam de federe legatos: *Se de longinquo venisse,* & habitu & toto legationis adparatu, qui nihil nisi obsoletum & tritum præferebat, ementienteis. *Fingunt se famâ Imperatoris, & tot rerum in Ægypto, in Amorrhitide, & alibi gestarum, miraculis excitos;* missu & civium suorum, & vicinorum sibi populorum, pòst difficile multorum dierum iter, in castra pervenisse: ut (salvis patrijs institutis. Iosep.) in Hebræorum, populi, Deo tàm cari, amicitiam, fedusque admittantur.

Iosua, cum senioribus, ijs dictis & argumentis inducti, eos & in fidem recepérunt; & iusiurandum dedére, à se incolumeis fore.

Triduo pòst, quùm famâ & auditione accepissent Gabaonitas in viciniâ, atque adeò in ipso Gentium, sibi universè invisarum, meditullio, habitare. quod ex hàc rudi tabellâ patet.

ORTVS

SEPTEMTRIO. — PHEREZÆI. — MERIDIES.

HETHÆI. O	CANANÆI. O	IEBVSÆI. O.
		AMORRH. O.
HAMATH. O.	GABAON. O.	HEVÆI. O.
SIDON. O.		PALÆSTIN. O.

OCCASVS.

Exercitu in submontanum Chananææ tractum traducto, in Gabaonitidem, regiunculam Tetrapolitanam, (quæ unà cum Gabaone primariâ, Caphiram, Beroth, & Cariath-iarim, complectebatur) pervenérunt: neque ijs, ob iusiurandum, nocére, neque vim adferre ausi. (quantumvis vulgus, adversùm Principes, tàm temerarij, an præcipitis! federis auctores, convicijs insurgeret.) Ob fraudem tamen factam, publicis & Castrorum, & Templi in posterum ministerijs eos mancipárunt; & lignatores lixasque in perpetuum esse iussérunt. Atque ità hi præsentarium cædis & direptionis periculum; illi perjurij crimen effugérunt.

Sed quùm eorum deditio, proximis quinque Amorrhæorum regibus, iras concivisset; & illi, duce præcipuè Adonisedeco, Hierosolymorum rege,

Ohanes, Hebronis; Phara, Ierimothi; Iaphia, Lachidis; & Dabir, Eglonis; suæ quisque ciuitatis, præcise Reges) coniunctis & admotis propiùs copijs, urbē Gabaonē, (Sulpit. Gabaoth) obsiderent.

Situs Vrbium rudìter delineatus.

O IERVSALEM

O EGLON

O GABAON. O HEBRON

O LACHIS O. IERIMOTH

Iosva à Gabaonitis, suppetias sibi, & artis sociorum rebus, venire rogatus; & à Deo ad id præstandum corroboratus; itinere per noctem è Galgalis maturato, & robore bellatorum adscito; inopinantibus hostibus, & iam penè ad oppugnandum accinctis, supervénit. Eosque terrore quodam panico diuinitùs consternatos, & solo Israelitarum conspectu exanimatos; partim per se, partim gladijs in mutuum ipsorum exitium, præ perturbatione & tumultu, conversis, magnâ clade ad Gabaonem cecidit.

Quumque præ subiti metus impotentiâ, fugâ sibi salutem illi quærerent; & in Beth-oron montem, ubi arduo loci situ tutiores fore sperabant, adscendissent. atque indè ab urguente hoste depulsi, ad Azecam præcipiti cursu, & quibusdam quasi fugæ mæandris, contenderent. tantam dirissimæ grandinis, sive cælestium lapidum, procellam Deus ex alto in eorum capita depluit; ut plureis ea tempestas, quàm stricti mucrones impetus, enicárit. Reges intereà, vel à suis deserti, vel solitudini intenti, ex Azecâ, ad Macedam, longissimo cursu simul delati; in speluncam subuibanam, & latebris accommodam, clàm arbitris, sese abdiderant.

(Hîc situm Locorum observa.)

ORTVS.

SEPTEMTR. — MERIDIES.

O GABAON.

O BETH-ORON. O AZECA.

O MACEDA.

OCCASVS.

Iosva interim Dei promisso, de cædendis uniuersè & eodem die Amorrhæis, confisus, ut spatium destinatæ cædi, & victoriæ solidùm parandæ, daretur; neque vllum hosti, noctis beneficio, effugium esset: Converso in cœlum vultu, Solem, qui in meridiem iam inclinabat; & Gabaoni, urbi editæ, imminére videbatur. & Lunam, quæ Occasui propinquior (quarto ferè ad Solem adspectu, ab Æquatore in Cancrum declinans) ad pleni orbis perfectionem tendebat; & Aialuniæ Valli tum quasi impendebat.

(Exercitus namque Israelitarum, uti inter duas, quas dixi, civitates; ita inter utrumque Planetam, interiectus, ista oculis & animis contemplabatur.)

Ipse, inquam, iam homine maior, utrumque præpotens mundi Sidus, eodem loco, tamquam victoriæ spectatores, subsistere; neque ultrà citrave aberrare iussit; dum gens Hebræa iniurias suas, hostibus deletis, persequatur.

Quod ubi impetravit, & Deus ratū esse voluit; cursu Solis compresso, dies longissimus (ad xxxvi. vel Hebr. ad xxvi. horas) & lucidissimus perstitit. quod vetustis etiam historiarum monimentis celebratum fuisse, hic proditur. Id accidisse volunt verno tempore, Aprili nostro.

Hoc interim spatio Iosva, ingentibus saxis ad os speluncæ, in quam quinque Reges se ad Macedam abdidisse, & iam deprehensos esse, fuerat renuntiatum; advolvi iussis; & custodibus adpositis: cæteros ad persequendam, Deo auspice, victoriam, & terga fugientium carpenda, dimisit; antè, quàm illi munitarum urbium præsidijs concludere se, & tueri possent. Cæsis itaque è vestigio, & ad internecionem omnibus penè, qui ad oppugnádam Gabaonem accesserant, deletis; ut vix paucæ Amorrhæorum reliquiæ, vel contemtæ, vel per devia ex opidulis desertis dilapsæ, in præsidiarias regnorum arceis perfugerint atque evaserint: Ipsi verò integri & incolumes, nemine ex suis desiderato, sine offensâ aut incommodo, in castra, ad Iosuam, qui cum bonâ exercitus parte ad Macedam hæserat, reversi sunt.

Et tunc demum ille ostium speluncæ reserari, & latenteis reges ad se produci iussit. Et prius quidē, à primarijs

primarijs exercitus ducibus, quos è toto cœtu evocârat, submissa humi regum colla calcari voluit. (Quod esset argumentum, & iugi imponendi; & reportandæ de cæteris hostibus, Deo eodem auctore, victoriæ.)

Deinde iugulatos eos singulis stipitibus, ceu impios, ex more & lege, adfigendos iudicavit. Et Sole iam occaso, de patibulis depositos, in eamdem, quâ latuerant, speluncam proijciendos; & immanium saxorum tumulo obruendos curavit.


Eodem impetu, eodemque die, Maceda vi armorum expugnata; & unà cum incolis rex interfectus est. Atque urbe funditùs exhaustâ, in repertum eius cadaver, pari, cum Hierichuntino rege, supplicio, sævitum.

Inde ad Lebnam promotus exercitus, quâ, post aliquâtam pugnam, & obsistentium cædem, potiti, in civeis regemque consimile exẽplum ediderunt.

Lachis, quæ muiorum præsidio freta obsidionem exspectare ausa esset; postero die capta, & geminum cum Lebnensibus exitium perpessa est.

Hiramus quoque rex Gazaris, (quæ una ex Hevæorum vrbibus, à Lachide, monte Sarone dispescebatur.)

(Hîc situs.)



sive ultrò, sive alieno indicio, & hoc interim spatio, Lachiris suppetias proficiscens; cum omnibus copijs, quibus Israelitas, obsidioni intentos, à tergo circumvenire constituerat, occidione occisus est.

Hinc converso à Palæsthinis ad Ortum itinere, regias cæsorum, quos dixi, aliorum regum Vrbeis, admirabili conficiendi celeritate, cepit.


Et primùm quidem Eglonem eâdem die & obsedit, & promiscuâ cæde expugnavit.

Deinde Hebronem, pugnâ priùs sinistrâ consternatam, unà cum rege (quem recens sibi legerant) cepit & excidit: & vicina eiusdem regni oppida funditùs evertit.

Postremò Dabiram, quæ ad dextram fuerat relicta, & utrimque præsidijs destituta, nec effugere, nec tutari se ipsa poterat; non sine regis cæde, & finitimarum urbium ruinâ, evastavit.

Sic ut nulla, aut montium asperitas, aut aridior soli vastities, aut paludum lubrica seu declivia, victoris cursum retardârint; quò minus omnes illius regionis urbeis, cum regibus, IOSVA, divinis promissis fretus, unico quasi expeditionis impetu, caperet, & incolis universè intentum adferret. Et terra omnis, quæ hinc à Cadibus-barnéis ad Gazam usque; inde à Gessene ad Gabaonem porrigebatur:

(Hîc situs.)



in Hebræorum ius ditionemque concederet. Et ipse Imperator, salvis omninò copijs, in pristina castra, quæ in Galgalis collocata fuisse diximus, maximâ cum gloriâ gratiâque reverteretur.

Hic Iabinus, rex Asoris, (quæ civitas antiquitùs, inter cætera Chananæorum regna, principatum obtinebat) quùm quinque Amorrhæorum regna maximis cladibus debellata inaudisset; reges vicinos & remotiores, qui sibi vel genere vel societate coniuncti essent, ad bellum communibus viribus cõsilijsq; adversus Israelitas, seriò capessendum concitavit.

Hi fuére, Iobabus Madonis; & alij, Semeronis & Achsaphi, reges: quæ urbes secundùm montosa Taboris iuga sitæ erant.

In parteis quoque vocati, reges, Amorrhæus, Hethæus, Pherezæus & Iebusæus; qui plerique in montanis; & Chananæi, qui partim ab Ortu & Occasu, in planis, ad Meridianum Lacus Chinerothij tractum; partim, in Campestribus, & Doricis ad Mare regionibus: & Hevæi, qui ad radices Hermonis, in Masphâ, habitabant. (hoc ferè situ.)

ORTVS.

SEPTEMTRIO. MERIDIES.

HERMON

IORDAN ... IORDAN

LAC. CHENEROTH

MONTANA. PLANA.

LIBANVS MONS -ARABIA

ASOR CAMPESTRIA, ET REGION. DON

MARE ... MAGNVM

OCCASVS

Ex his gentibus innumerabiles hominum copiæ, ab equis & bellico adparatu instructissimæ, sub suorum quisque regum auspicijs. (Ioseph. Tercenties mille pedites, & decem equitum millia: currus bis mille (al. Viginti mill.) ad Aquas Merom (qui Lacus Samachonites. Ioseph. ad urbem Galilææ, Berotham; fort. Merotum) convenére, extremam belli aleam experturi.

Deus autem Iosuæ, ad sui numinis tutelam confugienti, omnem metum exemit: & hosteis, solo Hebræorum adspectu territos, die postero, in fugam versum ac concisum iri, confirmavit.

Et nequis in posterum humanæ ab externis præsidijs fiduciæ locus relinqueretur; ut nervi suffraginum, in equis captivis, inciderentur; & currus falcati, igne subiecto exurerentur, imperavit.

Ille itaque his promissis fretus, in hostem celeriter ducit, & de-improviso irruit. (Ioseph. hîc more suo ampullatur.) Et partim eorum in castris cecídit; partim in fugam coniectos, nunc ad Sidonem & Aquas Masrephoti; nunc ad Campum seu Vallem Masphæ, quæ ad Ortum spectat, usque persecutus, à cæde non destitit; dum divini promissi constantia, eventu ipso, esset absoluta.

Revertens ille è pugna, Asorem civitatem, caput gentis, tot præsidijs imminutam, & sui trepidi è prœlio regis receptatricem; haud difficili negotio captam, omnibus, unà cum rege, ad internecionem cæsis, incendio evastavit. Simili animadversionis exemplo in finitimas undique urbeis, earumque reges, usus. Vt ijs tantùm urbibus flamma pepercerit, quæ in collibus positæ; & ab ijs, qui victoriam persequebantur, in suo statu situque sunt deprehensæ. Sic tamen, ut tum urbium istarum spolia atque exsuviæ; tum agrorum opes, pecora & armenta, cæsis ad unum, ex Dei præcepto, incolis, victoribus dispartienda cesserint.

Et nullis vel soli, vel naturæ, vel operis munitionibus: nullis hominum viribus & armis, ingenijs & artibus; nullis belli adparatibus, aut rerum temporúmve difficultatibus, victoriæ illius, quam Deus Israelitis pariebat, interruptus tenor fuerit, aut eventus.

Cepit itaque Iosua, quidquid terrarum à Meridianis Seïri montibus, ad Arctoum Libani tractum, & Damascenæ Syriæ limitem; & propinqua Hermonis (ubi Baal-Gad, opidum, vano Fortunæ, sive Felicitatis numine & fano celebre) porrigebatur.

Earumque gentium reges, diversis variorum Deorum tutelis fisos, aut præsagijs obstinatos; varijs contrà captivitatis, vulnerum, & mortis denique in-fortunijs multavit.

Præter namque Cis-Iordanios reges, nominatim hactenus memoratos; hi præterea, (Iosuæ c. XII.) cæsi traduntur - *Gader, Herma, Hered, Odullom, Taphua, Opher, Aphec, Saron, Thenac, Magedda, Cades, Iachanan, Carmeli, Dor, Galgal, Thersa*. Vniversè XXXI. reges. suprà Schonem & Ogem, Trans-Iordanios. Quorum regna, antiquo Dei promisso non comprehensa, sed iusto bello capta, Moyses iam-tum Rubenitis & Gaditis, & dimidiæ Tribui Manassæ, possidenda permiserat.

Et nequid genti, tot victorijs divinitùs nobilitatæ, formidabile in posterum relinqueretur; ipse IOSVA ultro Giganteam illam subolem, quæ ab Enaco quodam, proceræ staturæ viro, prósata esse ferebatur, adgressus, è montanis Hebronis, Dabiræ, & Anabi sedibus deiectos, interfecit: eorumque urbeis, quas in Iudæ, Israelisque, sive Samariæ, montibus habebant, delevit. Exiguis eorum, Gazæ, Gethi & Azoti, inter Palæsthinos, vestigijs, de-industriâ relictis.

ANADASMVS TERRÆ PROMISSÆ.

TVM demùm, regione Chananæorum undequaque omni, vi armorum, domitâ, & à prælijs conquiescente (Ioseph. Quincto huius Expeditionis anno) de possessione adeundâ, & agris tribuum dividundis, cogitari cæptum est.

2529. | Annus hic Iosuæ imperantis quinctus, erat ab ortu Isaaci CDL. Post quem B. Paull. Actor. 13. dicit, Terram Iudæis fuisse distributam. (Sic Beda.) | 1421.

DEVS autem, qui positum hactenus à Iosuâ, in hostibus & regnis adversariorum expugnandis, studium ac laborem probaret; & ab eodem agros singulis Tribubus adsignari vellet; cætera, quæ nondum capta bello aut occupata essent, loca & opida, suæ providentiæ, quæ posteris etiam esset benè consultura, permittere voluit. Erant autem ea, Galilæa omnis, & Philisthinorum ac Gessuræorum regiones. *Se omnium eorum, qui Libanum montem accolunt, urbeis & munitiones, ad Aquas usque exustas, & Sidonem, venturis temporibus deleturum.*

Ipse (Iosua) munus sibi iniunctum expleret; & terram omnem, sive ea iam capta, sive bello intacta esset singulis Tribubus, pro ratâ parte & sorte, divideret. Et quemadmodum duæ Tribus, Rubenis & Gadi, dimidiam Manassitarum Tribum in partem & societatem regionis Trans-iordaniæ, ad Ortum, Moysis permissu, adsciverant; ità in herciscundâ Cis-iordaniâ Terræ hereditate, novem reliquæ Tribus, alterum earundem dimidium, secum admitterent.

LEVITÆ, quibus præclara in sacris Templi muneribus, in sacrificijs & victimis, portio obtigisset: quique universi populi liberalitate in posterum essent alendi, & urbeis certas, ubi domicilia haberent; earumq́, suburbana, ubi pecora alerentur, acceptum iri: spem omnem terrenæ inter Tribuleis possessionis abijcerent: Et in sacris procurandis, honestissimo & totius reip. utilissimo munere, dediti essent, atque occuparentur. In eorum namque, uti hereditatis communis participum, locum & vicem, sufficti, iussi fuerant filij Iosephi, in duas divisi Tribus, Manasses & Ephraimus.

Verum antè quàm ad partitionem veniamus; Iudæa ipsa, generatim dicta, suis obiter limitibus, delineanda est.

IVDÆA omnis, (quæ antiquitus Chananæa, Palæstina, & Cœle-Syria) Ab occasu quidem, parte Phœniciæ (quæ à Sidone in Gazam, & Arabiam Ægypto adtinens, secundùm Syriaci Maris littora, extenditur:) A Septemtrione autem, & Ortu; Libano & Anti-libano: A Meridie; Arabiâ Petræâ, olim definiebatur.

Latitudo eius (quam ferè mediam Iordanis dispescit) ab Ioppe, opido maritimo, ad Trachinios monteis, ultrà Galaadum & Hermonem, ad LX. circiter Mill. passuum.

Et longitudo, à fontibus Iordanis & monte Libano, ad urbem usque Beersebam, atque initia Ægypti, ad CLX. pass. Mill. æstimabatur.

Ex his Septemtrionalia, Galilæi: media, Samaritæ: Austrina, qui propriè Iudæi, posteà obtinuérunt. Et sub eâ parte Philisthæi quoque, & Idumæi, comprehendebantur.

Verùm ultrà Iordanem, ad Arcton spectat Gaulonitis, in Gerazam usque & Pellã. Cætera deindè, ad Lacum usque Asphaltiten & Arabiã, ab Ortu & Meridie, Galaaditis & Peræa regiones occupant.

Quùm autem universa Vltra-Iordania ad Ortũ regio, quã potentissimi duo reges, Sehon & Oges, possederant; & prœlio victi, vitâque exuti, victoribus cesserant: duabus Tribubus, Rubenis & Gadi, & dimidiæ Manassis, ex Moysis decreto, & eâ, quã diximus, lege, fuisset addicta. (Gessuræis & Machatæis, ex Chananæâ stirpe, suas pro tempore sedes habere permissis, & posteritati ad expugnandũ relictis.) Tũ Iosua in præsens, singillatim cũctis, per familias, distributis, urbeis & regiones, certis finibus circumscriptas, suâ, & publicâ Sacerdotis Eleazari, & principum delectorum auctoritate, adsignavit.

Et RVBENI quidẽ, uti natu maximo, totum illum tractum, qui ad Ortum, Arnone, (in cuius partim ripâ, partim alveo, Aroër sita est:) Ad occasum, Iordane; & Mari Salso, ad Meridiem: & Arctois Gaditarum montibus, ac Dibone, limitaneâ utrimque urbe, concluditur. quique in Sehonis regno olim censebatur; cum urbibus & municipijs, attribuit.

GADITARVM autem agros, longus ab Austro tractus, qui ab Iazerâ incipiens, ad Aroërem usque, Rabbæ adversam, procurrit: & deinde dimidiam Ammonitarum regionem ad Ortum terminat; à finitimis sibi, ad Meridiem, Rubenitis dividebat. Atque illis, quid-quid ex veteri Sehonis regno, post Rubenitas ità collocatos, reliquum fuit; in possessionem vertit: ad Orientalem usque Iordanis ripã, quà fluvius ille Lacum Genesarenum excedit.

Dimidiæ vero MANASSITARVM Tribui, sive dimidiæ parti filiorum (aut Nepotum) Machiris, (qui Filius Manassæ, & Galaadi fuit Pater) tota Basanitis, (opulentum & latè patens Ogis illius quondam regnum) quæ à Manahæmo, postremâ ad Arcton Gaditarum urbe, incipit; & certis Hermonis montis partibus clauditur; cum dimidiâ Galaaditidis portione, & LX. opidis, quæ Iairus ille Iudæus, sed Machiris Manassei filiâ procreatus, bello ceperat: Illa autem omnia, à Galaado, Seiro, & Hermone montibus, ad Mare usque Galilææ, & Iordanem, longè lateque patebant) ex singulari divinæ, ergà Iacobum & nepotem Manassem, benivolentiæ gratiâ; & pro

& pro admirabili cognatæ ſubolis frequentiâ; univerſè fuit attributa.

Quùm autem filij Iudæ ad Ioſüam, in Galgalis adhuc commorantem, acceſſiſſent; antè, quàm de reliquæ hereditatis ſortibus inducendis ageretur; Calebus, Iephonæ F. Cenezi Nepos, coràm eo & contribulibus cauſſam ſuam egit. Et commemoratis tum expeditionibus ſuis, (quando, antè XLV. annos, è Cadibus-Barneïs, unà cum eodem Ioſuà, iuſſu Moyſis, Terram promiſſam exploratū abijt; & terrorem populo temerè ab alijs iniectum imminuere conatus eſt) tum Dei & Moyſis, ob eiuſmodi fidem & conſtantiam, promiſſis: montem iſtum, in quo Enacidæ opida munita tenebant, ſibi ſuiſque in ſortem, extrà ordinem, depopoſcit.

Se, plus quinquennio, iam octogenarium, & iuvenili corporis robore valentem, Deo auſpice & adiutore, non diffidere, quin gentem illam, quam Hebræi tantoperè tum formidaſſent, ſit funditùs deleturus.

(Hinc colligunt nonnulli, anno VII. Terram à Ioſua diviſam. quod Calebus iſte explorator miſſus ſit anno ætat. ſuæ XL. qui ſecundus erat ab Egreſſu. Et ipſi annis deinde XXXIIX, in deſerto ſint vagati.)

Id autem poſtquàm publico adſenſu Calebus impetráſſet; Hebronem (quæ & Cariath-arbe, ab Arbea conditore; Enaci Patre, Gigantum potentiſſimo, ibiq́ue ſepulto) eiectis per vim, & cæſis tribus Enaci filijs, Seſai, Ahimano & Tholmæo, expugnavit, ſibiq́ue vindicavit. & multa alia præclarè geſſit, quæ ſuo infrà loco memorabuntur.

IVDÆ verò ſors in eam Terræ partem cecidit, quæ, tributam iam Calebo, Hebrona complectebatur. Cuius fines ſic deſcribuntur:

Vt-Sin, deſertum Idumæis proximum, quodque Salſi Maris extrema, ab Auſtrino tractu, Ortum verſus, litora attingit; initium eſſet termini agrorum. Et torrens Ægypti (ſive id ex VII. Nili oſtijs ſit poſtremum, ſive Rhinocolura) ab ortu ad occaſum, ſecundùm Auſtrum, cum Maris Magni litore, finiret.

Et totus ille tractus, quà Mare Salſum, ſive Aſphaltites Lacus, ab Auſtro in Septemtrionem (ſtadijs DLXXX.) uſque ad Iordanis, in eumdem Lacum à Septemtrione influentis, oſtium porrigitur; IVDÆ Tribum ab ortu concluderet. Et idem Iordanis oſtium, ad Mare uſque magnum ſive occiduum, à Septemtrione, definiret.

Quibus terminis ità deſcriptis, quindecim, ſuprà centum, Civitates comprehendebantur. Ex quibus aliquæ, partim Simeonijs, partim Danitis, pòſt acceſſére.

IOSEPHITARVM familijs Tractus ille ſorte adſcriptus eſt, qui Iudæis & Beniamitis(quos coniunctos eſſe voluit Deus) à Septemtrione erat proximus; à Mari ad Iordanem, ſecundum longitudinem, protenſus. quà fluvius ille Hierichuntino agro adiacet, & aquas indè defluenteis excipit; & ſic ab Ortu terminum ponit.

Hic autem finis, ubi à Iordane, per Meridiem, ad Occaſum in Bethelam deflexit; deinde Luzam porrectus ad urbis Archi-atarothi confinia tendit; & Iephetum, Beth-horonque inferius contingit; tandem in Mare occiduum deſinit, quoad Danitarum agro coniungatur. Sic tamen, ut Ephratæ Hieroſolymis, regiæ Vrbi, ſacroq́ue Templo propiores, conſederint.

EPHRAIMITIS itaq́ue, ex eo, quem communem deſcripſimus, Tractu, diſtinctè hęc ceſſére:

Vt, quantum ſpatij inter Atharoth-addarum, & Beth-horon ſuperius, interiectum eſſet; tantumdem eorum ager à Meridie in Septemtrionem, quà latiſſimè ad Ortum iacebat, latitudinis occuparet. Et hinc finis à Beth-horo tractus directè ad Occidentalem uſque terminum, quem Mare-magnum conſtituebat, duceretur :- Indè, ab eâdem Vrbe, Ortum verſus, pergenti, prima ab Aquilone Machmata occurreret; quæ opido, cui Thanath-ſilo nomen, ad Ortum eſt obverſa.

Vndè ſune iterum extento, ad extremum uſque Meridiani lateris terminum trāſeatur. Et rurſùs à Taphuà, urbe ad Arcton & Auſtrum poſtremâ, ad Vallem Arundineti, (quàm Carithus torrens, bifido amne in Iordanem erumpens, efficit; quæque ad Mare-Salſum & Meridiem ſpectat (& deinde perpetuo ad Mare-magnum tenore, ab Occaſu iterum terminetur. (Ioſeph. Ephræmos tradit Terram, quæ à Iordane Gadaram (fort. Gazeram) uſque, in lōgum protendatur, & à Bethelâ Magnum uſque Campum pateat; eſſe ſortitos.)

Paſſi autem ſunt Ephraimitæ Chananæos, qui Gazeram incolebant, ſub levi tributi compendio, ſecum degere.

Dimidia MANASSEÆ Tribûs pars, (Ioſeph. citrà Iordanem, inter Tribus Ephraimi & Iſſacharis: fructiferam terram, & Ephraitis à Septemtrione proximam, (quæ hinc lengè, à Iordane ad urbem uſque Doram, & Mare Occiduum, tenderet; indè latè à Machmatâ civitate, ad Bethſan (quę & Scythopolis) pertingeret; ſorte obtinuit.

Hic obſerva. ex ſex Manaſſeæ Tribûs heredibus, quinque Marium filios, hoc eſt, Abiezerem, Helecum, Ezrielem, Sechem & Semidam, quinque abſtuliſſe portiones: & quinque familiarum capita ex ijs fuiſſe conſtituta. Et totidem ex agro, ad Hepherem, quinque iſtorum, quos dixi, fratrem, pertinente. qui in quinque filias Salphaadi, Hepheris Nepteis, Galaadi pronepteis, & ex Machire, Manaſſæ atnepteis, quinque etiam terminis fuerit definitus.

Quùm namq́ue Filiæ iſtæ Viris ex eâdem Tribu enupſiſſent, & paternæ ſubolis nomen memoriamq́ue tuerentur; effectum eſt, ut decem familiarum agnationibus univerſus Manaſſitarum diſtingueretur ſtatus, certis terminis cuique familiæ præſtitutis. Præter Galadium & Baſanitim, Trans-iordanias regiones, quas iam-tum occupárant: quæque VII. capitibus, Epheritarum, Ieſuarum, Elieliarum, Ezrieliarum, Ieremienſium, Odoitarum, & Iedieliarum, fuerant diſtinctæ.

Huius verò Cis-Iordaniæ, de qua in præſens agitur, regiunculæ, hi limites fuére.

Orientis quidem, A Taphuâ, poſtremâ Ephraitarum urbe, ad Salem, ſecundum occiduam Iordanis ripam, & Vallem-illuſtrem.

Et Meridiei;

Et Meridiei; Ab eâdem Taphuâ, sive ab eius Torrente aut fonte, ad Capharsalmam sive Arsufem (quæ posteà Anti-patris.)

Septemtrionis verò; A Salem ad Doram. Et Occidentis denique, A Dorà, ad eamdem Capharsalman.

Sicut ab Ortu & Austro Ephaitas cõtingerent: & Vallis Arundineti, cum Vrbibus, Aquilonem spectantibus, Manassitis adscriberetur: (Quæ namque eodem in Torrente à Meridie iacebant, Ephraitis erant adcensæ.) Et utroq;ue Mari conclusa, Carmelum etiam montem, cum Aseritis communem, ab Arcto attingeret.

Sed multi ex Manassitis, reliquo deinceps tempore, intrà Issacharis & Aseris terminos erant concessum. quibus Bethsan, & Ieblaama cum municipijs, & Dora cum Endorâ, Mageddus cum Nepherhâ, expugnandæ restabant. Quas civitates, præ ignaviâ & quietis cupiditate, aut etiam avaritiâ, in-tactas, veteribus Chananææ stirpis colonis, in præsentiâ reliquerant.

Atqui hi nihilo minus, adsceitis in parteis Ephraitis, ausi sunt cum Iosuâ impudentiùs expostulare; & iniqui in Terræ distributione iudicij, atque adeò impietatis insimulare. Qui utrique Tribui, & divinis prærogativis, & capitum numero adeò præ cæteris insignitæ, tàm angustos agrorum limites, etiam fune metatos, adiignâsset.

Ille contrà, uberem virtutis exercendæ, & pomœrij amplificandi materiam, ex sorte, quam nacti essent, illis præberi, cordatè respondit. quibus partim montes amplissimi; partim Terra, duarum validarum & frequentium gentium, Pherezæorum & Raphaimorum altrix, obtigisset.

Qui numero & robore pollére præ cæteris se iactarent; res magnas gerere & difficileis adgredi oportere. In montana subirent, & cæsis arbustis spatia commodæ habitationi laxarent. Neque falcatarum quadrigarum terrore, ab incepto, aut à Chananæis vexandis, atque è planitie pellendis, desisterent: qui montium & silvarum opportunitate, hostem curribus, in plano, fidemem possint eludere.

Qvùm itaque Iudæi, & Iosephitæ, suis iam sedibus collocati, cæteris ea, quæ usui ad vitam, impertiri possent; Reliquæ Tribus, regionum, sibi præcisè debitarum, partitionem, minùs urguere videbantur. Sive quòd tantis hostium spolijs ditati, præsentibus bonis frui; in ijsque acquiescere: & ex communi totius regionis fertilitate, atque ex vicinorum, adhuc passim hostium, laboribus, per rapinas & excursiones, vivere potiùs vellent; quàm insolens vitæ genus, domibus atque agris colendis, amplecti. Sive ab illâ pristinæ fidei constantiâ degeneres, & animis infracti, potius ducerent; Terram omnem coniunctâ manu ab omnibus debellari, quàm à singulis portiones proprias carptim invadi, & paullatim expugnari. Quâ in cunctatione septem pænè annos esse elapsos, Hebræi è Chronicis confirmant. Quibus si septem susceptæ, post transmissum Iordanem, expeditionis anni adijciantur, quattuordecim evadunt.

Constat certè longo adeò tempore Israelitas in Galgalis inerteis consedisse, ut Iosuæ, duci optimo, & fido divinorum promissorum Curatori fastidia moverint. Et ex divino demum consilio Tabernaculum in Siluntem (montem editum & amœnum, undè longissimus in cæteras regiones prospectus esset) transferendum, & eodem loci Concilium ex omni ordine cogendum curárit. (Id alij, non anno VII. ab Ingressu, sed X. post annis factum putant, antè quàm Tribus separarentur.)

Atque itá Tabernaculum, quod hactenus, pro itinerum ratione, varijs in locis tentum fuerat; nunc, Areà ex Galgalis translatâ, eo, quem dixi, loco defixum est: ibique ad tempora usquè Helis permansit. Infernè lapide substructum; supernè, & in orbem, Cortinis pensile.

Tum verò Iosua cæteros, non sine acerbâ ignaviæ increpatione, ad Terræ, quam Deus Patribus eorum promisisset, & iam-nunc posteris destinatam quasi ultrò propinaret; possessionem adeundam, cohortatus: delectos è singulis Tribubus Trium-Viros, qui regionem totam (quæ in VII. parteis erat dividenda; & media, inter Iudæos ab Austrinâ plagâ, & Iosephitas ab Arcto, futura) permensi, describerent; & bonâ fide eius magnitudinem, situm, & commoditates renuntiarent; amandavit.

Funiculi autem mensorij, quibus Iosua & Eleazarus in Terrâ dividundâ usi feruntur; non externi aut materiari putandi sunt, qui hinc & illinc ducerentur (id namque prodigij simile fuisset) sed Mathematicæ sive Geometricæ Lineæ, mente & cogitatione conceptæ. Sic ut ipse Dux è Chorographiâ reliquæ Palæstinæ, quam I. & XXX. Viri illi, ex naturâ & arte conscripsissent, eam Tribubus reliquis sortitò & æqualiter distribuerit. quùm eatenus V. dumtaxat Tribus, trans citráve Iordanem, suam quæque possessionis partem, sine sorte, accepissent.

Eâ autem in Terrâ, CCCLXXX. urbeis, & quidem florenteis, tùm exstitisse traditur. Cuius quidem situs, forma ferè quadranguli; & IV. limites, indicari videntur, Gen. 10. *Sidon, Gaza. Sodoma, Gessa*, (hanc postremam postea Cæsaream-Philippi fuisse putant.) Peræa namque, & regio Trans-iordania, ad Arabiam potiùs, quàm ad Chananæam sive Palæstinam, semper pertinuisse iudicata est.

Litus, secundùm Mare Mediterraneum, per CLX. mill. pass. extenditur. Æqualis etiam Longitudo, à fontibus Iordanis, sive Dan, ad Bersabéam sive Bethsamen: nisi quòd navigantibus littorum anfractus aliquanto longioris sint viæ.

Latitudo à Sorbonitide Palude, quæ paullulum à Gazâ in Austrum recedit, per deserta, ad montem Seirum, & Mare-mortuum, CIII. milliarior. Italicorum est.

Sic Septemtrionalis latitudo à Sidone, per Libanum, ad Damascum, pænè par priori, sed aliquantò angustior. (B. Hieronym.)

Legatis tandem in castra, ad Siluntem, ab explorando reversis, & sortibus missis:

BENIAMITÆ, regionem, inter Iudæos & Iosephitas sitam, (quæ à Iordane ad Mare Occiduum

usque,

usque, & monteis Iebarimos, in longum; & ab Hierosolymis ad Bethelam, in latum, protendebatur, sunt sortiti. Eas autem finium angustias, agri bonitas, Hierosolymitani præsertim & Hierichuntini, compensare iudicabatur.

AR. Montan. Tota, inquit, ista regio his concludebatur terminis. A Iordane usque ad Archiatarothum (malè, al. Atharoth-addar) urbem, Ephraitis confinē; & ab Archi-atarotho, ad Cariathiarim; Occiduus tractus.

Hinc ad Iordanis ostium; Boréum latus. A quo, secundùm eiusdem fluminis ripam, ad proximum Hierichuntis locum, Latitudo termini, sive Orientalis finis tendebatur. Civitates XXVI. complexa.

SIMEONII verò, quorum stirpem valdè imminutam suprà significavimus, proprium, ut ità loquamur, funiculum non consecuti; sed pro hereditatis suæ parte, ex Terrâ (quæ Iudæis antè erat adsignata; & latè patens alijs prætereà colonis egéret) plagam Austrinam tenuérunt; Deserto & Mari-magno contiguam. sive, (ut Ioseph.) Idumææ partem, Ægypto & Arabiæ conterminam.

ZABVLONII, in fertili Galilææ regione habitárunt. quæ longè, à Lacu Genesarite, ad Littus usque Maris-magni, quod iuxtà montem Carmelum est, protenditur. Et à monte Thabore, (Ioseph. Ithabyrio) versus Septemtrionem, latitudine V. milliat. patet. Sive, ut Ioseph. Terram Carmelo & Mari contiguam, ad Lacum usque Genesarenum, sortiti sunt.

ISSACHARITÆ optimam & pulcerrimam in Galilæâ regionem possedérunt. Cuius Longitudo, à flumine Iordane, sive Lacu Cenereth, ad Carmelum montem; Latitudinis verò mons Ithabyrius fuit terminus.

ASERITARVM autem regio, lata magis quàm longa, à Sidone magnâ usque ad Carmelum, Maris promontorium; ad XX. propè milliar. A mari verò, hinc ad Asorem, inde ad Naason, per IX. milliar. spatium, extendebatur.

(Ioseph. Quæ regio, inquit, post Carmelum sita, Convallis ex re nomen habet, quà ad Sidonem est obversa; Aseritis cessit.)

NEPHTHALITÆ omnem eam possedére terram, quæ ad Ortum Aseriticæ Tribus sita, totam penè complectitur Galilæam superiorem, Fonteis Iordanis; & partem montis Libani, usque ad Damascum.

Eius autem Longitudo, ab eodem Libano, Meridiem versus, ad Mare usque Galilææ, & confinia Zabuloniorum.

Latitudo, à civitate Asore, ad Iordanem, pertingebat: qui ab Ortu suis eam fluentis irrigaret. (Ioseph. Quidquid, inquit, terrarum ab Ortu spectat ad Damascum usque urbem; & ea Galilææ portio. quæ Superior sive Gentium dicta est, usque ad Libanum & Iordanis fonteis. qui ex eo monte oriuntur; Nephthalitis obtigit.)

DANITÆ, intrà amplum illud, quod Iudæis fuerat ádscriptum, Terræ spatium; & citrà ullum quidem illorum detrimentum, suæ possessionis sortem nacti sunt. Quæ tamen integra, & certis limitibus circumscripta; non autem, uti Simeoniorum, fuerit divisa. Neque enim Tribus hæc omnis intrà Iudæorum terminos concludebatur: verùm ab illorum agro, idque à meridie, exorsa, Boream versus protendebatur.

Tenuérunt itaque quidquid ex Convalle ad Occasum vergit, Azoto & Dorâ de finiri. Totum, inquam, agrum, qui ab Accarone pertingit ad montem usque, qui Iudææ Tribui initium facit.

De huius Tribus adversus Lesem, sive Laida, urbem, in extremis Terræ promissæ finibus, & ad Libani radices sitam, cui captæ gentile sibi nomen imposuerint; expeditione, infrà dicetur.

Initium annorum Sabbatic. &c.

2532. | Ab anno VII. Imperantis Iosuæ, qui fuit Annus Κληρουχίας, hoc est, adsignationis agrariæ perfectæ; | 1418.

(Quando ipsi etiam Iosuæ possessio, in meditullio Terræ, Thamnath-saara, (al. Thamnasachar) in monte Ephraimo, publico decreto, & datâ eligendæ sedis optione, fuit attributa.) Sive potiùs Annus τῆς γεωργίας, hoc est, agricolationis inceptæ. Postquàm filij Hebræorum pedem in possessionem Terræ Chananææ posuerunt. qui fuit ab Exodo, XLVI. præcipitans; Initium ducitur Annorum Sabbaticorum & Iobilæorum.

Cuius rei observatio (teste Scalig.) multum lucis rationi temporum adserre potest: quòd hebdomades annorum, sive Anni Sabbatici, signa sint temporum indubitata.

Annus autem Sabbaticus semper incipit à mense Σχλωσηγίας, qui est VII. Anni, ab Exodo, novi. uti dictum est.

Lesmor. annum ab O. C. MMDXXX. vult esse Κληρουχίας: & MMDXXXVII. primum Sabbaticum post Κληρουχίαν. Et MMDLXXX. primum Annum Iubilæum, sive Quinquagesimum, à Terrâ distributâ. Alij verò, eodem teste, primum Sabbaticum putárunt, primum illum, quo Israelitæ in Terram sunt ingressi.

Sed hîc non fuit statum. dum quidam hunc VII. annum supputant à distributione, quam Moyses trans Iordanem fecerit & decreverit. quidam ab eâ, quæ posteà à Iosua est peracta. quod verius existimetur.

Beda de Tempp. ex Eusebij Chronico, observat, anno I. Imperij sive Ducatus Iosuæ, quo Israelitas, transmisso Iordane, in terram induxit; initium Quinquagesimi primi Iubilæi. hoc est, Bis mille, Quingentos Ann. ab O. Cond. completos. singulis Iubilæorum ordinibus per quinquaginta annos deputatis. Ex numeris tamen, qui ibidem mirè, corrupti, non MMD. sed, septem minus,

minus MMCDLXXXXIII. tantùm colligantur.
Hæc Sabbaticorum & Iubilæorum observatio, durat ad D. N. CHRISTI baptisma; qui fuit an. ab O.C. MMMDCCCCLXXX.

2539. His itâ constitutis, nos à XIV. Iosuæ, primum Sabbatum Terræ, (quo omnis terra quiescere præcipiebatur) seu primum Annum Sabbaticum statuimus. 1411.

Qui primus post κληρουχίαν perfectam: sive post γεωργίαν inceptam, septimus occurrit, mense Tisri. (Mass. vult incepisse, decimo die mensis VII. sive VI. Non. Octobris.)

Vide sup. quæ ad Cerimonias pertinent, inter leges à Moyse, ex divino mandato, præscriptas; suis, quidque, locis. Exod. 23. Deuteron. 31. Levit. 25.

Sub hæc tempora, Bacchus (qui & Liber, & Dionysius) Nisam in Indiâ (al. Arabiâ) condidisse putatur. Et (B. Aug. l. de C. D. 18. c. 12.) Vitem suo in Atticâ hospiti ostendisse.

Id si verum est; Cadmus (quasi Orientalis, quod ab Oriente in Occidentem venerit) multo-ante è Phœniciâ in Bœotiam navigârit.. qui Thebas ibi condidisse, & nomen Patriæ, Thebarum Ægyptiarum, imposuisse: (sive, navis suæ, quæ Theba. uti olim Chamus, Thebas in Ægypto, eâdem ex caussâ nominârat.) Et Græcis litteras tradidisse memoratur. Ex eius namque filiâ, Semele, Bacchus.

Sed plures, & varijs in locis, Bacchi fuisse feruntur.

Cadmus ille Harmoniam rapuisse proditur, Atlantis ex Electrâ neptem, Dardani sororem.

Horum nuptiæ celebratæ prostantibus omnium Græciæ Deorum imaginibus.

Quin & sub eodem Iosuâ tradunt Terram Mesraim (quæ Aëria priùs dicta) Ægypti nomen tùm induisse, ab Ægypto, (qui & Sesostris, & Ramesses, dictus:) Beli Ægyptij filio. Cui defuncto ille in regnum successerit; Danao fratre eiecto.

Hic autem in Græciam concedens, Danaos, qui antè Pelasgi, de suo nomine dixisse traditur: & Argos, urbem in Argia; sive Arcem in eâ urbe potiùs, pulso Gelanore, Stheuelæ filio, ædificâsse.

Idem, teste Plinio, navem primus ex Ægypto in Græciam transvexit: quùm anteà ratibus tantùm navigaretur, ab Erythrâ rege, in Mari Rubro, & inter Insulas, inventis.

Eiusdem sunt illæ Quinquaginta filiæ, fabulis celebres. Et inter cæteros, Lynceus, (al. Linus) gener, & tandem successor. De quibus proximè, in Serie Regum Argivorum.

Ab Hello autem (al. Hellene) Deucalionis F. priùs Phthiotæ in Thessaliâ: deinde reliqui pænè Græci, Ἕλληνες dicti. Thuc. lib. 1.

Veriùs ab Iavane. Iapeti F. Noæ nepote, Iönes.

Ab Elisâ, Iavanis F. (Genes. 10.) Alisæi & Æoles.

Et ab Achæo, Hellenis Nep. Achivi. Quâ de re, sup.

Lydi quoque, duce Tyrrheno, Atyis, Lydiæ regis, F. fame coacti, ex Asiâ in Italiam immigrârunt; & pulsis Vmbris, in Hetruriâ consedérunt: & vicino mari Tyrrheno, ac provincię nomen dedérunt. Herod. lib. 1.

Tyrrheni frater, Lydus, Lydiam à se dixit, quæ priùs Mæonia.

Vide sup. stirpes filiorum Noëi, inter cuius Nepotes, Lud nominatur, qui Lydus.

Tunc quoque Orcus, Molossorum rex, Proserpinam Cereris filiam, è Siciliâ abripuisse: Et Triptolemus, frumentum, à Cerere acceptum, longâ navi (cui insigne, Serpens pennatus) in Eleusinem Atticæ, primùm invexisse & populis distribuisse, proditur: regnumque, pulso Celeo, occupâsse.

Tradunt Hebr. Chananæorum, qui bello & nuperis patriæ cladibus superstites evaserât, reliquias, commigrâsse in Illyricum, Germaniam, & vicinas regiones. Nam maritima Europæ loca, Italiā, Dalmatiam, Galliam Narbonensem, & Hispaniam, ob faciliorem per Mare adpulsum, multo-antè frequentari, & coli cæpta fuisse, certum est.

Et Euagrius, ex Procopio, lib. 4. Eccles. Histor. commemorat, - Maurisios, gentem Libyæ, è Palæstinâ eiectos, eò loci demigrâsse; quo tempore Iosues, Hebræorum Dux, eam terram invasit & evastavit. Quod probat ex Epigrammate columnis illic inciso, - Nos sumus, qui à facie Iosuæ Latronis, filij Nave, profugimus.

ASYLA, SIVE CIVITATES PERFUGII, IN IUDÆA.

QUONIAM autem fieri vix potuit, enascentibus inter homines, ex primigeniâ Ortus nostri labe & ruinâ, animorum studiorumque contentionibus; quin ubicumque cœtus hominum frequētiaque esset, odia, bella, cædes paullatim, invalescerent. Et ipsi, partim imprudentiâ, vel repentino motu; partim obstinato studio, ad alteri nocendum impellerentur: æquissimus Legum-lator Deus, in facinoribus, cum privatim, tum publicè, iudicandis & ulciscendis, regulam adhiberi voluit; (Num. 35. & Deuteron. 19.) quæ pœnas, non pro facti tantummodò, sed pro voluntatis etiam ratione, atque animi impulsu, æquas irrogaret.

Vt enim nulli sonti ignosci; itâ insonti iudicij clementiam voluit indulgeri.

Et ad hanc insontium reorum rationem ritè cōponendam; certa Loca, non sine certo quodam divinæ sapientiæ consilio, instituta sunt; quæ ijs, qui doli mali exceptione quempiam interfecissent, tutamento esse possint.

Illi namque, & se sistere, & caussam dicere; & in exsilio, ad tempus; aut ad Pontificis, sub quo cædes facta esset, mortem, degere iubebantur.

Certas itaq; eam ad rem sedes, ceu quędam Asyla, secerni, Deus antè iusserat: quę & loco cōmodo sitæ, neq; longiùs ad confugiendum remotę essent.

Vrbium autem, quæ eà fini secretæ sunt, nomina illustria; situs in montibus conspicui; & æquabilia commodaque spatia fuére.

In Tribubus Nephthalis, Ephraimi, & Iudæ; quæ æqualibus feré inter se tractibus distabant.

KADES, in Galilæà, Tribus Nephthaliæ, ad Septemtrionem:

HEBRON, quæ & Cariath-arbe, in Iudæis, ad Meridiem:

SICHEMVM, in Ephraimitis; quæ medio inter illas loco, & pari pæne intervallo, hinc Ortum, indé Occasum, spectaret: positæ:

Et quamquam totidem, ad Perfugij usum, Vrbes, Mose vivente, trans Iordanem & ad Ortum, fuissent adsignatæ;

BOSOR, in Campestri Tribus Rubeniæ solitudine, sive planitie:

RAMOTHA, in Galaaditide, Gaditarum:

ET GAVLON, in Basanitide, Manassitarum; regionibus:

Nunc demum tamen certâ quadam religione, cum alijs, dedicatæ fuére. ut Sex universæ essent, singulari prærogativâ cædis reorum, sed insontium, etiam advenarum, Asyla. ubi à propinquorum occisi hominis iniuriâ tuti caussam suam probarent; aut exciperent.

VRBES & SEDES LEVITIS adsignatæ.

SED quùm cæteris iam Tribubus omnibus prospectum esset; & sua cuique, ad habitandum & colendum, pars decreta & tradita; LEVITÆ quoque sibi deesse noluérunt: & Eleazarum Iosuâque interpellárunt. quorum ille, uti summus Sacerdos, in ijs quæ ad religionem præcipuè spectarent; hic, totius expeditionis dux, in civilibus bellicisque rebus; universi populi præcisè Principes, in publico etiam Concilio, quod ad Siloam indictum diximus, primas obtinebant. sic tamen ut alij, XII. Tribuum primarij Megistanes, quasi Tribuni, parteis suas interponerent.

Æquissimæ LEVITARVM postulationi, de Vrbibus, ad habitandum; & de Suburbanis, ad pecora alenda; sibi (vt Deus Moysi mādárat, Nu. 35.) adsignandis; lubenter mos gestus est.

Et quoniam, quemadmodum gens Israelitarum omnis in IV. quadranteis; ita Levitarum Tribus in IV. Familias tum esset divisa; hâc moderatione & sorte etiam iactâ, ex singulis illorum Tribubus, Vrbes, cum suburbijs, exceptæ sunt, & hisdē attributæ.

Diximus quidem suprà, LEVI, Iacobi F. tres filios, Gersonem, Caathum, & Merarim; Caatho autem, (qui Gersoni, primæ ætatis fratri, ad sacerdotij ministerium, fuit antelatus) quattuor fuisse; Amramum (quo progeniti, Aaron, Moyses, & alij) Isaarem, Hebronem, & Vzielem. Ex huius Amrami liberis, Aaronem, ad Sacerdotij dignitatem divino iudicio, & indicio delectum; quæ in duorum eius filiorum, Eleazari & Ithamari, posteritatem sit derivata.

Qui itaque ex Aarone prognati erant, Caathitæ quidem, ab Avo cōmuni; sed speciatim Aaronitæ (*Familia Caath filiorum Aaronis sacerdotis*) dicti sunt. Cæteri verò omnes, qui ad eundem Amramum, (uti Moysis posteri) quive ad Isaarem, Hebronem, aut Vzielem, eiusdem Caathi filios, referebantur; simplici cognomine Caathitæ (quasi, reliqui filiorum Caath; hoc est, Levitæ qui superfuerant) appellabantur.

Hæc igitur inter eos, Vrbiū, quæ ex XII. Israelitarum Tribubus delibatæ & secretæ sunt, distributio.

CAATHITIS sacerdotibus, sive AARONITIS, XIII. Civitates, cum Suburbijs, cessére. Ex Tribubus,	IVDÆ, & SIMEONIS; HEBRON (perfugium, cuius etiam agri, & Villæ Calebo ante attributa.) LOBNA. Iether. Esthemo. Holon. Dabir. Ain. Ieta. Bethsames. BENIAMINI. Gabaon. Gabaë. Anathoth. Almon.
CAATHITIS LEVITIS. X. Civitates, ex Tribubus,	EPHRAIMI: Sichem (perfugium) & Gaser. Gibsaim, Beth-horon. DANI. Etheco. Gabathon. Aialon. Geth-remmon. MANASSÆ dimid. - Thanach. Geth-remmon.
GERSONITIS, XIII. Civitates, ex Tribubus,	ISSACHARIS: - Cesion, Dabereth. Iaramoth. Engannim. ASERIS: - Masal. Abdon. Helcath. Rohob. NEPHTHALIS: - Cedes (perfugium) Hammoth-dor. & Carthan. MANASSÆ dimid. in Basanitide, Gaulon (perfugium) & Bosran.

MERARI-

MERARITIS. xii. Civitates, ex Tribubus,	RVBENIS: - Bosor, (perfugium) Mosor. Iaser (& Iethsan) Mephaath.
	GADI: - Ramoth, (perfugium) Manahim. Hesebon. Iazer.
	ZABVLONIS: - Iecnam. Cartha. Damna. Maalol.

Summa evadit ad XLIIX: Vrbeis, inter quas VI. perfugio aut exilio reorum destinatæ. Quatumvis XLII. aliæ, Levitis ad habitandum concessæ, sacræ etiam fuerint, & insontiũ homicidarũ receptacula; sine caussæ tamen cognitione aut definitione.

Et quùm alijs Israelitis ubique habitare fas esset, non suis modò in vrbibus, sed villis etiam & vicis, & novis opidis condendis latiùs sese propagare; Tum Levitis, earum urbium, quas forte sibi obtigissent; & in quibus domos proprias haberent; numerum excedere, aut extrà eas habitare, nefas fuit. Et suburbana, limitibus suis descripta, pascendis tantùm armentis & pecoribus erant destinata.

Miretur hic quispiam, nec immeritò, quo pacto tàm pauca Levitarum capita, (uti ex Censibus patuit) tot urbeis complere potuerint. nisi alij Tribules permisti ibidem habitárint.

2541. | Anno XVI. IOSVÆ. | 1409.

Quùm is Rubenitas, Gaditas, & dimidiatos Manassitas, (Ioseph. ait fuisse, ad L. pugnatorum Millia) quorum strenuà ac fideli operà, in tàm longinquo adversus Chananæos bello, & in possessionibus cæterorum Israelitarum, contribulium, stabiliendis, ex convento, usus fuerat; non sine faustà adprecatione, & gratiarum actione, ad sedes, ultrà Iordanem, iam-tum à Moyse attributas, amicè honorificeque, cum ingentibus spolijs (quæ cum relictis ibi fratribus participarentur) dimisisset:

Et illi iàm itinere è Siloâ in Galaaditidem instituto, ad confinia, & ad ripas Iordanis fluminis, aggestis arenarum tumulis impeditiores, progressi, haud procul Hierichunte, (quà Israelitas, duce eodem Iosuâ, initiò amnem sicco alveo transmisisse diximus.) Altare immēsæ altitudinis eduxissent: magnus confestim animorum motus apud cæteros Cis-Iordanios Israelitas coortus est. qui novo isto Tribulium conatu, novum etiam alienorum Numinum cultum ab ijs introduci autumarent.

Atque adeò temerè istiusmodi violatæ religionis suspicione concitati, arma iam tantum-non corripuerant, Patrios ritus vindicaturi, & pœnas à sacrilegis desertoribus exacturi.

Sed Iosuà & Eleazarus, cum Senatu, qui consilio priùs, quàm armis experiundum censerent; Phineem, Eleazari F. & decem è populo honoratos, eò ablégant, qui, *Quid sibi ista exstructi loco tàm alieno, Altaris novitas vellet*, inquirerent.

At quum illi pacatè responderent; *Se neque à cognationis societate & federe deficere, neque in statu religionis, cuius ipsos nequaquàm pæniteret, innovare quidquam velle. Vnum se Deum, omnium Hebræorum communem, agnoscere & colere. Neque ullo in Altari, præter id quod in conspectu Tabernaculi sit, victimis vmquam facturos:*

Quod verò recens istthuc loci exstruxissent; quodque iniquiori suspicioni caussam præbuisset; *Perpetuum modò suæ cum cæteris Israelitis necessitudinis, & avitæ utrorumque religionis, apud posteros, monimentum sive Testimonium exstare voluisse.* Ne, quia Iordane flumine à cæteris dispescebantur, peiore, in communi sacrorum usu & Dei cultu, conditione esse existimarentur: Aut filij eorum ab avitis ritibus degenerarent.

Et quùm postremò eius sui instituti Deum testem idoneum coràm Legatis laudássent, & invocássent; Phinees, collaudatà vicissim eorum fide & constantià, ad Iosuam reversus, re apud populum expositâ, subitam illam animorum indignationem & ferociam facillimè compescuit: & civilis belli molimina metúmve oppressit.

POLITIA, cum Religione, ritè constituta.

QVONIAM verò non minor conservandæ, quam constituendæ Reip. cura esse debet: Et magna Imperia, brevi aliquando tempore, & dexteritate aut felicitate eorum, qui res aggrediendas susceperint, parari possunt; eadem tamen servari, nedum propagari, nisi magna prudentià atque industrià, contingit. hereditatem Terræ Chananææ divino beneficio Israelitis concessam, atque operà suà partam traditamque, quemadmodum tueri oporteret; Iosua ostendere volens:

Concilium coegit eorum omnium, quorum aliqua apud populum, propter magistratuum & publicorum munerum ius, esset auctoritas.

MAIORES NATV, (Senatores, qui partim Magni & publici consessus, LXXII. Patres erant conscripti; partim singularum Vrbium Tribuni.

PRINCIPES, qui Tribuum ipsarum proceres & ante-signani.

IVDICES, qui singulis in Civitatibus aut Municipijs Iuri-dicundo præerant.

Et MAGISTROS, qui Decretorum curatores, Accensi & apparitores (al. Scribæ & Doctores.)

Eos itaque ad se evocatos, gravissimâ oratione, sui quemque officij, & in primis pietatis commonuit. Cuius diligens cura & studium, Remp. Deo gratam, ac proinde florentem felicemque, uti pepererat; ità in posterum conservare & amplificare possit.

Se, dum ætas viresque ferrent, rem bellicam & civilem, ex Dei mandato, fideliter procurasse: &

Terram omnem, quæ inter Iordanem ab Ortu, & Mare-magnum ab Occasu iacet; inter ipsos ex æquo esse partitum.

Si quæ adhuc nationes reliquæ, & bello sint intactæ; modò ipsi in colendâ pietate, & evitando Gentium profanarum cõmercio, persistant; Deum, promissi memorem, easdem procul exterminaturum: & ipsos, in iustam vacuorum agrorum, quos singulis iam-tum ipse adscripserit, possessionẽ missurum.

Sin, quorum errores & consuetudinem aversari iubentur, amicitias & cõnubia adsciscere ac fovere ultrò contendant; fore, ut non dedecore modò, sed gravissimis etiam incommodis, adfligantur. qui callidis hostium suorum consilijs artibusque conũpi & capi se passuri sint; & ab ijsdem è Terrę, quam divinâ ope interceperint & occupârint, possessione exturbandi.

Sibi, qui mòx ex hâc vitâ sit emigraturus, satis esse, si ipsos divinæ Iustitię & severitatis admoneat.

Ipsi curarent & caverent; ne uti Deum in beneficentiâ fidelissimum hactenus fuissent experti; vicissim in pœnis, ex impietate repetendis, severissimum æquissimumque persentirent. Et qui vitam tranquillam, omnibusque copijs circumfluentem, in Terrâ sibi destinatâ, traducere potuissent; rursus indè exacti in miserrimam servitutis aut exsilij conditionem relabantur.

2551. | Anno XXVI. (qui alijs XXVII.) | 1399.

Quùm diviso iam, inter Tribus, universè captivo Chananæorum solo, pace summâ perfruerentur Hebræi; quòd finitimorum nemo populum, tot victorijs nobilem, & tàm propitio præsentique Dei numine tutum, armis ampliùs lacessere aut tentare auderet; IOSVA superiore actione non cõtentus, quâ optimates, & primores populi, ad servandum purum Dei cultum, ex officio, serat cohortatus: nũc etiam populi sententiam rogare instituit; & quæ mens esset, ex ijs penitiùs agnoscere, principibusque patefacere: & in posterum cavere; ac confirmatum denique cum Deo fœdus palàm testari.

Tribus itaque omneis, eum ijs, quos dixi, optimatibus, Sichemum (locum opportunum & duorum Patrum, ex quibus gens illa ortum ducere gloriabatur, Abrahami & Iacobi, consimilibus factis olim celebratum Gen. 12. & 35.) evocandas, & Arcam Fœderis eòdem loci deportandã curavit.

Hîc verò non Ducis sive Imperatoris tãtùm, sed Vatis etiam personam munusque sustinens; cũ Dei in Maiores, ipsosque posteros beneficia, à capite, quod aiunt, ad calcem repetijt: tum eiusdem mandata, de pietate & reverentiâ sibi præstãdâ, & Legibus servandis, deque Idolorum contemtu, proposuit.

Observârunt hîc nonnulli, IV. hactenus ÆTATES, sive status populi Hebræi, quantùm ad religionem, & cultum; sive vanorum Dæmonum, sive veri Dei; pertinet.

Vt prima sit, rudis ea infantia & quasi barbaries, quæ antè promissum, Abrahamo divinitùs factum, viguerat: dum eorum parentes, ultrà Eufratem fluvium degerent. Et pro Dijs eadem, quæ Chaldæi aut Aramæi, sive Astra, sive Monstra, sive Homines vitâ functos, sub vanis Deorũ nominibus, colerent.

Altera, ceu pueritia; dum idem populus apud Ægyptios propagaretur & cresceret. Vbi, quantumvis veri Dei, qui eos in peculium sibi delegerat, & eòdem loci perduxerat, notitiam haberent; pravâ nihilo minus Ægyptiorum consuetudine corrupti, & interdum potentiâ oppressi; ad eorum quoque numina observanda prolabebantur.

Tertium tempus fuit, quo ijdem per vastas Arabiæ solitudines traducti sunt; & sive castra moverent, sive signa figerent; unum tutelarem & gubernatorem Deum, qui in Nube & Igne, ipsis antecederet; & in sacro Tabernaculo subinde præsentem sese proderet, agnoscebant, & in vota vocabant.

Quos namque Deos primis illis diebus in solitudine venerati fuerant; ad Ægyptiacæ superstitionis tempora vel B. Stephano teste, - *Aversi sunt cordibus suis in Ægyptum*) referri debent: præter momentaniam illam, sub Balaco, Moabiticorum Bacchanalium insaniam.

Postremum id ipsum est, quo hæc agebantur. quùm expugnatas iam Chananæorum regiones, ubi varij ab indigenis Dij habiti erant & culti; Israelitæ incolerent,

Quùm itaque IOSVA populo, cuius sensum & iudicium de cultu divino exquirere volebat, optionẽ daret: ut, si grave esset, Deo Opt. Max. cuius tàm insignem eàtenus in se beneficentiam, & Patres, & ipsi experti essent, servire atque obtemperare; deligerent & constituerent in præsentiâ, utros Deos colendos sibi, & pro Tutelaribus habendos, putarent. Illósne, quos Maiores, in Mesopotamiâ, nullo fructu, & tàm turpiter coluissent; an Amorrhæorum, hostium suorum, in quorum terras, ipsis volentibus, iàm invasissent.

Se, quidquid ipsi statuerint, cum suis, in pristino tàm spectati & benefici Dei cultu usq; perstaturũ.

Quà verborum, in suo Imperatore, bene-merentissimo publicæ felicitatis, secundùm Deum, auctore, constantiâ, ceu præiudicio quodam damnati, an excitati & confirmati! Magno adplausu orationem, uti prudentiæ consilijque plenam, excepérũt. *Se neque Deum Maiorum suorum, tot experimentis cognitum, deserturos: neque Deos, ab illo alios, ullo honore dignaturos.* - Illi soli se salutem acceptò referre; qui, ceu vindex, è durissimâ Ægyptiorum servitute Patres ipsosque adseruerit. Qui ingentibus prodigijs suam gloriam, cum suæ gentis decore & hostium opprobrio, coràm patefecerit. Qui ex omnibus periculis, itinerumque incommodis, & insensissimarum passim gentium, quà transeundum fuit, insidijs, salvos sospitesque traduxerit. Qui profligatis eiectisque Amorrhæorum populis, à quibus Terra omnis inveterato iam iure, & nullo vicinorum metu, obtinebatur; in pacatam tot agrum, & caducorum fundorum, atque adeò urbium possessionem ipsos immiserit.

Hic quùm subiecisset IOSVA; *Meritò Deũ illum*

ipsis colendum, quem tot beneficentiæ exemplis perspectum haberent. Cæterùm denuntiare se, eumdē ijs esse formidabilem, qui vel ipsum deserere, vel non ritè ac purè colere, in animum induxerint. Illum quidem ingenium mutare numquam: nec, uti sanctum & ab omni impuritate abhorrentem, atque adeò severum, scelera pati inulta.

Ipsos verò, uti homines ad malum procliveis, levibus momentis ad cultum illius vel deserendum, vel negligentiùs suscipiendum, mutari posse. Vnde, impios & desertores, gravissimè adflictum; & omnibus, quæ ab eodem acceperint, bonis exutum iri, æquum sit & consectarium.

Tum illi contrà, & vicissim; *Deum se iustum perfidiæ ultorem non defugere. sed ut desertionis crimine posthac se non obligent, omni pietatis officio curaturos esse*, conclamâssent:

IOSVA rursum, qui optionis faciendæ iudicium sapienter persuaserat; plebiscitum, rogatis sententijs factum, de Cultu Dei nullâ exceptione suscipiendo; ut publico etiam testimonio sanciretur; & quasi iureiurando eiusdem auctoritas devinciretur; postulavit.

Quod quùm illi itidem professi essent; & iussi alienorum Deorum simulacra, (quæ fortè vel bello proximo ceperāt; vel ex Ægypto à parētibus quasi per manus tradita adservârāt) & omnia pravæ superstitionis monimenta aut instrumenta, è medio tollere, confringere, & oblitterare. & in interno externoque solius Dei cultu animos suos & cogitationes defigere; sese utrumque præstaturos; & præceptis Dei, quæ audissent, morem gesturos, ingeminassent. Ipsi postremò totius actionis & stipulationis monimentū, quamdā Legis & Plebiscitì in formā redigere; atq; litteris, ad posteritatis memoriam & observantiam, commendare voluit.

Et quemadmodū populo, antè quàm in Terras sibi promissas iter cōtenderet, Lex per Moysem lata, & in Sinæo monte, feriendo fœdere confirmata fuerat; sic ijsdem, in terrarum possessionem ingressis, eamdem Legem palàm relegere; & solenni sacrorum ritu stabilire; ac se quasi ministrò instaurare, necessarium duxit.

Et tum demum Fœdus (quod non sine hostiæ cruentæ immolatione, & epulo, fieri consueverat) inter Deum populumque, in Sichemo, percussit. Et Iura, quæ Deo soli, iam palàm agnito & ab omnibus recepto, ob singularem circà se providentiam & æquabilem administrationem, deberentur; eiusque ritè colendi rationem, proposuit.

Quæ omnia, cum rerum à se gestarum Cōmentario, litteris ad posterorum memoriam consecrata; ad ipsum Legis Mosaicæ Volumen, (quod in Arcę latere adservabatur) adiecit: quibus divinæ veritatis in promissis præstādis cōstātia declarabatur.

Et Lapidem prægrandem, obelisci instar, erectū, eodem loco, quo res gesta, & mutuum Dei cū populo fœdus fuerat renovatum; statuit: & subter Quercum, in Sanctuario sitam, & ab Abrahamo usque celebratam, defixit.

LAPIDEM, dico, eiusdem actionis monimentum, & fœderis elogium.

Qui, si illi à Dei præceptis, quæ in præsentiâ audierant & adprobârant; resilire in posterum, aut inficiari auderent; suo testimonio, ceu signum perpetuò obvium, eos convinceret.

His ità in publico Concilio (quam primam omnium Synhodum fuisse vult Genebrardus) magnâ animorum consensione peractis; & singulis, è populo, ad sua amicè dimissis; paullo-post IOSVA, Nuni F. tot rebus felicissimè gestis clarissimus: qui Domini cultum in Ægypto, in Solitudine, in Terrâ promissâ, pro virili, privatim & publicè, promoverat usque, & amplificârat; CX. annos natus, è vitâ excessit.

2551. | Hic annus à Diluvio DCCCXCIV. Ab Exodo LXVII. | 1399.

Ipse haud procul Thamnath-sarâ, urbe hereditariâ, loco illustri & montano sepultus: postquam XXVII. ann. populum, ab excessu Moysis, rexisset. (Sic B. August. Genebrardus, tantum XIIX. ann. regiminis tribuit. Ioseph. XXV. Alij, VIII. post Terræ distributionem.)

Ipse tempore Exodi traditur fuisse XLIV. ann. & iam dux factus, LXXXIV. Indè ad obitū fluxêre XXVI. qui constituunt ætatis in eo ann. CX.

Incidit eius mors (teste B. Aug.) regnantibus, apud Assyrios, XIIX. Amyntâ. Apud Sicyonios, XVI. Corace. Apud Argivos, X. Danao. Apud Athenienseis IV. Erichthonio.

Per eos quoque annos à Xantho, Cretensium rege, qui & Asterius, rapta perhibetur Europa' quę nomen tertiæ Orbis-terrarum parti fecit.) Indè geniti, Rhadamanthus, Sarpedon, & Minos. quos tamen ex eàdem muliere Iovis esse filios vulgatū est.

Tum & à Busiride, Neptuni F. & Libyæ, (quæ Epaphi filia) qui hospites suos ad Nilum Dijs immolasse traductus est; Theben in Ægypto ἑκατόμπυλον: Et Cyrenen in Libyâ, à Batto, conditas ferunt.

Et Herculem quemdam in Tyro, & Phœnice, clarum fuisse. Fortè Ægyptium, cognomento Delphinam: qui ad Gadeis pervenerit, & ibi, colūnas, seu terræ terminos, Calpen & Abylen statuerit. Et Hercule Tyrinthio longè antiquior fuerit.

Eodem, quo IOSVA, anno mortuus & Eleazarus Pontifex. in Gabathâ, hereditariâ filij Phineæ & successoris sui portione. (al. dotali & uxoriâ; sive usuariâ Iuris Levitici) eodem in Ephraidarū monte, & loco edito, tumulatus.

Eâdem publicorum Comitiorum opportunitate usi Israelitæ, voto, quo se olim obstrinxerant in Ægypto, (Exod. 13.) se exsoluêrunt. Et ossa Iosephi, tot annis in urnâ adservata, & ex Ægypto secum asportata, haud procul Sichemo, in agro, (quem Pater Iacobus, ab Hemoris. qui Sichemi parens fuit, posteris, CD. argenti uncijs; (nummo, Ovium imagine insignito) redemerat, & Iosepho eiusque soboli legârat) non sine insigni pietate, ob pristina Viri merita, defleta, & in sepulcrum illata.

Severus, qui LXX. Interpp. sequitur; A mundi exordio, in Excessum Iosuæ, annos numerat, MMMDCCCXCIII. Quæ summa ex ijs, quæ ille statuit, Temporibus, sic colligatur.

Ab Adamo ad Diluv. ann. 2242. —	Nobis 1657.
A Diluvio ad Ortum Abrah. 1070.	— 322.
Ab Abraham. ad mortem Ioseph. 370.	— 361.
Servitus Ægyptia, annor. — 144.	— 144.
Mansio in Deserto, annor. — 40.	— 40.
Iosua regit populum ann. — 27.	— 27.
Summ. —— 3893. Ann. (— Discrimen est, 1342.) ——	Sum. — 2551. Anni.

INTERREGNVM ARISTOCRATICVM & deinceps IVDICES, ad quos Hebræorum Resp. translata.

2552. | | 1398.

A Morte IESV, Navæ filij, populus Hebræus, non Duces, sed Iudices nomine, nactus est: Post aliquot annorum Interregnum, sive Aristocratiam; qua Seniores (de quibus, Iosuæ c. postremo v. 31. & Iudic. 2. v. 7. *Longo vixisse tempore post Iosuen, & novisse omnia opera Domini, quæ fecerat in Israele,*) X. al. XX. vel, ut Tostat. XXV. ut Genebr. XVII. annis, præfuérunt.

Dicti autem hi sunt IVDICES, usque ad Samuelem; quòd penes eos auctoritas Iuris dicundi, non sine Reip. sive consilijs, sive bellis administrandæ, curâ, existeret.

Licet enim duplicem potestatem, Ducendi & Iudicandi, haberent; non tamen à ducatu duces; sed à Iudicio, uti re potiore, Iudices nominati. hoc est; qui homines condemnandi & absolvendi ius, atque auctoritatem, ex Lege, haberent. ἐχέιν καὶ δικάζειν.

Non regia hæc potestas, sive arbitraria; (neque enim sceptro aut diademate usi; neque hereditarij fuére) sed merè politica fuit: quâ populum, iuxta leges Patrias & instituta, regebant; & indictis, pro re, certis in urbibus, conventibus ac foris, iurisdictionem absolvebant.

Ij autem, partim hominum prudentum auctoritate, aut suffragijs creabantur; partim à Deo peculiariter ad remp. capessendam excitabantur.

Horum temporibus, (ait B. Aug. l. 18. c. 13. C. D.) *Alternavérunt apud Hebræos, & humilitates laborum, pro eorum peccatis; & prosperitates consolationum, propter miserationem Dei.* Et Iudic. 2. *Suscitavit Dominus Iudices, qui liberarent eos de vastantium manibus. - In diebus eorum flectebatur misericordia, & audiebat adflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vastantium, &c.*

Hîc observa. Annos omneis, quibus Israelitæ exteris servisse gentibus; aut captivi, tributarijve fuisse, hoc libro commemorantur; consecutorum proximè, & quandoque antegressorum Iudicum, annis comprehendi; nec seorsim numerandos esse.

Anni namque huius III. Ætatis (posterioris) 3. Reg. c. 6. omninò recensentur, CDLXXX. hoc est; Ab Egressu ex Ægypto, ad IV. ann. regni Solomonis, quo ædificari cæptum est Templum. Alioqui multa constitui oporteret Interregna; & anni minimùm DC. exsurgerent. Immò, ut alij censent, si omnes numeri, qui Iudic. 3. 4. 5. 6. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 16. capp. Et 1. Reg. 4. exstant, distincti in unam summam colligantur; prodibunt præcisè anni CDL. qui à B. Paull. Actor. 13. numerantur: quùm tempora Iudicum, à Moyse, ad Samuelem, sint tantùm CCCXCVI. annor. Quibus si addas XL. Samuelis & Saülis, coniunctè; & XL. Davidis regis, & IV. primos Solomonis; existent illi CDLXXX. de quibus sup.

Locus autem ille Actor. 13. respicit ad Exod. c. 12. v. 40. - *Habitatio filiorum Israelis in Ægypto, CDXXX. annor.* Sive ad annum Iosuæ Imperantis V. qui fuit ab Ortu Isaaci CDL. post quem, Terra à Iosuâ inter Hebræorum Tribus distributa est, Vid. Ann. ab O. C. MMDXXIX.

Et nequis hic alucinetur; certum habeat, duo priora Libri huius Capita, esse velut quoddam futuræ historiæ præludium. ubi multa inseruntur, tum quæ priùs gesta sunt; tum quæ posteà evenérunt.

Quùm itaque populus initiò sine Duce ageret; & adversùs Chananæos (Ioseph. quorum res adhuc satis integræ; quique ex morte Iosuæ, vanâ spe, aut libertatis, aut dominationis reciperandæ, excitabantur) bellandum esset: DEVS (à Phinee, tum Pontifice) consultus, IVDAM, hoc est, Tribum Iudæam (al. Principem eius Tribûs. Fort. Calebum) ducem belli adsciscendum esse censuit: in cuius manus, terram hostilem esset traditurus.

Qui adsumto in partem Simeone fratre, (Simeonijs, contribulibus) & societate inter se initâ, res prosperé gessit. Chananæum, Iebusæum & Pheresæum, cæsis ad Bezecam X. Millib. subegit. Et Adoni-bezecum (ipsius Bezecæ Principem) è fugâ retractum, cepit; eique summos manuum pedumque pollices præcidit.

Rex ille, regulos LXX. captivos, aut deditios, pari olim supplicio mactârat & truncárat: & sub mensâ, canum more, aluerat. Victus, simili sorte (quâ se dignum; nec dubiam Dei ultoris iram, palàm ille profitebatur) in Hierosolymâ perijt. Eam namque urbem Iudæi, per

per vim captam, cædibus & incendio fœdárant. (Iosephus captâ inferiore eius parte. quòd Arx, superior, in monte Sione sita, loci naturâ & munimentis facilè defenderetur.) Et illam certè, fortè vectigalem, Beniamitis conniventibus, Iebusæi, ad Davidis usque tempora, tenuisse produntur.

Eodem belli impetu Chananæos, qui tàm in montanis, quàm in planis, reliqui erant, debellárunt.

CALEBUS verò, primarius Iudæorum Imperator, cui Hebronem (tribus Enaci, è stirpe Gigantum, [illegible] cessisse sup. diximus; promotis ad Dabirem (quæ vetusto nomine Cariath-sepher; Civitas Litterarum, ceu Academia, dicta est) copijs; [illegible] filiæ, Achsæ, coniugium, ei, cuius potissimum virtute Civitas illa expugnaretur, proposuit.

Quam conditionem quùm OTHONIEL, (al. Gotnoniel) Cenezi F. frater Calebi minor, (al. fratris Caleb minoris. (Sic LXX. Interpp. cap. 3. Iudic. apertè dicunt; Cenezum ipsum, fuisse fratrem Calebi, non Othonielem.)

(Theodor. putat Iephonem binominem fuisse, vocatúque etiam Cenez vel probabile esse, fratres hos fuisse uterinos. Calebi Patrem fuisse Iephonē; Othonielis Cenezū. cui mater alterius enupserit,) acceptasset, inquam & urbem manu cepisset: Uxor pacta, & à marito persuasa, nativam agri dotalis ariditatem, vicinis fontium scatebris, suprà & infrà, irrigari ut pateretur, à Patre contendit: & impetravit agrum, partim in planis, partim in montibus situm.

Habita quoque ratio posterorum Iethronis Cinæi Madianitæ, Mosis olim soceri, qui adhuc [illegible] comites se Hebræis adiunxerant, & [illegible] in Deserto socij fuerant. Illi autem in H[illegible] quæ à dactylorum copiâ, Palmarum. C[illegible] dicta, sedes fixerant. sed indè digressi, à Iudæis in partem sortis erant adsciti: & in Deserto, quod Aradiæ civitati ad Meridiem est obversum, incolere permissi.

Iudæi vicissim Simeonijs fratribus auxiliares, alteros Chananæos, qui Sephatam obtinebant, magnâ clade ceciderunt; & urbi nomen, Horma, id est, Anathema impositiérunt. Et tres Palæstinorum Civitates, Gazam, Ascalonem & Accaronem, earumque agros, suæ ditionis finibus adiecérunt.

Cæterùm qui de Montanis gentibus, Deo freti, tàm gloriosè triumphárant; alteros, qui planitiem & Valleis incolebant, & falcatis curribus abundare gloriabantur; diffidentiâ iàm increbescēte, penitùs delere nequiérunt. (Iosep. Ascalonem & Azotum ab ijs captas; Gazam verò & Accaronem evasisse, tradit.

Horum exemplo excitati Iosephitæ, urbē Bethelen, quæ prius Luza, obsidione cinxérunt. Et proditione cuiusdam Civis, (Ioseph. qui necessaria in urbem importabat) impunitatem antè & præmia sibi suísque pacti, loco, non sine ingenti opidanorū cæde, sunt potiti. Et proditor, ex pacto dimissus, urbem Patriæ antiquæ cognominem, in terrâ Hethæâ, condidit; ceu quoddam & victoriæ hostilis, & salutis sibi condonatæ, monimentum.

Circà hæc tempora BELOCHUS XIX. Assyrior. rex, XXV. ann.

Tum quoque permultas Deorum fabulas à Græcis esse confictas, tradit B. Aug. De Triptolemo, Minotauro, Centauris, Phryxo & Helle Gorgone, Amphione, Dædalo, Oedipo & Sphinge, Antæo, Inô & Melicerte, Perseo & Andromedâ. Quæ ad bellum usque Troianum (ubi M. Varro Librum 11. de Rom. populi gente finiebat) ità sunt ingenijs hominum efficta, ex occasione Historiarum, quæ res veraciter gestas continent, ut non sint opprobrijs numinum adfixæ. Atque adeò homines, non modò ijs, qui tàm nefanda de Dijs (uti partum Latonæ, raptum Ganymedis, stuprū Danaes &c.) finxére, non sunt irati; sed nisi talia figmenta & mendacia, & ipsi libenter amplexi essent; & in theatris etiam agerent; Deos ipsos malè sibi propitios fore, sunt opinati.

Exstitére tum quoque Poëtæ illi, qui Theologi dicerentur: quòd de Dijs vanis Carmina facerent: ORPHEUS, MUSÆUS, LINUS. Qui licet quædam vera, & ab Hebræis fortè obiter accepta, de Vno & Vero Deo, cecinisse videantur; à fabuloso tamē Deorum suorum dedecore etiam ipsi abstinere non potuérunt. (Hæc ferè B. Augustin. libr. de Civitate Dei.)

Postquàm hactenus Iudæi & Iosephitæ, Deo propitio freti, in reliquijs Chananæorum exturbandis aut profligandis, nihil non feliciter gessissent; tandem Israelitæ universè omnes, omisso bello, Chananæos vicinos, & in visceribus regionum, sibi singillatim & divinitùs adsignatarum, herenteis; vel socios, vel vectigaleis fecérunt: & pacem, non sine commerciorum fœdere, præter ius & fas, dederunt.

Iosephitæ tamen, dum Amorrhæi Danitas non tantùm è planitie eijcere; sed montium etiam angustijs, Aialone & Selabi interceptus, premere cōtenderent: suppetias tribulibus tulérunt. Sed hostē, quem excidere poterant, tributo imperato, & certis agrorum finibus attributis, incolumem secum considere permisérunt.

Atque ità serium Dei mandatum, de hostibus, aut internecioni dandis, aut exterminandis, vario consilio, nec uno errore, ab Israelitis neglectum est. Et ipsi, dominandi, privatique commodi cupiditate, imperare victis, etiam cum futurâ pernicie, maluérunt. Nam tot gentibus subactis, vel in fidem acceptis, summum quidem domi militięque erat otium; sed longâ pace emolliti, & disciplinæ legumque divinarum immemores, voluptati magis, quàm honestati studére cœperant.

Quâ iniuriâ Deus commotus, per Angelum; sive (ut alij interpretantur) Vatem quemdam, è Galgalis submissum, eos officij & fidei datæ commonefecit. qui in locum quemdam (Hebr. Elabochim; Latinis, è re natâ, Lugennum, dici meruit) convenerant. Ibique præsentium miseriarum sensu, atque invalescentium hostium importunitate pressi, suam calamitatem communibus lamentis deplorabant.

I 4 Admonuit

Admonuit autem eos ille, nequaquam, è Dei sententiâ, hostibus Chananæis, quibus-cum fœdera ferire prohibiti essent, in præsenuâ parcerent. alioqui & hosteis ipsis exitio, & eorum Deos offendiculo in posterum fore.

Illi, licet initiò oraculo terrerentur; & non sine lacrymis, Dei placandi, hostias immolassent: mòx tamen ad ingenium reverti, & proprio humanoque consilio inducti; amicis, aut tributarijs potiùs, quàm hostibus, Chananæorum populis, uti perseverarunt. Eoque facto singularem illam Dei ergà se curam ac providentiam abalienârunt.

DANITÆ autem circà hoc tempus, quos ab Amorrhæis locorum angustijs pressos fuisse diximus. (Ioseph.l. 5. Ascalonem & Accaronem, in sorte Iudæ sitas, à Chananæis in parteis suas traductas: & Danitas in montana compulsos, quòd pro numero satis agrorum non haberent, de loco, deducendis colonis idoneo, dispexisse scribit) cum D C. Viris è Saraâ & Esthaole profecti, Lachin urbem (quæ Lesem, & Lais) quam quiete & opulentia suâ securam, & in extremis Terræ finibus, ad Aquilonem, sive ad fonteis Iordanis, & ad Libani radices (quæ extrema sors Tribus Aseriæ) sitam, ab exploratoribus intellexerant; facilè & impunè occupârunt, & cæsis opidanis incendio tradiderût. Eamque reædificatam & colonis compleuérunt; & de nomine sui progenitoris, Daniam vocârunt. (Hæc est, Paneas; & pòst, Cæsarea Philippi.)

Ibidem Teraphim, sive Deorum idóla (quæ Michas quidam Ephraita, è sacrâ & devotâ matris pecuniâ, conflarat; & illi per vim, cum sacerdotalibus ornamentis, & sacerdote ipso Ionathâ, Gersami filio, Moysis Nepote, ob-iter abstulerant) consecrârunt. In eâque superstitione (posteris Ionathæ in sacerdotium usque suffectis) ad id usque tempus, quo Arca Domini, è Silóâ in castra traducta (cæsis, inter cæteros, Helis, sacerdotis & Iudicis. Liberis) à Philisthinis capta est; temerè & impunè perstitérunt. (Ar. Munt. alijque hæc ad Samsonis principatum reijciunt.)

I. BELLUM CIVILE, IN BENIAMITAS.

DEPRAVATA erat eâ tempestate Reip. forma, & ab Optimatium auctoritate invalida. dum nec senatus, ut anteà, legeretur, nec magistratus ritè crearentur. Secundis nàque rebus, ut semper fieri adsolet, populus pietatis pristinæque disciplinæ desuetus, mores externarum gentium, inter quas, datâ, quam diximus, impunitate, & perniciosâ societate, vivebat; paullatim trahere; matrimonia ex victis adsumere; ac mòx profano ritu idolis sacrificare, occæperat.

In hâc morum & religionum licentiâ, gravis incidit perturbatio, ex quâ mòx bellum civile est exortum. Quod licet alij, ad Aiodi Iudicis: Ar. Mõt. & Sulpit. ad Samsonis tempora referant: nos cum alijs, antè Othonielis Principatum, collocandum duximus. Gestum enim proditur, - *Dum rex in Israële non esset*; sive, Israel summo magistratu careret, qui populum regeret & coërceret.

Illi, qui id accidisse putant Samsonis aut Helis ætate, Phineæ sacerdoti, qui tùm vixisse, & Templo Tabernaculóve (in Silóâ, aut Bethele, aut Masphâ. (Iudic. cap. 20.) præfuisse traditur; plus C C C. vitæ annos, vel tribuunt, vel tribuere coguntur. Quùm à plerisque, hi, Abisuë, Bocchi, Ozi, Zaraia, ex eâdem stirpe, suo quisque loco, sacerdotium intereà administrâsse, ante Helim, tradantur.

Motus autem eius, de quo dicere cæperamus, hoc initium.

Vir quidam è plebe Leviticâ, qui statis pro tempore sedibus inter Ephraitas degebat; & uxorem sibi Beth-lehemitidem, è Tribu Iudæâ, coniugio non ità stabili adsciverat. quùm orto, ut fit, dissidio, eamdem à soceris, ad quos illa iam quâdrimestri transfugerat, blandè & amicè coràm repetijsset; & post dies aliquot familiariter ibi exactos, tandem die ad Occasum declivi, cum uxore, quæ in gratiam redierat; & exiguo comitatu, discessionem gravatè fecisset. Neque triginta pænè stadia emensus, in propinquam urbem Iebusæam, (Hierosolyma) alienigenarum, & Chananææ quidem tùm stirpis, domicilium; diverti vellet. urguente nocte compulsus, in Gabaam, (quæ X X. ulteriùs stadijs distans, à Beniamitis Iemininæis incolebatur) secessit.

Quumque eum, in meiâ & inhospitali solitudine, senex quidam, Tribulis Ephraita, & inter Gabairas inquilinus, in foro casu repertum, & caussam itineris rogatum, benignè invitâsset; & hospitio domestico, quantumvis à rebus necessarijs abundè instructum, accepisset. Ecce tibi, effrenes aliquot ex opido Iuvenes hospitis domum circumsistunt; & importunis clamoribus virum advenam (Ioseph. eius mulierem) ex ædibus produci, & suæ libidini dedi postulant.

Et licet multum à sene, qui ut ius hospitale apud se salvum sit; & ne flagitium, tàm à naturâ abhorrens perpetretur; filiam virginem potius explendæ eorum cupiditati offerebat; increpiti, & a gré exorati, vicario demum concubinæ eius, quem dixi, Levitæ corpore in ludibrium accepto; advenæ quidem marito pepercérunt: illamque autem, intemperantissimè & ad fastidium tota nocte vexatam, diluculo dimisérunt. Quæ ad hospitij usque fores progressa, stupri iniuriâ, an verecundiâ, incertum! humi, & sparsis ad limen manibus, collapsa, animam efflavit.

Levita, dissimulato dolore, postquam cadaver Coniugis, iumento impositum, domum suam reportâsset; in testimonium tàm diri facinoris, membratim duodecim in parteis ferro dissecuit: Et quò promtiùs omneis facti invidia commoveret, ad omneis Israelitarum Tribus terminosque, pro parte, transmisit.

Illi autem universè, tàm horribilis spectaculi indignitate incitati & offensi, quid facto opus

opus esset, publicis comitijs decernendum iudicârunt.

Nec mora. Collecti undique, & ducibus signisque de more dispreti, in Maspham (Ioseph. apud Siluntem) coràm Tabernaculo, ad CD. peditũ Mil. neque id clàm Beniamitis, convenérunt. Vbi post flagitium Gabaënorum, à Viro Levitâ, palàm in coronâ expositum, & nefas perorando exaggeratũ.

Primis, publico edicto sese obstrinxérunt; *Neq; in Tabernacula sua, neque in domos quemq; suas, inde recessuros, nisi sublato communis periculi metu & impunitatis malo, vel rationem, vel pœnas tanto scelere dignas, à Gabaïtis exegissent.*

Deinde iureiurando, & exsecratione sanxêrunt, Ne quis ex ipsis filiam ulli Beniamitæ in matrimonium traderet.

His ita constitutis, & centuriatim delectis Annonæ curatoribus; magnâ animorum & consiliorũ concordia, ad opidum, tàm nefario flagitio nobilitatum, bellicâ clade expiandum, se convertérunt.

Et quantumvis Beniamitæ in Côncilium cum cæteris convenire noluissent; (quod iam-tum fraudi & crimini, aut suspicioni, versum oportuerat) ante tamen, quàm ad vim & arma veniretur; viri delecti & graves ad eos, ex decreto, sunt ablegati, qui denũtiarent; *Vt, siquidem tàm infame Tribulium suorum facinus non probarent; auctores tanti mali traderentur.* Et cum ij, pro violatis humanæ societatis legibus, morte iustas pœnas dependerent; tum dedecoris, toti Israelitarum nationi inusti, labes, publico supplicio obliteraretur.

Illi contrà non modò auribus animisque æquissima fratrum mandata respuérunt; sed sontium etiam, quos dedere iubebantur, caussam, adversus totius gentis auctoritatem & decreta, armis auxiliaribus defendendam suscipere ausi sunt. Adeò ut ex opidis, sibi obnoxijs, ad XXV. pugnatorum Mill. (Ioseph. & sexcentos) præter Gabaïtas, in expeditionem illam eduxerint.

Ex eo numero fuére DCC. qui licet dextras gladijs hastilve gestandis minus habileis haberent; assidua tamen iaculationis & fundæ exercitatione admirabilem ad pugnam usum sui præbuérunt. ut adligatis ad læva brachia fundis, non fallentes, collimarent: & quod propositum esset, certo ictu ferirent. Alij ἀμφοτεροδεξίους, sive ambidextros interpretati sunt.

Israelitæ verò, ad Quadringenties, uti diximus, Mille, bellatores, curâ pietatis, ob sui contemtum, in odium ultionemque tàm pervicacium perduellium versa; quùm obiter consulto (apud Siloam) Dei oraculo; Iudam (sivè, Iudææ Tribus Principem Belli) & sibi ducem præfecissent; & castris proximè Gabaam positis, & acie ad pugnâ procinctâ, Vrbem adorti, iam quasi coronâ invadere pararent (al. hostem ad pugnam lacesserent. Et Beniamitæ eruptionem ex editiore opidi parte in adversarios, qui in declivi erant, fecissent; ad XXII. Mill. ex adversâ Israelitarum acie, cæsi sunt. (Ioseph. & plures fortè cecidisseut, nisi nox prœlium diremisset.)

Israelitæ, qui se in castra, insperatâ clade attoniti, receperant; Deo iterum, non sine lacrymis, consulto; *An certamẽ adversus Tribuleis suos instaurarent.* de victoria, ob multitudinis viriumque fiduciam, tantum-non securi. Postridie eodem, quo priùs conflixerant, loco, aciem direxérunt. Et à Beniamitis, magnâ animorum ferocitate iterum erumpentibus, ad duode-viginti fortissimorum virorum Mill. sunt prostrati.

Quo factum est, ut castris, ceu quodam panico terrore, aut rerum desperatione, ad tempus, desertis; Bethelam, (quæ haud longè aberat: ubique Arca Federis, Phinee sacrorum & Tabernaculi Antistite, erat collocata) profecti, ieiunio, non sine lamentis, ad vesperam, peracto, & hostijs immolatis, supplices ad fidem Dei confugerent. & quid sibi porrò agendum; extremámne belli aleam experiri, an à prœlio posthàc, adversus contribuleis suscepto, abstinere oporteret; consultarent.

Quorum precibus & pænitentiâ mitigatus Deus, adscendere iussit; & in prœlium reverti, non ad victoriam, quæ de Fratribus, minimè gloriosa est; sed ad pœnas scelerum, Deo vindice, & milite ministro, repetendas.

Illi itaque divisis bifariam copijs, partim insidias circà urbem collocárunt; partim cum Beniamitis, audacter egressis, manus consueruérunt.

Et primum quidem ipsi, quasi impares, pedetentim pedem referunt, & de-composito hostem instantem, & editâ XXX. Virorum, terga vertentium, cæde ferocientem; longiùs ab urbe, ad duplicis semitæ divortia, abstrahunt. Mox verò, è fugâ simulatâ, in hostem conversi; & ordines restituunt; & aciem, in Baal-thamare, (agro Palmetis, frequenti. al. in planitie Hierichuntinâ) cõponunt.

Deinde, dum hinc à X. alijs intereà Millib. opidani ad certamen provocati distinerentur; Indè, ab insidiatoribus, in quos ij, qui iam latibula circumspiciebant, de-improviso inciderant; urbs vacua & subitò capta incenderetur; Beniamitæ undequáque, à fronte, à tergo, oppressi, in fœdam passim fugam se dedére.

Ad repentinum namque fumi densioris, & in altum sublati, spectaculum (quæ tessera inter Israelitas antè data fuerat) illis animus, his desperatio incesserat. Vt spatim, hic, ibi, ad quinquies & vicies Mille, tum pugnantium, tum palantium, cæsis; Sexcenti tantum ex Beniamitis, è fugâ reliqui, in Rupem Remmonis. (Ioseph. Roha) acutis & crebris cautibus horrẽtem, penetrárint: & ibi anxij IV. menseis consederint.

Quùm interea Israelitæ, recentibus cladibus exasperati, & è prœlio regressi, ut paucorum scelus publico exitio puniretur; non modò in Gabaam, sed in cæteras etiam Beniamiticæ Tribûs urbeis, & vicos, occisis ad internecionem incolis, incendio & voracibus flammis sævirent.

At paullo post-quàm dolor ille & furor resedit; quantumvis iustis armis eos, qui violatæ tàm Dei, quàm hominum legis crimine se obstrinxissent, oppressos fuisse censerent; quùm tamen in Siloam, antè Tabernaculum, universè convenissent;

conveniffent; & unâ fe Tribu diminutos lamentarentur; belli tàm præcipitanter fufcepti, quàm ferociter gefti, publica pœnitentia excepit. Et ob tàm calamitofam de Tribulibus fuis victoriam, eorumque excidium, fupplicio & ieiunio indicto, holtijfque ad aram immolatis, Deo litàrunt.

Et propterea quòd, initio belli, iureiurando cantum effet. Ne quis ex ipfis filiam ulli Beniamitæ in matrimonium traderet; de fufficiendâ in pofterum fubole, ne una Tribus penitùs intercideret, folliciti; belli in Iabefitas, Galaaditidis incolas, (qui & in Mafpham, & in Siloam, nomina tàm iuftæ militiæ & auxilia datum, cum reliquis, venire, nec fine & publici edicti, & capitalis in refractarios comminationis contemptu, gravati effent) maturè fufcepto; miffifque in eam expeditionem x. fuorum, (al. XII.) Millibus, ex urbe eâ, poft promifcuam mariû mulierumque occidionem; repertas, quæ CD. fuêrunt, Virgines, in Caftra, adducendas curárunt. Et ad fe blandè pacatéque evocatis, ex eâ, quam infediffe diximus, Petrâ, Beniamitis, nuptum collocárunt.

Et quùm ne id quidem, ad farciendam Tribûs exhauftæ, ruinam fatis effe videretur; hoc pro re natâ confilium cepérunt.

Inftabat fortè anniverfaria apud Siloam, urbem, Tabernaculo propinquam, celebritas, (Vindemiæ fortè, & octiduanæ Scenopegiorum feriæ) quâ fuburbanis in agris ludere, & feftas choréas ducere, & cantu laudes divinas dicere; Virginibus vel mos erat, vel licebat.

Beniamitas itaque vidnos iubent, fide publicè datâ, & permiffâ raptûs impunitate, adventantibus in agros puellis, inter vineta, infidiari: & raptas fecum, uti Coniuges, abducere, & modeftè habere. Id falvâ religione; neque perpetuâ adfinium, qui pacari certis rationibus poffint, fimultate, futurum.

Illi itaque, quæfitis eo pacto nuptijs, in antiquas fedes reverfi, urbes bellicâ clade vaftatas inftaurâtunt; & agris colendis operam dedérunt. Atque itâ paullatim magnis & incolarum & opum incrementis aucti, ad priftinam pænè felicitatem rediérunt.

Ifraelitæ quoque, recenfione priùs familiarum tribuum factâ; deinde miffione gratiosè datâ, ad fua quifque repedárunt.

Quùm res nihilo minus in Ifraelitis (qui longinquioris à profanis Gentibus pacis; & hinc luxuriei, quæ armis fæuior incumbere ferè folet, mala patiebantur) in deterius prolaberentur. Et ex perniciosâ cum Externis (quos ex falubri Dei refponfo deletos oportuerat) focietate, prifcam pietatem cû vaniffimo Idolorum, Baali & Aftarthes, cultu commutâffent; ipfi divino auxilio deftituti, à Mefopotamiæ rege, Chufan-rafaihaimo (Iofeph. Chufarthe, al. Chufatre, Affyriorum rege.) bello petiti & fubacti; octennali captivitate pœnas pependérunt. donec

2581. | OTHONIEL, ille Calebi pâtrui gener, (Iofeph. Cenizns eft) è gente Iudæâ, Iudex populo quiritanti à Deo datus, victo acie Tyranno, in libertatem eos reftituit. Et id XL. ufque à morte Iofuæ annum, tranquillitatem universè terræ reddidit. | 1369.

Ann. O. C. 2580. Primus Iubilæus, à Terræ partitione, ftatuitur. Et quadriennio poft, Bellopares, (al. Balatores) XX. Affyrior. rex, an. XXX. regnâffe traditur.

2591. | OTHONIEL paullo-poft mortuus effe. & paucis certè annis, poft Seniores, quos dixi; & poft octo duræ, fub Mefopotameno, five Affyrio, fervitutis annos; Reip. præfuiffe iudicetur. | 1359.

Ad eifdem Iudicis annum pænultimum, five XXXIX. (ut ei XL. universè attribuantur) refertur Tros, III. Dardaniæ rex; à quo Troia, & Troiani dicti. qui regn. LX. ann.

Et Curetes, enm Corybantibus, modulatæ in armis faltationis auctores, Cnoffum, in Cretâ, condidiffe produntur.

AODVS IVDEX.

HEBRÆI autem, pace, & fortunâ nimis luxuriante, denuò corrupti, dum vacante principatu, neque debitum Deo honorem, neque legibus obedientiam adhiberent, & idolis impunè litarent: mox pœnam, culpæ comitem fenférunt. Et ab Eglone, Moabitarum rege, qui Ammonios & Amalecitas in focietatem adfciverat, prœlijs aliquot fracti, & fub iugum miffi: & Hierichunte, inter aliàs, captâ; regnique fede ibidem, cum valido præfidio, collocatâ; duode-viginti annos duram fervitutem fervierunt.

Deus verò, & diuturnis eorum calamitatibus, & fupplicijs, tandem flexus, ab acerbâ dominatione eos hunc in modum liberavit.

AODVS quidam (qui & Adon, Iodes five Iudas, & Ehud five Eudus, alijs dictus eft) Geræ Filius, è Ieminæis Beniamita, uti animo, ita utrâque manu, ad quodvis egregium facinus promtus (Hebr. mancus, & folâ lævâ utens) quòd non itâ procul Hierichunte habitaret; & in regis, eiufque miniftrorum familiaritatem infinuâffet; ab Ifraelitis ad eumdem, cum muneribus, demerendæ

demerendæ gratiæ ergò, missitari solebat. atque ipse indidem, & iugi ab suis aliquando depellendi; & patriæ in libertatem adserendæ, occasionem aucupabatur.

Et iam-tum divino spiritu ad audendum instigatus; & pugione ancipiti ac palmari, quem sibi fabricandum clàm curàrat, subter sagum dextro femore accinctus, ad regem muneribus donandum accessit.

Eoque perfecto, & collegis suos, sive baiulos, priùs ad usque Galgala, (ibi rex ille idola posuerat: alij Lapicidinas, alij Hermas interpretantur. ubi Tabernaculum Domini religiosè olim fuerat collocatum prosecutus: & inde, ceu perditam casu, mandati memoriam repetens, in Aulam reversus; secretò iterum cum rege, cui arcanum quid (Iosep. somnium divinum) renuntiaturum velle diceret; colloquij copiam postulavit. Et mòx ad eum, in subdiali cœnatione tum fortè considentem, remotis, & in porticum Aulæ ablegatis arbitris, ingressus; quum rex de solio exsurgeret, & ad audiendum cupidè se compararet; sicam sinistrâ manu de dextro femore eductam, tàm altè in ventrem eius adegit, ut ferrum cum capulo immersum, & in vulnere relictũ, obesissimi abdominis adipe stringeretur, & intestinum ipsum erumperet.

At ille, ostijs cœnaculi obseratis, ex aulâ & urbe elapsus, magnam ministris regijs, (qui diu heri sui quietem, aut occupationem interpellare non ausi, tandem reclusis foribus. regis cadaver humi stratum repererant) perturbationem reliquit; & tutam sibi fugæ ad eadem Galgala, & in Seirathain, viam paravit.

Atque adeò (Ioseph. re cum Hierichuntinis communicatâ) cornicinibus per mõtanam Ephraitarum regionem dimissis, exercitum raptim contraxit: &, Deo duce, vindicandæ libertati auctorem se, & in Moabitas, consilij inopes, antesignanum præbuit.

Ex quibus, partim in vestigio à supervenientibus confossi: partim, præoccupatis ab Aodo Iordanis vadis, dum in Moabitidem fugam accelerant, ad x. robustorum hominum Mill. ne nuntio quidem cladis relicto, interemti sunt. Et eum pace libertas fessæ tot annos genti reddita.

I. Apud Corinthios Dynastía.

IN hoc tempus, circiter ann. ab O. C. bis Millesimum Quingentesimum Nonagesimum, prima apud Corinthios, (qui omnium eorum, qui in Peloponnesum aliundè immigrárunt, recentissimi habentur: quique eátenus, vel Sicyonijs, vel Argivis regibus ferè obtemperárant) Dynastía, incidisse putatur. (Annis, ut volunt, LIII. antè, quam vetus Argivorum regnum Mycænas trãsferretur.) Idque sub Sisypho, Æoli F. Deucalionis ex Hellene, pro-nepote. Cui Medéa, Æetæ, antè Ephyræorum, pòst Colchorum regis F. regnum Patriũ, sibi à Corinthijs, ex Iolco arcessitæ, traditum, reliquerat.

Is Neptuni sacra, Isthmia, in Melicertæ, fratris sui Athamantis, ex Inô. filij, (quem mater secum in Mare deiecerat) honorem, memoriamque transtulit. Idem, Ephyram, multo ante ab Erisichthone, Cecropis Filio conditam, nouo fortè murorum ambitu & ornatu auctam, Corinthum dici voluit.

Hæc Dynastia annos propè CCLIX. ad Heraclidarum usque reditum, stetit. Reges autem hi memorantur:

SISYPHVS, Bellerophontis, ex maiore filio Glauco, Avus.

ORNYTHION, F. Thersandri, & Almi frater; Pater Phoci eius, qui Thyræam in Phocide condidit, aut obtinuit.

THOAS F. minor. – DAMAPHON F. – PROPODAS F.

DORIDAS ET HYANTHIDAS, FF.

Hi pulsi ab Heraclidis, sive Doriensibus, Aletæ, eorum duci, regnum cessérunt. Inf. ad Descens. Heraclid.

Huius quoque Aodi anno IX. cæpisse putatur Laconum, & Achæorum regnum. Reges, eorumq; anni, pauci & parùm certi. De quibus tamen vide an. O. C. 2650. pòst regum Argivorum seriem.

2606. | Anno XV. Aodi, Lamprides XXI. Assyr. rex, ann. XXXII. | 1344.

Et quinquennio pòst, Dynastia Ægyptiorum XIX. incipit: duratque, CXCIV. ann. In eâ namque regnâsse produntur.

ZETHVS, ann. LV. RAMSES, LXVI.

AMENOPHIS, XL. AMENEMES, XXVI. THVORIS, VII.

Sub idem tempus Tros, de quo sup. ob raptum Ganymedis filij. Tantalo Phrygum regi bellum intulit. Loco à raptu, Harpagium nomen fuit. Et puer formosus in Cretam Ioui missus est, quem ille pocillatorem suum fecerit.

AODVS verò, qui diu pacatis Hebræis ius dixerat, anno à morte Othonielis XL. sive à morte Iosuæ LXXX. è vitâ excessit.

Alij (inter quos Genebr.) totos LXXX. annos eius principatui tribuunt.

Ar. verò Mont. LXII. sic. Ab eo tempore quo Israëlitæ manus Moabitis dederant; hoc est, totis decem & octo annis, antè salutem sive Libertatem, Aodo duce, partam, usque ad excessum eiusdem; nullo ab externis vicinisve gentibus bello fuisse lacessitos.

Et Euseb. post Gothonielem, Alienigenæ Hebræos tenuére subiectos ann. XIIX. qui copulantur temporibus Aoth: qui annis LXX. (fort. LX.) Iudex fuit, secundum Hebræorum traditiones.

2631. | | 1319.

SANGARVS IVDEX.

AODO successisse traditur Sangarus, Anathi F. (Sever. Semigar.) Qui adversus Allophylos, hoc est, Alienigenas (ij sunt Philisthæi, sic dicti, quòd aliundè in maritimam Phœniciæ partem forte olim delati. De quibus Deuter. 2. c. v. 23. *Heveos quoque, qui habitabant in Hazerim usque Gazam, Cappadoces expulérunt. - qui egressi sunt de Cappadociâ, delevérunt eos, & habitavérunt pro illis.*

Alij tamen Philisthæos è semine Chananæorum ortos malunt. Hi Gen. 10. c. Caphthorim dici videntur - *Ex Mesraim, Phetrusim & Chasluim, - de quibus egressi sunt Philisthiim & Caphthorim.*

Quorum quinque Satrapias (Iudic. 3.) Deus ad experimentum constantiæ, & bellicæ rei exercitationem, Israelitis obiecerat & reliquerat.)

In illos, inquam, ex licentiore vulgi Hebræi vitâ invalescenteis, prœlio congressus, vomere, sive stimulo boum, DC. ex ijs mactavit, & Israelem defendit.

Hunc alij Iudicibus cæteris accensent, & annum unum Reip. præfuisse aiunt. Alij prætereunt, ob imperij brevitatem. Alij, sub consequentibus, Baracho & Deborâ (in quorum cantico eius fiat mentio) floruisse volunt.

Severus, Samsoni Simmichatem quemdam vult successisse; eique annuam præfecturam ait ab alijs attribui. Sed veriùs, cum Sangare vel Semigare confundit.

DERORA & Barachus, Iudices.

2631. Vixdum Aodus è vivis decesserat, quùm, Israelitæ incursanone Palæstinorum per Samgarum compresâ liberati, totos iterum improbitatis & licentiæ sinus pandere cæpérunt; & ad idolorum cultum insaniamque converti. 1319.

Vnde à Iabino, Chananæorum rege, qui regnabat in Asore (Ioseph. Vrbem illam suprà Samachouitim lacum sitam; & regem eius CCC. peditum, & X. equitum Mill. currus bellicos ter mille, habuisse scribit.) qui fuerit vel nepos, vel agnatus cognominis regis, quem Iosua, eâdem urbe incensâ, captum ante occiderat.

Ab eo, inquam, subiugati, & gravissimâ per annos XX. dominatione oppressi sunt; donec Debora (quæ mulier Prophetis, uxor Lapidothi, è Tribu Ephraitide, subter palmeto, Ramam inter & Beth-lehemum, in monte, consìdebat; & populo iura dicebat Baracum, Abi-noëmi F. (Hunc alij filium eius aut Patrem; alij ipsum coniugem Lapidothum fuisse putárunt) è Cedibus, Nephthalidûm opido (uti Deus, populi fidem suam implorantis misertus, mandárat) arcessitum, belli Imperatorem renuntiásset.

Qui postquam X. armatorum Mill. ex Tribubus Nephthalide & Zabuloniâ, haud magno cum strepitu, contraxisset; & Vate, uti voluerat, expeditionis comite, castra ad montem Thaborem (sive Itabyrium) posuisset; cum Sisare, vicario regij exercitus Imperatore, (qui DCCCC. falcatos currus, & ingentem bellatorum multitudinem, ex Harosethâ, ad Cisontis Torrentem promoverat) prœlio congressus; & fulguris in morem irruens, tàm ingentem hostium stragem edidit; vt omnibus præ terrore terga vertentibus, & inter fugiendum ad unum interfectis, Dux ipse è curru desiliens, pedibus salutem sibi quærere cogeretur.

(Ioseph. Ignem grandine mistum in hosteis ingruisse, quem ventus in adversos eorum vultus ingereret. Et non modò Israelitarum, quos imminens à tergo tempestas alacriores reddebat, telis; sed suomet ipsorum equitatu & curribus fuisse protritos.)

Iahela interim, Haberis Cinæi (qui olim à filijs, sive Nepotibus Hobabi, Moysis olim soceri aut adfinis, Patruelibus suis, recesserat; & haud longè à Cadibus Tabernacula in Valle Senuimiâ tetenderat; fœdere, vel pacis legibus cum Iabino tege coniunctus) Vxor, Sisaræ fugienti & latebras quærenti, obviàm progressa, eum, ut ad se intrepidus, ingrederetur, rogavit: & potum poscenti, lac acidum præbuit; & lassitudine ac sopore fractum pallio operuit.

Què quùm illa somno gravi oppressum animadverteret; arrepto ligneo malleo, & clavo, clàm & ex insidijs, per tempora cubantis humi adacto, obtruncavit. Et Baraco, qui fugientem rapto agmine & contento cursu persequebatur, solo adfixum & mortuum ducem læta ostentavit.

Et quod Debora, diuinitùs instincta, futurum prædixerat; ob degenerem viri in capessendo Imperatoris munere cunctationem & metum, totius victoriæ summa laus, mulieri auctori, fuit attributa.

Indè Israelitæ viribus animisque confirmati, cæso ad Asorem rege, & urbe funditus excisâ, in pristinæ libertatis statum se vindicárunt.

Atque his ita prosperè confectis, Baracus & Debora Deo gratias egérunt; & Epinicium carmen alternis cecinérunt. Quo & prœlij victoriæque novum genus; & inter cæteros Tribuum, quæ præsto fuere, Duces, Iahela, cum summâ eorum, qui vicerant, laude; & eorum, qui victi, dedecore, commemorantur.

Operâ

Operâ, scilicet & robore Ephraitarum, & Beniamitarum, deletos & delendos sub Iosua prius, & deinde Saule *in Amalecitide, hosteis. Ex Machiruis & Zabulonijs, principes exercituũ, ad opem ferendam, descendisse. Et Issacharitas, Baraci, qui se maximis obiecisset periculis, vestigia insecutos esse. Rubenitas* (licet eorum studia à bello abhorrere viderentur) *Iordane disiunctos*; & fistulis agrestibus, *gregibusq́; tantùm pascendis intentos, & orto inter se*, vel simulato, *dissidio, tergiversatos, non adfuisse. Galaaditas, inerti otio obtorpuisse.*

Et quùm Danitarei nautica; & Asritæ commercijs per littora portusq́; vacarent, (Alij; Ne per mare vel subsidium hosti, vel fuga pateret, cautè invigilarent) Zabulonios, cum Nephthalidis, vitam suam in Merome (Silva agri) editissimo regionis loco. *prœliorum discrimini obiecisse. Quùm autem infestis in eos animis, signisq́;, reges Chananæorum, Iabino auxiliares, venissent, & pugnam in Tanachâ, ad Aquas Mageddi* (ubi flumen pro muro esset cierent; *è cœlo adversùs eos ità esse dimicatum; & ab Ætherijs mẽtibus, nullo negotio debellatum,* (quo Iosephus sup. adlud. e videtur *ut torrens ipse Cison, dum vel vadum hostibus invidet; vel victoribus benivolum pervium.q́; se præbet, verticibus suis correpta adversariorum cadavera devolverit: & se Deo, eiusq́; ministris, ultorem quasi iactári: Et equorum ungulæ, impotenti faroris & cursus vi concalefactæ*: & ad aquarum leniorem usti atque hiantes; *unà cum equis currus ad bellum inutileis reddiderint. Merozitas incolas, qui haud longè aberant; & ab auxilio, ijs, qui belli molem, Deo auspice, sustinebant, ferendo, abstinuerant; diris esse devovendos.* IAHELAM *contrà*, quæ licet incerto lare hospita; & amicitię, quæ Viro Aberi, cum vicino rege, intercedebat, utcumque obnoxia, *summam tamen victoria manum, duce, quem è fugâ receperat, consopito & transfixo, imposuerit; æternis omnium laudibus esse prædicandam.*

2640. | Ad huius Deboræ an. IX. pertinet Ilus, IV. Troianorum rex. | ann. LV. Ilij conditor. | 1310.

REGNVM ARGIVORVM; ET REGES, SVB VNVM ADSPECTVM DATI.

2651. | Sub eâdem Iudice & Vate Deborâ, tradit, ex alijs, B. Aug. l. 18. c. 15. Vetus Argivorum regnum desijsse, & Mycænas esse translatum. | 1299.

Cœperat hoc regnum L. aut LI. Isaacl anno. regnante Thurimacho, VII. Sicyoniorum rege. Qui fuit ab O. C. MMCXXIX. Et ante CHRISTI nat. MDCCCXXI. Duravitque sub XIV. regibus, annos DX

HI AVTEM REGES, SVO QVISQVE ordine, commemorantur.

1. INACHVS, qui L. annis.
2. PHORONEVS, LX.
3. APIS, XXXV.
4. ARGVS, LXX.
5. CRIASVS, LIV.
6. PHORBAS, XXXV.
7. TRIOPAS, XLVI.
8. CROTOPAS, XXI.
9. STHENELVS, XI.
10. DANAVS, L.
11. LYNCEVS, XLI.
12. ABAS, XXIII.
13. PROETVS, XVII.
14. ACRISIVS, XXXI. ann. regnârint.

Hos tamen annos, præter Argivorum consuetudinem, notitos, quidam putant. quod Argiui sua tempora, non Regum, sed Sacerdotum suarum annis nec[illegible] nsuevissent. Thucyd. ἱερὶ θεμεν δὲ Ιοῦς χρόνες οἱ ἀργεῖοι, ἀπὸ τῶν ἱερειῶν. Iunonis, scilicet.

Se[illegible] hanc Argivorum regum historiam, licet fabulis [illegible] xam, altiùs repetere, & planiùs conferre, [illegible] visum est. ad vetustatis memoriam [illegible] explanandam.

INACHVS, Asopi frater, (undè Æacidæ) Oceano & Tethye procreatus, Inacho, Argiæ flumini, nõmen dedit.

Huius, ex Melissâ (quæ etiam Oceani filia) PHORONEVS & ÆGIALEVS filij fuerunt.

Et ÆGIALEVS quidem, nullâ licet prole ex se relictâ sit extinctus; cui præfuerat regioni, Ægialeæ nomen reliquit.

PHORONEVS verò, terræ totius, cui posteà Peloponneso nomen fuit, imperio potitus, ex Laodice Nymphâ Apim & Nioben procreavit.

APIS, commutato in dominandi lubidinem principatu terram eamdem, Apiam, de se vocari iussit.

Hic Thelxionis & Telchinis, Sicyoniorum regum insidijs interceptus, sine liberis è vitâ excessit. & relatus inter DIVOS, SARAPIS dictus est

Cęterùm, hunc in Ægypto mortuum volunt. (B. Aug. l. 18. c. 6.) quò navibus fuerat transvectus. In cuius honorem Ægyptij, Bovem cognominem, adfluentibus delicijs deinceps aluerint, & venerati sint.

Ex NIOBE sorore, quam è mortalibus primam Iuppiter inijsse dicitur, natus est,

ARGVS, atque etiam PELASGVS, qui Pelasgię nomen in Peloponneso reliquit; quam frater à se Argos dici imperasset; & gentem, Argivos.)

ARGO rege, (teste B. Aug.) Græcia suis uti cœpit frugibus; & ex agriculturâ segetes percipere, delatis aliundè seminibus.

Is ex Euadne, Strymonis ac Neæræ filiâ, hos:

IASVM, PIRANTHVM, EPIDAVRVM, & CRIASVM, progenuit. Ex quibus, postremus regno posteà successit.

Ex Iaso, notus AGENOR, & ex eo,

ARGVS, Panoptes, sive oculatus (immò ob incredibilem prudentiam, Centoculus) Qui ex Ismene Asopi filiâ, IASVM alterum procreavit. unde orta sit

Iô. Quæ Iunonis sacerdos, quùm à Iove viriata esset, in buculam candidam transformata fingitur; & Argo oculatis custodiæ tradita.

Illam tamen Inachi ipsius filiam plerique faciunt: & post varios errores in Ægyptum pervenisse: Vbi forma receptâ EPAPHVM, ad Nili ripas, pepererit.

Cuius ex filiâ, LIBYA, nepotes gemini exstiterunt.

AGENOR & BELVS, fecundissimi gentium propagatores.

(Horum frater uterinus BVSIRIS, hostijs humanis & peregrinorum sanguine infamis.)

Ex illis AGENOR, in Phœniciam profectus, sede regni inibi constitutâ, numerosæ sobolis auctor exstitit; Europæ & Cadmi, ac Phœnicis; inter cæteros, pater.

BELVS verò, Ægypti regnum adeptus, ex Anchinoë, Nili filiâ, geminos; Ægyptum & Danaum, (alij, Cepheum & Phineum adijciunt.) suscepit.

ÆGYPTVS, terræ Melampodum, à se evastatæ, quæ tunc Arabiæ portio fuisse videtur; Ægypti de se nomen imposuit. Et ex compluribus coniugibus L. mares progenuit; quùm fratri Danao totidem natæ essent filiæ.

Hinc quùm de regno inter se contenderent; Danaus, tot patruelium insidias veritus, filiabus in navem πεντηκόντορον impositis, ARGOS in Græciam se contulit.

Vbi ARGO illi (quem dixi) Phoronei Nep. iv. regi, CRIASVS, qui & Pirasus, Fil. intereà in regnum successerat.

Eique PHORBAS, frater: Phorbanti, TRIOPAS, Iasi, & Agenoris alterius, pater.

Illique CROTOPAS, ex Agenore nepos. & huic F. STHENELAS.

Adversus huius filium GELANOREM, DANAVS, quem dixi, ex Ægypto cum classe profectus, Agenoris posteros regno exuit.

ÆGYPTI autem L. filij, Argos profecti, positis quasi simultatibus, à patruo filias sibi dari in matrimonium exposcunt.

At DANAVS, qui præter exsilij iniuriam, sibi cædem etiam ab uno eorum imminere ex oraculo acceperat; iam insidias animo agitans, & nuptias cum ijs pactus, quùm Hypermnestram, natu è suis maximam, LYNCEO; & Gorgophonen PROTEO, à se, (ob matris Argyphiæ, reginæ, nobilitatem) delectis, elocâsset: cæteras sortitò cuique distribuit.

Illos itaque, suæ quemque pari coniunctos; &, post geniale convivium, somno & vino sepultos, Sponsæ, datis à patre pugionibus, primâ nuptiarum nocte obtruncârunt.

Sola ex ijs Hypermnestra, Lyncum, qui eius virginitatem non delibâsset, incolumem conservavit, ac dimisit. eâque caussâ in vincula à patre coniecta.

Reliquæ, præsecta sponsorum suorum capita, corporum truncis antè Vrbem sepultis, in Lernâ defodérunt.

DANAVS demùm Hypermnestram, indicio absolutam, LYNCEO iterum in matrimonium collocavit; & moriens regnum reliquit.

Ex quibus ABAS genitus, PROETVM, & ACRISIVM, geminos, ex Ocalea, Mantinæi filia, procreavit.

Hi in materni adhuc uteri latebris conclusi, inter se dissidere cœpérunt: & simul-ac per ætatem licuit, de regno certare non dubitârunt. A quibus, ita inter se belligerantibus, clypei primùm inventi traduntur.

PROETVS, à victore Acrisio Argis exactus, ad Iöbaten (al. Amphianactem) in Lyciam confugit. eiusque filiam Antiam (al. Sthenuboeam) uxorem sibi adscivit.

Et à socero, cum Lyciorum copijs reductus, Tirynthem Pausan. & Heræum, & Mideam, maritimaque Argiæ loca occupavit.

Et satis longo, pòst filias, Leucippen & Iphianassam, furore iam liberas; & Melampodi, Biantíque fratribus, Amythaonis FF. & Crethei Nepotibus, ex pacto, elocatas; tépore, MEGAPENTHEM F. progenuit.

ACRISIVS regni compos, gravissimum Græciæ Concilium, quod Amphictyonum dicitur, instituisse; & Apollinis Delphici Ædem oraculumque excitâsse, traditur.

Ipse, ex Eurydice, Lacedæmonis & Spartes filiâ, Amyclæ sorore, DANAEN procreavit.

At de maribus liberis oraculum sciscitanti, quùm responsum esset; puerum è filia nasciturum, qui avo necem esset adlaturus; Danaën, subterraneo ex ære cubiculo conclusam, custodiri præcepit.

Quùmque eam, sive Proetus frater, sive Iuppiter, vitiâsset; & inde PERSEVS natus esset; matrem, cum filio, Arcæ ligneæ impositos, in mare proiecit.

Qui in Seriphum Insulâ, cui Dictys & Polydectes, Magnetis FF. Æoli NN. imperitabant, adpulsi sunt.

(Virgil. l. 7. etiam in Apuliam delati; ubi Danaë Pilumno, Dauni patri, Turni avo, enupserit, & Ardeam fundârit)

PERSEVS verò varijs intereà, per Africam, Ægyptum, & Asiam, (ubi Persiæ nomen dedit) erroribus ac periculis defunctus; unà cum Danae matre, & Andromedâ, Cephei & Cassiopes filiâ, (quàm à Ceto ad Ioppen vindicârat) relicto apud socerum Perse, quem ex Andromedâ uxore sustulerat: & unde Persarum reges originem ducere sunt gloriati; Acrisij Avi, visendi caussâ, Argos properavit.

Quam urbem quùm ille oraculi metu deseruisset, & Larissam, quæ ad Penéum sita, in terrâ Pelasgiâ, se recepisset; PERSEVS, eodem, ad Gymnicum certamen, quod rex Teutamias edere adparabat, advénit. Et quinquertium ludens, atque adeò imprudens, disci iactu ACRISIVM, in cæteris, spectatorem interfecit; & agnitum sepulturâ honoravit.

Quùmque ab adeundâ Argorum hereditate, præ cædis patratæ pudore, absterreretur; Tirynthem profectus, cum MEGAPENTHE, Proeti F. regnum commutavit: & Mycænas condidit, regnique sedem constituit. Ibique,

ALCÆVM, qui ex Hipponoë, Menoecei filiâ, Amphitryonis (ex quo Hercules) & Anaxûs:

ELECTRYONEM. qui ex Lysidice, Pelopis, (al. ex Anaxo ipsa Alcæi) filia, Alcmenę;

Et ex Mideâ, Phrygiâ muliere, Licymnij:

MESTOR

Mistorem; qui ex Lysidice, Pelopis filiâ, Hipporhoes, (ex quâ & Neptuno, Taphius)

Sthenelum, qui ex Nicippe (al. Astydamiâ, Pelopis filiâ, Eurysthei. Patres, prçcisè fuerunt.)

Et Helam sive Eleum - procreauit.

Alij his Gorgophonem, Tindarei patrem adijciunt. Alij Gorgophonen filiam, quæ Perieri, Tyndarei patri, enupserit.

Hinc Heraclidarum & Pelopidarum, in Græciâ, stirpes; licet connubijs inter se iunctæ, aliquot post sæculis inimicissimæ.

Electryone (cui cum Pterelai, ex Taphio, Mestoris fratris nepote, filijs, bellum pæne internecinum, ob regni Mycenæi usurpationem; & boves hinc inde raptas, intercesserat: quique Amphitryoni patrueli, unà cum filiâ, Alcmene, regnum in potestatem tradiderat; eâ lege, uti bello Taphijs, sive Telebois, illatos & filiorum in bello cçdem ulcisceretur, & boves reduceret) clavâ, quam Amphitryon in bovem fugientem contorserat, quæque in eius caput resilierat, interfecto:

Sthenelus, frater, eâ usus occasione, totâ Argivorum terrâ Amphitruonem, quasi parricidij reum, exturbat; non modò Mycænarum, sed Tirynthis etiam ditione potitus. Et filijs Pelopis, avunculis suis, Atreo Thyestæque ad se arcessitis, Mideam commendavit.

Amphitryon verò, cum Alcmenâ, eiusque fratre Licymnio, Thebas ad Creontem profectus est.

Eoque, ab expeditione Taphiorum, reduce; duos uxor ipsa filios; Iovi quidem, qui eum, absente marito, concubuerat, unâ nocte grandiorem Herculem: & ipsi Amphitryoni, Iphiclem, partu edidit.

Hercules, Eurystheo, Stheneli F. Mycçnarum regi, inservîsse; eiusque imperata fecisse proditur. Hinc XII. laborum, sive certaminum, fabula.

(Volunt quidam ab hoc, quod diximus, Mycenæi imperij initio, ad alteram Corinthiorum Dynastiam, annos, plus minus, CCVI. intercessisse.)

HI VERO MYCÆNARUM REges ordine recensentur.

Perseus, cum Sthenelo genero, qui ann. VIII.

Eurystheus, XLIII. Atreus, cum Thyeste, LXV.

Deinde Agamemnon, Atrei, ex Plisthene, Nep.

Ægisthus, Thyestis filius. Deinde,

Orestes, Penthilus, Cometes, (quorum anni incerti) ad Heraclidarum usque reditum.

Argivi verò in tria tum regna divisi fuisse videntur.

Anaxagora namque (qui Argéi F. Megapenthis N. Proeti pron. fuit) regnante; Melampus, Amythaonis F. Argivas mulieres (al. Proeti filias) furoris morbo liberavit. Cuius meriti caussâ ipse, cum fratre Biante, parem cum Anaxagorâ regni dignitatem sunt consecuti.

Et à Biante quidem, Viri V. per IV. hominum ætates regnárunt. usque ad Cyanippum, Ægialei F. al. fratrem. Qui stirpe maternâ Nelidæ fuérunt, ex Perone, Nestoris sorore.

A Melampo verò, ætates VI. & Viri totidem, ad Amphilochum usque. Amphiarai F. decurrérunt.

Anaxagoridæ denique, patrio ibi loco nati, diutiùs imperium obtinuérunt.

Iphis namque, Alectoris F. Anaxagoræ Nepos, Sthenelo, Capanei fratris F. regnum reliquit.

Everso autem Ilio; Amphilocho, ad Amphilochos transmigrante; & Cyanyppo, sine liberis defuncto; Cyllabarus, Stheneli F. regnum capessivit.

Sed illo quoque liberis orbo, Orestes, Agamemnonis F. Argos occupat simul & Spartam. non illubentibus Laconibus; qui mallent Tyndaréi ex filiâ nepotes, regnare; quàm Nicostratum, ant Megapenthem, filios Menelai, quos ex servâ Phrygiâ, Mideâ, susceperat.

REGES LACEDÆMONIOR. SIVE SPARTANORUM.

Ob regnorum, & regiarum utrimque familiarum, affinitatem, Reges Lacedçmonios quoque illis ἰσοχρόνους, sub unum hic conspectum dabo.

Eurotas, Lelegis indigetis; qui primus in eâ regione regnasse, & populo Lelegum nomen imposuisse perhibetur; ex Cleocharea Nymphâ F.

(At Pausan. Laconic. Lelegis filios, facit,

Myletem, patrem Eurotæ: & minorem,

Polycaonem: qui ductâ in uxorem Messenâ, Triopæ Argivi filiâ, Phorbantis Nepte, Messeniam terram occupárit, & de uxoris nomine dixerit.)

Lacedemon, qui Iovis, ex Taygete Atlantide, F. regioni nomen dedit.

Amyclas. qui Lacedçmonis, & Spartes (quç Eurotæ filia, novç urbi nomen indidit) F. Cuius sororem Eurydicen Acrisio Argivo enupsisse diximus.

Argalus. Paus. natu maximus ex filijs Amyclæ.

Cynortas, Amyclç, ex Diomede (Lapithæ filiâ) F. Cuius frater Hyacinthus, ab Apolline amatore, per imprudentiam, disci iactu interfectus; & in florem versus.

Oebalus. Cynortç, ex Periere filio, Nepos. (Pausan. ipsius Cynortæ filium facit.)

Hippocoon. Oebali & Batéç Nymphæ. F.

Qui filiorum numero viribusque fretus, fratres; Icarionem, (al. Icarium Penelopes patrem & Tyndareum; (Hi tamẽ alijs, Æoli sunt ex Periére filio, & Gorgophone, Persei filiâ, Nepotes: Apharei & Leucippi, fratres; Lacedçmone eiecerit, & in Pellenen aufugere coëgerit.

(Pausan. vult, Gorgophonen, Persei filiam, priùs Periéri, unde Aphareus; deinde Oebalo nupsisse, unde Tyndaréus; nati, fratres uterini.)

Tyndareus, Hippocoonte cum liberis cæso, ab Hercule in regnum restitutus.

Castor & Pollux. Tyndarei & Ledç (quç Thestij fuit) filij: Helenæ & Clytæmnestræ fratres.

(Al. Pollux & Helena, Iove; Castor & Clytçmnestra, Tyndareo nati. uterini tamen.)

Menelaus, Atréi F. Agamemnonis frater, Helenæ maritus, Dios-curis in Divos relatis, à Tyndareo socero regnum accepit.

Orestes, Agamemnonis F. qui licet matrem,

patris sui interfectricem, occiderit; spatio vitæ & imperij felicitate, Dijs non ingratus, vulgò, fuisse putetur. annos enim vixit xc. & lxx. regnavit. Sed furijs, uti volunt, usque agitatus.

T.samenus, Orestæ, ex Hermione Menelai, F.

Hi quoque durarunt ad extremum Heraclidarum reditum.

Circâ hæc tempora Saturnus, Iovem F. fugiens, è Græciâ in Italiam venit. & post Ianum, in civitate Saturniâ, haud procul Ianiculo, sive Româ, regnat: & populos vicinos legibus morumque humanitate imbuit.

Sub idem tempus Panyas xxiv. Assyriorum rex, ann. xlv.

Hæc Philologis non ingrata fore duximus, unde obscura veterum historiarum initia investigent.

Nunc tandem ad institutum, ex hocce Antiquitatum labyrintho, ad res Hebræorum redeamus.

GEDEON IVDEX Hebræorum.

2671. Postquam ad mortem usque Deboræ, quæ xl. Iurisdictionis 1279.
suæ anno decessit, festa diu pax in Hebræis fuisset;

Illi iterum, ob morum vitæque flagitiâ, & degenerem patrij cultûs oblivionem, a Madianitis in ditionem redacti, duro imperio per annos vii. habebantur.

Hi namque Amalecitis (Arabibus, Iosep.) in societatem belli adscitis; & susceptâ in Israëlitas expeditione, congredi ausos magno prœlio vicerunt: & frugibus evastatis prædam abegerunt. eósque in montana compulsos campestri solo cedere, & specubus subterraneis se suáque tueri & occultare coegerunt. Factáque per ætatem excursione, & fixis passim tetorijs, hibernos agrorum labores, & satorum fructus, cum pecoribus, sibi vindicabant; perpetuâ famem atque egestatem incolis relinquentes.

Cuiusmodi servitutis malo adflicti, ad Dei tandem auxilium supplices confugerunt.

Quos quùm Propheta, à Deo submissus, (hunc quidam Phineëm, Eleazari F. fuisse volunt.) de inveterato ingrati adversùs Deum, tot beneficijs spectatum, animi crimine, increpuisset: & Angelus Gedeoni, Ioâsi, (qui unus, ex Tribûs Manassitidis, & familiæ Ezriticæ, erat primaribus) Filio; manipulos frugum clàm in torculare comportatos, (quod hostium metu, propalàm in areâ facere non sinebatur) tum flagellanti, in Ephrâ, apparens, eum Deo omnipotenti carum appellâsset: Et, quantumvis infimo se ille, inter Manassitas & Tribuleis, genere ac loco abiectum fateretur ac sentiret; ad benè portò sp. randum, & ad libertatem patriæ vindicandam, atque adeò Madianitas bello persequendos; animâsset. Ac postremùm, certo holocausti prodigio (quo carnes cum panibus, adponi iussæ, & igne è petrâ emicante, fuerat absumptæ, cõfirmâsset.

Ille, (uti nocturno iterùm Dei viso fuerat imperatum) Altari (quod Sever. vult à Madianitis priùs Baalo fuisse consecratum) in eiusdem petræ, prioris sacrificij consciæ, cacumine, recèns exædificato; & arâ Baali eversâ; tauros duos, unum patris propriũ; alterum publico voto & sumtu, iam vii. à servitute, annis pastum; sed utrumque Baalo destinatos: & super struem lignorum, quæ de propinquo luco succiderat, impositos; de nocte immolavit.

Quùmque ab opidanis, institutâ in tam audacis facinoris auctorẽ inquisitione, Gedeon esset deprehensus, & à patre ad mortem repetitus; Hic temerarium ultionis ardorem magnâ dexteritate ac prudentiâ restinxit. & quasi non suam aut filij, sed Baali, cui facta videretur iniuria, caussam melius ageret; omnem criminis invidiam à se filioque, in illius tumultûs auctores, transtulit. qui nec actoris, nec Iudicis parteis ritè eâ in re agerent: sed reum, indictâ caussâ temerè damnâssent.

Indignum esse, læsi in Baalo numinis iniuriam; hominum, & non ipsius potius Dei, hominibus longè, ut nomen præferebat, præstantioris; animadversione propulsari.

Morte quidem eum esse dignum, qui Dei maiestatem auso sacrilego offenderit, ut publico supplicio eamdem adseri deceat: sed vindictam eiusmodi, non ab hominibus, qui mandatum à Deo minimè acceperint, sed ab ipso Baalo, si modò Aram sibi suffossam indoleat: &, uti Deus, per se ulcisci possit; esse cũâ sontis & nefarij hominis morte exercendam. Atque eo pacto auctoritatem potentia divina, & sua præstantia, in vulgus stabiliendam.

Ex hâc patris Ioasi oratione, Gedeoni filio, Ierobaali agnomen, cum victoriæ elogio, accessit. qui Baali auctoritatem in Idolo oppugnâsset; & de eo, religione expiatâ, triumphâsset.

Quùm itaque & Madianitæ (ex Abrahamo & Chetura oriundi) & Amalecitæ (Eliphazo, Esavi F. prognati.) & Orientales Ismahele quidem patre deducti; sed complurium familiarum & principatuum nominibus, per Arabiâ, dispersi) Omnes, tum antiquæ cognationis, vitæque militaris professione; tum cõmuni, & quasi hereditariâ, adversùm Israëlitas, invidiâ inducti; coniunctis inter se viribus copijsque, in illius, quam malè oderant, gentis perniciem conspirâssent. Et vadis Iordanis, licet exundantis tùm fluvij, traiectis, Vallem Iesrahelis (locum, & ad castra figẽda, & ad hosticum undequaque infestandum, opportunissimum) occupâssent.

Gedeon divino spiritu instigatus, signo dato, primùm Abiezeritas, Tribuleis suos, concurrere secum; deinde vicinos Manassitas, (equi se; postremò Zabulonios, cum Nephthalitis, sibi rectâ in hostẽ, ad Iesrahelem castra-metatum, tendenti, obviàm venire iubet.

Et duplici prodigio, uti postulârat, divinitùs ad rem capessendã animatus; *dum modò eâdem nocte, quâ nullus in omni terrâ ros fuerat, in Vellus lancũ, sub dio & in areâ positum, plurimus depluisset: modò, vellere sicco, terra omnis circum rore fuisset perfusa.* Atque ita viri pij & fidi votis, Deus voluntatem suam, signis vicissim editis, attemperâsset; rem maturimè adgressus est.

Et simul, ante lucem, exercitum, ad fontem Aradi, promovit: & hostiũ castra, ad dexteram, hoc est, Septemtrionalem plagã collis Hamoréi, sibi ab Ortu atque meridie adventanti, sita esse cognovit.

Quùm autem illi, cxxxv, bellatorum millia in

aciem produc[illegible] & ipse non amplius quàm bis & tricies mille, subitò evocatos, ad manum haberet, à Deo, qui inusitato & planè divino prœlij genere Madianitas per eum delére vellet, admonitus, illam etiam auxilij multitudinem sibi nimiam esse, (*Ne Hebræi solità præsidentiâ eventum pugna, non Deo, sed virtuti suæ attribuerent.*) data timidis & volentibus discedendi facultate; x. tantùm millia reliqua habuit.

Sed ex hoc quoque numero ccc. solùm (qui canino quodam bibendi, seu lambendi potiùs, ex torrente, ritu: & manibus ad ora cum aquâ admotis probati essent.) Theodor. contrà. Trecenti, inquit, qui per ignauiam (neque se genu flexo demittentes) manum tantùm aquâ plenam ad os admouerent; eos solos ut ignauos & socordeis, iussit in hostem irruere, ut planè divini auxilij vis elucéret.) Eos solos, inquam, retinere iussus; reliquos, qui flexo proni poplite bibisse, aut veriùs ingurgitasse, fuerant deprehensi; in sua quemque tabernacula dimisit.

E hostilis somnij, (quod ipse, Deo iubente, explorabundus exceperat; *De pane hordeace, qui in castra Madianitarum prevolui, & penitius tabernaculum conquassare, soleq, sternere visus esset*) præsagio animatus, & victoriæ certus: media noctis vigiliâ, suis in treis turmas distributis, castra inimica circumplexus; repentino à singulis militibus buccinarum clangore; & tinnulo lagenarum, quibus lampades opertæ essent, inter se collidentium fragore: & improviso emicantium tædarum fulgore. atque adeò terrificâ omnium, *qui Gladium Domini; & Gedeonis*, (victoriam) *inclamârant*, vociferatu[illegible]e, consternatos, & ceu panico terrore attonitos, hosteis, partim in mutuas cędeis, & vulnera: partim in fœdam, varijs itinerum anfractibus, fugam, (ad Beth secam usque & Abel-mehulam, quæ est in Tabbathâ) coegit.

Quùm autem sic trepidos, trecentum illi Gedeonis comites persequerentur; Nephthalitæ, Aseritæ, & Manassitæ, licet anteà dimissi, in omnem tamen susceptæ expeditionis & prœlij eventum intenti; & signo dato, ac rumore victorię éxciti; gnaviter quoque [illegible]m gerere cæpérunt.

E[illegible] [illegible]paraitæ, per nuntios solicitati, & aditus fluminum ad Berberam, ne quà Madianitæ elabi possent; insidére iussi. duos inimicæ gentis principes, Orebum & Zebum, comprehendérunt; & præfecta eorum capita ad Gedeonem attulérunt.

I[illegible]le autem, tumidos, tali successu, eorum spiritus qui se quasi neglectui habitos, & bellici initiò consilij immuneis fuisse, non sine iurgio & agnatâ superbi[illegible], indignarentur; prudenti, & animolæ modestiæ pleno responso, mitigavit, an elusit! *Se nullam sibi eximy facti laudem, nisi quod strategemate quodam hostium castra turbârit, arrogare. Ipsos contrà, licet seriùs vocatos, singulare quid præstitisse. Et dementem esse, si quis unicam unius Tribus familiam*, cum totâ unà a[illegible]hà [illegible]; nedum Ezritas solos cum omni Ephraitarum gente componat. *Quùm vel levis horum racemaio, uniuersis illorum vindemys sit præstantior.*

Deo *denique totum, & quod ipse, dux primarius, præstiterit; & quod in manus ipsorum principes hostium, è fugâ inciderint; uni auctori, esse tribuendum, & acceptò ferendum.*

Cecidisse nariantur eo in prælio, sive fugâ, c. & xx. M. ex hostibus. Exercitûs verò reliquiæ, ad xv. Virorum Mill. cum Madianitarum regibus, Zebeë & Salmanâ, transmisso Iordane, quasi securi, locum ab hostibus, quantum fieri potuit, remotissimum, castris iam ceperant.

Hos Gedeon, cum ccc. illis, assiduis expeditionis & pugnę comitibus, persequens; & idem flumen transgressus. quòd corporibus tam longinquâ lassitudine & inediâ fractis, commodè illi ducem præcupidum sequi non posse viderentur; cùm à Socothitis, ac Phanuelitis, qui primi à traiectu occurrebant, commeatûs atque adeò panis repulsam passus esset; ijsdem graveis, & publicæ Israëlitarum caussæ desertæ, & captatæ apud hostes gratię, pœnas in posterum comminatus est.

Et nihilò seciùs, obliquis itineribus, ad secura hostium castra, quę ad Ortum, Nobę & Iegbaæ, erant obversa, penetrans; turbato iam, & cęso mòx exercitu, fugam molienteis regeis, (Zebeëu & Salmanam) comprehendit.

Atque è prælio, antè Solis exortum, revertens, Socothitarum primates, ostentatis regibus, quorum caussę impensiùs favebant, flagellis, é rhamno, indigenitali frutice, plexis multavit. Et Phanuëlitas, Turri subversâ, cuius præsidio maximè fidebant, & rebellare cæperant; internecioni dedit.

Reges verò captivos, qui fratres ipsius uterinos, paullo-antè in monte Thabore, quò confugerant, licet dedititios, & formâ præstâti ac pænè regiâ generosos, crudeliter trucidâsse, vel suâ ipsorum confessione, fuerant convicti; suâ ipse manu interfecit. A quibus, primæ ætatis filius, Ietherus, prę degeneri timore, licet iussus vindex tam iniquę patruorum cædis esse; ferrum manusque abstinuerat.

Et quùm subito omnium consensu, ob res tam prędarè gestas, & libertatem patriæ è Madianitis adsertam, dominatus totius regionis ipsi hereditarius deferretur; id modestè pièque aspernatus, & usitato Iudicis honore ac munere contentus; inaureis tantùm aureas, solenne Ismaëlitis, Lunularum instar, gestamen; ex prędâ sibi, ceu manubias, in portionem dari postulavit. Ex quibus (prçter ornamenta, monilia, & conchyliatas regum vesteis, aureasque camelorum torqueis) pondus M. & DCC. auri siclorum conflatum est.

Et ex eo Ephod, hoc est, epomidem, sive paludamentum (lamellis squamatim, in modum lati cui[illegible] balthei consertum. (al. ad-instar vestis sacerdotalis. B. Aug. omnia ad Dei cultum pertinentia) concinnavit: Et in Ephtâ, urbe patriâ, uti insigne tropęum, non sine pręconio, collocavit.

Quod quidem monimentum, licet recto fortè consilio institutum, (ex illâ namque Epomide cognouerat divinitùs quid sibi agendum esset) post eius mortem, in abusum degeneravit: & ex abusu in scelus: ex scelere denique in calamitatem publicè priuatimque erupit. Israëlitis scilicet in divinitatis cuiuspiam aut miraculi opinionem paullatim indu-

& isseumdemque locum superstiosâ celebritate, nõ sine inani Gedeonitarum adgratulatione, & publicâ indè invidia, frequentantibus,

Hàc belli lade ita fractæ sunt res, & animi deiecti Madianitarum, vt nec factis, nec dictis magnificum quidquam spirar:; nec vicinaruni gentium ullis, nedum Hebræis, negotium in posterum facessere ausi sint.

Et isti vicissim toto deinceps tempore, quo Gedeon reip. præfuit, altissimâ pace compositi quieverint. Ille autem postquam XL. annos (à morte Deboræ) in Iurisdictione imperioque exegisset, ætate iam grandior, relictis LXX. filijs, ex varijs vxoribus: & spurio vno (Genebr.) Abimelecho, ex concubinâ Sichemitide, Drumâ; è vitâ decessit; in paternum tumulum, Ephræ, illatus.

2711. | Circiter annum Gedeonis Iudicis XXIV. Laomedon, pater Priami, V. Troianorum rex, regn. XXXVI. annis | 1239.

Et Tyrus in Phœniciâ, condita, CCLX. al. CEXL. ann. antè Templum Hierosolymitanum. sed longè post Sidonem.

RVTHA MOABITIS, DAVIDIS PROAVIA.

Sub eodem Gedeone (licet alij ad Aödum referant, anno O. Cond. MMDCXL. Alij ad Abesan, quem ipsum aiunt esse Boozum: Ioseph. ad tempora Helis.) RVTHA Moabitis floruit. quæ Boozo, Iudææ familiæ principi, hàc occasione enupsit.

Noemis, uxor Elimelechi, Ephratæi sive Bethlehemitæ, fame coacta, cum viro, & duobus liberis, Mahalone & Chelione, in Moabitidem profecta; & marito ibidem orbata, liberis suis Moabitidas uxores. Orpham minori, Rutham alteri coniunxit.

Quibus, decennio post, quàm eò migraverant, amissis, constituit se in patriam, cui frugum ubertatem Dei benignitate adfluxisse acceperat, quasi postliminiò recipere.

Quam cùm nurus comitarentur; & ipsa eas iam aliquantum itineris progressas, non sine osculis & faustâ adprecatione, monéret, ut *domos matris quæq; suæ redirent:* Deum antè obtestata, *ut eas humanè haberet, quemadmodum & se & viros ipsa habuissent: daretq; illis viros alios, quibuscum ex virtute in pace viverent.*

Illæ vicissim quæ socrûs in se benignitatem, etiam mortuis sine prole maritis, sensissent; & quidẽ tantam, ut matris propriæ amorem requirendum sibi minimè putarent; *Cum clamore flere capérunt; & se cum illâ in patriam suam profecturas esse, dicere.*

Quùm ipsa rursùs, *ut reverterentur ad suos, monere institit. neque enim esse cur secum venirent: præsertim quòd iam liberos alios, uti senio confecta, & inepta coniugio, posthàc procreatura non esset.* Atque adeò si parere etiam in præsens posset filios, dum illi ad pubertatis annos perveniant, eas antè anus futuras, quàm iisdem enuberent.

Itaque ne hoc facerent; præsertim quùm earum mæror & luctus, suum ipsius dolorem, ex assiduâ liberûm suorum, quos maritos ipsis datos Deus antè tempus eripuisset, recordatione, magis magísque esset aucturus.

Quùmque iterum illæ, quæ tam obstinatum in socru animum viderent, magno cum einlatu flere cæpissent; Orpha quidem eam deosculata discessit. Rutha verò nullis nec precibus, nec monitis adduci potuit, ut abiret. sed eam officiose secuta: neque propinquæ exemplo, quæ ad populum suum, & Deos suos redijsset, commota; socrum enixè rogavit, vt iam sibi porrò ne adversari pergeret.

Se enim, quócumque illa proficisceretur, profecturam: & ubicumque habitaret in posterum, cum eâ esse habitaturam. populum suum, populum eius; & illius Deum, Deum suum fore. Quæ terra eamcumque morientem exceptura esset; in eâ esse morituram, & sepulturæ locum accepturam. Se improspera sibi omnia ultrò optare; si quid præter mortem, se ab illâ umquam disiungeret.

Noëmis itaque, cùm Ruthæ nurui frustrà iam se suasuram intelligeret, destitit: & cum illâ Bethlehemum est profecta.

Quò simul-atque pervenissent; & celeriter apud omneis adventus earum percrebuisset; dicerentque vulgò mulieres; *Hæc est illa Noëmis.* Illa ne se Noëmin, hoc est, pulcram & fortunatam, appellarent, vetabat: sed Maram, hoc est, amaram, quæ amarore à Deo completa esset. quique ipsam, quæ beata & plena indè decesserat; nunc adflictam & inanem reduxisset.

Redierant autem tum, cum primùm ineunte vere hordea metebantur.

RVTHA verò, quùm sibi ac socrui, iam seni, quæ ad victum pertinebant, quærenda censéret; & eius concessu ad agrum Boozi,

(Genebrar. tres sunt Boozi, è Tribu Iudæâ Primus Salmonis filius: alter nepos; tertius abnepos Putat autem ille à Salmone ad hunc Boozum; sive à RABAA ad Rutham (quod spatium sit ccc. annor.) alios principes Iudæ, Davidis & CHRISTI maiores, propter ignauiam, fuisse prætermissos.)

Boozi, inquam, hominis gratiosi ac locupletis; agrum, divinâ quasi virgulâ, venisset: & spicas, si quę messorum, ut fit, imprudentium manus fefellissent, de more colligeret: Boözus, qui ad messores iam venerat, & ex eis intellexerat; illam esse Moabitidem, quæ Noëmidi, propinqui sui Elimelechi, quondam vxori, relictis patriæ caritatibus, comitem se itineris & fortunæ præbuisset: eis quidem præcepit, ut de industriâ spicas paullò spissiùs relinquerent; puellam verò vetuit ad alienas segetes divertere.

Vnde quùm multò plura, quàm sperárat, collegisset; & ad socrum attulisset; admirata illa spicarum copiam, quærendo comperit; Boozum in eam tam humanum & munem exstitisse, qui eidem præcepis-

præcepisset, ut se tamdiu cum ipsius messoribus coniungeret, cibumque caperet, dum segetes omnes demessæ & collectæ essent.

Atque ideò Noëmis illi, qui eamdem, quâ in vivos usus esset, in mortuis perseveraret benignitatem; iusta omnia à Deo evenire optavit. eumdemque iure propinquitatis ad se attinere indicavit.

Collectis autem frugibus, quùm Noëmis accepisset Boozum certo die arcam hordeariam purgare constituisse; & id tempus commodum futuris nuptijs iudicaret: præcepit Ruthæ, ut eò loci se conferret, lota, & vestibus elegantioribus amicta: clanculumque ad illum, post captum cibum, accederet, & ad dormientis pedes se proijceret. Ipsum cętera, quæ agere deinceps deberet, admoniturum.

Boozus de nocte iacentem ad pedes suos mulierem sentiens; & quæ esset, quidve peteret, percunctatus; se propinquum quidem esse, inter respondendum, haud diffitetur; sed quoniam alter ipso esset propinquior, postridie, si eam ille accipere nollet, se uxorem esse accepturum, spopondit. damque sex hordei modijs, clam, & sine arbitris, dimisit.

Noëmis, his cognitis, nurum de viri fide & probitate benè sperare iubet: & exspectandum monet, dum, quem res exitum habitura esset, viderent.

Boozus verò ex agro in urbem Beth-lehemum, reversus, & ad portam (iudiciariam) considens; illumque in cœtu animaduertens, quem se propinquiorem Ruthæ dixerat; arcessivit, & ad se sessum recepit. adhibitisque Decemviris, ex senioribus civitatis, exposuit:

Noemin, quae ex Moabitide nuper reversa esset, partem agri Elimelechi, sui olim mariti, utriusque ipsorum propinqui, velle vendere. Quod ei, illis præsentibus, narrandum duxerit; ut ipse, qui cæteris unus esset propinquior, iure propinquitatis agrum, si vellet, mercaretur, & vindicaret.

Quumque ille se emere quidem velle dixisset: & Boozus subijceret; Ipsi, cùm emisset, ducendam prætereà ex legibus esse Rutham uxorem, quæ demortui agnati fuisset; Idem coràm testibus, se de suo iure libenter decedere professus est. &, soluto de more calceamento, comprobavit.

Nec mora. & vix horum omnium, emtionis & coniugij testeis, & decem illos, & universum populum se habere & Iudæos, Boözus dixerat, quum *omnes non solùm se testeis esse conclamárunt, verumetiam precati sunt Deum, ut Ruthæ, eius uxori, liberos daret; sicuti Racheli & Liæ; & sicuti Thamari, domûs Israëliticæ, & Iudææ pignora & firmamenta, dedisset.*

Ex eâ itaque Boozus puerum suscepit. Obedum; qui Isaim, sive Iessen, Davidis regis patrem, procreavit.

Hac de re factæ certiores mulieres, ad Noëmin adeunt, & coràm ei gratulatæ Deum laudant: qui non passus esset familiam eius penitùs deleri; sed ei dedisset generis propagatorem, qui eius etiam senectuti præsidio foret.

Sub eodem Gedeone, Orpheus Thrax floruisse putatur. cuius scripta Onomacrito adtribuuntur.

ABIMELECHVS, Tyrannus.

Defuncto Gedeone, Hebræi, & in Deum, quem Baali posthabuérunt; & in Gedeonem, cuius liberos impunè trucidari passi sunt, ingrati; graui vicissim eius, quem dixi spurium, Abimelechi tyrannide multati sunt. Quem imperio tum imminentem & materna pecuniâ, & avunculorum ac cognatorum operâ & commendatione adiutum, Sichemitæ præ cæteris, cum Melloitis, non Iudicem, sed Regem sibi alijsque imposuerant. quùm prius ille lxx. fratres, consanguineos, Ioathane uno excepto, qui minimus natu evaserat, super uno saxo in Ophrâ, immaniter trucidasset, & veluti immolasset. Et pecuniam ex sacro Baali-berithij fano, æarioque, ad lxx. argenti siclos, multi vago & inopi militi auctorando, depromtam, à Sichemitis acceperat.

Ioathan, qui clàm effugerat, conscenso montis Garizim vertice, præcipitem Sichemitarum, in Abimelecho principe sibi imponendo, & parricidio eius probando, temeritatem, hoc quasi Apologo, & contentâ voce, incusavit; & imminentem utrisque calamitatem præsagivit.

Arbores olim conventu habito, regnum modò Olivæ, modò Ficui, modò Viti detulisse. quæ sorte suâ, & nativis delicatissimorum fructuum bonis contentæ, graveis imperij curas onúsque defugerint.

Illas deinde, supplicandi tædio fessas, eisdem cum postulatis, ad Rhamnum accessisse. At ille, si quidem seriò regem se deposcerent; sub suâ omneis umbrâ considere iussit. Sin insidias struerent, & parère gravarentur; comminatus est; Ignem tantum, ex se erupturum, quo vel celsissimæ in Libano cedri radicitùs devorentur.

Ita Sichimitas, qui maximis à Gedeone beneficijs adfecti, tot optimè de rep. meriti ducis liberis, fratribus suis, crudelissimè necatis, Abimelecho parricidæ, & infimi ancillæ filio, principatum ultrò detulissent; mutuâ inter se clade, unà cum tyranno, pessimè perituros.

Quæ palàm prolocutus, Beram, urbem in Ægypti Arabiæque limitibus sitam, profugit; & per triennium, quo Abimelechus præfuit, vitabundus, in tutis montium latebris vixit.

Sichemitæ paullo pòst, immisso divinitùs invidentiæ & inimicitiarum spiritu: & eorum, quæ in liberos Gedeonis patraverant; & effusi tot insontium sanguinis, pœnitudine inducti, tyrannydemque parricidalem detestati; Abimelechum ex urbe & Tribu suâ expulérunt. Et contemtâ Principis, quem delegerant, maiestate, latrocinari palàm ausi, infesta omnia faciebant.

Quùmque sub id ferè tempus Gaälus, Obedi F. cum cognatis suis, & aliquantâ armatorum manu, eodem advenisset; eiusque ope freti Siche-

mitæ, non modò vindemias tutò colligerent; sed inter choreas etiam, & solennes in Templo Baali epulas, Abimelechum, & Zebulum civitatis præfectum, regisque hospitem, maledictis incesserent. ille de omnibus per hunc edoctus, copias promovit, & insidias propiùs urbem tetendit.

Et Gaalum, à Zebulo, ut ex urbe exiret; & cum adversario, toties iam contemto, manum conferret, instigatum; & post primum prœlij impetum, non sine magnâ strage, fusum, intrà mœnia compulit. Et quò magis falleret, quasi desperatâ in præsens urbis oppugnatione, signo receptûs dato, castra ad Rumam (quæ & Tharma) metatus est.

Intereà Gaalus, ceu sinistræ pugnæ auspex, intentatis à Zebulo calumnijs, cum socijs, ex urbe expulsus est. Et Abimelechus, cognito Sichemitas, iam de hoste securos, ad vindemiæ reliquum exituros esse, insidias circa urbem instruxit. Et ne civibus, iam egressis, reditus pateret; à tertiâ suorum turmâ portas occupari: & à cæteris, fons palantes circumveniri, iussit. Atque ita post ingentem, hic ibi, cædem, urbem cepit, & solo æquavit: & eius ruinas sale, ceu damnatæ sterilitatis argumento, conspersit.

Quùmque Turrim quamdam, urbi vicinam & cognominem, & federati sibi Dei (Baali) religione quasi hortendam, collecto ex dispalatis agmine insideri, munirique cognovisset; ipse ramo arboris, ex monte Salmono, præciso, & in humeros imposito; idemque cæteris certatim facere iussis; brevi Turrim præsidiariam strue lignorum circumsepsit: & igne cum fomentis subiecto, flammam ingentem fumumque excitavit; & ad mille utroque sexu homines molestâ morte enecavit.

Ipse Israëlitis, tam immani Sichemitarum internecione haud-dubiè perterritis, in præsenti fortunâ non acquieturus, exercitum ad Theben promovit, urbemque circumdedit.

Eâque captâ, ad Turrim, in quam incolæ promiscuè se receperant, & strenuè propugnabant, vim omnem convertit.

Dumque non Ducis modò, sed militis etiam munia obits ignemque foribus supponere adgressus incautiùs subit: saxi molaris fragmento, quod mulier quędam ex alto deiecerat, caput cerebrumque sauciatus, & humi collapsus; & ab armigero suo, uti rogárat, interfectus, dignâ sceleribus suis morte perijt, quùm triennio regnum tenuisset.

2714. Eo ferè tempore (LX. circiter ann. antè bellum Troianum) Euander ex Arcadiâ in Italiam venisse; & à Fauno Aboriginum rege acceptus, Palantéum in monte Palatino condidisse, 1236.

Eiusque mater Carmenta (quæ & Nicostrata, & Themis) Poëtria, Latinum Alphabetum commenta esse.

(Al. Fauni regis uxor, Latini mater, Latinas litteras repperisse) proditur. Et Cacus latro ibidem ab Hercule occisus.

Tunc & fuga maritima Dædali, in quâ Icarus F. perijt: caussamque fabulæ, de Alatis & Volantibus, poëtis dedit; quibus vela nauium, Alæ dicuntur.

Vide suprà seriem Regum Atheniensium, & de eodem Dædalo certiora.

Tum & Mytræus XXVI. Assyriorum rex, qui Sosarmo successerat; 27. ann.

THOLA IVDEX Hebræorum.

Post Abimelechum successit, populo Tutor & Index spectatus, THOLA, filius Phuæ, (al. Phun) patrui Abimelechi (al. Filij Dodonis) ex stirpe Iacharéâ. Vir proculdubio fortitudine ac prudentiâ, alijsque virtutibus præstans. qui in isto Iuris dicendi munere XXIII. ann. perpetuos feliciter præfuisse: & vitâ pariter atque magistrato salvâ usque religione, defunctus; in eâdem, quam Iudex tenuerat, Samírâ, montis Ephraimi opido, honestè sepultus fuisse memoretur.

ARGONAVTÆ.

2737. Sub hoc Iudice, annis circiter XLII. (al. XXIX.) antè Troiæ exscidium, contigisse putatur, Argonautica è Thessaliâ expeditio, in Colchidem, Ponti regionem; ad Vellus aureum; sive ad aurifodinas. 1213.

Phryxum ferunt, Athamantis patris, & Inûs novercæ insidias, cum sorore Helle, fugientem, in Colchos usque penetrásse. ubi Æëtes, Solis & Perseidis F. eum hospitio exceperit: & ab eo pellem vicissim aurei velleris, (postquam Iovi φυξίῳ Arietem, quo vectus fuerat, immolâsset) dono acceperit.

Alij, thesauros à Phryxo è Thessaliâ eò deportatos volunt; quos Græci repetitum iverint.

Huic expeditioni nobilissimi eâ tempestate Græcorum principes, Minyæ, alijque interfuisse produntur. Hi.

IASON, navarchus & auspex; Æsonis Thessalor. regis:

TIPHYS, navis gubernator; Agnij:

ORPHEVS, Oeagri Thracis; ZETES & CALAIS, Boreæ.

CASTOR & POLLVX, Iovis; TELAMON ac PELEVS Æaci:

HER-

HERCVLES, Amphitryonis, sive Iovis: THESEVS, Ægei:

IDAS & LYNCEVS, Messenij; Aphareī:

AMPHIARAVS, Oiclei Argivi: CORONVS, Cænei:

CEPHEVS, Alei: LAERTES, Arcesij:

AVTOLYCVS, Mercurij: ATALANTA, Schoenei:

MENÆTIVS, Actoris: ACTOR, Hippasi:

ADMETVS, Pheretis: CLYTIVS & IPHITVS, Euryti:

ACASTVS, Peliæ: MELEAGER, Oenei:

ANCÆVS, Lycurgi: EVPHEMVS, Neptuni:

POEAS, Thaumaci: ERIBOTES, Teleontis:

PHANVS & STAPHYLVS, Dionysi: ERGINVS, Neptuni:

TALAVS & AREIVS, Biantis: NAVPLIVS (Palamedis pater:

PERICLYMENVS, Nelei: AVGEAS, Eléi:

IPHICLVS, Thestij: ARGVS, Phryxi, (al. Acestoris) (à quo, ceu fabro, Argo navi nomen.)

EVRYALVS. Mecistei: PENELEVS, Hippalmi:

LERTVS Alectoris: ERITVS & ECHION, Mercurij:

ASCALAPHVS & ALMENVS, Martis: ASTERION, Comatæ:

IPHITVS, Nauboli: POLYPHEMVS, Elatæ: FILII:

Hic rapta Medéa, Æetæ regis filia, & in Græciam ab Iásone abducta. quæ Absyrtum fratrem, patre persequente, ut eum retardaret, membratim dissecuerit, & dissectum obiecerit.

Hinc varij, in reditu, Argonautarum errores. qui Libyæ Galliæque litora prætervecti, & per Sardonin pelagus in Etruriam delati, in Ææâ insula à Circe sint expiati.

Et in Cretam à Talao adpellere prohibiti, in Iolchum tandem, unde solverant, quarto demum mense, post initam, Velleris aurei causâ, expeditionem, pervenerint.

Et Iason, cum lectissimo Heroum cœtu, Navim Neptuno apud Isthmum dedicárit.

Et Peliæ (qui & se ad navigationem periculosam, & parenteis eius ad voluntariam mortem, adegerat) iniurias ultus; & ab eius filio vicissim Acasto, cum uxore, Iolcho eiectus, in Corinthum commigrárit.

Vbi quûm Glaucen, Creontis regis filiam, dimissâ Medeâ, cōiugem adsciviſſet; illa, & pellice & socero, per vestem veneno delibutam, absumtis: & liberis, quos ex Iasone susceperat, Mermero & Pherete, trucidatis; Athenas convolavit.

Ibique Ægéo nupta, quòd Theseo privigno insidias comparásset; iterùm, cum filio Medo, eiecta; ipsa quidem in Colchos revertens, patri Æetę, quem Perseus frater regiâ sede deiecerat, regnum revindicavit; Filius verò, magnum apud Barbaros imperium adeptus, regionem sibi subiectam, Mediam appellavit; & bello Indis illato decessit.

HERCVLES THEBANVS.

Tunc quoque HERCVLES ille Tirynthius, Thebis natus, Amphitryonis & Alcmenæ F. (cui uni, Græcorum ambitio universas omnium, qui Herculis nomine, diversissimas per genteis & ætates, dicti & celebrati sunt, res gestas attribuit; in Deos relatus traditur.

Hic, inter cætera, quùm Minyæ, rege Ergino, eâ tempestate celebres; & Orchomeni, urbis opulentissimæ, principes, Thebas, ob negatum tributum, bello oppugnárent; non modò depulsis hostibus, patriam tutatus est, sed captâ etiam Orchomeno, Minyis duplicatum tributum Thebanis pendere coëgit.

Duodecim eius labores, ab Eurystheo, Stheneli filio, Persei nepote, (B. Aug. Cui regi Hercules XII. stipendia debebat) imperati, ut volunt Poëtæ; etsi multis fabularum tricis involvantur, arguunt tamen Heroëm fuisse, qui pacis publicæ auctorem passim se præbuerit: adflictis opem tulerit; & iniustè facta coërcuerit: magnâ denique clementiâ adversus victos vsus sit.

In Asiam profectus, & ad Ilium classe adpulsus, Laomedontem regem, perfidiæ crimine invisum, (qui Argonautas eò eiectos portu & littore suo arcuerat; & se promisso, liberatæ à Ceto Hesiones filiæ, præmio fraudárat) refractis Troiæ mœnibus, interfecit: & Hesione, eius filiâ, Telamoni, ob rem benè illic gestam, donatâ, Podarcen, è regijs liberis reliquum, (quem soror flammeo aureo redemerat, unde Priamus dici cæptus) regno restituit.

(Hic Priamus, ultimus Troianorum rex, cæpit XIIX. anno Tholæ, apud Hebræos, Iudicis; regnavitque XL. annis.)

Hercules prætereà mare, quod Italiam, Hispaniam, Libyamque adluit, à violentis piratarum incursationibus vindicavit. cuius facti monimenta, hinc indè, in freto Gaditano, quæ Columnę vocantur, exstare comperiuntur.

Idem Agonem Olympicum primus instituisse traditur: (à quo ad I. Olympiadem, Vell. Paterc. putat CDXXX. annos) & Pelopi aram statuisse, & XII. Deorum aras excitásse. Et comitante Græciæ nobilitate, ad Thermodontem Asiæ amnem, & Themiscyræ portum, cum IX. longis navibus adpellentem, cum Hippolyte, Antiope, & Orithyiâ, Amazonum reginis, feliciter depugnásse: & iniurias agro Atheniensi ab ijs illatas generosè ultus esse. (Amazonum ista in Atticam expeditio, IX. ann. post Ludicrum Herculis Pelopi positum; & 25. annis antè Ilij exitium.)

Is tandem atrâ bili percitus, & ulceribus (ex veste, Nessi Centauri, quem interemerat, sanguine perunctâ, &, Philtri vicem, ab uxore Deianira, Oenei filiâ, per imprudentiam, submissâ) scatens, & æstuans; in Oetâ, Trachiniorum monte, constructam ab se pyram conscendit: & igne à Pæante, Philoctetis patre, subiecto, conflagravit.

Festus scribit Herculem, Astrologiæ non rudem, (quam artē ab Atlante in Libyâ didicerat. nam & Sphæram Græcis ostendisse proditur: undè argumentum fabulæ, Herculem, in cœlo sustinendo, fesso Atlanti fuisse succidaneum.) Qui eo se die in flam-

flammas iniecerit, quo Solis defectio erat futura; ut opinio præsumtæ, scilicet, in se divinitatis confirmaretur.

Ipsæ inter cæteros, ex Omphale, Iirdani Lydorum regis filiâ, cui ex oraculo servierat; & Tmolus coniux, moriens, regnum reliquerat, Alcæum, (al. Agelaum) suscepit. A quo consecuti Lydiæ reges, sunt propagati. ubi anteà Lydus, Atys F. cum posteris regnarat.

Primus ex ijs, Heraclidis, ARGON, Alcęi pronepos, per DV. ann. sive XXII. virorum ætates, perpetuâ successionis serie, regnum posteris, ad Candanlem usque, reliquit.

DE ORCHOMENIIS, eorumque Regibus.

Ex occasione rerum ab Hercule gestarum, paucis de Orchomeniorum regno hic delibandum putavi.

Apud Orchomenios, in Boeotiâ, circà Laphystum montem, ANDREVS, Penéi fluvij filius, primùm habitâsse proditur. à quo Andreis terra dicta.

ATHAMAS, Æoli F. eò profectus, partem regionis, quæ posteà Coronéa & Haliartium, obtinuit. Qui quùm se liberis maribus orbum putaret (Phryxo in Colchos clàm profecto) Haliartum & Coronum, Thersandri filios, Sisyphi, fratris sui Nepotes, heredes instituit.

Sed reverso è Colchis, quò profugerat, Phryxo filio, (al. Presbone, quem Phryxus ex Æetæ filiâ susceperat) Thersandri liberi, Athamantis posteris, hereditatem cessérunt: & ipsi ibidem Haliartium & Coronéam condidérunt.

ANDREVS autem ille, ab Athamante, Euippen, ex Leucone filio Neptem, uxorem acceperat. Vnde natus Eteocles. (licet alij Cephisi fluv. filium crediderint) qui primus Gratijs fanum & sacra instituit.

Hoc defuncto, ad Halmi, Sisypho nati, genus aliquanta regionis pars, quam habitandam illi concesserat, pervénit.

HALMO natæ, filiæ, Chrysogeneia & Chrysa.

Ex Chrysâ Boeotide, & Marte; Phlegyas natus: qui mortuo Eteocli successit; & regionem Phlegyantidem, pro Andreide, dixit. Et in civitatem, quam de suo nomine ædificârat, Græcos re bellicâ præstantissimos, coégit.

Temporis autem processu, Phlegyæ confidentiores, à reliquis Orchomenijs defecérunt; finitimis infesti. & Templum Delphicum spoliare adgressi, Philammonem, Argivorum ducem, adversum se, sacrilegos, Deo suppetias venientem, occidérunt. Ipsi tandem fulminibus, & terræ motibus divinitùs & funditùs deleti. paucis in Phocidem dilapsis.

Phlegyæ successit CHRYSES, ex Chrysogeniâ, alterâ Halmi filiâ, & Neptuno, genitus,

Is MINYAM procreavit, (unde Minyæ orti) à divitijs, ex vectigalibus collectis, clarum.

Huic filius fuit ORCHOMENVS. quo regnante, civitas Orchomenus, & cives Orchomenij dicti.

Eo sine liberis mortuo, regnum ad CLYMENVM, Presbonis filium, Phryxi Nepotem, perlatum est.

(Hic filios suscepit, ERGINVM, STRATIVM, ATRONEA, PYLEVM, & AZEVM.)

Illo autem, in quadam Neptuni Onchestij solennitate à Thebanis cæso; (Apollod. tradit ab Aurigâ Menoecei, cui nomen Perieres, lapidis ictu vulneratum; ex quo Orchomeni obierit.)

ERGINVS, natu maximus, regnum adijt. &, uti pater imperârat, ingenti cum exercitu, & fratribus, contrà Thebas profectus; & prœlio superior, pacem demùm iureiurando stabilitam Thebanis eâ lege dedit; ut centenos quotannis boves, tributi nomine, penderent.

At, quùm Hercules legatos, tributi exigendi, haud procul Thebis, obviàm haberet; eos, auribus naribusque mutilatos, ad Erginum Minyasque remisit.

Et bello coorto, ipse Præfectus, Erginum quidem obtruncavit; Minyas verò, multis cladibus adfectos, geminatum tributum Thebanis rependere coëgit.

(Pausan. verò; Erginus, ait, civibus ad extrema redactis, pacem cum Hercule fecit.)

Idem Erginus, magnâ opum copiâ abundans, etiam senex, ex adolescentulâ, uti Oraculum suadebat, Trophonium suscepit, & Agamedem. (Ille tamen alijs, non Ergini, sed Apollinis filius creditus est. Quorum uterque, ob secretum Templi Delphici sacrilegium, malè perijt. Huius Trophonij Antrum, apud scriptores est memorabile.

Orchomeniorum deinde principatum suscepérunt, ASCALAPHVS & IALMENVS, Martis filij, ex Astyoche, filiâ Actoris. qui Azéi F. (Hom. ἄκτορος ἀζείδαο) Clymeni Nepos.

His duobus, Minyæ in expeditionem Troianam cum Atridis sunt profecti.

IALMENVS in reditu, delatus est in Pontum; unde Orchomeniorum coloni, Achæi.

Classi quoque, quâ Codri liberi in Iöniam postcà transfretàrunt, & Orchomenij quidam interfuére. Et à Thebanis multò pòst è patriâ expulsi, à Philippo Macedone sunt restituti.

REGNVM ET BELLVM THEBANVM.

Hic quoque loco, Bellum Thebanum, quod longe fuit atrocissimum; & Troiano antenus, in ista fere tempora incidit; breviter, cum Regno, Regumque serie, perstringendum, veteris historiæ caussa, censui.

CADMVS, ex Telephassâ, Agenoris filius, ad Europæ sororis (quam Iuppiter rapuerat) conquisitionem, à patre, e Phœnice, dimissus: & Thraciâ peragratâ, Delphos, sciscitandi caussâ, profectus; oraculo monetur: ut à sororis inuestigandæ curâ supersedeat; & bove, viæ duce, utatur: urbemque, ubi ea fessa procubuerit, condat. quæ Cadméa, & deinde Bœoticæ Thebæ, dictâ. Idque longè post Deucalionis Diluvium.

Hic ex Harmoniâ, Atlantis, ex Electrâ, nepte: quam Veneris & Martis filiam finxére, præter filias Autonoën, Inon; Semelen, & Agauen; nuptijs & posteritate memorabiles; unicum, meliore sexu, POLYDORVM suscepit, & regni Thebani successorem reliquit.

Is ex Nycteide, Nyctei (qui Chthonij unius, ex Spartis, fuit,) filiâ,

LABDACVM, progenuit. pari cum Pentheo, (Agaues amitæ, & Echionis filio, quem Cadmus etiam Avus in partem regni subrogârat) ob contempta Bacchi sacra; fato defunctum.

Qui quùm LAIVM, filium anniculum; & imperium, Nycteo, avo materno, commendâsset: & is ex vulnere, quod in bello, contrà Epopeum Sicyonium, Antiopæ filiæ raptorem, suscepto, acceperat: moriens, fratri Lyco, & principatum, & pupilli tutelam reliquisset: ille delectus à Thebanis, adversus Sicyonios Imperator, & regno præfectus est.

Quumque idem Sicyone captâ, Antiopen captivam, (quæ in viâ gemellos, Zethum & Amphionem, ex Iove, an Epopéo, incertum[1] pepererat) abduxisset, eamque diutiùs in vinculis haberet, & uxori Dircæ vexandam permitteret. & illa, vinculis ultrò solutis. ad filios, iam adultos, se recepisset: hi, contracto confestim exercitu, Lycum & regno & vitâ privârunt: & Laium pupillum fugârunt. susceptoque principatu Thebas egregiè amplificârunt & muniérunt: & Thebanam arcem, per conciliatos blandâ oratione agresteis, exstruxérunt. Vnde fabulæ, de muris modulatè substructis, licentia.

Sed AMPHIONIS, (qui è Niobe, Tantali filiâ, septem mares, totidemque feminas susceperat) familiâ peste divinitùs exstinctâ; Thebani Laio, è Peloponneso, ubi hospitio Pelopis usus fuerat, revocato, regnum restituérunt.

Ille ductâ in uxorem Iocastâ, (quæ & Epicasta) Menoecei, Pentheo geniti (Diod. Sic. Creontis) filiâ; oraculo Delphico commonitus est: filium, si quem Iocasta peperisset, paricidam futurum. Natum itaque ex uxore, quicum ebrius & immemor concubuerat; Infantem, traiectis ferreâ fibulâ calcibus, pastori suo exponendum tradidit.

Quem cùm Polybi, Corinthiorum regis, bubulcus repertum, ad Periboeam, eius uxorem, adduxisset; illa tamquam proprium partum sibi supposuit: & curatis licet pedibus, ab ulceroso eorum tumore, OEDIPVM nominavit.

Is iam adultus, & virium robore æqualibus suis antecellens, quòd ab invidis spurius appellaretur, neque ex Periboeâ generis sui [illegible] cognoscere posset; Delphos profectus, & de parentibus sciscitatus: & ne in patriam redeat, oraculo prohibitus; qui suo alioqui patri cædem adlaturus, & cum matre rem habiturus esset. dum spretâ Corintho, curru per Phocidem veheretur; & LAIO obviàm factus, ab aurigâ, sive præcone regio, Polyphonte, ut de viâ decederet, iussus, non obtemperaret; ob unius, è iugalibus, equi cædem iracundiâ percitus, patrem ignotum, cum præcone, interfecit.

At LAIVM quidem Damasistratus, Platæensium rex, sepeliendum curavit:

At CREON, Menoecei F. Penthei Nep. avunculus, Oedipi regnum invasit.

Quo regnante, quùm clades quędam, sub Sphingis (quam potentem & insidiosam fuisse mulierem volunt) fabulâ, Thebanos occuparet; quâ & Æmon, Creontis F. exstinctus traditur;

OEDIPVS vel ingenij solertiâ, vel copijs è Corintho contractis, eam aut elusit, aut avertit. Et regnum, ex pacto, adeptus, Iocastam, Laij viduam, matrem, ceu victoriæ præmium, sibi coniugem imprudens adsciscit.

Ex eâ POLYNICEM & ETEOCLEM, mares (licet alij hosce ex Eurygeneâ, Hyperphantis filiâ, editos esse tradant) & Ismenen atque Antigonen, filias, procreavit.

Verùm ubi ea, quæ eàtenus latuerant, è Tiresiâ Vate cognita, & palam facta sunt; Iocasta quidem laqueo gulam sibi fregit; Oedipus verò, oculis orbatus, & Thebis pulsus, filios, qui patrem ex urbe eijci impunè conspicarentur, neque ab eo iniuriam propulsarent; diris est exsecratus. & in Colonum Atticæ profugiens, atque à Theseo susceptus, haud ita multo-pòst è vitâ migravit.

ETEOCLES autem & POLYNICES, filij, regni inter se gerendi conditionem pacti sunt, ut annuum Imperium per vices administrarent. *Sed breui intellectum est, quàm infida regni esset societas.*

Sunt qui Polynicem priùs regnâsse aiant, & Eteocli regnum annuum cessisse. Alij, Eteoclem, uti maiorem natu & priùs regnantem, fratri decedere noluisse.

POLYNICES itaque, Thebis pulsus (Pausan. tradit, vivente adhuc Oedipo, metu paternæ in se exsecrationis, discessisse: & post mortem patris, ab Eteocle arcessitum, redijsse: sed lite exortâ, denuò aufugisse.) Monili & Peplo, (quæ Harmoniæ, filiæ, & Cadmi uxori, olim à Venere donata) regni insignibus, secum asportatis, Argos abijt. cui tum Adrastus, Talai F. Biantis Nep. dominabatur. Et regis filiam Argiam (cuius soror Deipyle Tydeo, Oenei F. tum Calydone itidem exsuli, sub idem pænè tempus enupserat) uxorem accepit.

ADRA-

ADRASTVS, qui utrumque generum, in suam quemque patriam, reducturum pollicitus esset; comparato exercitu, adversus Thebas prius eundum sibi constituit.

Huiusce autem belli, præter Adrastum, hi duces fuisse memorantur.

AMPHIARAVS, Oïclei, (quem invitum, & impendentis perniciei gnarum, uxor Eriphyle, Adrasti soror, & litis de regno, inter maritum & fratrem exortæ, arbitra; torque aureo, sive monili illo, corrupta, ad expeditionis societatem impulerat.

CAPANEVS, Hipponoi. HIPPOMEDON, Aristomachi, al. Talai. Et hactenus, Argivi omnes.

TYDEVS, Oenei, ex Ætoliâ. POLYNICES, Oedipi, Thebanus: PARTHENOPÆVS ARCAS, Melanionis, ex Atalantâ Schoeneide, FILII:

Iidem in Nemeam, cui rex Lycurgus, Pheretis F. Crethei Nep. tum imperabat, profecti; ibique certamine (quod tunc primùm pueri Opheltæ, cognomento Archemori, regij ex Eurydice filij, à Dracone interemti, memoriæ, fuit consecratum) perfuncti; postquam ad Cithæronem pervenissent; Tydeum Eteocli, ceu fecialem, ut regnum ex pacto Polynici fratri restituat, destinârunt.

Quùmque ille Tydei ac commilitonum mandata contemneret; castris propiùs admotis Thebas circumvallârunt: & ad VII. urbis portas, diversi,

ADRASTVS, ad Homoloidem: CAPANEVS, Ogygiam:

AMPHIARAVS, Proetidem: HIPPOMEDON, Oncaidem:

POLYNICES, Hypsistam: PARTHENOPÆVS, Electram:

TYDEVS, Crenidem: - tetendérunt.

Neque segniùs Eteocles Thebanos suos, armis instructos, pro turribus & muris, periculum fortiri, hortatus est: & quod cuique tuendum, distribuit.

Quùmque Tiresias vates eum victorem fore prædiceret, si MENOECEVS, Creontis F. se Marti victimam devovisset; neque id ille defugisset: pugnâ commissâ, Capaneus, arreptis scalis, in summa murorum enitens, fulmine cœlesti ictus est.

Eoque casu, multis Argivorum inter fugam cæsis; ETEOCLES & POLYNICES, ex utriusque exercitus sententia, singulari inter se certamine cógressi, mutuis vulneribus se confecérunt.

Et AMPHIARAVS quidem, terrâ dehiscente, cum curru absorptus est, ADRASTVS verò, reliquis ferè occisis, in tutum evasit.

Quùm autem CREON, Thebanorum regnum adeptus, insepulta Argivorum cadavera proiecisset; Athenienses, supplice Adrasto, & duce Theseo, Thebarum potiti, liberam mortuis sepulturam permisére. Ibique Euadne, Iphichi filia, in mariti Capanei flagrantem rogum seipsa vivens coniecit.

ALTERVM AB EPIGONIS AD THEBAS BELLVM,

ET REGVM SVCCESSORES.

Decimo autem pòst anno, adulti iam eorum, qui ad Thebas ceciderát, Ducum, quos dixi, liberi, cognomento Epigoni (Heredes, sive post-geniti) paternas cædes ulturi, bellum adversus Thebanos repetendum statuérunt. Et delecto Imperatore, Alcmæone, Amphiarai filio, qui oraculo Apollinis, & militarem provinciam capessere; & de Eriphyle matre, (quæ non modò monile anteà à Polynice; sed Peplum etiam nuper à Thersandro, eius filio, in utriusque mariti & filij, perniciem, accepisset) supplicium sumere iussus erat:

Atque adeò his novis, & patrum succidaneis, Ducibus;

AMPHILOCHO, Alcmæonis fratre:

ÆGIALEO, Adrasti: DIOMEDE, Tydei: PROMACHO, Parthenopei:

STHENELO, Capanei: THERSANDRO, Polynicis: EVRYPYLO, Mecistei: FILIIS. Thebas oppugnatum ivérunt.

In quos Thebani, quòd finitimos circà pagos ferri & rapi indolerent; eruptione factâ, irruentes; quùm Laodamante, Eteoclis filio duce fortissimè pugnâssent; eodem mòx amisso, & ab Alcmæone occiso, ad mœnia confugere coacti, & missis ad hostem de pace fecialibus, desperantes; & cum coniugibus liberísque noctu intercà egressi, urbem vacuam victoris lubidini reliquerunt. & Estiæam, urbem à se conditam, incoluérunt.

Victores verò, Thersandro, Polynicis F. Thebarum reliquias cum imperio tradidérunt.

Quo, in expeditione Troianâ, sub Agamemnone, iuxtà Mysiam, à Telepho interfecto; dum filius eius Tisamenus adolesceret; PENELEVS rex est creatus. Et ipse ab Eurypylo, Telephi filio, interfectus ei, quem dixi, TISAMENO regnum reliquit.

Cuius filius AVTESION, quem vindicta ex Laïo & Oedipo corripuerat, ad Dorienseis commigravit. Eique Thebani DAMAS CHTHONEM, Ophelæ F. Penelei Nepotem, suffecérunt.

Huius ex Ptolemæo F. Nepotem, XANTHVM, postquàm Andropompus singulari certamine per fraudem interfecisset; Thebanis, qui omnia deinceps ab uno homine pendére nollent, Rempublicam à pluribus administrari è re visum est.

Sed his ob ἀσυχρονίαν, ita ex Antiquitate profanâ delibatis, ad res Hebræorum relabamur.

IAIRVS

IAIRVS, IVDEX ISRAELITARVM.

2737. | | 1213.

Tholæ Iudici suffectus est Iairvs, Galaadites è Tribu Manassitide. Vir eum cæteris virtutibus, rum opulentiâ & numerosâ prole fortunatus. Cui xxx. fuerint filij, industrij, & equitandi peritia præstantes, & mulorum nobilium domitores: totidemque in Galaatidide regione civitatium Principes, quæ è Patrij nominis prærogativâ, Avoth-Iair, in multas deinceps ætates sint appellatæ. Non minore certè cum gloriâ, quàm ccc. antè, plus-minus, annis (Deuter. 3. c.) cognominis Iairvs, Manassæ F. & stirpis auctor, Argobitidem regionem, ad fineis usque Gessuræos & Machatæos, possidendam à Moyse accepisse; & Basanitidem omnem, de suo nomine, Avoth, sive, Villas-Iairi, indigetâsse commemoratur.

REGNVM LATINORVM.

2743. | Huius Iudicis anno vi. qui fuit i. Latini, v. sive ultimi Aboriginum & Laurentum regis; cæpit Latinorum regnum. | 1207.

Quod sub xvi. Regibus durat ann. cclvii. usque ad Romæ conditum. qui fuit circiter, Orb. Cond. mmmcc.

Regnum verò Lavrentvm B. Aug. l. 18. C.D. c. 15. iam-tum exortum putatur, quo tempore Argivorum regnum Mycænas, sub Pelope, translatum diximus. Vbi,

Picus, Saturni F. primus regnârit; quùm Lampares, xxiii. rex Assyriorum imperio potiretur.

Alij, Pici Patrem, Stercen, sive Stercutium, agriculturæ Deum, (qui agros stercorate; sive, fimo animalium, quod ab eius nomine Stercus dictum est, fæcundare docuerit) nominârunt.

Picus Favnum genuit, Latini Patrem. qui Arcadibus, Euandri Comitibus, & agros, & montem Palatinum, adsignârit. Prior tamen Saturno, Ianus fuit, qui Ianicvlvm condidit.

INTERREGNVM IN ISRAELE.

2759. | Iairus, expletis in Principatu xxii. an. iam senex, vitâ defunctus est: & in Camóne, loco anteà ignobili, sed tanti Viri memoriâ posteà nobilitato, sepultus. | 1191.

Populus Hebræor. interea, duce destitutus, ad colendi a vicinarum gentium idóla, desertâ maiorum pietate, se convertit. ob idque subacti à Philisthæis & Ammanitis, duode-viginti annos, sub

2777. | | 1173.

duro eorum Imperio, ij qui & ultrà, & cis Iordanem incolebant, miserrimè vitam traxére.

Qui cùm in calamitatibus positi, quùm ad Dei opem confugient, divino respôso iussi sunt; *Opem ab Idolis, quæ, se spreto, colerent, implorare. Se non ultra misericordiam tam ingratis præstiturum.*

Illi nihilominus flentes, & culpam fassi, veniamque deprecati, exterminatis penitùs alienorum deorum simulacris; & animis ad pristinum Dei cultum revocatis; negatam licet ab eo misericordiam extorserunt.

BELLVM, & Exscidium TROIÆ.

2764. | Anno huius Interregni xi. sive vii. antè Iephthæ principatum, | 1186.

Troia, quæ sub vi. Regibus, cccl. ann. steterat; ob Paridis cum raptâ Helenâ adulterium; post decennalem obsidionem, à Græcis tandem excisa est.

Is namque Priamo, Troianor. rege, & Hecubâ, Cissei, Thracum regis, filiâ, natus; Helenam, Menelai Atridæ, Spartani regis, uxorem, raptam è Lacedæmone in Asiam abduxerat. Sed hæc altiùs repetenda.

Mater Hecuba propediem fœtum tàm infelicem partu editura, facem reâpse ardentem, quæ urbem Ilium concremaret, & penitùs depasceret; pare-re in somnis sibi visa est. Vndè quùm Pater, ex Vatibus, puerum patriæ exitio fore, intelligeret; exponi iussit, & in Idam montem asportari.

Sed is, cui eius rei negotium datum fuerat, (Agelaus, sive Archelaus) ubi proiectitium ab Vrsa, per quinque iam dies, enutriri deprehendit; clàm sustulit ipse, & eduxit.

At ille, iam grandior, & corporis formâ ac robore præstans, quod vim prædonum ferarúmve incursus ab ovilibus arceret; pro Paride, Alexandri nomen promeritus, haud ità multo

pôst tempore inventos parentes agnovit.

Sub idem ferè tempus, rex PRIAMUS, de injurijs quas Hercules pridem, Græcis proceribus comitatus, Ilio per vim capto; Patre Laomedonte cum filijs interfecto; Hesione sorore in captivitatem, & se tantum-non in servitutem redactis; intulisse compertus esset) reponendis, cogitans: ANTENOREM, ceu fecialem, in Græciam, res repetitum, amandârat. Qui injuriosiùs quùm illîc habitus fuisset; PARIS, consimilis legationis specie, aliquanta cum classe & milite, in Græciam trajiciens, & Spartæ in domum Menelai hospitio acceptus; non modò jus hospitale violavit; sed rege etiam absente, (sive Pylum ad Nestorem; sive in Cretam, ad Idomeneum, herciscundæ inter Atrei Nepotes familiæ arbitrum, profecto) Helenen, regiam Conjugem, Clytæmnestræ sororem, partim vi, partim ex compecto, non invitam, rapuit. eâque in navim, cum opibus domesticis, impositâ, è Cytherâ solvit.

Adsumtis deinde è Cypro navibus, in Phœnicen delapsus, Sidoniorum regem, à quo amicè acceptus fuerat, de nocte obtruncavit: & pari cupiditate, regiam omnem gazam, in proprium scelus convertit. & post leve in portu prœlium, eamdem in naveis congestam, ad Patrem simul asportavit.

Herodot. ex Ægyptijs refert; Alexandrum, abreptâ è Spartâ Helene, quùm domum renavigaret, obortâ in Mari Ægéo ventorum tempestate, in Ægyptium Pelagus, atque indè ad Ostium Nili Canobicum, & Tarichæas, adpulsum. Et mancipia Alexandri, ad Herculis fanum, quod eo in litore ceu sacro sanctum erat Asylum, ab eo profugisse: Deoque supplices, Alexandri facinora, & factam Menelao injuriam, patefecisse. eumdemque apud sacerdotes, & eius, quod dixi, Ostij præfectum, Thonin, gravissimè infimulâsse.

Ab eodem autem præfecto, quùm Alexander, cum Helenâ, & servis opibusque, Memphim, ad regem Proteum, deducti essent; & raptoris facinora planè detecta; Rex, ne quid in peregrinum, extrema licet promeritum, duriùs consuleret; Mulierem quidem cum domesticis opibus, Græco hospiti, cui ille injurius fuisset, reservaturum se confirmavit. raptorem verò, cum comitibus, non sine minis, intrà triduum, è regni finibus excedere confestim iussit.

Neque ab hâc Ægyptiorum famâ omninò abludit Homer. qui Iliad. & Odyss. non obscurè innuat, Paridem cursu in Ægyptum exerrâsse.

De Menelao eodem, ad Proteum, cum Helenâ, adpulso. Vid. Odyss. Δ

Et ut ex eodem Herod. eâ, quæ consecuta sunt, pertexamus; Ipse sibi, vanáne, an secus, apud Ilium gesta, vulgò memorarentur, percunctanti; sacerdotes, quæ ex ipso Menelao cognovissent, respondisse ait.

Statim ab Helenæ raptu, magnas Græcorum copias auxilio venisse Menelao, in Teucriam. Et factâ in continentem escensione, missos Ilium legatos, qui Helenam, & res furto sublatas, non sine hostimento, sive damni æstimatione, reposcerent. quantumvis Teucri iusiurandum etiam dedissent, neque Helenen, neque opes, quas Paris è Graciâ asportâsse traduceretur, apud se esse. neq; rerum earum, quæ penes Proteum, Ægypti regem, depositæ essent, crimen se sustinere.

Græcos nihilo minus, qui se ridêri aut contemni putarent, Ilium obsedisse. Quò tandem capto, quùm ne tunc quidem. Helena usquàm apparêret, & illi vix Troianorum sermoni fidem haberent: Menelaus ad Proteum missus, & Memphim adpulsus, Helenam, à malis immunem, cum pristinis opibus, reciperârit. Hactenus ille lic. libr. 3.

Cæterùm Dictys Cres; & Dares Phryx, (siquid fidei tribuendum tàm incertis scriptoribus) atque adeò Homer. Helenam ab Alexandro Troiâ perductam esse, & in eâ ad exitum usque belli perstitisse, testantur.

Et ipse Herodot. lib. 1. in odiorum & dissensionum, quæ Asiaticis cum Europæis intercesserint, caussas originemque requirens, ex Persicis monimentis; *Phœnices, tradit, à Mari-Rubro traductos in eam, quam postea incoluérunt, regionem; & faciendis longè latèq; Ægyptiarum & Assyriarum mercium, per Mare, vecturis, deditos; cum in alias plagas, tum Argos etiam navibus pervenisse: & Ionem, Inachi regis filiam, in cæteris, rapuisse; veláque in Ægyptum fecisse. Idq; iniuriarum principium.*

(Phœnices raptu se usos esse negârunt. sed ex quodam, Phœniciæ navis magistro gravidam ibi Ionem, metu paternæ ex eo facto offensæ, & sponte suâ, in Phœniciam, sive Ægyptum venisse.)

Posthac, Græcorum quosdam, è Cretâ, Tyrum adpulsos, Europâ, regis filiâ, indè abreptâ, quasi par pro pari rependisse. Nec multo-post, Græcos Principes, alterius iniuriæ auctores exstitisse. qui longâ nave (Argô) in oram Colchidis, ad Phasim fluvium, pervecti, regis quoque indidem filiam, Medéam, abduxerint. Et quùm misso in Græciam caduceatore, rex Pater pœnas de raptu repeteret; responderint; Quemadmodum illi anteà, de raptâ Ione, pœnas sibi non dedissent; ità se impunè, quod in Colchis fecissent, esse laturos.

Alterâ deinde Ætate, quùm Alexandro, Priami filio, consimilis uxoris sibi è Græciâ per rapinam parandæ, cupido incessisset; & Helenam, quo diximus modo, rapuisset: nuntios quoque (quos visum esset Græcis ad pœnas de tali flagitio reposcendas, mittere) obiectum fuisse, Qui ob Medéæ raptum pœnæ nihil luissent; quo iure, ab alijs sibi pœnas pari in caussâ, dari postularent!

Persæ itaque tum quia Asiam, & Barbaros eius incolas, sibi necessitudine coniunctos; & Græcos, atque Europæos, alienos esse putarent. tum quia, rapere feminas, virorum quidem iniuriorum; raptas autem ulcisci, amentium esse sentirent. Græcos, qui priores ultricis in Asiam copias

copias induxissent; & mulieris Lacænæ gratiâ, ingenti cum classe eódem profecti, Priami imperium evertissent; eorum, quæ consecutis étiam sæculis exstitérunt, malorum auctores; & Ilij in Asiâ exscidium, suæ cum Græcorum posteris discordiæ seminarium fuisse, iactárunt.

Menelaum autem memorant, tantâ domestici flagitij atrocitate commotum, Principes propè universos; quorum pleríque Pelopidæ, aut eorum adfines, in Græciâ regnabant; ad belli societatem, iniuriamq́ue armis persequendam, haud difficiliter induxisse.

Ex quibus permulti, qui Helenæ nuptias olim cum Menelao exambierant, Tyndareo, ceu socero, iusiurandi religione se obstrinxisse ferebantur; ut quemcumq́ue ille ex ipsorum, procorum, cœtu, sponsum filiæ esset delecturus; eidem cæteri, siquis pacto iam coniugio vim facere moliretur, subsidio venirent.

Illi itaque quùm Argos Pelasgicum, Diomedis regiam, ex condicto convenissent: & Priami Troianorumq́ue, in Legatis, quos submiserant, admittendis, rebusq́ue restituendis, contumaciam cognovissent; in regni Troiani exscidium, non sine cerimonijs, conspirant.

Et AGAMEMNONEM, Menelái fratrem, potentiâ & dignitate clarissimum, tunc domi belliq́ue Principem, deligunt.

ACHILLEM, cum PHOENICE ET AIACE, navibus præficiunt.

PALAMEDI, DIOMEDI ET VLYSSI, campestrium copiarum curam attribuunt.

Biennium in navibus, militibusq́ue cogendis, consumtum est.

Et priùs, universâ cum classe (quæ CXL. suprà M. navibus, sub LXIX. ducibus, constaret) ad Athenarum portum: déinde ad Aulidem Boeotiæ, adpulsi: Mysis obiter (quibus tum Telephus, Hercule genitus, & Teuthrantis privignus, imperabat) ad societatem pertractis; in Troianum agrum, impunè, etsi non sine prœlio, penetrárunt.

Vbi, quæ per decennium gesta; ex Homero, non tàm Poëtâ, quàm Historico; & ex Dictye ac Darete, licet ambiguis scriptoribus, petantur.

Multorum, hinc indè, Principum cædibus, isthanc Troiæ oppugnationem funestam fuisse, certum est.

In quâ ACHILLES, PATROCLVS, PROTESILAVS, ARCHILOCHVS, MERIONES, PALAMEDES, ET AIAX, alijque è Græcis infiniti.

HECTOR, & tot Priami filij, è Troianis: eorumque auxiliares; EVRYPYLVS MYSVS, CYGNVS, SARPEDON Lycius, RHOESVS Thrax, MEMNON Æthiops, PENTHESILEA Amazon, alijque; occidisse memorentur.

Vrbs denique, tot annis, totius Asiæ florentissima, præter vicinarum regionum vastitatem, & regis ipsius Civiumq́ue cædem; postquam ad eam annis X. & plus VI. mensibus, pugnatum esset, ferro flammâq́ue funditùs eversa.

Memorant HELENVM, regis filium, vaticinandi arte insignem, Paridis fratris scelera exsecratum, ad Chrysen Vatem & sacerdotem, è Troiâ confugisse; & hostibus certâ se lege dedidisse.

ANTENOREM quoque, & ÆNEAM, Anchisæ filium, cum paucis, postquam patriæ salutem quasi depositam viderent; & pacem cum Græcis, ex æquo & bono ineundam, regi Priamo persuadere frustrà conati essent; incolumitatem sibi suisq́ue pactos, urbem hosti prodidisse. Palladio priùs in tutum exportato; & adducto ad Scæam portam exercitu, in quâ Caput Equi insculptum erat; ubi & ipsi præsidia habebant.

Tradunt alij; Equum ab Epéo fabricatum, ceu Minervæ sacrum. Quumq́ue is in urbem, muris iam perfractis, introductus esset; Græcos eâdem per ruinas irruisse, & victoriæ indulsisse.

REGES TROIANORVM.

VErùm ut tam nobilis regni exitium, cum origine committamus; ea quæ suprà, obiter & disiunctè, suo quidque tempore, de Troianis regibus, eorumque annis, dicta sunt; sub unum adspectum hîc dabimus.

DARDANVS, Atlantis, qui primus in Arcadiâ regnâsse proditur, ex Electrâ filiâ, quam Iuppiter cognoverit, Nepos; postquam è Chryse, Palantis filiâ, Idæum & Dymantem sustulisset: & è Samothrace, in quam demigrárat, in adversam continentem, ubi Teucer, Scamandri & Ideæ Nymphæ F. regnabat, cum colonis, traiecisset; acceptis ab eo agris, & filiâ Bateâ (al. Arisbâ) in coniugem adscitâ; Dardanum, cognomine opidum, ad littus condidit: & regni compos, gentem Dardaniam appellavit.

Hoc progenitus ERICHTHONIVS, mortalium eâ tempestate ditissimus, (Homero) ex Astyoche, Simoentis filiâ; (Diod. ex Callirhoe, Scamandri.)

TROEM, procreavit. Is regno potitus, regionem & gentem, de se, Troiam sive Troada, & Troës, dixit.

Idemq́ue ex Callirhoe, Scamandri filiâ, (Diod. Acalide, Eumédis) ILVM, ASSARACVM, & GANYMEDEM, sustulit.

Ex quibus, Ganymedes quidem à Tantalo, Phrygiæ, sive Paphlagoniæ, rege, ob formæ excellentiam raptus, & Iovi traditus fuisse perhibetur.

ET ASSARACVS, ex Clytodorâ, Laomedontis (al. ex Hieromneme, Simoentis) filiâ, CAPYN:

Et hic ex Themide, Ili filiâ (al. ex Nymphâ Naide) ANCHISEN, progenuisse: Et cum hoc congressa Venus, ÆNEAM edidisse.

ILVS verò, à quo Ilium, in campestri Phrygiæ regione, constructum, ex Eurydice, Adrasti filiâ,

LAOMEDONTEM suscepit.

Et huic, ex Strymone, Scamandri (al. ex Placiâ, Atrei. al. ex N. Leucippi) filiâ; nati: TITHONVS, LAMPVS, CLYTIVS, ICELAON, & PODARCEI, qui & Priamus; & HESIONE.

Ex ijs, Tithonus, in Æthiopiam usque militari studio provectus, ex Idâ (al. Aurorâ) Memnonem;

PRIAMVS verò, ex Hecubâ, Cisséi F. Hectorem & Paridem, præ cæteris, suscepit. Ipse ad aram Hercéi Iovis, à Pyrrho, Achillis F. in regiâ ipsâ, obtruncatus.

Lesmor. hos singulis tribuit annos imperijs Dardano LXV. Erichthonio, XLVI. Troi, XLIX. Ilo, XL. Laomedonti, XLIV. Priamo, LII.

Vniversè CCXCVI. Refertque Troiæ exscidium ad an O. C. MMDCCCXX.

ANNVS TROIÆ CAPTÆ.

2770. | | 1180.

QVoniam Annus, quo Troia à Græcis capta esse proditur, quoddam veluti fundamentum est, & memorabilis Epocha, Chronologiæ; earum præsertim rerum, quæ belli Troiani tempora & antecesserint, & consecutæ sint; pressiùs de eo aliquid hic dicendum.

Præcipui & gravissimi auctores, (Dion. Halicar. Diod. Sic. Trogus, Strabo. Vell. Paterc.) consentientibus ferè suffragijs adfirmant, Vrbem Romam an. plus-minus CDXXX. (Dio. Halic. CDXXXII. Paterc. CDXXXV.) post Troiæ exscidium, à Romulo esse conditam.

Certum autem est, eam conditam esse, DCCL. aut DCCLI. annis, antè CHRISTI Dom. Natalem.

(Vnde Chytræus, qui annis XII. nostram Chronologiam semper excedit; reducto calculo colligit, Vrbis illius exscidium incidisse in annum Mundi, MMDCCLXXXII. quo Abdon populo Hebræo ius dicere cæperit. Annis, uti putat, CVIII. antè Davidis regnum.

Deinde, quùm (teste Scalig. l. 5.) Dion. Halic. anno. CDVIII. Diodorus & Eratosthenes, an. CDVII. Alij, CDV. aut VI. antè primam Olympiadem, hunc Troiæ casum posuerint: & annum pænè omnes viderint; sed designare non potuerint: Scaliger ipse in Ephori gnorismate, sive charactére, conquiescendum sibi tutiùs putavit. in Anni videlicet, apud Atticos, statu, quo hoc accidit. Qui eum annum, quo captum & deletum est Ilium, desivisse aiat XX. die post Solstitium: quo, casus Troiæ XVII. diebus fuerit prior. Atque ità à casu Ilij, ad finem anni, dies XXXIIX. colligit. Prìinde Ilium captum. Θαργηλιῶνος ὀγδόη φθίνοντος, ὡς οἱ Ἀθηναῖοι χρόνους ἄγουσι.

Plutarc. etiam idem Troiæ excidium ad XXIV. Thargelionis diem refert. & Dio. Halic. ad VIII. diem eiusdem mensis desinentis, qui XVII. est, antè Solstitium æstivum.

Ex ijs, & alijs, colligit Scaliger, Intervallum Excidij Troiani, & primæ Olympiadis, esse, annos absolutos CDV. ut Troia capta sit, anno CDVI. ad exitum decurrente, antè primam Olympiadem: XXIII. Thargelionis, sive Iunij XVI.

Rectè itaque scripsisse Ephorum, XVII. diebus antè Solstitium Atticum, (quod incidebat in III. Iulij:) captum esse Ilium. ad quem Iulij diem, à XVI. Iunij, totidem dierum est intervallum.

Ab eodem Excidio, ad Vr. Romæ Conditum, earunt CDXXX. aut XXXII. anni, prout vel exacti, vel decurrentes statuuntur.

LATINVS, autem de quo diximus, ultimus Aboriginum rex, qui Laurentum nomen in Latinos transtulerat; ab eâdem clade tribus adhuc annis regnavit.

Putatur & circà hoc tempus Teutamus, (al. Teutaries) XVII. Assyrior. rex (annis XXXII.) fuisse; quem auxilia adversus Græcos Priamus rogárit.

ÆNEAS TROIANVS, Latinorum rex.

LATINO, Æneas Troianus, uti gener, dotali uxoris Laviniæ, filiæ & heredis regiæ, iure, successit. & per ann. III. Latinis simul & Troianis advenis, in idem nomen & ius iamtum transcriptis, imperavit.

De hoc, quo modo ex Ilio capto evaserit, & in Italiam adpulsus sit; variæ scriptorum sunt sententiæ.

Alij namque tradidérunt, Græcis iam urbe patriâ potitis, ipsum occupatâ Ilij arce (Pergamo) dum in se impetum victoris hostis converteret, ad naveis, in eventum adparatas, impedimenta, & imbellem multitudinem, præmisisse. Déinde eâdem arce desertâ, ex urbe elapsum, cum ijs, qui præcesserant, Idæ montis munitissima tenuisse. quò ex Dardano, Ophrynio, & Troade totâ, qui Græcorum imperia exhorrebant, certatim confugerant. Atque ità manu, brevi, coactâ, ibi paullo plus annum permansisse.

Sed quùm Græci in eos arma pararent; oblatis pacis conditionibus, & datâ fide, illos, suis cum rebus, totâ Græciâ tutos fore; ex agro Troiano excessisse.

Alij, Æneam dicunt Græcis urbem prodidisse. quòd eum Alexander non modò simultatibus exerceret; sed publicè etiam alijs contemnendum præberet. Atque hinc (Livius, & alij) servatum eum perhibent, unà cum Antenore, vetusti iure hospitij. & quia semper tum pacis faciendæ;

ciendæ; tum Helenæ suis restituendæ, auctores fuerant.

Et ANTENOREM quidem memorant, cum multitudine Henetûm (qui seditione ex Paphlagoniâ pulsi, rege suo Pylæmene ad Troiam amisso; & sedes, & ducem quærebant) venisse in intimum Maris Hadriatici sinum: Euganeisque, qui Mare inter Alpesque, incolebant; depulsis, Troianos cum Henetis eas tenuisse terras: & gentem universam, Patavio condito, Venetos appellatos.

ÆNEAM verò ex Iliensi portu, sive Antandro, primùm in Pallonen, Thraciæ pæninsulam, (Livio; in Macedoniam) devectum. ubi & eos, qui ex Asia ad se fugiebant, reppererit; & urbem Æneam, sive Ænon, de nomine suo, condiderit. Cuius incolæ, Ænei, sive Æneátæ, multis pòst sæculis, patriâ deletâ, à Cassandro Macedoniæ rege, in Thessalonicam sint translati.

Ipse deinde in Delum, ad ANIVM regem, venit: hinc in Cytheram insulam: tum in Arcadiam, veteres hospites & cognatos. Indè in Zacynthum, Leucadiam, Ambraciam.

Et ANCHISES (filio Dodonam, consulendi Numinis, & Heleni visendi caussâ, profecto) Buthrotum, Epiri portum: illoque reduce, in Drepanum, Siciliæ, provectus, è vitâ decessit.

(Sunt tamen, qui Anchisen, & in Italiam ingressum, ibique anno antè filium obijsse, narrent.)

Ænéas autem, è Siciliâ (relictâ ibi exercitûs sui parte, in opidis Ægestâ & Elymâ, recens à se, in Hospitium Troianorum, Ægesti & Elymi; qui eò navibus, è Patriâ, iam-tum periclitante, penetrárant; gratiam, conditis) in Italiæ oram adpulsus, in agrum Laurentem, anno postquàm ex Asia solverat, altero; descendit. ubi tum Latinus rex XXXV. iam annum regnabat; & adversus Rutulos bellum gerebat.

Qui quùm ab externis, opidum novum, ex oraculi fide, ædificare adgressis; & quidquid eam ad rem usui esset, máteriem & instrumenta, rapto quærentibus, oram maritimam vastari intellexisset. ductisque raptim in advenas copijs, partim militari eorum consta[ntiâ]; partim novis prodigijs territus, à conflictu sibi supersedendum duceret; datâ & acceptâ fide, fedus cum Ænéa, volente & supplice, his legibus percussit:

Vt Aborigines Troianis, quantum agri satis esset, concederent: Troiani vicissim, Aboriginibus in bello socij, eorum auspicijs, ubi usus postulárit, militarent.

Opidis itaque hostium, Rutulorum, communi expeditione in potestatem Latini redactis; Troiani ad perficienda cæptæ urbis munimenta regressi sunt. Eique Ænéas nomen indidit Lavinium, à Laviná, Latini: vel, ut Græci quidam volunt; à cognomine Anij, Deliorum regis, filiâ. quam ille, uti sapientem ac fatidicam, à Patre, navigationis comitem, è Delo, impetrárat, & abduxerat.

Deinde, regum exemplo, postquam Ænéæ Latinus filiam Laviniam in matrimonium tradidisset; omnium animos, mutuis, suos quemque socios, officijs demerendi, cupido incessit. Et collatis, brevi admodum tempore, in unum moribus, legibus, & cerimonijs: communicato denique per connubia genere ac iure civium; & commistâ ex utrisque populis Rep. sumtoque à rege loci, nomine, Latini vocati: adeò, servatis inter se pactis & legibus, coäluérunt; ut nullum in posterum dissidium intercesserit.

Sed quùm TVRNVS, Rutulorum rex, (Livio.) vel transfuga (Dion. Halic.) cui, uti Nepoti, è sorore Veniliâ, coniux regia Latini, Amata, filiam Laviniam, antè adventum Æneæ, desponderat; prælatum sibi advenam ægrè patiens, Aenéæ simul Latinoque bellum intulisset: & prœlio acriter commisso, Latinus, Troianis licet victoribus, cecidisset; Aenéas non victoriam modò, sed & uxorium soceri regnum, (Aboriginibus, qui duce opus haberent, non illubentibus) adeptus est. Postquam in Latio, à regibus V. Annos circiter C L. regnatum esset.

TVRNVS autem, (quem tamen Dionys. unà cum Latino, in acie adversâ anteà occubuisse prodit) Rutulique, rebus diffisi, ad florenteis eâ tempestate Etruscorum opes, Mezentiumque eorum regem, confugérunt.

Qui Cære (quæ & Agylla) opulento tum opidò, imperitans; & nimio plus, quàm satis tutum esset accolis, rem Troianam crescere ratus; haud gravatim socia arma Rutulis iunxit.

Quùm itaque acriter, haud procul ab Lavinio, pugnatum esset; & nox prœlium diremisset. Neque Aeneas, quantumvis secundo prœlio, usquàm comparéret; Ipsum vel ad Deos discessisse; vel in flumine Numico enectum, ibique situm esse existimantes; Deum, sive Iovem Indigetem, vulgò consecrarunt. Idque III, post soceri excessum, anno.

Illi mox ASCANIVS, ex Creüsâ Troianâ, Priami filiâ, natus, succedit, & regnum usurpat.

Ad Hebræorum res relabamur.

IEPHTHES, IVDEX in Israële.

EODEM tempore Deus, longinquam tandem populi sui, Hebræorum, sub Philisthæis & Ammonitis, servitutem ac calamitatem, miseratus; & assiduis quiritantium clamoribus inflexus; ut suprà dicere cæperamus:

IEPHTHEM, filium Galaadi naturalem (Hebr. filium Zonæ, interpretantur; non meretricis, sed hospitæ aut cauponæ, qualis & Raaba; quòd utrumque vox ea significet.) E Tribu Manassitide. ad libertatem armis patriæ vindicandam, instigat. Illum ipsi Galaaditæ, positis in Masphâ adversus Ammonitas castris, dimicaturi; ab exsilio (quo

eum fratres, legitimi heredes, multarant; & ad latrocinandi necessitatem adegerant) revocatum; sibi ultrò, promisso etiam solenniter, post pugnam secundam, inter suos principatu; iam præfecerant.)

Ipse autem, missis priùs ad Ammoniten regem legatis, monet; *Vt finibus suis pristinis contentus, bello abstineret: neque Hebræis possessionem, CCC. ferè annor. in terrâ, iusto bello ex Amorrhæis interceptâ, conturbaret.*

Tot enim anni, ab eo tempore, quo Israelitæ à rege Moabo transitum per agro suos poposcerant; sive solidi, sive tracti. (Num. 20. c.) Quùm à morte Sehonis Amorrhæi; sive à Mose; ex quo terræ illæ, inter Arnonem & Iabocum fluvios, usque ad Iordanem, occupatæ, & ijs limitibus definitæ, tenebantur; ad Iephthen, anni tantum sint CCLXX. aut LXVII. Treceenti itaque illi Anni, ὁλοσχερῶς, plenè planeque capiendi. Quos Ar. Montan. sic colligit.

IOSVA, Terræ, iam subactæ, annis XXIIX. ab Ingressu primo, præfuit.

GOTHONIEL, XL. & AIODVS, LXXX. Computatis simul Eglonicæ servitutis, XIIX.

DEBORA, XL. Et sub MADIANITIS, an. VII.

GEDEON, XL. & ABIMELECHVS, III.

THOLA, XXIII. & IAIRVS, XXII.

Itâ tamen ut unus annus his duobus dividatur.

Quibus Ammoniticæ servitutis XIIX. adiunctis, CCC. uno plus, conficiunt annos.

Quùm olim Hebræorum populo, ex Ægyptiâ servitute descendenti, cogoati Idumæorum & Moabitarum reges, transitum rogati; non quidem regni quisque sui interiora, pervadendi, copiam permitterent; à montanis tamen, inter Seiram & Haram, finibus arcendos, minimè duxissent; sed prætereuntibus alimenta pretio suffecissent:

Idem quùm rogaretur SEHON, Amorrhæorum, in Hesebone, (quam Moabitis pridem, cum tractu vicino, abstulerat) rex; Israelitas, quod eorum probitati & religioni diffideret; non tantùm Mediterraneis regni itineribus, sed omni prorsus limite interdicere; eosque pro virili arcere: & ad Iasam, urbem confinem, & locum pugnæ incommodum, pertractos, bello lacessere molitus est.

Cuius quidem superbiæ, & violati, summâ cum iniuriâ, gentium iuris, atque adeò impietatis, pœnas, Deo vindici, universè victus, & vitâ regnoque exutus, ille mox exsolvisse. Vacua verò terræ, quàm ille pulsis per vim Moabitis possedetat, & recens amiserat; hereditas, Hebræo victori iure cessisse; & Dei benignitate ac quasi donatione, obtigisse, fuit meritò censenda.

Ammoniten nunc, qui Israëlitas, ceu frandis auctores insimulare audeat; ipsum calumniâ belli, & prætextâ Chamosi, alieni Dei, iniuriâ, in præsens res alienas, pro suis, repetitum venire. Et ius à Deo, Amorrhæe iniquitatis ultore, ipsis optimo iure concessum, occupare. Quod vel ipse Balacus, Sephoris F. & heres, qui eo tempore imperium in Moabitide tenuit; & religiosus Chamosi cultor Israelitis, novis colonis, quà potuit cumque, incommodare contendit, & invidit: non sine præiudicio, & sine ullâ lite, deserto quasi vadimonio, in-tentatum tot per annos reliquerit. Et Deus, inviolato perpetuæ successionis usu plenè comprobatum, possessoribus stabilierit.

Quùm verò à pertinaciâ rex Ammon non desisteret; Iephthes, divino spiritu instigatus, non ultrà exspectandum Ammonitarum impetum; neque hostem intrà regionis viscera admittendum; sed rectà in eum, acie instructâ, ducendum, existimavit.

Confestim itaque ex Maspha (celeberrimo illo Israelitarum, ad ipsa Tribuum Iudæ & Beniaminiæ confinia, Conventu) primùm, transmisso Iordane, Galaadam; deinde, militari per monteis viâ, Manassitidis agros permensus; ad alteram Maspham, quæ in Galaaditide est; & ex quâ planus ac brevis in propinquam Ammanitidem transitus; devenit.

Sed antè, quàm pugnæ signum daretur; Ar. Mont. Vir pius, inquit, qui à felici auspicari initio; & caussam iustam, seque ipse Deo commendare, & nuncupatis votis obligare; constituisset) conceptis verbis vovisse traditur: *Si prosperè pugnâsset; eum, qui primus è domo suâ, cum pace & victoriâ reverienti, obviàm venisset; Deo vel consecraturum; vel, hostiæ vicem, immolaturum.*

Hæc voti (si quidem cum cæde humanâ coniunctum fuit) imprudentia, partim ex vicinarum gentium ritu, quo liberi à parentibus Dijs immolari solebant, orta esse: partim sacerdotum eius ævi imperitiæ, in votis interpretandis, (Levit. cap. ult.) attribuenda esse censeatur.

Hoc tamen IEPHTHÆ votum alij aliter interpretantur.

Rabbini quidam, & Christiani, perpetuæ dumtaxat Virginitati consecratam à Patre filiam, putârunt. (Quam interpretationem ideò excogitâsse Rabbinos arbitratur Genebrard. ne indè typus filij Dei, à Patre æterno oblati, duceretur.)

Transgressus igitur Iephthes in ipsam Ammonitarum regionem; non levi pugnâ hostem fudit; sed continuatis unicâ etiam expeditione prœlijs, ab Aroëre ad Maniathem, usque persecutus, XX. in interiore terrâ civitates, ad quas sese hostium fuga pertendebat; vel diripuit, vel funditùs delevit. Et non nisi in magnâ Abelæ planitie, vinetis ibi laudatissimis celebri, cum hostili cædi modum; tum victoriæ monimentum, constituit.

Quùm autem in Maspham, ubi domicilium antè collocârat, reverteretur: & filia, quam unicam ex uxore habebat, patrem victorem, cum tympanis & choris, more adplaudendi patrio, exceptura obviàm processisset; ipse confestim, discissis præ dolore vestibus, & ingemuit; & filiæ, quæ victoriæ tenorem suo importuno occursu funestâsset, seque omni propagandæ posteritatis spe fraudâsset; voti, quod fecerat necessitatem

ceſſitatem indicavit.

Hæc verò, plus-quàm femineâ conſtantiâ, mori (civiliter, an naturaliter!) non recuſans, omnem privatorum, ex Patre & prole, commodorum cogitationem. Dei voluntati, & gloriæ, poſthabendam cenſuit. Patrem ipſum viriliter e hortata, ut tantæ ex hoſtibus victoriæ beneficium, Deo auctori acceptum eo munere conteſtaretur, quod ſibi cariſſimum eſſet; & eventus ipſe, Numini iam eſſe comprobatum, planè declaraſſet.

Ipſa, ad duos tantùm menſeis, vitæ liberioris ſpatium expopoſcit; ut cum æqualibus ſuis, Virginitatem; ſive ætatem, nuptijs quidem maturam, ſed votivâ ſterilitate damnatam. ſive, ſe ipſa, domûs paternæ (cui nulla alia ſubolis in poſterum procudendæ ſpes ſupereſſet) felicitate & commodis abdicatam: planctu & lamentis, per montium avia, proſequeretur. Eoque facto, rei geſtæ memoriam ad poſteritatem tranſmitteret.

Ijs itaque peractis, ultrò ad Patrem redijt; votumque, quo ſe Pater damnárat, reddidit.

Vel, ut quidam volunt; Aræ ſanctiſque ignibus à Patre, ut deſtinata, ità admota. (B. Hieronym. Non placuit Deo ſacrificium; ſed animus offerentis. Caietan. Non modò eam Deo dicavit; ſed in holocauſtum etiam obtulit. Ioſeph. neque legitimum, neque Deo gratum ſacrum faciens.)

Vel (Ar. Mont.) Patre curante, intra anguſtos clauſtri cuiuſpiam parietes concluſa; & ab omni vulgi conſuetudine ſecreta, vitam ſolitariam, ſingulari cum pietatis & caſtitatis exercitatione, tranſactura.

Atque adeò, ut tàm admirabilis facinoris, quod ex publicæ ſalutis ſtudio profectum eſſet; fama, cum grati animi ſignificatione; ad poſterorum memoriam perpetuò manaret; & celebris monimenti nomine, Quattuordiales ſuper filia Iephthæ Lamentationum feriæ, à puellis Iſraëliticis, quotannis peragerentur; publico decreto cautum eſt.

Et Leſſus, anniverſariâ Virginum celebritate, & lugubri carmine, in multa ſæcula, non ſine ſpectatæ in Patre filiâque virtutis commemoratione, uſurpatus.

EPHRAITÆ verò, gloriæ recens ex hoſtibus cæſis partæ æmuli; & falsò ſe, in communi belli pugnæque cauſâ, ab ambitioſo Imperatore neglectos conqueſti; non ſine ingenti tumultu, & apertâ lividorum animorum conſpiratione, ad Saphonam, (quaſi Aquilonarem, dicas) Galaaditarum urbem, Iordane properè tranſmiſſo, provecti: dira Iephthæ comminari auſi ſunt; cædem, & totius domûs incendium.

Quos quùm ille contrà, & ingrati animi, & notæ in patriam, publicamque ſalutem, perfidiæ redarguiſſet: *Quòd cum conſanguineis Galaaditis, tot iam annos à communi omnium hoſte, Ammonitâ, duriſſimè vexatis, nullam opem aut levamentum, licet ſæpiùs ſolicitati, attuliſſent; tum ipſi duci, qui non ſine manifeſto vitæ capitiſq. diſcrimine, vix ullo hominum ſubſidio, ſed divinæ opis miraculo, hoſtem graſſatorem adgreſſus fuerit, & memorabili clade profligárit; tàm malignè, quàm impiè invidentes, bellum & exitium molirentur.*

Celeriter coactis, & adſcitis ſecum è Galaadâ gentilibus, inſolentem inimicorum impetum infregit, omnemque eorum exercitum fudit.

Sed Galaaditæ, qui offenſam publicam extremâ clade vindicandam cenſerent: & ſe ignominiosè, vileis, atque adeò fugitivos, & Apoſtatas, (quaſi fixis ultrà Iordanem, in medio duarum Tribuum, Ephraitidis & Manaſſeæ, ſedibus, tribuleis olim ſuos deſerviſſent) ab ijſdem traduci & compellari indignarentur:

(Ar. Montan. Sibi quaſi ultrò, & divinitùs oblatam, Ephraitarum, è priore prœlio fugitivorum (quibus errantibus & diſperſis, unicum ad ſalutem perfugium erat, confinia patriæ ſuæ, Iordanis vada traijcere) intercipiendi & in tranſitu mactandi occaſionem, interpretarentur.)

Occupatis, quæ dixi, vadis, quemque ex ijs, è fugâ ad ripas accedentem, & tranſeundi copiam rogantem; facto, è diverſâ vocum quarumdam (Schibboleth, & Siboleth; hoc eſt; Spica, vel Fluentis aquæ impetus) pronuntiatione; linguæ patriæ, gentiſque, periculo & diſcrimine; impunè obtruncárunt. Adeò, ut toto & brevi illius belli tempore, ad bis & quadragies virorum mille perierint.

(Hæc, antè filiæ mortem, vel devotionem, geſta eſſe videntur.)

Ipſe IEPHTHES, exactis in Principatu annis VI. defunctus, & in civitate ſuâ Galaadenâ, quam Sebei Ioſeph. nominat; ſepultus eſt.

Ar. Mont. vult in Miſpà, ſive Maſphâ, quidem defunctum; ſed indè communi Galaaditarum conſenſu & ſumtu, in ſuam ipſorum regionem delatum, & magnifico funere ac ſepulcro honeſtatum.

Hunc ex omnibus Nothis ſolum ſacræ litteræ laudárunt.

ASCANIVS, Latinorum Rex.

ÆNEA Troiano, VII. ferè post Ilium captum annis, in Deos, uti diximus, relato, EVRYLEON F. qui fugæ paternæ comes, ASCANIVS, mutato nomine dictus fuerat; regno Latinorum potitus est: sive veriùs id usurpavit. annos, uti quidam volunt, XXXIIX. ut Dion. Hal. XXIIX.

Ambigit Livius; hiccine fuerit Ascanius, Æneæ quidem F. sed cui, quùm nondum maturus esset, LAVINIÆ, matris & tutricis, indoles, imperium, ad puberem ætatem, incolume conservârit. An. Maior, Creüsâ in Ilio natus. quem Iulum eundem IVLIA gens, auctorem nominis sui, agnoverit.

Troiani intereà, licet artiùs à Tyrrhenis obsessi; & iniquis, quæ offerebantur, pacis legibus offensi; factâ ex urbe Lavinio eruptione; & præsidio, quod LAVSVS, Mezentij F. in propinquo custodiebat, expugnato; Mezentium ad æquabile fedus & amicitiam adegérunt; *Vt Etruscis Latinisq́, Albula fluvius, qui & Tiberis, imperij finis esset.*

Is ASCANIVS, quâcumque matre genitus; abundante Lavinij multitudine, florentem opibus incolísque urbem, matri, seu Novercæ, reliquit. Et XXX. post conditum Lavinium anno, novam ipse aliam, sub Albano monte, deductis è Latio colonis, condidit. Quæ ab situ porrectæ in dorsum Vrbis (&, Albæ suis omine, Virgil.) Longa Albâ appellata est. Hinc Albani reges.

Circa hæc tempora XXI. in Ægypto Dynastia, quam vocárunt Diosp-politanorum, ann. CLXXIIX. duravit.

Herodot. verò hic PROTEVM ponit regem: ad quem, Paridem priùs, deinde Menelaum, divertisse ait. Cuius in regno antecessores, Phaeton; eiusque Pater, Sesostris.

Homer. POLYBVM vocat, ad quem Menelaus, cum Helenâ, post Troiæ excidium, devenerit: Alij Thuorim, ultimum Ægyptiorum Larthem; qui ann. VII. regnârit.

ABESAN, IVDEX.

2783. | | 1167.

Iephthæ ABESANVS (LXX. Interpp. HESEBON) successit, Tribu Iudæus, opido Bethlehemita. virtutis & beatitatis exemplo vir spectatus. qui XXX. mareis, totidemque sequiore sexu liberos habuerit; omneisque honestis coniugijs domi forisque nexos, & maximâ inter se caritate concordeis.

Is, licet iam senior iudicandi munus suscepisset; toto septennio, rebusque tranquillis, præfuisse traditur; & à morte in patriâ urbe sepultus esse. Sunt prisci auctores qui hunc Abesanum eumdem fuisse dicant cum Boözo, illo Ruthæ marito, & Davidis regis progenitore. qui ex historiæ observatione Principem aliquem locum in Israelitis tenuisse meritò censetur.

Sub hoc Iudice, Lydi, Maris imperium Mediterranei obtinuérunt. quod, Minoe regnante, Cretes tenuerant. Tyrrheni interim Piraticam exercebát. Inter-myoparones, celebris erat Scylla, cuius insidias fugerit Vlysses. hinc fabula. Ita in Aeolia tū regnabat ÆOLVS Hippotę F. Herculis abnepos, Lipari gener. Qui quidem LIPARVS, AVSONIS (à quo Ausonia) F. à fratribus vexatus, in Insulâ secessit, quàm Liparen de se dixit. ÆOLVS, ex Cyanâ eius filiâ VI. filios habuit: ASTYOCHVM, XVTHVM, ANDROCLEM, PHERÆMONEM, IOCASTAM, ET AGATHYRNVM. qui partim in Italiâ, partim in Siciliâ, sedes habuerút.

Tunc & Teutæus XXIIX. Assyrior. rex, annis XL. Hic alijs Tautanes dicitur.

AHIALON, IVDEX.

2790. | Abesanum excepit AHIALON (70 Int. Allon, sive Ælon) Zabulonites. qui annos X. summâ in quiete ius dixit; & à morte, in Zabulone sepultus est. | 1160.

ABDON IVDEX.

2800. | | 1150.

ABDONEM etiā (al. Labdonem) ILLELIS F. Pharathoniten, è Tribu Ephraitide, à spectatâ virtute, & insigni rerum copiâ, ac numerosâ subole, dignum iudicârunt, qui Israeliticæ Reip. præficeretur. Cui XL. essent filij, & XXX. ex ijs Nepotes, omnes equitandi peritiâ exercitati: Qui Patrem, Avumque, loca regionis opportuna, ex officio, obeuntem, egregio & admirabili comitatu, mulis regijs vehentes, stipárint.

Quo in munere & splendore, quùm iam senex admodū, tot etiā Nepotibus, in viros provectis, beatus, IIX. annis clavum Reip. tenuisset; amplissimo cum honore extremū diem clauserit. Et uti Dei ac patriæ laudatus, fidusque minister, (quod viri, & patris, nomina arguunt) in monte Amaleco, haud procul ab urbe natali, tumulatus, honestum & familiæ nomen, & Reip. monimentum reliquerit.

Miror Genebr. adfirmare, quosdam itā prodidisse; Ab hoc Abdone, antè, quàm moreretur, XL. filios, & XXX. Nepotes, sepultos esse. quos eumdem omneis superstites pòst se reliquisse, tradat Iosep.

Ad huius Iudicis Ætatem refert B. Aug. lib. 18. c. 19. & Troiæ excidium, & Ænéę in Italiam adventum. regnante apud Athenienses Mnestheo: apud Sicyonios Polyphide; apud Assyrios Tautane. Vid. sup.

SAMSON IVDEX ISRAELITARVM.

2808. Israelitæ rursum ad vomitum, hoc est, vanos finitimarum gentium Deorumque ritus conversi, atque ideò divino destituti præsidio, subiecti fuere Allophylis, sive Philisthæis: & per XL. duræ sub ijsdem exactoribus servitutis annos, ceu debitas perfidiæ & violatæ religionis pœnas pependérunt. 1142.

Eâ tempestate SAMSON, Patre Mannë Saraïtâ, è Daniâ Tribu; sed matre sterili, piâ tamen & sobriâ, natus:

(Angelus quippe de-subito apparens, & insperati partûs nuntius, eam priùs vino & sicera, atque immundis, abstinere iusserat. quas virtutes puer, vel in ipso matris utero, imbiberet; & toto vitæ curriculo, intonsus & abstemius, & Nazaræus, hoc est, peculiari excellentis suprà vulgus sanctitatis voto obligatus, exprimeret.)

Publicæ libertatis signum sustulit; & hostium ultor evasit. tàm mirificâ virtute præstans, ut eius facinora maiora, magisque admirabilia commemorentur, quàm quæ profani de HERCVLE, HECTORE, MILONE, alijsque heroibus, fabulantur. Qui, inter cætera, sævientem leonis catulum, sibi obvium, manu frustratim discerpserit.

Hic dolore ereptæ sibi coniugis, (*quàm Thamnatæ, ex Allophylis; parentibus, ob caussas, & legum metum, non itâ lubentibus; sed Numine instigante aut permittente; & de-industriâ; duxerat. (cap. 14. Nesciebant, quod res à Domino fieret.) Et socer, quod iratus ille ab eâ, uti futiliore, & iam suspectiore, discedere visus esset; repudium ratus, alteri, è pronubis uni, nuptum elocárat.*

Toti genti, quæ acerbâ servitute Hebræos tùm premebat, perniciem animo moliri cœpit.

Et primùm quidem XXX. apud Ascalonem, viros, solus cecidit. ut totidem sodalibus, qui problema quoddam (de Examine apum, & Favo mellis, in ore leonis, quem dilacerárat, postridie repertis: Sive, de cibo, è voraci; & de suavitate, ex immiti; profectis) sibi in nuptiarum hilaritate propositum; sed extorto per vim è novâ nuptâ indicio, maturè solverant: promissas vesteis, pignusque certaminis repræsentaret.

Trecentas prætereà vulpeis, caudis funi inter se commissis, & titionibus per medium adnexis, diversè raptas, in agros eorum, & maturam segetem inegit. Quo incendio non modò frugum proventus; sed vineæ etiam & olivæ conflagrárunt.

Hâc rerum suarum iacturâ permoti Philisthæi; & de iniuriâ Samsoni factâ non incerti; mulierem, eius anteà coniugem, ceu adulteram, & ta[illegible] mali caussam, cum Patre, paribus flammis exu[illegible]mi.

Ille nihilo minus, cui tàm importunum iudicium & supplicium non placeret; gentem invisam, quibus poterat incommodis, exagitare non desinebat. Atque adeò immani in totam illam tàm Iudicum, quàm satellitum manum, qui ad illud incendiarium, uxoris & soceri, supplicium confluxerant, cæde grassatus; pedites iuxtà ac equites, suras femoraque feriendo, (al. calcibus suis ac tibijs in eorum femora impactis) prostravit, & in fugam vertit.

Quo facinore quùm intelligeret Philisthæos deinceps sibi fore infensissimos: ne quid Patria detrimenti acciperet; in rupem Etham, locum in Iudæâ, naturâ munitum & inaccessum, se recepit.

At postquam ijdem Palæstini, vindicationis cupiditate cæci, totam Tribum, castris in loco, cui posteà è re nata, LECHI, sive MAXILLÆ, nomen fuit; positis, bello appeterent. Et Iudæi, qui nec Samsonis culpæ adfines esse; neque de solemni tributo diminuere quidquam velle, profiterentur; bellum iniquum essent deprecati. Et nihilo secius; si salvi esse vellent, vincti per se Samsonis deditionem postularentur; ter mille, è suis, ad Rupis, quam dixi, latebras amandárunt, qui necessitatem, & feroceis dominorum suorum minas Samsoni exponerent: Et vitæ incolumitatem à se pacti, eum funibus compeditum in manus dumtaxat hostium traderent.

Ille verò ad locum constitutum adductus; & hostili Allophylorum vociferatione ac lætitiâ exceptus; ruptis de-repente vinculis, & arreptâ asini maxillâ; mille ex ijsdem prostravit. Et post pæana ac preces, fluentibus ex molari eiusdem ossis dente aquis, sitim sedavit, & vireis simul recepit.

Atque tunc demum, hostibus suâ unius virtute utcumque compressis, suæ genti præesse & ius dicere cœpit.

Hostes autem iterùm, dum positis ad urbis Gazæ, quò ad meretricem quamdam ipse diverterat, portam, custodijs, vitæ eius insidiarentur; nocte concubiâ exsurgens, ambas portæ fores, cum serâ & postibus, humeris suis impositas, in propinqui, & Hebroni adversi, montis verticem transportavit. & tropæi instar collocavit.

Tandem quùm palàm nihil in eum tentare ampliùs auderent; amicam eius, Dalilam, quæ in Valle Sorecanâ habitabat; magnis pollicitationibus inducunt, & pecuniâ corrumpunt; ut invicti viri virtutem, roborisque caussam explorando proderet.

Cuius quùm ille blanditias sæpiùs elusisset;

& moue

& modò nervis, modò funibus, modò licio clavóve capillis implexo, se superari & vinciri posse diceret. totiesque hostem, domi insidiantem, & iam-tum apprendere gestientem, voto suo esset frustratus: Tandem muliebri multorum dierum importunitate, & longioris in-somniæ impatientiâ evictus; in suis, hominis intonsi & Deo devoti capillis, omnem roboris vim sitam esse indicavit.

Quorum septem cincinnis, cultro tonsorio, dum caput in perfidæ mulieris sinu reclinásset, præsectis; uti imbecillus, ab eâ, domo pulsus, & in Allophylorum manus traditus est.

Tum illi, effossis oculis, vinctum compedibus, in carcerem, Gazæ, coniecérunt, & pistrino addixérunt.

Sed crescente paullo-post cæsarie; & virtute, unà cum capillis, redivivâ; SAMSON, roboris recepti conscius, turpis servitutis honestum quærebat exitum; & iustæ modò ultiónis tempus oppenebatur.

Allophylis itaque dies festos de more agentibus; & magnificis hostijs, epuloque publico, Deûm suum, Dagonem, (cuius scilicet, uti tutelaris, numini, Samsonis deditionem & captivitatem, ferebant acceptam) concelebrantibus. quùm Samson quoque è carcere ad ludibrium ebrijs exhibitus, & in pompam publicam productus, in mediâ areâ saltare, risumque movere iuberetur: ipse geminas columnas, quibus tota illius Ædis, sive Basilicæ, moles nitebatur, utrâque manu amplexus, Dei ope priùs imploratâ, impulit & disiecit.

Quâ ruinâ, quum totum Palæstinæ gentis Principum, Nobiliumque cœtum; tum tria è vulgo hominum, desuper è tecti contignationibus, promiscuè spectantium, Millia, secum oppressit. atque ità neque inultus, neque inglorius, occubuit. Postquam xx. annos Hebræis, ex parte, præfuisset: & solus hostium vim ac furorem, à tribulium suorum cervicibus, in se convertisset: & subinde admirabili virtute, & Dei præsidio, compressisset.

Fratres autem eius & propinqui, corpus (quod ab hostibus, in stuporem pavoremque datis, uti postulárant, ità facilè impetrárant) honestissimo funere asportatum, in maiorum suorum sepulcro, Saraam inter & Esthaolam, condidérunt.

2828. | Lxx. Interpp. Samsoni, uti Iudici, tribnunt xx, ann. & totidem Heli. | 1122.

Sic tamen, ut totis illis xL. annis, Helis, sacerdotis munere functus sit; Samsoue etiam, ad certum, sive dimidiatum tempus, Iudice. & Hebræi tot etiam annos, Philisthæis, ceu Dominus, paruisse dicantur. Qui anni xL. utrique coniunctè ab alijs attribui haud malè videntur.

(1. Reg. cap. 4.) Septuagint. Intt. dant Heli tantùm xx. annos: Hebræa editio, xL. Vndè colligere possimus, Helim, qui prioribus xx. ann. Samsoni collega fuerat, solum posteà alteris xx. præfuisse.

Alij dubitant; An xL. illi anni Palæsthinæ servitutis universè sint accipiendi: An ad tempus usque nativitatis, Samsonis, præsignificatæ: An verò ad tempus, quo Samson Heroem se præbuit.

Si alterum membrum admittatur; servitus durâsse videbitur Lxxx. minimùm annos. xL. nempe antè Ortum Samsonis; & xx. ad iuvenilem eius ætatem, cum cœpit versari in castris Danitarum. & iterum xx. quibus Israelitis dixit.

Sever. Sulpit. Samsoni Simmichsrem quemdam successisse tradit, de quo scriptura nihil ampliùs prodiderit. A plærisque tamen, qui de Temporibus scripsérunt, annum unum eius imperio adnotari. Ab alijs ità prætertiri, ut Samsoni Helim sacerdotem statim subiungant. Atque ità ipse rem, uti parùm compertam, in medio relinquit.

Vide sup. ad ann. Orb. C. 2631. de Samgaro, quem Semigatem ille appellat; & Adoni sive Aodo successorem dat. quemque Ioseph. anno primo Principatûs obijsse tradidit: & Euseb. planè prætcrijt.

Hic autem idem Sulpit. A die mortis IESV, sive Iosuæ, usque in id tempus, quo Samson defunctus est, numerat ann. CDXIX. Sed ex ipsius supputatione omnium annor. tantùm deprehenduntur (inquit Sigon. Notis) an. CCCXXXIX.

Vt Othonieli, dentur L. Adoni, LXXX. Simgari, I. Deboræ, XL. Gedeoni, XL Abimelecho, III. Tholæ, XXII. Iairo, XXII. Iephthæ, VI. Esboni, VII. Ahialoni, X. Abdoni, IIX. Samsoni, XX.

Verùm hæc supputandi ratio sibi non constat: quùm ab Othoniele, ad Samsonis mortem, tantùm hinc colligi possint ann. CCCIX. (nisi Sigon. hic omiserit xx. ann. Interregni, sub Iabino Chananæo, antè Deboram) (Cui quidem Deboræ etiam iusti xL. anni.) Et VII. annos, sub Madianitis, antè Gedeonem; (cui totidem, cum Deborâ, attribuantur.) Et xx. annos Interregni, sub Ammonitis, antè Iephthen (cui Iudici scriptura VI. al. VIII. annos adsignant.) Vndè longè etiam maior annor. (CCCLXIII. scilicet) summa existat.

Idem Sever. à mundi exordio, ad idem tempus, constituit annos, MMMMCDIII.

Hic Sigon. legédû & corrigendû censet, ex suprà-positis, ab eodem auctore, calculis, MMMMCCXXIII.

Sed neque hoc constat, quócumque calculum verteris.

Suprà namq; Sever. ipse, nec dissentiente Sigonio, ab eodem mundi exordio, ad excessum Iosuæ, collegerat, MMMDCCCXCIII. annos. Quibus si adijcias, CDXIX. ann. à morte dicti Iosuæ, usque ad mortem Samsonis, ut vult Severus; existent anni, MMMMCCCXII. vel demto centenario, CCXII.

Sin verò adieceris, CCCXXXIX. an. ut corrigit & colligit Sigon. evadent, MMMMCCXXXII.

Denique

Denique si adijcias, c. . x. ann. qui colliguntur à morte Iosuæ, sive ab Othoniele ad Samsonem; ex singulorum Iudicum annis, quos ponit Sigonius, uti ex Sulpitio excerptos, existent tantùm MMMM. C. I. anni.

Hæc alij, quibus plus est aut otij, aut ingenij, curiosiùs expendant. Putem laxum esse utrimque, in numeris, vel numerorum notis, tam Sulpitianis, quam Sigonianis, errorem.

SILVIUS POSTUMUS, LATINORUM, SIVE ALBANOR. REX.

2816. | | 1134.

Ascanio, anno regni, XXXIIX. (vel, ut placet, Dionys. XXIIX.) defuncto, SILVIUS, frater consanguineus; post mortem Æneæ, communis Patris, ex Laviniâ, Latini Filiâ genitus, (undè Postumus, dictus) circiter annum Samsonis Dictatoris, sive Iudicis IIX. Imperium Latinorum, sive Albanorum, capessivit.

Is casu quodam in silvis natus, cognomen agnatis omnibus, qui Albæ posteà regnàrunt, reliquit.

Lavinia namque, privigno iam regni compote, gravida; & præ novercali metu fugiens, subulci regij Tyrrhei, fidei se commiserat. Et ab eo in desertá silvarum abducta, & procul arbitris, in agresti tugurio liberaliter habita, infantem ibi natum clàm educarat. - Virgil. l. 6.

—— *Primus ad auras*
Ætherias, Italo permistus sanguine, surget
SILVIUS, *Albanum nomen, tua postuma proles,*
Quem tibi longævo serum Lavinia Coniux
Educet silvis regem, regumq́, Parentem.

Quùm autem post-paullò Latini de puellâ regiâ sedulò inquirerent; deque eius nece suspectus esset Ascanius: matrem subulcus ille, unà cum puero, è nemore produxit. Qui à fratris morte regnum, sed non sine controversiâ, adeptus est: dum Iulus, maior Ascanij Fil. successionis paternæ ius prætenderet.

Sed eam litem populus iustis suffragijs diremit: & Silvio quidem, qui matre, regni herede, progenitus esset, regnum adscripsit; Iülo verò, honorem Sacerdotij, sive Ius sacrorum, detulit. Vnde illustrissima Iuliorum gens, paris plerumque, & deinceps, dignitatis, etiam apud Romanos, heres, aut particeps. -

HELIS sacerdos & Iudex in Israële.

HVc usque Historia Libri Iudicum. — Quæ namque in eodem, post Samsonem, consequuntur, suo quidque loco & tempore suprà sunt digesta.

Nunc LIBRI REGUM, sive Regnorum, succedunt, quorum tamen initio, duorum adhuc Iudicum, Helis & Samuelis, res gestæ explicantur.

2828. Helis itaque sacerdos, atque immò Princeps sacerdotum, sive Pontifex, è Tribu Leviâ, & genere Ithamari: (Is frater Eleazari, qui Patri Aaroni successerat, minor fuit) quùm sub Samsone Pontificatum administrâsset: & pòst illius excessum, sine Iudice aut duce ullo, Hebræos, proprio quemque arbitrio, agi conspiceret: populo etiam & Reip. negotijs præesse, iusque dicere, contendit, ab Othoniele Iudex XIV. 1122.

Hunc Genebr. vult sacerdotium in domum suam, ex familiâ Eleazari, transtulisse, publicâ Iudicis, forte-an, potestate fretum. Eidem, Principatus annos damus XX. qui cum totidem Samsonis, efficiant XL. uti sup. diximus.

Eumdem, Ioseph. septimum ab Aarone Pontificem facit, hoc ordine.

1. Aaron. 2. Eleazarus. 3. Phinees.
4. Abisua, (al. Abiezer.) 5. Bocchis, (al. Boceias.)
6. Ozis. 7. Helis. - (Ita ut filius Patrem usq́; exceperit.)

Nescio, quem Zaraiam, sub Abialone, Abdone. & Samsone, ponat Genebr. cum hac notâ; aliàs, Heli.

Fuit quidem Zaraias filius Ozis, Pater Meraioth, avus Amariæ, abavus Sadoci. Verum, an ille Ozi P. in successerit antè Helim; non liquet.

Et quidem ut dixi, Ioseph. Scriptura verò, Phineæ, tertij, ætatem, ad Helis usque tempora, producere videtur, alijs prætermissis. Quâ de re aliàs. Vid. sub finem Herodis, Seriem Pontificum.

In huius Helis, Ithamaritæ, genere, sacerdotium ad Salomonis usque regnum permansit. sub quo rursus ad Eleazari stirpem redijt. Et Abiathare relegato, Sadocus tum primùm, in novo eius templo, sacerdotium obire cœpit.

Paralip. 1. c. 6. tamen, Azarias Iohannæ F. Azariæ Nep. sacerdotio ibidem defunctus traditur.

ORTUS

ORTUS SAMUELIS.

PÆNE sub Helis, iam Iudicis, initia, aut paucis pòst annis, SAMUEL, Levita & Vates, atque ultimus Hebræorum Iudex futurus, ità natus est:

Helcana, vir Ephratæus,(quasi ex Ephratâ, quę & Beth-lehemum, oriundus) in Ramathâ, ad Sophim, Ephrataeorum montem, domicilium locârat. Et genus à Core, usque, Caathi nepote, è Tribu Leviticâ, trahebat. hâc, ni fallor, serie. (1. Paralip. 6.)

Israël, Levi, Caath, Isaar, Core.
Abiasaph, Asir, Thaath, Sophonias, Azarias.
Iohel, Elcana, Amasai, Maath, Elcana.
Suph, Thohu, Eliel, (al. Eliu) Ieroham, Elcana, Samuel.
- Unde Iohel - & Heman cantor, &c.

Is quùm uxores duas accepisset, Annam & Phênnam; & hæc, liberis aucta, alteri sterilitatem, uti probrum, objiceret: Tum illa, semper quidem; sed maximè stato quot-annis tempore, quo vir Elcana domo suâ, sive ex monte Ephraimo, in Siloam, (*Ubi Dei Area tùm, filijs Helis, Ophni & Phinee, Tabernaculi custodibus, locata erat*) cum liberis & uxoribus, solenne iter, venerationis sacrificijque causâ, faciebat.

Illa, inquam, divini adhuc ignara consilij, & æmulæ convicijs permota, in lacrymas erumpebat; nec cibum præ mærore capiebat.

Et quantumuis eam maritus, *cui vel decem liberi contrà non essent æquè cari*, consolaretur; & ad solennem ex cibo potuque hilaritatem invitaret: ipsa in Tabernaculum clàm ingressa, Heli antè postes Ædis in sellâ considente, Deum cum lacrymis, & voto nuncupato, precata est; *Si se respiceret, & marem daret; ipsi, ceu auctori, eumdem, per omne vitæ tempus, ritè consecraturam.*

Sacerdos autem Helis, qui, quòd labra moventem videbat, nec ullam eius vocem exaudiebat; temulentam existimaret: non sine iurgio, ut vinum, quo madebat, edormitum iret, monere cœperat. Quùm illa modestè negans se vino, ad illud diei tempus, usam; aut ex earum esse grege, quæ proiecto pudore flagitijs se contaminent. sed orbitate, & inveterati iustique doloris acerbitate, coactam, novo-forte-an gestu, anxias ad Deum preces effudisse, confirmavit.

Tum Pontifex æquior ei factus; & benè precatus, *ut Deus ei, quod optaverat, concederet*; pacatè dimisit.

Illa itaque cum viro domum reversa, paullulopost, Dei munere, concepit, & peperit puerum; cui nomen SAMUELI, (quòd eum precibus à Deo abstulisset) imposuit.

Triennio exacto, (tamdiu namque à statâ illâ, cum viro & domesticis, in Siloam peregrinatione supersederat) quum lacte subductus puer esset; ipsi, & voti, quo se obstrinxerat; & beneficij, quod à Deo acceperat, memor; eòdem profecta, illum, cum hostijs solennibus, Deo obtulit: & Heli, non sine rei pridem gestæ; & precationis, votique tùm suscepti, recordatione; in manus, fidemque tradidit.

Neque solùm Deo lubens puerum consecravit; sed læto etiam carmine, maximisque cum laudibus, gratias egit. intimum animi sui, tum ex hocce Dei in se beneficio; tum ex suo adversùs eum obsequio, gaudium testata.

His ità gestis, puero, quem perpetuo Dei ministerio addixerat, apud Helim relicto; læta cum viro domum redijt: & sedulò tunicam (Ephod lineū) subinde contexuit, quam quotannis in Siloam adferret, quùm solennis hostiæ causâ, eò statis diebus, cum domestico cœtu, proficiscebatur.

Helis autem vicissim eis fausta quæque precatus, optabat; *Ut pro Samuele, quem Deo devovissent, liberi ipsis alij procrearentur.*

Undè factum, ut posteà, Dei benignitate, tribus filijs, duabusque filiabus augerentur.

Tam gratum certè Deo Samuelis in Tabernaculo ministerium fuit, ut eum, vixdum adultum, ad divinæ vaticinationis, sive rerum futurarum prædictionis munus, quam προφητείαν vocamus, à primâ ætate, hoc modo vocaverit.

HELIS sacerdos, Liberos duos, Ophnim & Phineem, quoniam admodum senex erat, sacerdotio, sanctissimo, & summæ apud Hebræos auctoritatis muneri, ceu vicarios, præfecerat. Quos licet Pater, summâ cum improbitate & libidine, (puerperis ad stuprum inductis) eo in munere versari: sacra omnia in quæstum vertere: & extraordinaria à sacrificantibus munera exigere, suprà cætera flagitia, rescivisset: leviore tantum obiurgatione, quæ disciplinæ non satis-faceret, eos increpabat.

Eâ Patris in tàm sceleestos filios indulgentiâ offensus Deus, per Vatem quemdam multo-antè ei significaverat; fore. Primùm; *ut duo isti eius liberi uno die malè perirent. quod eis plus ipse, quàm sibi, honoris tribuisset: neque veteris in domo patriâ prærogativæ meminisset. Deinde, fidelem sibi sacerdotem excitaret, qui in omnibus, quæ inberentur, re & verbo sibi morem gereret.* Hanc autem Vatis prædictionem secuta est paulo-post Samuelis creatio, sive adoptio.

Quùm namque puer pané, (Ioseph. duodecennis) in Templo, sive in Atrio Levitarum, haud procul à latere Helis sacerdotis, (sub cuius imperio & disciplinâ

& disciplinâ erat constitutus) dormiret : ter à Deo, nomine compellatus est. Atque expergefactus, quùm ab Heli arcessitum se putaret, toties se præstò esse responderat: Atque ille vicissim, qui rem ignoraret, toties eum dormitum remiserat.

Aт ubi tertiò à Deo vocatum cognovit, iussus est ab eo palàm Deo, iterum compellanti, ita respondere *Se ad audiendum paratum esse; quod ipse tamque velit, eloqueretur.*

Deus verò occurrenti eum in modum Samuëli ea omnia commemoravit, quæ Heli ipsi, per Vatem, de quo dixi, eventura præsignificata fuerant.

Et licet illi Deus minimè imperâsset, ut eadem Heli omnia exponeret; ab hoc tamen verbis, cum iurisiurandi religione coniunctis, adactus, nihil eorum, quæ audierat, celavit. Quæ ille vicissim patienti animo excepit; & *in Dei voluntate acquievit.*

Hinc fama longè lateque per Israëlitas pervagata est; tandem, post longinquam Divinæ visionis, sive vaticiniorum, desuetudinem; *fidelem Dei prophetam exsistere Samuëlem : & indubia, in Sileâ, à Deo, sese ultrò patefaciente, per eum edi oracula.*

PHILISTHÆORVM EXPEDITIO.

Philisthæis autem, per idem tempus, in expeditionem, adversus Hebræos, egressis, & ad Aphecam castra-metatis; Israëlitæ, ad Lapidem Adiutorij (LXX. Interp. Abennezer) obviàm prœlio congressi; & mox in fugam versi; ad quater mille per agros passim cæsis, trepidè in castra se recepérunt.

Victi nihilo minus dum aciem restituere parant; ex maiorum-natu consilio; ARCAM DOMINI (cuius scilicet præsentiâ hostem profligatum; aut in fugam actum iri, præsiderent.) è Silóâ ad se in castra adportandam curárunt. comitantibus Helis sacerdotis, quos dixi, filijs. quòd ipse, annis gravior, oculis caligine obductis, eiusmodi muneri obeundo non esset.

Vt verò Arca, magno apud suos adplausu accepta, & in conspectum hostium deducta est, ij partim, ex quâdam præsentis, & apud Ægyptios olim pectati, Numinis maiestate exterriti, fugam parabant. partim, adsumtâ rursum constantiâ, totis viribus in semel victos ferebantur.

Atque ita Israëlitis magnâ iterum strage, ad xxx. peditum Mill. cæsis, Arca in hostium potestatem venit : & Helis, quos dixi, filij, unà ceciderunt.

Atque adeò ipse pater, delato ad se tantæ cladis & ignominiæ nuntio, consternatus, & retrorsum è sellâ collapsus, fractis cervicibus, senilem animam exhalavit.

Nurus præterea eius, Phineæ coniux, partui iam propinqua, repentinis doloribus, ex triplici illâ, & quidem domesticâ calamitate, obruta; pariter, & puerum, Ichabodum, (è re natâ; sive, à Translatâ Gloriâ, dictum) & vitam effudit.

(Is frater est Achitobi, qui Avo in Pontificatum successit, & filium Achiam reliquit. 1. Regum 14.)

Hic exitus HELIS, qui post Samsonem solus xx. annos populo ius dixit: & annos illos Iurisdictionis xl. (de quibus 1. Reg. 4.) unà cum Samsone explevit. Licet sacerdotium, ut multi opinantur, pluribus anteà, & sub eodem Samsone, annis administrârit: & xcix. vitæ annum exegerit.

2848. Bellar. 2878. | Eiusdem anno XVII. SILVIO POSTVMO, qui XXIX. ann. regnum apud Latinos tenuerat, ÆNEAS SILVIVS F. & heres succedit, regnatque XXXI. ann. | 1102.

Et paullo-post TYNÆVS XXIX. Assyriorum rex, ann. XXX.

Anno, ab excidio Troiæ, LX. Boeotij ex Arne, urbe Thessaliæ pulsi, Boeotiam occupárunt. (Thuc. lib 1.)

Et certè Tempora, quæ veteres HEROICA dixére, magnorumque regnorum inclinationes, incurrisse ferè in hoc sæculum, quo SAMSON, HELIS, & SAMVEL, principatum in Israëlitis tenuérunt, censeantur. Antè namque nihil penè certi apud Græcos constat; quùm hæc in Hebræâ historiâ sint admodum recentia.

SAMVEL IVDEX in Israële.

Post Helim, SAMVEL, iam celebri famâ notus, Hebræis præfuit, & iura dedit. Levita quidem; sed non ex posteris Aaronis, sive Eleazari, cuius genus & patriam suprà descripsimus. Quem sanctæ litteræ non appellant sacerdotem (nisi fortè, his verbis: *suscitabo mihi sacerdotem fidelem.* quæ alij aliter interpretantur) neque pontificatum gessit : in quem, Heli avo, Achitobus, ex Phinee F. Nepos, è-vestigio successisse videatur.

SICYONIORVM REGNVM.

2851. Circa hæc tempora, SICYONIORVM regnum (quod cœpisse volunt an. ab O.C. MDCCCCX. Etante nat. CHRISTI an. MMXL. & Nachoris Patriarchæ XI. Et sub XXVI. Regibus durâsse annis DCCCCLXII. (B. Aug. lib. 18. c. 19. per annos 959. traditur fuisse porrectum) defecit, à Lacedæmonijs occupatum. 1098.

Ab his regibus, (teste eodem August.) licet regnum admodum parvum esset, eo tempore, quo Ninus iam alter erat Assyriot. rex, M. Varro, velut antiquissimo tempore, rerum memoriam exorsus est. Et ab ijs ad Athenienses: à quibus ad Latinos, & inde ad Romanos, pervenit.

SICYONIA quidem, exigua est in Achaiâ regio; sed Sicyonij reges latiùs per totam Achaiam imperâsse videntur, Sicyone regiâ. Et Achaia, Ægialéa, de I. Aegialei, regis Sicyoniorum, nomine nuncupata est. (teste Plin.) Atque adeò totam Peloponnesum ita dictam scribit Euseb. quæ posteà Apia, ab API rege IV. & deinde Peloponnesus, à PELOPE. est enim pæninsula.

Alij tamen maritimam tantùm Peloponnesi partem, Aegialen, quasi littoralem; sive Aegialéam, ab illo rege dictam volunt. quæ à Corintho, ad Tænarum; sive à Sicyone, ad Elidem, porrigebatur. quæque posteà Sicyonia, à rege Sicyone.

Hi autem reges, & hâc annorum, inter regnandum, serie, commemorantur.

1. ÆGIALEVS, Inachi F. Phoronei frater, pro indigenâ habitus. an. 52.

2. EVROPS, F. 45. an. Hic Nino, Beli F. æqualis, sub quo natus ABRAHAMVS.

(At Apollodor. tradit, nullâ ex se prole relictâ exstinctum esse Aegialéum. Pausan. qui priùs, Corinthiacis, Europem, Ægialéo natum dixerat: mox ex alijs, eumdem Phoronéi Nothum fuisse adserit.)

3. TELCHIN, F. 20. ann. APIS, F. 25. an.

(Atqui idem Apollodor. prodit, PHORONEVM, terræ totius, quæ posteà Peloponnesus, potitum, ex Laodice Nymphâ, APIN & NIOBEN procreâsse.)

5. THELXION, al. Telexion, F. 52. an.

At quùm idem Apollodor. tradat, APIN, (qui commutato in dominandi libidinem principatu, vi cuncta gereret; & Peloponnesum de suo nomine Apiam vocari iussisset) TELCHINIS & THELXIONIS insidijs proditum, sine liberis, è vitâ excessisse; qui sibi constare hæc genealogia possit? Quem, ut suprà dictum, B. Aug. uti regem Argivorum, navibus in Ægyptum transvectum, ibique mortuum fuisse; & pro maximo Deo cultum, & Serapim dictum tradiderit! & quomodo ei pater & filius insidiati!

Hoc tamen regnante, ait B. Aug. usque adeò mitia & læta fuisse tempora, ut defunctum, ceu Deum, colerent, & sacrificijs ludisque concelebrarent.

6. ÆGYRVS, F. ann. 34.

7. THVRIMACHVS, F. (qui al. Thuriachus) 45. an. Ad cuius sepulcrum solitos sacrificare Sicyonios, Varro tradidit. Huius an. 7. nati sunt gemini, Isaaco, Iacobus & Esavus.

8. LEVCIPPVS, F. 53. ann.

9. MESAPPVS, F. ann. 47. Hunc præterit Pausan. & negat LEVCIPPO filios mares fuisse. Sed cum eius filiâ Chalciniâ Neptunum concubuisse: & inde natum puerum, cui nomen PERATVS; ab avo educatum, & regni successorem institutum. Verùs is ipse MESAPPVS Chalciniam duxisse censeatur: qui alijs (teste Aug.) Cephisus vel Cephisius, dictus est: à patrio fortè flumine, quod ex Parnasso delabens, Boeotiam, Atticamque interluit.

10. PERATVS, an. 46. Aug. & Euseb. Eratus.

11. PLEMNÆVS F. 48. an.

12. ORTHOPOLIS, F. à Cerere enutritus. 63. ann. Sub eo natus in Ægypto Moyses.

13. MARATHON, 30. ann.

14. MARATHVS, 20. an. Sub hoc Exitus Israëlitarum.

15. ECHIREVS, 25. an.

16. CORAX, 30. an. Sub eo defunctus vitâ MOYSES.

Pausan. tradit ORTHOPOLIDI regi filiam fuisse Chrysorten, quam Apollo compresserit; unde natus sit CORONVS, Coracis huius pater, & Lamedontis frater.

17. EPOPEVS, 35. ann. Mortuo, inquit Pausan. sine liberis Corace, venit sub idem tempus ex Thessaliâ EPOPEVS, & imperium Sicyone obtinuit.

Hic Aloéi F. Solis Nep. fuit. Sol Aloéo Asopiam regionem; & eius fratri Æëtæ, Ephyræam adsignârat.

Æëtâ in Colchos profecto; & mortuo Buno, cui tanquam depositum terræ suæ imperium reliquerat, EPOPEVS regnum quoque Ephyræorum est adeptus.

MARATHON, qui patris improbitatem & contumeliam fugiens, (quâ de re suprà in regum Thebanorum historiâ) in maritima Atticæ loca transmigrârat; mortuo eodem, in Peloponnesum reversus, distributo ibi, filijs suis, Sicyoni & Corintho, imperio, rursus in Atticam secessit.

Atque ita, à Sicyone, Asopia; & à Corintho, Ephyrea, nomina priora commutârunt.

18. LAMEDON, Coroni F, Coracis frat. ann. 40.

Hic avitum regnum adeptus, Antiopam, Nyctei filiam, quam EPOPEVS rapuerat, Thebanis reddidit; bellumque à se avertit.

Sed orto, inter ipsum, & Archandrū Architelemque Achæos, bello; Sicyonem (quem non ex Marathone, Epopéi; sed ex Metione Erechthei filio, prognatum fuisse perhibent) ex Atticâ, ad belli societatem, advocavit; Zeuxippâ filiâ in matrimonium ei traditâ.

19. SICYON

19. SICYON 45. an. Ab eo, urbs, quæ prius Ægiale, Sicyon dicta est.
20. POLYBVS, ex Chthonophylâ (al. Ecthonophyle) Sicyonis filiâ, & Neptuno, genitus, an. 40.

Hic TALAO, Biantis F. & Crethei ex Amythaone pronepoti, Argivorum regi, Lysianassam, filiam coniunxit.

Quare ADRASTVS, Talai F. quùm Argis exsularet, Sicyonem ad Polybum venit: eoque defuncto, Sicyonis imperium occupavit.

(Herod. l. 5. Polybum ait, quùm sine liberis decessurus esset, imperium Adrasto legâsse, suo ex filiâ nepoti) Verùm Adrasto Argos reverso;

21. IANISCVS, unus ex Clytiæ, (cuius filiam, Phoenôn nomine, Lamedon, Coroni F. olim duxerat) posteris, ex Atticâ adventans, imperavit ann. XLII.
22. PHÆSTVS, qui de filiis Herculis fuisse dicitur, mortuo Ianisco, imperavit, ann. 8.
23. Post hunc ADRASTVM regnâsse iterum volunt, ann. 4.
24. POLYPHIDEM, ann. 31.
25. PELASGVM, an. 20.

(At Pausan. postquam Phæstus, oraculo admonitus, in Cretam migrâsset; vult regnâsse ZEVXIPPVM, Apolline & Nymphâ Syllide generatum. annis 22.)

Ab huius obitu, AGAMEMNON exercitum, Sicyonem, adversus Hippolytum regem, Ropali F. Phæsti Nep. eduxit.

Ille verò, adventantis exercitûs metu, Agamemnonis se & Mycenæorum potestati submisit.

PAMPHALCES verò, Temeni F. quùm ope Doriensium, Sicyonem noctu occupâsset; in LACESTADEM, sive PHALCEN, Hippolyti filium, uti qui & ipse Heraclida esset, nihil gravius consuluit; sed imperii consortem habuit.

Ex eo itaque tempore, Sicyonii, in Doriensium ius concessére, Argivæ terræ portio.

His tamen, quos recensui regibus, alii, inter quos Scalig. VII. καρνείου Ἀπόλλωνος sacerdotes subiungunt. qui annis XXXII, alteri post alteros, regiam veluti ibidem potestatem exercuerint. ad annum usque O.C. 2884.

HERACLIDARVM DESCENSVS.

2851. | Circiter III. Samuelis ann. | 1099.

HERACLIDÆ, quùm primùm ab Eurystheo, Stheneli F. Persei Nep. ac deinde ab Atridis, Pelopis Nepotibus, ex avito Argivorum regno expulsi fuissent, sub hoc ferè tempus in Peloponnesum descenderunt.

Et TISAMENO, Orestis F. Spartæ ac Mycænarum reges & Nelidis, Pyli ac Messeniæ dominis: & Nepp. Æsculapii, ex Epidauro, pulsis; Spartam, Argus, & Messenen, aliaque occupârunt.

Annis ferè LXXX. post excidium Troiæ.
Et post Herculis ἀποθέωσιν, CXX.
Et ante I. Olympiad. circiter CCCXXIIX.

HÆC ALTIVS REPETENDA: ET quasi ex antiquitatis situ eruenda.

Multo ante exemto iam rebus humanis, sive relato, uti volunt, inter Deos, HERCVLE; filii eius, Eurystheum, paternum hostem, fugientes, ad Ceycem, Trachinium, hospitio paterno & fide spectatum, se receperant.

Quos quùm ab illo reposceret Eurystheus; &, nisi dederentur, bellum ei minaretur; illi factâ per Helladem fugâ Athenas concessérunt; & opem ad Misericordiæ Aram implorârunt.

Athenienses autem, rege tum THESEO, non modò bellum adversus Eurystheum egregiè sustinuérunt; sed quinque eius filiis in acie occisis, ipsum etiam è curru fugientem, & Scironides petras proximè adequitantem, Hyllus, Herculis, ex Deianirâ, (quæ fuit Oenei Calydonii filia. (Al. Iolaus est, Herculis auriga, & laborum socius) obtruncavit. Postquam Macaria, eius soror, pro victoribus seipsa devovisset. Eurysthei caput præsectum Hyllus Alcmenæ aviæ donavit.

Illo autem interfecto, quantumvis Heraclidæ in Peloponnesum reversi, permultas è suis urbeis recepissent; quòd tamen Eurystheus Atreo avunculo, (fratri Astydamię, matris suæ) in expeditionem profecturus, Mycænarum & regni curam delegâsset: Et is, ab ipsius morte, totius ditionis possessionem adiisset; Pelopidæ, non tantùm Persidis valentiores, sed Heraclidis etiam formidabiles evasérunt.

Accessit ad hæc gravis pestilentia, universæ Peloponneso infesta: & oraculo prodita ideò evenisse; *Quod Heraclidæ priùs, quàm Diis lubêret, sedem patriam repetiissent.* Atque hinc, intrà anni spatium, ex quo eodem commearant, in Marathonem è Peloponneso remigrare sunt coacti.

Intereà TLEPOLEMVS, Herculis, ex Astyochê, (quę Phylante, Ephyræorum rege, nata fuerat) F. ob fortuitam Licymnii, Alcmenæ fratris, cædem, cum aliquantâ manu, exsul in Rhodo sedē locavit.

HYLLVS verò, quem dixi, Iöle, Iphiti, Oechaliæ regis, filiâ, uti moriens pater imperârat, in coniugium adscitâ; Delphos ad oraculum, de reditu consulendum, profectus; quòd τρικαρπίαν, hoc est, quasi tertiam messem, sive fructuum perceptionem, triennii curriculum à Deo designari interpretaretur: & tantilli iam temporis moram interposuisset; iterùm cum exercitu Heraclidas in Peloponnesum reducere conatus est. quo tempore TISAMENVS, Orestis F. ibi regnum tenebat.

At pugnâ commissâ, Peloponnesii, sive Pelopidę, interfecto inter cæteros Aristomacho, Herculis pronepote, Temeni patre, iterùm vicérunt.

Apud Herodot. l. 9. Iactant Tegeatæ: Posteaquam cum Achæis & Iönibus, qui tunc Peloponnesum incolebant, ipsi auxiliarii, adversus eos (Heraclidas) qui reditum moliebantur, ad Isthmum processissent. & Hyllus, ut multitudini parceretur, hostibus

ftibus singulare certamen denuntiâsset, eâ conditione; *Vt si ipse adversarium, è Peloponnesijs, ducem vicisset; Heraclidæ in sedes paternas redirent. sin victus esset; ijdem retrò cederent, & copias abducerent: neque de reditu, per annos C. (al. L.) agitarent.* concordi tum omnium sociorum voluntate ducem & regem suum, ECHEMUM, Æropi F. Phegei Nep. delectum esse; qui congressus Hyllum interfecerit.

Hoc itaque loco Arcadum reges ex occasione recensendi, ob rerum in Peloponneso gestarum adfinitatem.

REGES ARCADUM.

1. PELASGUS. qui Iovis, ex Niobe Phoronei, filius putatus est: & regioni, Pelasgiæ nomen dedit.
2. LYCAON, F. impius, & in lupum conversus: æqualis Cecropi, I. Atheniensium regi.
3. NYCTIMUS, F. cuius frater minimus, OENOTRUS. cum comitatu in Italiam traiecit. Vnde Oenotria.
4. ARCAS, Nepos, ex Callistô filiâ, quam Iuppiter compressit. Hic ex Pelasgiâ Arcadiam, & ex Pelasgis Arcadas fecit.
5. AZANES, F. frater Aphidantis & Elati. ex quibus ille Tegeam: hic Cyllenen montem occupavit; sed posteà in Phocidem commigravit.
6. CLITOR, F. regum potentissimus.

Patruorum eius; Aphidantis quidem, ALEUS; Elati verò, ÆPYTUS, PEREUS, CYLLENES, ISCHYS, & STYMPHELUS; Filij fuere.

NEÆRA, Perei filia, Autolyco Mercurij (veriùs Deucalionis) F. qui Herculem luctandi artem docuit; enupsit.

7. ÆPYTUS, Elati F. 8. ALEUS, Aphidantis F. Tertius ab Arcade. ideoque

Agamedi, & Gortyi, Stympheli Filijs, qui quarti genere erant, antelatus.

9. LYCURGUS, F. frater Amphidamantis & Cephei. Horum soror, AUGE, ex Hercule Telephum peperit; & Teuthranti dein, Mysorum in Troade regi, nupsit.
10. ANCÆUS, F. Hic comes Iasonis in Colchidem: & sub Meleagro, ab apro Calydonio percussus.
11. ECHEMUS, F. Æropi, qui fuit Martis, ex Ærope, Cephei filiâ, Alei nepte.

(Sub, & ab hoc, cæsus HYLLUS, de quo suprà.)

12. AGAPENOR Ancæi superioris F. Lycurgi Nep. Is in expeditione Troianâ dux Arcadum. sed in reditu, tempestatibus in Cyprum depulsus, Paphum condidisse traditur.
13. HIPPOTHOUS, Cercyonis F. Agamedis Nep. Stympheli Pron.
14. ÆPYTUS alter, F. 15. CYPSELUS, F.

Sub hoc DORES Heraclidæ, tertio iam conatu, nõ per Isthmum Corinthiacum, uti tribus ante sæculis fecerant; sed navibus, iuxta Rhium, in Peloponnesum descenderunt. Ipse uni ex Aristomachi liberis, CRESPHONTI, Meropen filiam in matrimonium tradidit: & cum Heraclidis amicitiam, regno utilem, contraxit.

16. LÆAS, F. Hic Æpytum, sororis Meropes, ex Cresphonte F. Messenam reduxit. Vid. inf.
17. BUCOLION, F. 18. PHIALUS. F. 19. SIMUS F.
20. POMPUS, F. 21. ÆGINETA. nomen ab Æginetis, in Arcadiâ mercatoribus, nactus.
22. POLYMNESTOR, F. frater Briacæ.
23. ÆCHMIS, Briacæ F. Hoc regnante, Lacedæmonij adversus Messenios bellum suscipiunt: & Arcades, cum Aristodemo, Messeniorum rege adversus illos pugnant. 24. ARISTOCRATES, F. sceleratus, & ob perfidiam lapidibus obrutus. 25. HICETAS F. 26. ARISTOCRATES, alter: Avo cognominis & similis, pari exitu infamis; quòd à Lacedæmonijs corruptus Messenios in pugnâ, ad Fossam, prodidisset, aut deseruisset.

Sic CYPSELIDARUM genus imperio excidit.

Sed nuncad institutum redeamus.

POSTREMUS HERACLIDARUM DESCENSUS: ET VARIORUM IN GRÆCIA REGNORUM INITIA.

Postea-quam Cleolai; veriùs Cleodæi, qui Hyllo natus erat. (al. Cleodamus: & Herod. Cleonidæus, est) Filij, ad adultam ætatem pervenissent; & Pythiam de reditu consulentes, idem ab eâ, quod anteà dederat, oraculum accepissent. Atque adeò TEMENUS, Aristomachi F. infelicem sibi, ex einsmodi oraculi fide, successum obijceret; Pythia, τριχαρπίων illam, cuius oraculum meminisset, non tertium sive triennem terræ proventum; sed treis humanæ ætatis series, sive sæcula, (quæ γενεαὶ Græcis) Et Stenygrum, non Isthmum; sed latioris alvei pelagus, quod Isthmum dextrorsum adlidit, designâsse respondit. Quo audito, Temenus militum copias legit: & naves in Ætoliæ loco, cui è re nomen, Naupactus, compegit.

ARISTODEMUS, maior Aristomachi F. Temeni & Cresphontæ frater, ante hunc reditus, (τῆς καθόδου εἰς τὴν πατρίδα) adparatum, Delphis obierat: vel ab Apolline sagittis confixus, sive fulmine ictus: vel à Pyladis & Electræ filijs, Tisameni consobrinis, interfectus. relictis, ex Argiâ, (Herod. Æginâ) Autesionis (qui Tisameni alterius, Thebani, filius; Thersandri Nep. Polynicis Pronep. & Oedipi abnepos fuit) filiâ, geminis; Eurysthene & Procle.

Quùm verò ad Naupactum HIPPOTES, Phylantis (qui Herculis ex Antiocho Nep. erat) F. vatem Acarnanem, Carnum, Apollinis ministrũ, (perniciosum sibi, & à Peloponnesijs emissum magum al. exploratorem, ratus) interfecisset; exercitus omnis in tam ingentem morbum incidit; ut & perditâ classe, rei navalis adparatus disperierit; & copiæ, fame grassante, sint dissipatæ.

Tum TEMENUS, ex oraculo, Hippoten, cladis auctorem, exilio multavit. Et Trioculi cuiusdam operâ uti iussus, OXYLUM, (qui Andræmonis (al. Hæmonis) F. & Thoantis Nep. erat; & ipse unoculus, equo vehens, obviàm ijs in Ætoliâ factus fuerat) ducem expeditionis legit, & copijs Imperatorem præfecit.

Illi itaq; è Naupacto solventes, pugnâ mox initâ, terrâ marique vincunt: & Tisamenum illum, Ore-

[illegible] F. occidunt. (Al. Lacedæmone & Argis eijciunt.)

Pòst ubi, exactis Pelopidis, Peloponneso sunt potiti, [illegible] Aras Iovi Patrio excitarum: sacrisque peractis, regias eorumdem hostium urbeis sorte inter se sunt partiti.

Vt Temeno quidem Argos, & Aristodemi liberis, Eurysthenis & Procli, Lacedæmon: Cresphontæ verò Messene, expulsis Nestoris posteris, obtigerit.

Quod autem Temenvs Hyrnethonem filiam, eiusque [illegible] Deiphontem (hic Antimachi F. Thrasianoris Nep. Ctesippi (qui frater germanus Hylli) pronep. & Herculis abnepos fuit) in delicijs habeiet, sibique anteferret; indignati eius filij, Agelavs, Evrypylvs, & Callias, (Pausan. Cisvm facit natu in ijs maximum) Titanas mercede conductos in patris cædem immiserunt. Et perpetratò nihilo minus parricidio, regnum penes filiam, generumque interfecti, exercitu iudice, fuit.

¶ Sed Pausa. Cisvm regnum suscepisse, tradit: Deiphonte in agrum Epidaurium secedente, vel secedere iussio.

JNITIA REGNI MACEDONICI.

Ab hoc Temeno Macedonum reges originem duxere. Herod. lib. 8. Tres, inquit, fratres a Temeno oriundi, ex Argo, in Illyricos profugérunt; Gavanes, Æ[illegible]pvs, Perdiccas. Et ex Illyrijs in superiorem Macedoniam transgressi, regi urbis Lebææ mercede [illegible] operam, ignoti, locárunt.

A quo [illegible]cedere, ob prodigium panis, qui Perdiccæ, dum coqueretur, duplo excrescebat, iussi; & in aliam Macedoniæ plagam progressi, eam cum cæterâ Macedoniâ tandem obtinuerunt.

Ab hoc Perdicca, septimus fuit Alexander, Amyntæ F. de quo plura in rebus Persicis, sub Dario, & Mardonio.

REGES MESSENIORVM.

Cresphontes, tertius Aristomachi F. Messeniæ, (licet dolo malo sortis, quæ terræ gleba erat, in situla liquescenus, & postremùm residenus) iam nunc compos, veteres regionis colonos non expulit, [illegible] agrum modò eorum, cum Doriensibus suis, ex æquo est partitus.

Ea [illegible]gione (quam XIIX. montium esse dicit Plin. & [illegible]enaro finit: Et Strabo, maiore sui parte, post [illegible]cam, ad Austrum, Libycumque mare vergere quæ olim, ut [illegible]aconicæ pars, Troiani belli tēp. [illegible] Menelao paruer[illegible]. Antiquitùs regnarant ibi, [illegible], [illegible] frater iunior. Lelegis, qui in La[illegible] tunc Lelegia regnavit, Nepos. Eiusque uxor [illegible]na, Triopæ filia, Phorbantis nepus, quam Argi[illegible] duxerat, regioni nomen fecit, ipse in Andaniâ regiam sibi constituit.

Huius [illegible]steri ad v. ætates processerunt; [illegible]que exstinctis, Per[illegible], Æoli, al. Cynortæ, F. rex est arcessitus.

Huic ex Gorgophonâ, Persei filiâ, nati;

Aphareus, & Levcippvs: qui patre mortuo Messeniæ regnum tenuérunt.

A[illegible]vs maior Arenen, Oebali filiam, uterinam [illegible], seu eadem secum matre natam (nam & Oebalus postmodò Gorgophonam in matrimonio habuit) sibi coniunxit.

E[illegible] Nelevm, consobrinum suum, Crethei F. Æoli Pronepotem (al. Tyrûs, Salmonei filiæ, ex Neptuno, Filium: quæ patre ob sacrilegam impietatem exstincto, apud Cretheum patruū alebatur)

Quūm ille ex Iolco Peliam fratrem fugisset, hospitio accepit: & maritima regionis loca, ubi Pylus pòst condita, ei tradidit. Quò & Lycvs, Pandionis F. fratrem Ægeum similiter Athenis fugiens, se receperat.

Apharei li[illegible]ri, Idas, & Lyncevs.

Leucippi filiæ, Ilaira & Phoebe. Quas Dioscuri [illegible]atres, Castor & Pollvx, raptas e Messene uxores habuére.

Idas, ex Marpessâ, filiam Cleopatram, Meleagri uxorem, suscepit.

Ex Apharei filijs, commissâ cum Dioscuris, consobrinis & adfinibus, ob boves ex Arcadiâ communiter raptos, & iniquam prædæ partitionem, pugnâ; alterum ut Pollux interemit, & Idas fulmine ictus interijt; Apharei familia masculis heredibus planè est orbata.

Atque ita ad Nestorem, Nelei F. Messeniæ imperium pervenit. Hic ex Nelei filijs solus restabat: quod eotempore, quo Hercules, captâ Elide, & castris ad Pylum promotis, Neleum patrē cūm cæteris filijs interfecit, ille peregrè apud Gerenios aleretur.

Sed duabus, uti dicere cæpimus, post bellū Troianum (in quo Nestor cum filijs, Pisistrato & Antilocho, & alijs, interfuit) ætatibus; Dorienses, classe in Peloponnesum devecti, Nelidas etiam è Messenia eiecerunt.

Et in his quidem, Alcmæonem, Sullæ F. Thrasymedis, (qui Pisistrati & Antilochi frater) Nepotem: & Pisistratvm alterum; patri cognominem: & Antilochi ex Pæone Nepotes: & unà cum his Melanthvm, Andropompi Fil. Bori Nepotem, Penthili pronep. Periclymeni, qui Nestoris frater, abnepotem. De quo vide suprà in serie regum Athenensium, ad an. O.C. 2395.

Et hi quidem Nelidæ, Athenas tum profecti, Pæonidarum & Alcmæonidarum genus, nomenque, tributim propagárunt.

Cresphontes verò, cui Messeniæ dominatus, eiectis Nelidis, obvenerat, regiâ Stenyclari cōstitutâ; ex Merope, Cypseli, in Arcadiâ tunc regnantis, F. cum alios liberos, tum minimum natu Æpytvm suscepit.

Et subortâ a locupletioribus, ob eius popularitatem, seditione, cum duobus filijs interfectus est: Polyphonte quodam, quòd ex eâdem Heraclidarum gente esset, suffecto; & Merope Cresphōtis viduâ, licet ea reclamaret, in matrimonium acceptâ.

Verùm simul Æpytvs, quem mater Avo alendum tradiderat, virilem ætatem attigit, eum Arcades, Aristodemi liberis, & Simo Temeni filio, adiutoribus, in regnum reduxérunt. Quo

illi suscepto, & patris cædem, & matris iniuriam probè ultus est. Et tamen nihilominus in omneis universè comitato fuit, ut posteri, pro Heraclidis, ÆPYTIDÆ dicerentur.

GLAVCVS, eius F. cum patrem cæteris virtutibus æquavit, tum pietate superavit.

Huic successere continenti serie, ISTHMIVS, DOTADAS, SYBOTAS, PHINTAS.

Sub huius postremi Imperio, primum adversus Lacedæmonios dissidium exortum est. ob virgines Laconum, quæ ad solenne, & commune utrisque, Dianę Limnensidis sacrum, fuerant profectæ, à Messenijs violatas; & præ turpitudine facti ad mortem voluntariam adactas. Cui iniuriæ, Teleclí etiam regis, quùm vim prohibere conaretur, cędes accessere.

Messenij contrà, positas à Teleclo, principibus suis, qui in Templum iam erant ingressi, insidias, perhibuerunt. & imberbeis adolescenteis, virginum instar exornatos, & pugionibus armatos, ex insidijs in se, à rege inductos; & unà cum illo iure cæsos esse. Ætate autem pòst, regnantibus apud Lacedæmonios Alcamene, Telecli; & ex alterâ familiâ, Theopompo, Nicandri F. Charilli Nep. Polydectæ Pronep. Eunomi Abnep. Prytanidis Atnep. & Euryponis trinepote.

Apud Messenios verò, Antiocho & Androcle, Phintæ FF. Mutuum odium in bellum exarsit. Sed ANDROCLE per seditionem occiso, ANTIOCHVS solus rerum est potitus.

Huic EVPHAES F. successit. qui regno XIII. annos singulari prudentiâ & fortitudine administrato, & bello tandem cum Lacedæmonijs gesto, ex vulneribus, in tertiâ pugnâ acceptis, diem obijt extremum. Et is, quùm liberis careret, cum sibi regni successorem destinavit, qui populi suffragijs foret electus.

ARISTODEMVS, ex Æpytidarum genere, Euphai antè carissimus; qui filiam suam, ex oraculo, immolandam, pro patriæ salute, ultrò anteà devoverat: sed ob importunam sponsi intercessionem, an calumniam? præ irâ occiderat; Cleonidi & Damidi, competitoribus, prælatus est.

Qui XX. belli anno, & regni VI. post res præclarè gestas, quùm fortunæ benivolentiam factis suis & consilijs non respondere, atque immò planè deesse, & patriæ nullam salutis spem superesse prospiceret; ad filię tumulum se ipse interfecit.

Post hunc nihilo minus, licet fractis longo bello rebus; & Ithomâ, quam diu ceu arcem insederant, solo æquatâ, subacti Messenij, anno pòst undequadragesimo, iterùm rebellârunt: & ARISTOMENEM, ex ÆPYTIDIS unum, quod regium nomen detrectaret, exercitus sui Imperatorem creârunt.

Quo tempore Tyrtæus vates, ab Atheniensibus dux Lacedæmonem missus, ex oraculo, ad bellum subinde instaurandum, Spartanos versibus (quorum fragmenta exstant) animavit.

Ille autem res incredibileis pro patriâ gessit, eiusque auspicijs Messenij, quantumvis insignem cladem, Aristocratis, Arcadum regis, proditione, ad Fossam accepissent, arce in Irâ monte constitutâ, XI. se annis obsessi egregiè defenderunt; & hosticum crebris direptionibus infestârunt.

Sed captâ Irâ, bellum mox confectum: & reliquiæ Messeniorum in varias colonias dilapsæ. Fuit hic annus I. Olympiadis XXIIX.

ANAXILAS, Rhegij in Italiâ tyrannus, Alcidamidæ (qui post regis Aristodemi obitum, & Ithomę expugnationem, in Italiam ex Messenâ commigrârat) pronepos, exsules, Rhegium, per legatos evocavit; inque Siciliam traduxit: & in Zancle, amœno ad litus opido, communicato cum victis incolis iure, sed mutato in Messenen nomine, collocavit.

Alij autem, qui in agris relicti fuerânt, & ad servilem Helotum conditionem redacti; quùm iterùm rebellantes in Ithomen montem secessissent; dimissi tandem, Naupactum, Locris Ozolis ereptam, ab Atheniensibus obtinuérunt.

Post captam à Lacedæmonijs exacti, pars in Siciliam, ad cognatos, sunt profecti: pars, duce Cimone, ad Euhesperitas, Libyę populum, bellum adversus Barbaros gesturi, se recepérunt.

Sed Thebani, partâ ad Leuctra de Lacedæmonijs victoriâ, duce Epaminondâ, potentes, missis in Italiam, Siciliamque, & Libyam, legatis, Messenios inde in Peloponnesum revocârunt. Qui tùm innato patriæ desiderio, tùm perpetuo in Lacedæmonios odio inducti, spe omnium celeriùs undique confluxérunt; & novam urbem, Messenen, Epaminondæ Thebani potissimùm operâ, recèns exædificatam, incoluérunt.

Hæc acta anno CCLXXXVII. post Iram expugnatam. Anno III. Olymp. CII. Vt Messenij CCC. penè annis, extra Peloponnesum errâsse deprehendantur: Doricâ loquendi proprietate, accuratissimè, unà cum moribus antiquis, ubique & semper servatâ.

Quæ deinceps gesserint, suo quidque loco, explicabuntur.

ALTERA LACEDÆMONIORVM DYNASTIA.

POST HERACLIDARVM DESCENSVM.

Nunc ad ARISTODEMVM, qui maximus fuit Aristomachi filius, liberos, Eurysthenem & Proclem, quibus Lacedæmonem obvenisse diximus; quique alteram Lacedæmoniorum Dynastiam, non fine regiâ utrimque dignitate, fundârunt; veniamus.

2851. | (Hic autem annus Samueli Iudici III. fuisse putatur. | 1099.

Hero-

Herodot. lib. 6. Narrat à Lacedæmonijs indicatum; Se ab ipso Aristodemo, regni iam compote, in eam, quam nunc possiderent, regionem, deductos. & paullo-pòst, vix sexto regni anno coniugem Æginam al. Argiam) geminos peperisse, ijsque natis, illum e morbo decessisse.

Hi fratres, licet gemelli, ubi adoleverunt, per omne vitæ tempus, animis & consilijs inter se dissederunt, & odium in posteros transmiserunt: unicâ in Theram avunculum, & curatorem suum, benivolentiâ unanimes; quem in coloniam, Callisten, communi operâ deduxerint.

AB HIS DVÆ REGVM LACOnicorum familiæ ortæ,

EVRYSTHENIDARVM, à primigenio iure honoratior: & PROCLIDARVM, paullò inferior.

Et deinde, ab eorum posteris;

AGIDARVM, (male, Ægeidarum, velut ab Ægeo rege)

Qui sub XXXI. regibus (ex quibus XVI. regum anni tantùm reperiuntur, & adhuc satis incerti) per ann. DCCCVII. regnum tenuerunt. &

EVRYPONTIDARVM. qui sub XXI. regibus (ex quibus paucorum anni certò colligi possint) ad Alexandri Magni tempora steti sse comperiuntur.

EVRYSTHENIDÆ REGES.

2. AGIS Herod. Hegesis) patri Eurystheni successit. unde Agidæ.
3. ECHESTRATVS F.
4. LABOTAS, F. (al. LEOBOTAS) cuius adhuc pueri curator, & patruus, Lycurgus fuit.
5. DORYSSVS, F. (al. Doristas, & Herod. Doryagus)
6. AGESILAVS. Sub quo Lycurgus leges patriæ tulit, vel Cretensis Minois instituta adfineis; vel ab Apolline, uti volunt, scitas.
7. ARCHELAVS, F. Huic Charilaus, alterius tum familiæ rex, in capiundâ Epy, suppetias tulit.
8. TELECLVS, F. qui Amyclam, Pharin, & Geranthras, opida vicina ex Achæis cepit; à Messenijs in Dianæ templo posteà interfectus.
9. ALCAMENES, F. (al. Alcmenes.)
10. POLYDORVS, F. Sub quo, Coloniæ Crotonem in Italiam, & in Locros Epizephyrios, transmissæ. & bellum Messeniacum acerrimè gestum. Quo tempore Theopompus Nicandri F. alterius familiæ rex, priore contrà Messenios bello, Lacedæmoniorum ducem egit.

Eo bello confecto, & Messeniâ subactâ, ipse POLYDORVS summum ex Iustitiâ & humanitate inter Græcos nomen consecutus, à Polemarcho, viro nobili & audace, trucidatus est. Sub hisce duobus regibus, instituti apud Spartanos EPHORI, qui & XXX. Senatorum auctoritatem frenarent, & reges in officio continerent.

11. EVRYCRATES F. Sub quo alta à Messenijs & Argivis quies.
12. ANAXANDER F. Sub eo Messenij rebellantes & victi; vel è Peloponneso decedere, vel servire sunt coacti.
13. EVRYCRATES alter, filius, (Herod. Eurycratidas)
14. LEON F. His regnantibus, cladem subinde à Tegeatis in bello accepère Lacedæmonij.
15. ANAXANDRIDAS F. Sub hoc Tegeatæ victi, iam-tum ossibus Orestis, per Lichen, unum è Spartiatis, effosso Tegeæ sepulchro, collectis; & ex oraculo, Spartam asportatis.

Hic quùm sororis filiam in matrimonium duxisset, eaque sterilis esset; ab Ephoris inductus, alteram sibi adscivit: quæ Cleomenem ei peperit. Prior quoque paullo-post & ipsa concepit: & primum quidem Dorieum, deinde Leonidem, & postremò Cleombrotum edidit.

16 CLEOMENES F. ex lege, uti natu maximus, licet mentis subinde haud satis compos, cæteris prælatus est. Hic ut Demarato, alterius familiæ regi, sibi inviso, regnum abrogaretur; & Leotychidas, gentilis, Menaris F. Agidis Nep. ei, ceu Notho, litem de regno moveret; corrupto etiam Pythiæ oraculo, effecit.

Ad eumdem Aristagoras, Milesiorum Tyrannus, belli in Persas movendi suasor, advénit. Ipse tandem, furore correptus, gladio lacerum sibi corpus traiecit: & unà dumtaxat filiâ, Gorgô, relictâ, sine virili subole decessit.

17. LEONIDAS, Cleomenis frater. Dorieo germano, iam-tum post varios in deducendis colonis errores, (quùm Sibarim in Italiâ, Crotoniatis socius, cepisset: & in Siciliam, Heracleæ ex oraculo condendæ, profectus esset) ibidem mortuo, regni administrationem suscepit.

Hic ille est, qui cum CCC. Spartiatis, & paucis alijs Græcorum, memorabile ad Thermopylas facinus edidit; & insigni cum gloriâ, adversus Xerxem & Persas depugnans, occubuit.

PAVSANIAS, Cleombroti, (qui Leonidæ frater minor, non diu pòst quàm copias, quæ murum adversus Persas sub Xerxe imminenteis, in Isthmo construxerant, domum reduxisset, vitâ erat functus) F. non quidem rex creatus est; sed quùm esset Plistarchi, patruelis sui, Leonidæ, filij, tutor; Lacedæmonios, & ad Platæam adversus Mardonium deduxit; & navibus posteà in Hellespontum victor transvexit.

18. PLISTARCHVS Leonidæ F. suscepto nuper regno, è vitâ excessit.
19. PLISTOANAX Pausaniæ F.
20. PAVSANIAS, F. qui primùm ob tyrannidem, eorum, quibus Lysander rerum summam Atheniis commiserat, clanculùm stabilitam, ancipiti iudicio condemnatus; & deinde, ob suppetias Lysandro, Halyartum in Boeotiâ oppugnanti, seriùs adlatas, in iudicium vocatus, ad Palladis Aleæ, in Tegeâ, templum supplex confugit.
21. AGESIPOLIS. F. qui Argivis bellum intulit; & in ipso Olynthi capiendæ conatu exstinctus est.
22. CLEOMBROTVS, Agesipolidis frater minor. Quo rege Boeoti cõtra Lacedæmonios ad Leuctra pugnârunt: & ipse initio pugnæ cecidit.
23. AGESIPOLIS, alter, F.
24. CLEOMBROTVS, Cleombroti F. Agesipolidis frater.
25. CLEOMENES, Cleombroti F. mortuo fratre

Agesipolide, regnum obtinet.

26. AREVS Acrotati F. & Cleomenis Nepos, Cleonymo, ipsius Cleomenis filio, antelatus est.

Hoc rege, ANTIGONVS, Demetrij F. Athenas terrâ marique oppugnavit: & ipse rex ad Corinthum cæsus.

Cum hoc eodem rege Iudæi, & Machabæi, fedus inijsse censentur, quâ de reb. Machab.

27. ACROTATVS F. ad Megalopolim ab Aristodemo tyranno interfectus.

28. AREVS, alter, F. qui vix octuennis ex morbo perijt.

29. LEONIDAS, Cleonymi, quem Aréo pôsthabitum diximus, F. decrepitus iam senex, & luxu corruptus, à Lacedæmonijs traditum regnum accepit.

30. CLEOMBROTVS, Leonidæ gener. quùm socero, Lysandri inimici instigatione regnum esset abrogatum, suffectus est.

Sed LEONIDAS, iterùm, ex Tegeâ Arcadiæ, quò se in exsilium contulerat, revocatus, regnat: & Agidem, regem alterum, interficit.

31. CLEOMENES, Leonidæ F. Cleonymi Nepos, REX POSTREMVS. Pausaniæ veteris æmulus; & tyrannidis appetens, EVRYDAMIDA, alterius familiæ rege, etiam-dum puero, per venenum sublato, mercenariâ Ephororum operâ, principatum in Epiclidam (Plut. Euclidam) fratrem suum, transtulit. Et fractâ Senatûs Ephororumque auctoritate, Patronomos, sive patriarum legum obseruatores, instituit. Et commisso quidem circa Dymen, suprà Patras, prœlio, Aratum, Achæorum ducem, superat; sed Antigono, Macedonum rege, ab Achæis in auxilium adscito, non modò victoriâ, sed regno, patriâque excidit. fratre Epiclide etiam priùs in acie cæso.

Ipse in Ægyptum ad Ptolemæum profectus, ibique ob perfidiam, cum omni familiâ interfectus est à Ptolemæo Philopatore filio.

De quo Plutarc. Cleomenes intereà ex Peloponneso in Ægyptum fugiens, quò matrem Cratesicléam, cum pueris, obsides miserat; amicè ab rege acceptus est, non sine spe sui in regnum restituendi. Quod quidem promissum, cum mors regis Ptolemæi senioris, tum flagitia Philopatoris abrupissent: ille, ex desperatione, cum paucis in regis Ptolemæi caput conspirans, & convictus, an. regni XVI. Alexandriæ se ipse interfecit. Eiusque corpus cute detractâ nudatum, & in crucem sublatum est: liberi verò, cum matre, necari iussi.

Ex eo, Spartani regio imperio parére desierunt; veteribus, an novis? liberæ reipublicæ institutis, Antigono victore, (qui & ipse, pulsis è Macedoniâ Barbaris, pòst obijt) concedente, in posterum usuri.

PROCLIDÆ REGES.

Nunc & alteram, PROCLIDARVM scilicet, familiam, breviter perstringamus.

1. PROCLES, Aristodemi iunior F. Eurysthenis frater.

2. Soüs F.

3. EVRYPONTES F. Quem eò gloriæ pervenisse tradunt, ut omnes deinceps, ex eâ familiâ, Eurypontidæ, pro Proclidis, sint appellati.

4. PRYTANIS F. Sub quo primum Lacedæm. adversus Argivos, odium.

5. EVNOMVS. F.

6. POLYDECTES F. frater Lycurgi consanguineus.

7. CHARILLVS, al. CHARILAVS F. Postumus, qui Argivorum agrum populatus, expeditionem adversus Tegeatas suscepit.

8. NICANDER F. Quo rege, facinus illud in Teleclum, alterius familiæ regem, à Messenijs, in Templo Dianæ Limnetidis, perpetratum est.

9 THEOPOMPVS F. Sub quo Lacedæmonij, cum Argivis, de Thyreatide regione dimicárunt.

10. ANAXIDAMVS, Zeuxidami F. Archidami Nep. Theopompi Pronep. Sub eo Messenij, iterùm à Lacedæmonijs bello victi, è Peloponneso decessére.

11. ARCHIDAMVS F.

12. AGASICLES F.

13. ARISTON F. virtutis opinione illustris.

14. DEMARATVS F. Quem Cleomenis, vi. è priore familiâ regis invidia, & inconsulta patris Aristonis, (qui, quòd septimestri partu editus fuisset, filium esse suum olim negárat) præcipitantia; & Pythiæ auro corruptæ mendacium, regni possessione evertit. & ad Darium, Persarum regem, profugere impulit. de quo inf. sub Xerxe.

15. LEOTYCHIDES, Menatis F, Agidis Nep. Demarato suffectus.

Is unà cum Atheniensibus, facinori ad Mycalen edito interfuit. & ob munera ab Aleuadis accepta, ne Thessaliam totam passim victor subigeret, die dictâ in ius vocatus, ultrò Tegeam ad Aleæ Palladis Templum supplex confugit.

16 ARCHIDAMVS alter, Zeuxidami F. Leotychidæ Nep. Is licet servandi inter Peloponnesios & Athenienses federis cupidus, Atticam anniversariâ ferè incursatione vexavit. & Platéas Atheniensibus amicas, occupavit.

STENELAIDAS verò Ephorus, belli Peloponnesiaci incentor fuit. quod quidem bellum Græciam, satis pro tempore firmam, ex imo concussit: & PHILIPPVS Macedo, iam longo civilique bello debilitatam, mox & penitùs prostravit.

17. AGIS F. Qui Eléos, dissidijs inter se & factionibus distractos, tertio belli anno, ad extremas leges adegit. *Vt finitimis libertatem redderent: urbis suæ mœnia demolirentur: & Lacedæmonijs in Olympiâ rem sacram Deo faciendi, eoque in certamine dimicandi, copiam facerent.* Hinc factâ in Atticam irruptione, & communito in Deceléâ castello; profligatâ denique ad Ægos-potamos Atheniensium classe, ipse, cum Lysandro, suasor socijs fuit, ut Athenas, licet deditítias, funditùs evertendas exposcerent.

18. AGESILAVS, Agidis frater. Qui Leotychidæ, fratris

fratris filio, hoc nomine antelatus est; quòd pater ex se natum initiò non agnórat; quamvis eumdem moriens suum esse palàm professus esset. Is Lacedæmonijs persuasit, ut bellum regi Persarum in Asia facesserent. ubi multa præclarè gessit, non sine maximâ fiduciâ regni Persarum potiundi. Sed revocatus, Athenienses & Boeotios (qui auro Persico corrupti, bellum Lacedæmonijs indixerant) gravi ad Coronéam prœlio vicit. Huc accessére Bellum Corinthiacum, & pugna Leuctrica. illud Lacedæmonijs gloriosum; hæc summè exitiosa. Tandem ille militiâ in Ægypto (quò suppetias Tacho & Nectanabidi, regibus, ierat) variè & feliciter perfunctus, in portu Menelai, qui Cyrenas inter & Ægyptum iacet, rediens, & in morbum implicitus, decessit.

19. ARCHIDAMVS F. Sub eo, Bellum Sacrum; cuius auctores Phocenses, Templi Delphici expilatores; & Thebani, quasi sacrilegij ultores. Ipse in Italiam Tarentinis opitulatum profectus, à Messapijs cæsus est: & quòd sacrilegis Phocensibus impensiùs favisset, tumuli expers iacuisse existimatus.

20. AGIS F. in pugnâ contra Macedones, & Antipatrum, Alexandri Magni, in Asiâ tunc absentis, ducem, ad Megalopolim, gloriosâ morte occubuit.

21. EVDAMIDAS, Agidis frater minor.

His, iam commemoratis regibus, à Pausaniâ adduntur:

AGIS, Eudamidæ F. qui à Mantinensibus, socio Achæorum exercitu, quem ARATVS adduxerat, victus & cæsus esse traditur.

EVRYDAMIDAS, Agidis F. qui à Cleomene, altero rege, per venenum sublatus est.

A Plutarcho verò, hâc serie memorantur.

ARCHIDAMVS, Eudamidæ F.

EVDAMIDAS, Archidami F.

AGIS, Eudamidę F. &

ARCHIDAMVS, Agidis frater. qui sub Cleomene, ultimo alterius stirpis rege, ab invidis cæsus sit.

Exolescente iam tum, ut dixi, Heraclidarum regno: & Lacedæmonijs ad libertatem, & ad vetera, an nova? reip. instituta relapsis.

Hæc sub unum conspectum data, ut Temporum, rerumque gestarum series magis sit perspicua.

Circiter hoc tempus DERCYLLVS 30. Assyriot. rex, ann. 40.

REGNVM EPIROTARVM.

2852. | Sub annum Samuelis Iudicis IV. Epirotarum regnum, initijs altiùs repetitis, sic exortum, inclaruisse perhibetur. | 2098.

ÆACVS, Iovis, ex Æginâ Asopide, filius, liberos ex Endeide, Chironis filiâ, sustulit, TELAMONEM & PELEVM: & ex Psamathe Nereide, PHOCVM.

Ex TEVCRO, Telamonis & Hesiones Troianæ filio, Teucridæ reges, in Cypro, ad Euagoram usque regnum perseverârunt.

PYLADES, Phoci pronepos, Crisi nepos; & Strophij, ex Anaxibiâ Agamemnonis sorore, filius; Neoptolemum, Pelei nepotem, posteà interfecit; ut, inter cæteros, Phocum proavum ulcisceretur, quem Telamon & Peleus, fratres, disci iactu, per invidiam interemerant.

EPEVS etiam, equi Durarei apud Troiam fabricator, PANOPEI filius, & Phoci Nepos fuit.

Idem PHOCVS, sive eius posteri, Phocidi regioni, in quam cum Æginetis transmiserant, nomen indidisse traduntur.

A PELEO autem, maximo natu, Epirotarum reges orti.

Ille ex Thetide, Nerei filiâ, ACHILLEM sustulit.

Huic, ex Deidamiâ, LYCOMEDIS, Scyriorum regis, filiâ, PYRRHVS, qui & NEOPTOLEMVS, genitus est.

Is, capto Ilio, in Thessaliam (cuius partem non exiguam, PHTHIOTIDEM, EVRYTION, Actoris F. Peleo apud se exulanti, ceu dotem Antigones filiæ, concesserat) redire nolens; classe in Epirum adpulsâ, ibi suadente vate, Heleno, Priamide, habitavit. ubi anteà Chaones, & deinde Molossi regnárant & Plutarc. Thesproti) Et ex Andromache, Hectoris viduâ, MOLOSSVM, PIELVM, & PERGAMVM suscepit. (Iustin. tradit, ex Lanassâ, Herculis nepte, alios liberos, IIX. sustulisse.)

Ex illis, PERGAMVS in Asiam traiecit: & victo Ario, Teuthraniæ principe, civitati de suo nomen imposuit. Vnde Pergameni reges.

HELENVS (qui mortuo, per Orestæ & Pyladis insidias, apud Delphos, Pyrrho, (propterea quod Hermiones, Menelai & Helenę filiæ, Oresti pactæ, nuptias occupâsset) Andromachen sibi, cum Chaonum regno, adsciverat; & ex eâ CESTRINVM genuerat) moriens, Molosso, cui datus fuerat curator, regni successionem reliquit. Pielo tamen, qui in Epiro remanserat, PYRRHVS, Æacidæ F. eiusque maiores, & posteri, genus suum, ceu auctori, acceptum tulerunt.

Inf. de Æacidis, Molossorum eorumdemque Epirotarum Regibus, plura, & certiora.

Regnum hoc Pyrrhidarum, sive Epirotarum, ad Tarypum usque (al. Tharymbam. al. Tharytam) ab uno tantùm rege continenter administratum fuisse traditur. Et quùm interiecti reges, licet feroces; opibus tamen factisque obscuriores fuissent; (Pausan. A THARYPO, usque ad PYRRHVM, Æacidæ F. XV. ætates ait intercessisse) Tharytam (Iustin, Arrybam) scribunt, primum, famæ celebritatem sibi parâsse; quòd ipse, Athenis eruditus, moribus Gręcis & litteris, legibusque humanioribus, civitates expolisset.

Huius F. ALCETAS, liberos habuit, ARYBAM, & NEOPTOLEMVM. Et ARYBÆ quidem (qui & Arymbas) ÆACIDES F. à quo PYRRHVS, & DEIDAMIA, & (Plutarc.) TROAS, filiæ fuere.

NEOPTOLEMO verò, ALEXANDER: qui regnum post patrem tenuit. & bellum in Italiâ gerens, apud Bruttios interijt. Et

Filiæ; TROAS, (Plut. Arybę uxor) & OLYMPIAS Alexandri Magni mater.

ALEXANDRO illo mortuo, ÆACIDES,

PATRVELIS, regnum capessivit.

Et quùm Olympias consanguinea; & Troadis matris eius soror, metu ANTIPATRI, rerum tum in Græciâ potentis, in Epirum, è Macedoniâ, reversa esset; ipse bellum adversus ARIDÆVM, Alexandri Magni, ex alia uxore fratrem; & Macedones, eius causâ, suscepit. Atque ita populum bellis fatigando, & Olympiadis crudelitatem fovendo, civium offensam contraxit, & in exsilium actus est. Et, ut Pausan. tradit, omisso adversus Philippum, Cassandri fratrem, ad Oeniadas, prœlio, ex vulnere decessit: PYRRHVMQVE bimulum regno reliquit.

Plutarch. Æacidâ per seditionem exacto, ait, à Molossis filios Neoptolemi arcessitos esse; qui comprehensos Æacidæ amicos interfecerint.

Pausan. verò, ab Epirotis Alcetam, Arybæ F. fratrem Æacidæ natu maiorem, (quem ob immoderatam iracundiam pater antè à se expulerat) regem fuisse designatum. qui mòx ab ijsdem, quòd in se fureret, cum liberis sit obtruncatus.

PYRRHVS autem, quùm ab adversarijs & populo, propter odium patris, ad necem quæreretur; furtim subtractus, & in Illyrios, ad regem Glaucum (cui Beroë, ex genere Aeacidarum, uxor esset) delatus est, ibique educatus: & et annum XII. attigit, ab illo cum copijs in Epirum reductus.

Iustin. ait; Epirotas ipsos, odio in misericordiam verso, iam duodecennem in regnum revocasse: datis tutoribus, qui regnum, usque ad adultam eius ætatem, administrarent. Et Pausan. Interfecto Alcetâ, revocatum tradit. & regno nequedum confirmato, quùm ingrueret in se, cum Macedonum exercitu, Cassander, in Aegyptum, ad Lagi F. PTOLEMÆVM, se recepisse, à quo & filiam in uxorem acceperit, & Aegyptiâ classe sit reductus.

Addit Plutarc. Quùm, eo in Illyrijs apud Glaucum absente, Molossi iterùm se Neoptolemo permisissent; regno exutum, ad Demetrium, Antigoni F. qui Deidamiam, sororem ipsius in matrimonio habebat, confugisse: atque inde, ceu obsidem pacis, ad Ptolemæum, in Aegyptum navigâsse. Atque ibi BERENICES, ex Philippo, priore marito, filiam, Antigonen, duxisse.

Vnde à pecuniâ, & copijs instructus, & in Epirum remissus, cum Neoptolemo fœdus amicitiamque, partito inter se regno, inierit. Quem tandem detectis in se insidijs, paullo-pòst occiderit & solus, non illubentibus Epirotis, regnârit.

Ipse ex diversis uxoribus, hosce habuit filios;

PTOLEMÆVM, ex Antigone. Ex Lanassâ, Agathoclis Syracusani, ALEXANDRVM.

Ex Bircennâ, Auteleontis, Pæonum regis, filiâ; HELENVM.

Et ex ijs primum, regni custodem reliquisse: ceteros, longinquæ ad Tarentinos, in Italiam, Siciliamque, expeditionis solatia, secum abduxisse traditur.

PTOLEMÆO deinde filio, in quodam cum Lacedæmonijs conflictu, occiso; haud ita multo-pòst ipse ad Argos, in Peloponneso, lapidis è muris ictus interijt.

HELENVS verò, à victore Antigono, in Epirum, cum insepulti patris ossibus, remissus est.

Iustin. l. 26. ALEXANDER, inquit, rex Epiri, ulcisci mortem patris Pyrrhi cupiens, fineis Macedonum depopulatur. Adversus quem à Græciâ reversus Antigonus, quòd transitione militum destitueretur, regnum Macedonum, cum exercitu, amittit. Eius autem F. DEMETRIVS, patre absente, & reparato exercitu, non solùm amissam Macedoniam recepit; verùm Epiri etiam regno Alexandrum spoliavit.

Hic autem quùm exsul ad Acarnanas confugisset; non minore Epirotarum desiderio, quàm sociorum auxilio, in regnum restituitur.

Sed Epirus tota mòx in Macedonum, & dein, everso horum imperio, in Romanorum potestatem recidit.

Sed hæc, suis quodque locis, exactiùs.

ALTERA CORINTHIORVM DYNASTIA.

2853. | Anno Samuelis v. altera etiam apud Corinthios Dynastia exordium cepit. | 1097.

Quùm DORIDAS, & HYANTHIDAS, Propodæ FF. postremi prioris Dynastiæ reges, Doriensibus adversus Corinthios belligerâtibus, ALETI Heraclidarum uni, regnum tradiderunt; ipsi, populo licet in exsilium pulso, in patriâ manere permissi.

Hic ALETES, Hippotæ F. Philantis Nep. Antiochi pronepos, Herculis abnepos, eodem pænè anno Corinthi regnat, quo Lacedæmone Eurysthenes. Luctator dictus; & Corinthum, vel restituisse, vel ampliâsse creditus, annis pænè DCCCCLII. antè, quàm à Mummio Consule Romano everteretur. Eius hi posteri reges commemorantur.

2. IXION. 3. AGELAVS. 4. PRYMNIS, al. Prohymnis. Qui v. pænè ætatibus regnum tenuérunt.

5. Deinde BACCHIS. à quo Bacchiadæ dicti, ad Telesten usque: v. item sæculis imperârunt. Hi scilicet,

6. EVDEMVS. 7. ARISTODEMVS. 8. AGEMON. 9. ALEXANDER. 10. Hinc, TELESTES.

(Quem Aristodemi filium, Pausan. ab Arieo & Perantâ, per simultatem, interfectum tradit: & post eum, nullum alium regem esse creatum; sed annuos magistratus, ex Bacchiadis, electos)

11. AVTOMENES.

Hi omnes

Hi omnes coniunctè annos, plus minus, CCCXXII. durarunt, usque ad annum O. C. MMMCLXXV. Scalig. duos addit reges, quibus tribuit annos LXX

Postmodò fuére Archontes, uti Athenis, ad annum O. C MMMCCCLXIIX. Quorum numerus vix reperitur.

De his Herod. l. 5. Quùm esset apud eos (Corinthios) Oligarchia; & ij, qui Bacchiadæ vocabantur, urbem incolerent, mutuaque inter se matrimonia contraherent. ex illis uni, nomine AMPHIONI, nata est filia clauda, Labda nomine. Quam cùm nemo ex Bacchiadis ducere vellet; EETION, Echecratis Filius, à Lapithe ac Coeneo oriundus, (Laërtio, ex Heraclidarum genere) eam adscivit uxorem.

Ex iis natus CYPSELVS, eiectis Bacchiadis, & Corintho per vim occupatâ, tyrannydem invasit.

Hic dum puer ad necem à Bacchiadis, oraculo quodam territis, quæreretur; & à matre in Cypselâ, hoc est, mensurâ frumentariâ, (al. cistellâ) occultatus, vitæ periculum effugisset; CYPSELVS, ex eo casu, dictus est.

Huic, quùm XXX. regnásset annos, PERIANDER F. successit. Qui Thrasybulo, Mileti tyranno, familiariter per nuntios utens, ab eodem, Segetis palàm in horto detruncatæ commento, persuasus est, ut stabiliendi imperij, eminentissimos quosque è popularibus è medio tolleret. Quod exemplum Tarqvinivs Sypersvs post secutus.

Idem cum uxore Melissâ, Procléi, (al. Patroclei) Epidauriorum tyranni, & Euristhenéæ (quæ Aristocratis & Aristodemi, Arcadum sive Messeniorum, filia & soror fuit) filiâ; quam ipse à pellicibus inductus paullo antè necárat; etiam mortuâ coiisse. & placandis eiusdem mánibus, uti iactabat, matronarum & ancillarum Corinthiarum, quas egregiè ornatas in Iunonis Templum de composito acciérat, direptas nudis vesteis, concremásse proditur.

Alij tradunt, mundum mulieribus ademtum, Olympiam, ex voto & victoriâ, ceu donarium, misisse. Atque adeò eum matre Crateâ, libidinosâ feminâ, incestam stupri consuetudinem habuisse.

Quùm is duos è coniuge filios haberet, CYPSELVM & LYCOPHRONEM; stolidum, & prudentem: hunc, quod matris mortem fletu prosequeretur, abdicavit, & in Corcyram relegavit. Vbi quùm à PROCLEO avo exsul in patris odium accenderetur; & vicissim à patre ad tyrannidem capessendam arcesseretur; à Corcyreis interfectus est.

Pater primus, armato satellitio stipatus incessit, & magistratum ad insolentem tyrannidem transtulit; quam XL. annis exercuit, & pænè octogenarius obijt. ante Olympiad. XLIX. Sive XLI. antè Croesum annis.

Quidam non hunc Corinthium, sed alium quemdam Periandrum Ambracioten, è VII, Sapientum numero fuisse putárunt.

Pausan. tradit, patrem eius Cypselum, unum ex posteris Melanis (Antasso geniti) fuisse, sextum à Gonoëssâ, Sicyonis filiâ.

MELAS autem ille, quantumvis Doriensibus, in bello, adversus Corinthios auxilium tunc tulisset; & ab Alete nihilo minus victore, ex oraculo, ad alios Græcos, è Corintho, priùs secedere iussus esset; obsequio deinde, & precibus effecerat; ut ad idem cum reliquis incolendi ius admitteretur.

Cuius imprudentiæ, an facilitatis! pœnas posteri luerunt.

PERIANDRI Nepotes, si qui relicti, ex oraculo, regno, quod patri & solis filijs promittebatur, sunt exclusi.

Post hos itaque reges & Archontes, Consules & magistratus annui apud Corinthios sunt instituti.

ELEORVM REGNVM.

Verùm ut Peloponnesum, cum suis regnis, quasi totam unâ narrationis serie complectamur, Eleorum originem, principes & res cum vicinis gestas, breviter delibare hoc loco constitui.

Elis, autem, sive Eléa regio, tota erat ora maritima, quæ Achaiam inter & Messeniam est: Et in mediterraneis, Arcadiam ad Pholoen sitam, Azanesque & Parrasios attingit.

Quùm itaque inter V. Peloponnesiorum populos, Arcades quidem & Achæi, Indigenæ; reliqui verò, Dores, cum Corinthijs & Eléis, peregrini & advenæ sint existimati; tum Eléos ex Calydone & Ætoliâ huc transijsse certum est.

1. ÆTHLIVM, Iove, & Protogeneâ, Deucalionis filia, genitum, hâc in regione, quæ Elis postmodò dicta, primum regnásse perhibent.

2. ENDYMION F. ex Calyce Æoli. qui fuit Hellenis. qui Deucalionis, qui Promethei, eductis è Thessaliâ Æolensibus, in Elidem transmigrásse; & ex Iphianassâ, PÆONEM, EPEVM, & ÆTOLVM, mares; atque Eurycydàm filiam progenuisse proditur.

Ex quibus ÆTOLVS, PLEVRONIS, & CALYDONIS pater, Terræ anteà Curetidi, Ætoliæ; & PÆON, alteri terræ, quæ supra Axium flumen est, Pæoniæ nomen, indiderint.

3. EPEVS F. successit: qui curuli certamine, in Olympiâ. filijs à patre, in regni præmium, proposito, palmam abstulerat. Ab illo ij, quibus imperabat, primùm Epéi sunt dicti (Plin. l. 4. c. 5.)

Hoc regnante, OENOMAVS Alexionis (al. Martis) F. haud procul à Pisæâ princeps, à Pelope, Lydi, (al. Tantali Phrygis) F. ex Asiâ digresso, regno est exutus. Qui Pisæ potitus, Olympiam quoque, Pisææ finitimam, ab Epéi ditione abstraxit.

4. ÆTOLVS, Epéi frater, quòd Apim Iasonis (al. Phoronei) F. per imprudentiam interfecisset, è

Pelopon-

Peloponneso aufugere coactus, Terræ continenti, Acheloo finitimæ, ad quam profugerat, nomen de suo imposuit.

Hic, uti dictum est, Pleuronis & Calydonis Pater: Agenoris (ex Pleurone) avus; Parthaonis, & Demonices (ex quâ, & Marte, THESTIVS & EVANVS) proavus, Oenei abavus, Meleagri & Tydei atavus, Diomedis tritavus fuit.

5. ELEVS. Eudymionis II. ex Eurycydâ filiâ nepos, patre Neptuno. Ab eo, pro Epeis, Elei sunt nominati. Hic ex Anaxirhoâ, Coroni filiâ, unicam filiam Hyrminam reliquit.

6. AVGEAS F. Hic Colchicæ expeditioni, cum Iasone & Argonautis, interfuit. eiusque stabula, fimo boum oppleta, inmissis fluminibus, expurgavit Hercules. & ob negatam laboris mercedem in eundem bellum movit. Et occisis per insidias EVRYTO & CTEATO, germanis, Eleensium ducibus, Actoris & Moliones filijs, (quem quidem Actorem, Apollodor. Augeę fratrem facit: Pausan. verò, Phorbantis filium, Lapithæ Nepotem, matre Hyrminâ, Elei filiâ) urbem Elidem tandem cepit. & PHYLEVM, eiusdem Augeæ F. (quem pater ob propensius in Herculem studium, ab Elide facessere iusserat) in regnum restituit.

Pausanias vult Augeam impunitum abijsse; & Phileo in Dulichium digresso, ætate interim provectum obijsse.

7. AGASTHENES alter Augeæ Fil. Eleorum imperium init.

Actoris itidem Nepotes, AMPHIMACHVS & THALPIVS. (Ille Cteati, ex Theronice; hic Euryti, ex Theraphone, gemellis sororibus; Dexameni, Oleniorum principis filiabus; liberi) regni participes fuére. Et paullo-pòst dimidiæ classis parti, quæ universè XL. erat navium, in Troianâ expeditione, ceu duces, præfuére. Homer.

8. POLYXENVS F. qui unà cum Dióre, Amaryncei F. alteras XX. naves, exijs, quas Elei Agamemnoni auxiliareis ad Troiam misére, duxisse, ab eodem Homero memoratur, Catalogo.

9. AMPHIMACHVS F. 10. ELEVS F.

Quo regnante, Donenses, cum Aristomachi liberis, classem, quâ in Peloponnesum redtient, adparárunt. Et OXYLVM, Andræmonis F. Thoantis, qui Hyllo consobrinus fuit, Nepotem: cuius, ceu Trioculi, operâ & ductu usi fuerant, uti dictum est; Elidis regno, ex pacto, (supra ius, quod prætendebant, ex singulari cum Dio certamine, quæsitum) donárunt.

Hic Ætolos populareis in parem iuris & libertatis conditionem, æquabilemque agrorum possessionem, ad Eleos deduxit.

Quùmque unum ex Pelopidis in societatem adsciscere oraculo monitus esset; Agorium, Damasias (al. Damosij) F. Penthili nepotem, & Orestia Pronepotem, cum aliquantâ Achæorum manu, ex Helice, ad se arcessivit.

Postquam enim Iones, adventantibus Heraclidis, è Peloponneso decesserunt; Achæi, eum regibus, in maritima eorum opida immigrárunt. summamque inter eos potentiam nacti sunt Tisameni liberi, DAMENES, & SPARTON, TELLES, & LEONTOMENES. COMETES verò, natu ex Tisameni filijs maximus, iam antè navibus in Asiam transiecrat.

12. LAIAS, Oxyli F. Cuius posteri, incertum, an regnárint.

Ex eâdem tamen familiâ, posteà, IPHITVS, Praxonidæ F. Olympicum agonem, iam per annos, plus minus. CD. (ab Atreo usque, qui cum Pelopi patri ludos funebreis faceret, hoc sacrum eodem loco instituerat; & Hercules in ludicro, omnis generis certaminum victor tune extiterat) desitum, intermissumque restituit.

Hactenus de Regnorum profanorum, præsertim apud Græcos, initijs, & inclinationibus: qua in posteriorum Iudicum tempora incidisse putantur. Quæ, magno labore & iudicio collecta, non minori erunt usui Philologis, ad reconditiorem Veteris historiæ cognitionem.

Nunc ad res Hebræorum redeamus.

RES GESTÆ SVB SAMVELE IVDICE

2848. Victores Philisthæi, ob Arcam sacram, quæ secundo prœlio in eorum potestatem venerat; & in Azotum transportata, & in Templo Dagonis ab ijs fuerat, ad Tropæum, aut veriùs Ludibrium, collocata irreverentiùs habitam: varij mòx cladibus: 1102.

Primum, Dagonis, Dei, scilicet! tutelaris, ruinâ mutilatione.

(Dagon ille Idolum erat, quod ab umbilico, piscis, infernè: suprà, hominis, figuram præferret. Truncatis itaque brachijs & capite, piscis figura remanserat. (Hebræi, Daga, piscem vocant: & diminutè Dagon.)

Deinde noxijs murium, per agros, erosionibus. dysenteriâ, alijsque morborum arcanis, & crebris mortibus, divinitùs adflicti, atque adeò compulsi.

Quòd Arcâ, per alias vicissim regionis civitates, Getham, Ascalonem, Accaronem, pervagante, & secum parem cladem passim importante; quasi tributum à singulis, quamdam violati numinis, pœnam, exigi animadverterent: Eam confestim, & procul à se ablegandam, ex primatum suæ Pentapolitanæ gentis consilio, Augurumque decreto, iudicárunt.

Illam itaque, VII. quàm capta fuerat, mense, novo vehiculo impositam; & à bubus fœtis, quarum vitulos domi recluserant, devehendam; non sine muneribus, Anis & Muribus aureis, tamquam quibusdam cladis acceptæ, & diuinæ ultionis, monimentis; ad confinia terræ Iudææ dimiserunt. Satrapis

trapis è longinquo comitantibus. Qui insolito rei miraculo, quòd pecudes, nullo rectore, nec ulli fœtûs relicti desiderio, iter in fineis usque Hebræorum direxissent; religiosum officium præstitérunt.

BETHSAMITÆ, qui primi ex agris, ubi frumenta metebant, adventantem; & in fundo Iosuæ, Levitæ & concivis, sistentem, Arcam prospexerant; ingenti cum gaudio, ruere & exsultare cæpérunt: & concisis plaustri lignis, boves Palæstinas, quæ iugo & oneri fuerant subiectæ, holocausti vicem, Domino immolárunt. Et palàm, edito de saxo, unà cum Arcà, expositis, Provinciarum Vrbiumque gentis Palæstinæ donarijs; feriendis victimis, epulisque indulsérunt.

Cæterum ex ijs, L x x. Viri (quòd vel nudam Arcam curiosiùs inspexissent; vel profanis manibus contrectare ausi essent) subitâ plagâ divinitùs sunt interemti. (Idque eo in populo, qui L. hominum millibus constaret. Alijs. L x x. Viri, primarij; quique meritis & gloriâ, L, millia popularium æquarent.)

Vnde missis illi in Cariath-iarim, vicinum oppidum, nuntijs, orárunt; ut Arcam, à Palæstinis remissam, ad sese traducerent. Vbi in domo Abinadabi, Levitæ, filio eius Eleazaro custodiæ præfecto, per annos x x. in Gabaâ, colle, perstitit.

(Genebr. Non tantum, ait, ann. x x. ibi mansit, donec à DAVIDE efferretur; (ut vitiose colligunt Hebræi, 2. Reg. cap. 6.) Verùm iam-tum etiam præterierant anni x x. quum SAMVEL Iudicis munere fungens, concionem illam habuit, de quâ, 1. Reg. 7. c.)

2868. | Et postea-quam totidem iam annis res Hebræorum à bello quietæ; & Numine utcumque, ob populi resipiscentiam, pacato, tutæ esse viderentur: | 1082.

SAMVEL occasionem se nactum ratus, eos & ad puriorem Dei cultum; & ad solidam à perpetuo hoste libertatem, cohortandi. simul-atque peregrina Baalis & Astarthes idóla, non sine detestatione, eliminassent: universum Israelitarum cœtum, publicæ supplicationis ergò, in Maspham convenire iussit.

Vbi dum, haustâ aquâ, animorum demissionem testati, Deo libarent: & non sine veteris culpæ agnitione, uberrimis lacrymis, & diurno ieiunio se macerarent: Ipseque SAMVEL privatas civium contentiones, ex æquo & bono, diiudicaret:

Ecce, de-repente, Philisthæi, ut nec-opinos opprimerent; magno cum exercitu, proximè adventare nuntiantur.

Et vix SAMVEL, à trepidantibus, ad preces, pro se, Deo fundendas solicitatus, agno lactente fecerat, & egregiè litárat: quùm illi, acie explicatà, & impetu facto, in Israelitas feruntur.

Sed quùm non minùs improvisus de cœlo favor adfulgeret; & Deus pro suis pugnans, magno tonitruum fulminumque desuper fragore, insultanteis adversarios exterrefecisset:

(Ioseph. Ipsi, terrâ sub pedibus movente, vestigia vix figerent; aut in repentinos hiatus prolaberentur; & igniris fulgetris oculos manusque ambusti, arma vix tractare possent.) Atque ideò in solà fugâ spem omnem salutis ponerent;

SAMVEL, celeriter eductis, ex urbe Masphâ, quam obsidione vallatam iam-nunc tenére putabant; Israelitarum copijs; in perturbatos irruit. & plurimis cæsis, reliquos ad Beth-choram (quasi, stationem Chorræorum,) est persecutus.

Ibique defixo victoriæ suæ, fugæque hostilis, inter Maspham & Senam, (B. Aug. l. 17. c. 7. Inter Maspham, novam & Veterem) Termino, qui tropæi vicem esset; eum, Auxilij Lapidem, (Abienezer) è re natâ appellavit.

Atque ità, alternante vices Deo, inveterata & infracta hactenus Philisthæorum ferocia, multis deinceps prœlijs edomita, in parteis victoris transijt.

Et ager omnis, quàm latè inter Getham & Accaronem patet; cum Vrbibus, Tribui olim Danicæ attributis, tàm feliciter armis reciperatus est; ut reliqui Chananæi præclarè secum agi existimarent, si fidam cum Hebræis pacem colerent.

SAMVEL intereà Iuridicis conventibus, ceu Foris, Bethelæ, Galgalis, & Masphæ, urbibus opportunis, constitutis; quamdiu per ætatem licuit, eos obibat, & iura populo reddebat. stato nihilo minus Ramathæ, urbe natali, domicilio, & tribunali. Atque adeò Altari ibidem (ubi ipse Sacerdos, post Helim; vel alterius sacerdotis operâ, divinis sacrificijs vacaret) inædificato. quòd Arcæ, sive Tabernaculo, stabile néquedum domicilium esset.

2874. | (Huius Iudicis anno x x v i. Latinus Silvius, v i. Latinorum rex, ann. L. Dionysio, L i. | 1076.

Ab eo aliquot coloniæ deductæ, Latini prisci appellati. Livius.)

2880. | SAMVEL, iam ævo gravis, (anno Principatus, ut quidam volunt, x x x i i. & ultimo.) | 1070.

Filios suos, IOELEM ET ABIAM, vicem suam, populo præesse, & ius dicere iussit in Bersabeâ. (Ioseph. ut partitis operis ac regionibus, alter in Bethelis; alter in Barsabe, ceu Iudices, præsidereut.)

Illi verò à paternâ probitate degeneres, præ avaritià, & munerum illecebris, iudicia pervertébant.

Hic finis Iudicum in Rep. Israëlit. Quos coniunctè CCCLXXXXVI. ann. præfuisse, & Remp. Hebræorum administrâsse, peritiores tradiderunt. quos sequimur, & sic ann. colligimus.

Moyses, 40. Iosua, 27. Othoniel, 40. Aioth, 40.
Barach & Debora, 40. Gedeon, 40. Abimelec. 3.
Thola, 23. Iair, 22. Interregn. antè Iephthen, 18.
Iephthes, 6. Abesan, 7. Aialon, 10. Labdon, 8.
Heli & Samson, 40. Samuel, 32.
SVMMA, CCCXCVI. Ann.

Ioseph. ijs tantum tribuit, CCCLVI. ann. Alij, CDXVI.

A Samuele, ad mortem Saulis (Actor. 13.) ann. XL. numerantur. Sed antè ipsum Saulem, filij Samuelis, aliquot procul-dubio annis, mandatam à Patre reip. curam gessisse censeantur. qui sub illis XL. Samuelis annis, comprehendi debeant.

Et ab eodem, ad Exscidium Templi, anni sint DXIII. quot regnum Hebræorum stetit.

His Iudd. annis, si adijcias XL. Saulis, & totidem Davidis, (3. Reg. 2.) & IV. Solomonis (3. Reg. 6.) usque ad incboatum Templum; colliges CDLXXX. ann. quos ab Egressu Israelitarum ex Ægypto, ad IV. Solomonis, numerat Liber III. Regum, cap. VI.

SECVNDA



Hæc ſubiungantur ſub finem paginæ 146. Tom. 1.

PETAV. nupero Lib. de Temp. doctrinâ: Intervallum ab Exodo, ad Templi Conditum, annis definit DXX. Ita ut ad ſummam illam, quæ 3. Reg cap. 6. expreſſa videtur (480. annor.) XL. tantùm adijciantur.

Spatia autem hæc ex ſcripturis concepta.

MOYSI tribuuntur XL. anni. Servituti primæ Meſopotamenæ, IIX. anni. Inde Iudices, & Servitutes reliquæ, ad uſque Iairem, incluſivè, 341. ann.

Pòſt, extritis Servitutis V.æ & VI.æ ſpatijs, ſequuntur; Iephthe, Abeſan, Ahialon, Abdon, Samſon & Heli, (quibus ambobus XL. anni imputentur.) Totidem, Samueli & Sauli. & totidem Davidi.

Colliguntur Ann. 406.

Ioſue itaque, & Senioribus, qui poſt illum vixérunt, anni adſignentur, 24.

Emergent universè DXX. anni hâc ſerie.

Nomin.	Ann. quib. præfuér.	Ann. ab Orb. C.	Ann. ant. Nat. Chr.
Moyſes	XL.	2453.	1531
Ioſue	XIV.	2493.	1491
Seniores	X.	2507.	1477
I. Servit. Meſopot.	IIX.	2517.	1467
Othoniel	XL.	2525.	1459
II. Servitus	XIIX.	2565.	1419
Aod	LXXX.	2583.	1401
III. Servit.	XX.	2663.	1321
Debbora	XL.	2683.	1301
IV. Servit.	VII.	2723.	1261
Gedeon	XL.	2730.	1254
Abimelec	III.	2770.	1214
Thola	XXIII.	2773.	1211
Iair	XXII.	2796.	1211
V. Servit.	o o o.	ooo.	ooo
Iephthe	VI.	2818.	1166
Abeſan	VII.	2824.	1160
Elon	X.	2831.	1153
Abdon	VIII.	2841.	1143
VI. Servit.	o o o.	ooo.	ooo
Samſon	XX.	2849.	1135
Heli	XX.	2869.	1115
Samuel, & Saul.	XL.	2889.	1095
David	XL.	2929	1055
Salomon.	IV.	2969.	1015

Colliguntur Ann. DXX. Sic ille, quæ omnia cum noſtris conferat Lector, & expendat.

SECVNDA PARS TOMI I.
HISTORIÆ SACR. ET PROFANÆ.
AVCTORE ANDR. HOIO BRVG.
RESP. HEBRÆORVM, A IVDICIBVS; ad Reges translatâ.

OMNI iam metu hostium, præsertim Allophylorum, vicinæ & semper-infensæ gentis, remoto: & corruptis præ longâ rerum secundarum tranquillitate consilijs: more vulgi (sic Sulpit.) cui præsentia fastidio; insueta desiderio sunt;

REGIVM nomen, cunctis ferè liberis gentibus invisum, Israelitæ desiderabant: & non sine exemplo amentiæ, præoptabant libertatem servitio commutare. Immemores divinæ ergà se in regendo providentiæ, qui Iudicibus hactenus, ceu vicarijs ab eo institutis, aut Vindicibus suscitatis, salutariter paruissent.

SAMVELEM itaque frequentes, & quidem natu maiores ex Israelitis, in urbe Ramathâ, circumsistunt. Vt quia ipse iam senuisset; & filij eius, ob perversum Iudicij rationem, degeneres, & imperio indignos se præberent; Regem sibi daret, qui iura, more cæterarum gentium, moderaretur.

Quibus certè verbis, regem, vel scriptis & patrijs legibus solutum; vel superiorem, efflagitare visi sunt: eidemque & belli, & iudiciorum, inter alia, principatum attribuere.

Cuiusmodi potestas, non tàm à legibus, (quod hactenus in Iudicibus servatum) quàm ab arbitrio ipsius regnantis, penderet.

Prospexerat olim Deus fore, ut Hebræi, in promissas sibi regiones transgressi, Iudicibus, sive Aristocratiâ, non contenti, regiam dominationem præoptarent. Ideoque Legem, inter cæteras, regiam sanxerat, quâ uti deberent, si quando istiusmodi regis habendi cupido ijs incesseret. quæque & rationem illius creandi, & creati iura, præscriberet. (Deuter. 17.)

„ *In primis, ex eâdem gente, non alienâ, creari oportere, qui Iustitia adfiniumq; virtutum studio præditus esset.*

„ *Ne plus legibus, aut Deo saperet: nihilq; sine Pontificis Senatorumq; sententiâ agendum susciperet.*

„ *Ne multis nuptijs uteretur; neq; pecuniarum aut equorum copiam sectaretur; & hâc externi splendoris superbiâ super fratres suos efferretur.*

„ *Privata commoda publicis ne anteponeret.*

Hebræi autem, præ immoderato mutandi in Rep. statûs studio, nec sibi, nec regi futuro benè consuluisse; sed se cum liberis, ceu mancipia, veteri libertate exuisse, censeantur.

Quùm namque neque salubri Samuelis oratione; quâ regiæ & superbæ dominationis, quam illi cum reliquis gentibus communem deposcebant, incommoda exponebantur. Neque divinæ iræ denuntiatione (quòd homines mente corrupti, qui Deum, regem tàm beneficum, & præsentem, hactenus habuissent; nunc sibi ex hominibus regem flagitare arguerentur) ab insanâ voluntate, cuius vel sera, licet irrita, eos pœnitudo in posterum caperet; deterreri possent:

SAMVEL, cui consultus Dominus, nihil vecordi genti, adversum se, regem petenti; & inconsultæ temeritatis pœnas in se statuenti; negandum esse respondisset. Eos, qui ad se rem novam postulatum venerant, domos suas dimisit: & regis novi institutionem alij & tempori, & loco, reservavit. dum quem regem Deus dare vellet, cognosceret.

SAVL I. REX ISRAELITAR.

ERAT eâ tempestate Vir quidam è Tribu Beniamitide, CIS nomine, Abielis F. Semini atnepos; illustri morum & virium laude celebratus.

Huic filius erat, SAVL, qui suprà animi modestiam, formæque præstantiam, staturæ etiam eximiâ proceritate cæteros supereminéret.

Hunc Pater quùm ad asinas, quæ à reliquo grege fortè deerrárant, indagandas misisset; neque inveniri eæ possent; ipse haud longè ab urbe Ramathâ iter faciens, ad Vatem (Samuelem) sibi à Virginibus, aquatum egressis, demonstratum, consulendi causâ accessit.

Is autem pridie à Deo commonitus venturum ad se, eâdem crastini horâ, Beniamiten, quem Regem & populi Servatorem creari, unguique vellet; indicto epulo convivas evocárat. & constitutum sibi tempus, antè quàm accumberet, opperiebatur.

Summissè itaque à Saüle, ignaro, compellatus,

& de Vatis domicilio interrogatus, ſeque conſeſſus; ad cœnam, quæ in Excelſo parata erat, hoſpitem deducit. Et non aſinas tantùm, quas amiſſas quæreret, ſalvas eſſe; ſed omnia etiam omnium bona in eiuſ poteſtatem fore denuntiat.

Quod ille de ſe prolixè,& ſuprà ſpem dici exiſtimans, qui infimo, inter cæteras Iſraelitarum Tribus,loco & genere cenſeretur; paſſus eſt nihilo minus ad convivium deduci; & honoratiſſimo, inter triginta. (Ioſeph. Septuaginta) convivas loco accumbere: & portionem carnium, regiam, à famulis, quibus ità imperatum erat, ſibi adponi.

Et quùm peractâ cœnâ, alij domum quiſque ſuã cubitum diverterentur; ipſe,cum famulo,apud Vatem, in ſtratis pernoctavit.

Die autem illuceſcente, poſtquàm ſimul ex urbe egreſſi eſſent; & SAMVEL, remotis arbitris, ea quæ animo agitabat, perficere vellet: famulum quidem antecedere; Saülem verò, paullìſper iuſſit ſubſiſtere. Et è-veſtigio, effuſo è capſace olivo, caput eius perfudit; ſimulque, non ſine oſculo, regem ſalutavit.

Hunc ei à Deo honorem deferri pro Hebræorum tutelâ; quorum iniurias, bello Paleſtinis, aliſq; finitimis hoſtibus, illato, ulciſci debeat. Cuius quidem rei certa hæc argumenta ſint, & præſagia.

Offenſurum ſe in itinere, ad Rachelis tumulum, homines duos, qui & inventas aſinas, & Patris de abſente filio ſolicitudinem, renuntient.

Indè ad Quercum Thaboris progreſſo, *obvios fore treis alios, qui panibus, vino & hordeo, onuſti, in Bethelam.* (Domum Dei, quæ erat in Silo â) *religionis ergò contendant: a quorum uno panes duos ſit accepturus.*

Tum ubi ad Collem Gabaæ, ſtationẽ Arcâ Dei olim nobilitatam, & à præſidiarijs Philiſthæis etiãdum inſeſſam, perveneril; *Occurſurum ei ab Excelſo Prophetarum cœtum, laudes Dei vocibus modulatis, nec viſq; fidium, celebrantium.*

Eumq; ibi divino ſpiritu adflatum, & de-ſubitò immutatum iri, ut unà cum cæteris in hymnos & vaticinas voces erumpat. Et quotquot id viderint, attoniti miraculo, dicant: *Quid hoc rei inuſitatæ in Ciſi filio!* Vnde hæc, minimè hereditaria, vaticinandi in eo facultas!

His dictis, SAMVEL àbſe iuvenem dimiſit. Eumque, quo pacto in Galgalis poſteà, conſtituto Comitiorum maximorum die, hoſtias pacificas temerè eſſet immolaturus. & rex iam electus, & ut ſe ſiſtat, arceſſitus, ſeptem diebus ſuum, Sacerdotis, adventum oppeteri neglecturus eſſet; iam-tum uti de re maximè ſeriâ, & cum regni iacturâ, coniunctâ, commonefecit.

2881. Paucis abhinc diebus SAMVEL in propoſito inſiſtens, Iſraelitis univerſè conventum Maſphæ indixit. & ubi frequentes adeſſe vidit, hæc, Dei nomine, ad eos profatus eſt. 1069.

DEVM, *qui ipſos ex Ægyptiâ ſervitute in libertatem vindicaſſet; & toties à vicinis regibus victos, in integrum reſtituiſſet; hanc ab ijs reportare, ſcilicet! gratiam; ut abrogato quaſi eius imperio; & tot eius beneficijs ingratâ oblivione deletis, unum ex ipſorum numero digniorem exiſtimárint, qui ſibi dominetur. Sed quando plus apud ipſos temerarius animi impetus, quàm religio aut beneficiorum memoria valéret; digeſtâ per Tribus & familias multitudine, ut ſortitio fiat, placére.*

Quo facto, quùm primùm Beniamiticæ Tribûs; déinde familiarum in eâ nominibus in urnam coniectis, Metri familiæ ſors exiſſet: poſtremò factâ viritim ſortitione, SAVLI, Ciſi F. regnum obvénit.

Qui quùm è latebris in medium productus cæteros humeris ſupereminerct; & dignitatem corporis maieſtati convenientẽ oſtentaret: atque adeò univerſi, *Vitam & felicitatem novo regi ſe optare,* clamore incondito ſignificáſſent; SAMVEL, recitatâ regni legitimi lege, & in acta publicaſque tabulas relatâ; atque immò in Tabernaculum repoſitâ, cœtum dimiſit.

Et SAVLEM quidem, in Gabaam revertentem, magna exercitûs pars, ex ijs, qui in Dei voluntate acquiérant, officij cauſsâ, comitata eſt. Sed improbi quidam, non modò vel muneribus, vel obſequijs ullis novi regis gratiam demereri ſunt gravati; ſed virtutem etiam exiſtimationemque eius, contemtim; & ipſo, ea, quæ audiret, diſſimulante, elevabant.

(Principio regni (inquit Sulpit.) aliquanta populi pars ab eo deſciverat; & parére imperio abnuens ſe Ammonitis coniunxerat.)

BELLVM IN AMMONITAS.

MEnſe ferè poſt regnum SAVLI delatum, quùm Nahas, Ammonitarum rex, Iabeſam, primariam Galaaditarum urbem, bello adgreſſus, duriſſimas ſervitutis leges, federatis etiam & dedititijs, imponere moliretur; &, (Ioſeph. ut omnem rebellandi in poſterum materiem adimeret) oculos omnibus dextros effodi antè, quàm ad pacta veniretur, iuberet: (Et, quoniam ſcutum ſiniſtro pugnantis oculo proſpectum eripit, omninò inutiles bello eſſent.)

SAVL à Galaaditis, qui ſeptem dierum inducias, auxilij implorandi, ab hoſte impetrárant, quiritantibus, interpellatus; bobus, quos tùm fortè ex agro agebat, in fruſta conciſis: & in omneis Hebræorum regiones, pari cum extremæ pœnæ in contumaceis comminatione, tranſmiſſis. armatorum ad CCC. ex Iſraelitis, (Ioſeph. DCC.) & ex Iudæis ad XXX. (Ioſeph. LXX.) Millia, magnâ cum animorum inter ſe conſenſione, coëgit. & in Bezecâ. (Ioſ. Balâ) recenſuit.

Et Iordanem de nocte impigrè tranſgreſſus, antè Solis exortum (uti obſeſſis facturum promiſerat) diviſo trifariam exercitu, media hoſtium, ſomno adhuc ſepultorũ, caſtra adortus, tàm ingentem ſtragem

ſtragem edidit, (Ioſeph. rege Nahâ inter cæteros cæſo) ut antè quàm meridianus diei æſtus ingraveſceret, diſſipatis huc illuc copijs, pauciſſimi evaſerint.

Hæc victoria effecit, ut Saülis gratia & auctoritas magnum deinceps, etiam apud malevolos, pondus haberet. & populus eos, qui iniquiùs regio ante-à nomini obtrectârant, ac ſugillârant, à Samuele ad pœnas depoſceret. Niſi SAVL ipſe non paſſurum ſe dixiſſet, ut è conſanguineis quiſquam, die tàm feſto & ominato, ad ſupplicium raperetur: néve victoria, divinitùs data, civili ſanguine pollueretur.

SAMVEL, qui iſtâ populi in regem victorem propenſione in præſens uti; & certis cerimonijs eumdem palàm conſecrare, ſtatuiſſet; omneis in Galgala ſecum perduxit. & immolatis ad Altare victimis, ſacro iterum olivo Saülem perunxit; &, non ſine populari acclamatione, regem conſalutavit.

Reſp. deinceps Hebræor. ſub XXIII. Regibus legitimis, in Iudæâ ſaltim & Beniamitide Tribubus, perſtitit annos, DXIII. uſque ad ann. O. C. MMMCCCXCIII.

Præſenti itaque Comitiorum opportunitate uſus, SAMVEL, ut ſuam etiam hactenus in Iudicio exercendo innocentiam publico teſtimonio confirmaret; factâ liberè dicendi omnibus poteſtate, iuſiurandum eos coràm Deo & rege dare coëgit;

Num bovem cuiuſquam abſtuliſſet; aut iumento abuſus eſſet; aut calumniâ, vel vi quempiam oppreſſiſſet: aut munus à quopiam accepiſſet! Quod poſtquàm omnes, uno ore, factum negaviſſent; Deum eius rei teſtem appellavit.

Sed viciſſim ipſe, divinorum beneficiorum, quæ & ipſi, & Patres eorum in Ægypto; in Egreſſu; in ipsâ, quam pro tempore poſſiderent, Terrâ; è ſervitute, & tot calamitatibus, Moſis & Ioſuæ, aliorumque Iudicum auſpicijs, erepti, acceperant; ſemperquè neglexerant; commemoratione, ſeverè expoſuit: Quàm grave ſcelus, Deo quaſi poſthabito; & poſtulato, ob intentatum à Nahâ Ammonite bellum, ſibi ex ſuis rege, admiſiſſent. Morem nihilo minus ipſis eſſe geſtum; & quem Deus elegiſſet, regem haud obſcurè declaratum.

Si rectis ſtudijs Deum colere pergerent; populo & regi feliciter omnia obventura. Sin ab avitâ pietate degenerarent; ipſos cum rege graviſſimis cladibus adflictum iri.

Quod quò faciliùs intelligerent, & verbis eius fidem adiungerent; Ecce, de-repente tàm inſoliti & intempeſtivi, maturâ iam tritici meſſe, ut futurum prædixerat, tonitruum fragores, effuſis miſti imbribus, & grandine; tàm denſa aëre ardente fulgetra, ingruérunt; ut re inuſitatâ attoniti, & extrema formidantes, peccâſſe ſe faterentur: & Vatem ſuppliciter, maioremque in modum, rogarent, ut Deus ſibi, quos delicti pæniteret, gratiam faceret.

Ille verò verbis benignis, tum ut animo bono eſſent, neque graviora timerent; tum ut Deū, quem graviter offendiſſent, omni animi ſtudio & contentione colere; omnemque peregrinorum ac vanorum Deorum cultum aſpernari pergerent; comiter hortatus; neque pro ipſis precandi, neque rectæ pietatis viam edocendi, finem facturum ſe, confirmavit.

SAVL *quùm regnare cæpit, vel puero anniculo purior fuiſſe, & innocentior; & pari cum puritate biennium perſeveráſſe* traditur.

Quod quidem Genebr. ſic interpretatur. - Poſt annum à ſui electione, regnare cæpit. Quum autem duobus annis regnâſſet; elegit ſibi III. Mill. virorum. Duobus nempe primis regni annis, ſat habuit evitare invidiam: & ſe adverſus maligniores privatâ modeſtiâ, & auctoritate Samuelis, tueri. Poſteà regno confirmato, cæpit more regio ſe ſatellitibus ſtipare.

Seder-olam, ſic: Duobus ann. regnavit, antè ſui reiectionem; & Davidis unctionem, à Samuele paullo-poſt peractam.

Rabanus - Saülis, putat, tunc filium fuiſſe anniculum (ISBOSETH) qui biennium poſt Patrem, iam grandior regnârit.

SAVL, inquam, cæteris domum dimiſſis, III. è populari delectu, millia ſibi adſcivit. ex quibus bis mille in Bethelam ſecum abduxit: reliquos Ionathæ F. in Gabaâ, attribuit.

Hic autem, quùm vicinam Philiſthæorum ſtationem, (Ioſeph. cæſo præfecto) expugnâſſet; quantumvis novâ quâdâ alacritate Iſraëlitas compléſſe videretur: & SAVL Pater, ſigno belli elato, populum ad ſe in Galgala excijſſet: Philiſthæi contrà, facti indignitate, & inviſæ gentis faſtidio, iritati, maximas copias (Ioſeph. CCC. peditum, & XXX. curruum falcatorum, & VI. equitum, Millia) coegérunt; & ad Machmam caſtra ſunt metati.

Quo rumore exterriti Iſraëlitæ, partim in rupiū latebras ſe abdidérunt; partim trans-Iordánem, in Gaditarum & Galaadenorum regiones, (verè Hebræi, & non Iſraëlitæ) perfugérunt.

Et SAVL, populum à ſe, præ metu, paullatim dilabi, conſpicatus, & quòd SAMVEL in morâ eſſet; neque intrà ſeptimum diem, quo ad ſacra Sabbato facienda adfuturum dixerat; veniſſet: graviora, ob Deum, nequedum ſacris placatum, veritus. hoſtias temerè ad altare immolavit, (veriùs, fort. immolandas curavit.)

Quâ de re, à SAMVELE, qui iam, licet ſeriùs. intervenerat, acerbiſſimè increpitus, *& ſtultè egiſſe; neque longinquum ſibi fore regnum; alterumq;, qui Deo gratior eſſet, mox adſciſcendum*: audivit.

Magna, ex hoc regis peccato, & Samuelis indignatione, & ſacris non ritè litatis, animorum conſternatio Iſraelitas inceſſerat. quam & hoſtium vicinitas, & ferreorum telorum inopia, magnoperè auxit.

(Vſus namque ferramentorum, fabris, eorumque inſtrumentis,

instrumentis, aliò translatis; à Palæstinis, bello superiore victoribus, fuerat ademtus. neque cuiquam rustici instrumenti, nedum teli bellici conficiendi, potestas fuerat relicta.)

SAVL itaque, cum Ionathâ F. & militibus, non ampliùs sexcentis (ijsque ab ense & lanceâ inermibus) in Gabaam (Ioseph. Gabaonem) Beniamitarum Vrbem, concessit.

Philisthæi verò, quibus iusto prœlio cum hoste confligendi copia non fieret; cuneis trifariàm distributis, & in totidem hostici plagas, (Ephram, Beth-horon, & Zeboim) immissis, ad prædas ex agris agendas, se converterunt.

Intereà verò dum SAVL in Magrone, quod Gabaæ extremum est; exiguo, quem dixi, cum comitatu; & cum Pontifice Ahiâ, (qui & Abimelech, c. 21.) Helis sacerdotis nepote: Achitobi (qui frater Ichabodi, quem postumam Phineæ prolem præmaturè obijsse diximus) Filio; consideret: & res suorum agi ac ferri impunè videret:

IONATHAS F. audaci quidem consilio, sed certâ divinæ opis fiduciâ, solo armigero comitatus, per abrupta montium, propinquam Philisthæorum stationem adgressus: & ab hostibus ad adscendendũ (quod indubium ille victoriæ omen sibi præsumserat) invitatus, xx. ferè ex ijs interfectis, universa castra; & latè sparsos, huc & illuc, prædatorum cuneos, tanto terrore perculit; ut in fugam versi, neque imperia exsequi, neque ordines servare intenti; omne in pedibus salutis præsidium haberent.

Quod ubi SAVLI per speculatores renuntiatum; omnia, quà visus erat, constrata armis & cadaveribus, & interea humum sanguine infectam; Sacerdote Ahiâ oraculum, per sacra, coràm Arcâ, exquirere iusso; suos properè eduxit.

Et alijs, è latebris, in quas confugerant, ad tumultum emergentibus; aut Philisthæos, quibus ministrabant, deserentibus; ut iam ad decies mille excrescerent; perculsos, cæcoque inter se furore commissos, persequens, insigni victoriâ est potitus.

At quùm in ipso persequendi hostis articulo, rex omnibus, cibi sumtione, ante-quàm bellum profligatum esset, ad vesperam usque, interdixisset; Ionathas, eius interdicti ignarus, ex favo passim, in saltu, obvio, tincto hastæ spiculo, mel expressum degustavit.

Quo quum vireis sibi, è fame & lassitudine, refectas sentiret; Patrem rectè fecisse negavit, qui corpora militum cibo curari vetuisset: atque ità ad hostem persequendum lentiores reddidisset.

Dum populus verò, ingenti hostium strage, à Machmis ad Aialonem usque, editâ; & castris vacuis simul, occaso iam Sole, direptis; pecudes, quarum magna ibi vis reperta, mactarent, carnibusque cruentis vescerentur; publico regis edicto, ab eo, quod cum piaculo coniunctum esset, abstinere; & carneis à sanguine depuratas comedere sunt coacti.

Rex autem Altari tunc primùm à se exædificato, hostium reliquias conficere, eâdem nocte, & milite haud gravatim imperata faciente, præcupidus; DEI, super eâ re, sententiam exquirere, Pontificem iubet.

Cui quùm responsa ex adyto non redderentur; ipse DEVM delicto, publico, an privato! offensum, ex silentio, arbitratus; quæstionem de auctore, (Ieiunij violatore) non sine pœnæ capitalis denuntiatione, constituit.

Et Ionathas, alijs, per experimenta, noxæ exemtis, sorte deprehensus in culpâ fuisse; & factum ingenuè confessus, quùm ad mortem à Patre deposceretur; populo intercedente, qui tàm luculentæ victoriæ auspicem & perfectorem occidi nefas duceret; liberatus est, & ab exitio vindicatus.

Atque ità rex (Ioseph. cæsis circiter LX. hostium millibus) victor domum reversus, feliciter deinceps regnavit.

Et adversus finitimos, Ammanitas & Moabitas, Palæstinos & Idumæos, Amalecitas & regem Sobæ, res prospertimè, & secundis passim prœlijs, gessit. veteres eorum iniurias egregiè ultus.

Fuit ei Vxor Achinoa, Achimaæ filia. & Liberi Mares III. IONATHAS, & IESSVI, (qui & Abinadab, c. 31.) & MELCHISVA. (Quartus, ISBOSETH, uti bello inutilis, hic præteriri videtur.)

Altero sexu, II. MEROB, & MICHOL.

Militare copiarum imperium, penes Abnerum, Patruelem, fuit Cuius generis hæc series.

Iemini, Aphia, Bechorath.

Seor (al. Seror) Abiel { Cis - Saül. / Ner - Abner. }

Ille ex Iuventutis numero, robore ac specie præstantissimum quemque, in suum adlegebat satellitium. Atque ità abundabat (Ioseph.) equitatu & curribus: & Hebræi regni potentiam cò extulit, ut vicinis esset formidabilis.

2891. | Anno SAVLIS x. natus est Davides. Ipse namque annos xxx. natus, ab excessu eiusdem, regnare cœpit. | 1059.

BELLVM IN AMALECITAS.

SAMVEL intereà à Deo admonitus, regi verbis eiusdem nuntiat & mandat: ut genti Amalecitarum (quæ olim Hebræos, ex Ægypto emigranteis, transitu prohibuerat; varijsque molestijs & iniurijs adfecerat 17. Exod. & 25. Deuter.) bellum inferret. Addito interdicto, *Nequid ex spolijs devictorum concupisceret: atque adeò & ipsos, & res eorum omneis penitus & ad internecionem deleret.*

Ducto itaque ille in fineis hostium exercitu, bis-centies mille peditum, & x millium è Iudæâ Tribu delectorum. (Ioseph. tradit, Quadringenta millia; & ex Iudæis xxx) Et positis, circà Torrẽtem regiæ urbis, insidijs: Et Cinæis (qui ex socero Moysis, Iethrone, ortum trahebant; & benignè Israelitas, ceu cognatos, eâ tempestate habuerant; 10. Numer.) secedere è medio iussis.

Gentem vniuersam ab Hevilâ, ad Ægypti vsque confinia, (Iose. à Pelusio, urbe Ægypti limitaneâ, ad Rubrum vsque Mare)subegit. omnibusque sine exceptione interfectis,regem Agagum viuum cepit.

Ipse verò prædæ luculentæ magnitudine victus, & diuini imperij immemor; pulcerrima quæque è captiuis, unà cum rege, adseruari, & in domum suam auerti iubet.

Quod exemplum populus secutus,& ipsi iumentis & pecoribus opimis,rebusque pretiosis pepercêrunt, & in prædam abegêrunt.

Quo facto offensus Deus,Samueli professus est; *Ægrè sibi esse, ac pænitere, quod Saulem, qui præcepta sua contemneret, regem creâsset.*

Ex his Dei verbis, & facti regij indignitate,tantum animo dolorem cepit SAMVEL; ut meliorem noctis partem in clamore precibusque consumserit. Et primâ luce ad Saülem, quem iam transisse Carmelo, ubi Arcum fixerat Triumphalem, in Galgala descendisse audierat; magnis itineribus contenderit.

Quem cum severè obiurgaret, quòd iterū Deo, cuius tot in ipsum beneficia exstarent, non paruisset. Et is contrà, se sedulò obedîsse: & à populo opima spolia, quæ Deo ritè immolentur, reseruata esse adseueraret: Ille. *Deo obedientiam præ victimis gratiorem esse*, respondit.

Sibi igitur persuaderet; se, *qui Dei obedientiam abiecisset, vicissim à Deo etiam abiectum esse, ne regiâ cum potestate populo in posterum præesset.*

Quùm tandem SAVL peccâsse se fateretur, qui maiorem popularis cupiditatis & gratiæ; quam Dei Vatisque præceptorum, rationem habuisset. rogaretque illum, ut sibi ignosceret: secumque, adorandi palàm Dei causâ, reuerteretur. idque SAMVEL obstinatiùs facturum pernegaret, & ad abeūdum se properet: Ille summam pallij partem, iam abiturientis, tantâ vi apprehendit, ut discinderetur.

Ex quo quasi augurio. Vates, *Discindendum à Deo regnum ipsius prædixit, & meliori iam-tum destinatum. quod quidem Dei decretum immutabile sit futurum.*

Quumque ille hanc saltim sibi à Vate honoris gratiam fieri importuniùs postularet, ut in Principum, populique conspectū secum veniret, & Deū veneraretur; eum secutus est.

Et in regem Agagum, delicatè obesum, & amarâ præsentis mortis imagine iam-tum contremiscentem, inuectus; Æquum esse, ut, *cuius gladius tot matres liberis suis orbâsset, matri quoque eius par hostimentum debeatur.* ceu victimam piacularem ferijt, & in frusta concidit.

Indè domum, in Ramatham, regressus, ex eo die, ad SAVLEM, qui iam ad Gabaam adscenderat, post-illà, honoris aut consilij dandi causâ, uti consuerat, minimè visit: licet eius vicem & casum grauissimè doleret.

PRIMA DAVIDIS INVNCTIO.

EIVS autem luctui, de abrogato Saüli imperio, Deus,ut modum poneret; ipsum,in Bethlehemum, ad ISAIM, proficisci iussit. Et ne quid sinistri rumoris ad Saulem permanaret: neve Ciues inopinato eius ingressu perturbarentur; sacro ibi solenni, & victimâ, aduentum suum prætexere. Ad cuius epulas Isaim Patrem, cum liberis, euocandos curaret: & quem ex ijs regem futurum designari vidisset, unguento perlineret.

Omnibus itaque singillatim, & coràm, à Patre arcessitis; quùm se primùm ELIABVS, ABINADABVS, & SAMMAS, & deinde alij, ex ætatis prærogatiuâ (Ioseph. Nathanaël, Kaël, (al. Raddai) & Asamus. Caietanus septimum,Ionathan, qui alijs Nathan; adoptiuum, connumerat) Vati stitissent: Et quantumvis eximiâ omnes corporis formâ, repulsam tulissent.

Tandem DAVIDES, natu ex ijs minimus, liberali puer facie, & oculis venustis, ex agro, ubi paternum gregem curabat, accitus est. Eumque Vates, Deo instigante, agnitum, medijs in fratribus, oleo perunxit.

Atque ex eo die, DAVIDES virtutibus cultior; Deoque deinceps, per omnem ætatem, gratior euasit. (Ioseph. occulta Numinis vis, deserto Saüle, in Davidem commigrauit; & ipse, diuino spiritu adflatus, vaticinari cæpit.)

Quumque SAVL, mente captus, malignis furijs diuinitùs agitaretur: & à domesticis, peritus psallendi, excantator, quæreretur; Davides multis nominibus, cantandi scientiâ, & singulari bellici roboris, & spectatæ in dictis factisque prudentiæ, formæque præstantiâ, commendatus; Patre exorato, & eum à pastione reuocante, ad regem cum muneribus venit.

A quo lætè admodùm & benignè acceptus, & in satellitium, ceu armiger, adlectus; magnoque, inter ministros regios, in pretio habitus est. Qui quoties rex, velut lymphaticus, bacchatetur; suaui ad Citharæ pulsum cantu, ingruens malum, & deformem illam mentis ægrimoniam, leuabat.

DVELLVM GOLIATHI ET DAVIDIS.

BELLO deinde, inter Allophylos & Hebræos, iterum exorto; & castris ex-aduerso, inter Azecam & Vallem Terebinthi, positis. quùm acies utrimque ad pugnandum explicatæ constitissent; Goliathus quidam ex Palæstinis, Gethæus vir, miræ magnitudinis ac roboris, insitatis armis totum corpus obtectus, suorumque ordines prætergressus, & ferocibus verbis probra in hostem iaciens; singularem pugnam ciebat.

Vt duorum adverſariorum periculo, penes utros futura eſſent præmia victoriæ, decerneretur. Atque ita per IV. dies in medium progreſſus, eâ, quam diu, lege hoſtem próvocare non deſiſtebat.

Rex autem SAVL, in magnum ſtuporem iuxtà ac metum datus, quùm nemo ex tanto agmine adgredi auderet; magna præmia, & filiæ nuptias ſpopondit, ſi quis provocantis ſpolia retuliſſet.

DAVIDES intereà, etiam-num adoleſcens, miſſu Patris (ad quem à Saüle redierat, & ad intermiſſam gregum curam ſe receperat) in caſtra venit: & ad fratres, natu maiores, nomen militiæ profeſſos, & ſigna regia tùm ſecutos, viſit, & commeatum attulit.

Et auditis, è propinquo, Barbari Gigantis convicijs commotus; & regijs promiſſis excitatus. licet à fratre Eliabo invidiosè perſtrictus ad caulas amandaretur; pugnæ ſeſe obtulit.

Quâ re celeriter ad regem perlatâ; ipſe accítus, & quaſi puer ad pugnam minimè idoneus, contemtus: ſua facinora commemoravit. *Leonem & Vrſum, gregi olim ſuo imminenteis, ſolo à ſe adflictos. & faucibus eliſis enectos fuiſſe. Deum ſibi par robur additurum, quo profanum adverſarium, tàm impiè regi & populo inſultantem, proſternat ac conficiat.*

Quam generoſam adoleſcentis audaciam rex admiratus, fauſtiſque votis proſecutus, in certamen dimiſit.

Ille verò armis regijs, galeâ & loricâ, ob inſolentiam, reiectis; bacillo tantùm & fundâ, & quinque lapillis, è torrente obvio ſumtis & in peram congeſtis, ad hoſtem proceſſit.

Hic, poſt alternas inter ſe contumeliarum velitationes, ubi comminùs ventum eſt; DAVIDES, divinæ fiduciæ & victoriæ ſpe animatus, Gigantem contemtim & cum maledictis in ſe, inermem, iam propé illatum, contorto in adverſam frontem è fundâ lapide, ità perculit; ut humi proſtratus pronuſque iaceret: Et victor ſuo ſibi gladio cæſum obtruncans, caput, cum ſpolijs, auferret. Et hoſtes viciſſim, tàm præſtantis inter ſuos bellatoris cæde turbati, atque universè in fugam turpem effuſi, victoriam quaſi ex pacto concederent.

In eos nihilo minus. ità trepidos, SAVL, cum copijs & militari clamore, irruens; & ad Gethæ uſque, & Accaronis portas, ingenti ſtrage perſecutus; tricies mille (Ioſeph.) ex ijs concidit: multoque plureis vulneribus confecit. Et è prœlio reverſus, luculenta eorum caſtra diripuit atque incendit.

Caput Goliathi à Davide Hieroſolymam aſportatum; & arma in Tentorio collocata. (Ioſeph. caput in tentorium reportatum, & gladius eius Deo conſecratus.)

(Conſtat, poſt triumphum, ex Hieroſolymis gladium in Noben fuiſſe tranſlatum, & illic in Tabernaculo Domini repoſitum.)

Dum autem caput Goliathi, non ſine triumphali pompâ & lætitiâ, Hieroſolymam deportaretur; immodicus circà Davidem favor; & alternus, ac glorioſus matronarum puellarumque, choros cum tympanis & ſiſtris agentium, concentus, *quo Sauli mille, & Davidi decies mille hoſtium cædes* attribuebatur; invidiam ſuſpicionemque regis, in Davidem, cui nihil aliud niſi regnum reſtare prædicaretur; magnoperè accenderat.

Hunc tamen, tàm carum omnibus, & manifeſtâ Dei tutelâ ſeptum, cum offenſione & pernicie occidere metuens; per honoris & beneficij ſimulationem, periculis obiectare conſtituit.

Ac primùm, Tribunum, ſive Chiliarcham, eum fecit: ut rem bellicam, multis diſcriminibus obnoxiam, curaret. Quod munus ille intrepidè & prudenter, Deo duce, & volentibus militibus, obivit.

Indè filiam maiorem, Merobam, ipſi, multùm licet reluctanti, & natalium ſuorum tenuitatem excuſanti, anteà ex pacto deſponſam, rex alteri; Hadrieli Molathitæ, non ſine perfidiæ & malevolentiæ notâ, nuptum tradidit.

At poſtquàm ei nuntiatum eſt, alteram filiam, Micholen, Davidis amore deperire, eumque in oculis ferre; (al. Davidem eius amore captum eſſe) Pater, qui captatâ hinc inſidiarum opportunitate, ſibi placére nuptias ſimulabat; per emiſſarios, Davidis animum tentari, & ſpe regiæ adfinitatis adlectari, iuſſit.

At quùm ille generis & fortunarum humilitatem iterùm excuſaret; dotis ei gratiam ſocer facturum ſpopondit: *ſi modò centena ex Philiſthinis præputia.* (Ioſeph. Sexcenta hoſtium capita) velut quidam regiarum ex inimicis iniuriarum vindex, *reportáſſet.* Ratus Iuvenem, gloriæ cupidum & periculoſa audentem, facilè & brevi periturum.

Quod ubi ille ratum habuit; cum militibus ſibi obnoxijs ad Accaronem profectus; & impigrè, quod rex imperárat, exſecutus, ducentos ex hoſtibus intercepit; & totidem reſecta ex ijs, ad regem, præputia attulit: regiamque virginem in matrimonium accepit.

Hæc tamen neceſſitudo animum regis non immutavit: ſed ex ſuſpicione in apertum odium præcipitavit.

Quo in dies magis magiſque gliſcente, miniſtris etiam ipſe ſuis, & Ionathæ filio imperavit; ut *Davidis vitæ inſidias molirentur.*

Idem verò, à filio (cui carus, & artiſſimæ familiaritatis fœdere, iam indè à principio, Davides fuerat devinctus) amicè increpitus, & de tot tantiſque eius in remp. & ipſum regem meritis, cōmonitus, cruentum imperium nonnihil ad tempus repreſſit.

Paullo namque pòſt iteratam ex Philiſthæis, duce Davide, victoriam, quùm maligno erroris ſpiritu, & atræ bilis intemperijs, exagitaretur. & Davides, de more, adſiſtens, & iam-nunc, uti rebatur, reconciliatus, citharâ morbum deleniret: lanceâ eum ferire conatus eſt. Quem ille ictum, & petitionem, aliquantà & celeri corporis declinatione, ac lanceâ in parietem defixâ, effugit.

At ubi iam non occultè, ſed palàm ſibi necem intentari vidit: crebrâ fugâ, & tùm uxoris

ſolertiâ,

[illegible], tùm Ionathæ indicio, saluti suæ consulere [illegible] est.

Iam enim regis furor, & in filiam Michol [illegible] quòd maritum, à Satellitibus regijs undique domi suæ circumseptum, è fenestrâ salvum clàm demisisset: & apparitores, collocatâ, super cervicali lecti genialis, statuâ; eiusque capite caprinis pellibus obvoluto, delusisset.)

Atque adeò in Ionatham, tamquàm patriæ caussæ del[illegible]orem, (quod eumdem Davidem ex præsen[illegible]us non semel insidiarum periculis studiosè, & ex mutuæ benivolentiæ officio, eripuisset) gravi[illegible]e exarserat.

Quumque Davidem in Ramatham, ad Samuelem, confugisse; & apud eum in Naiothâ (Ioseph. Galbaath) loco suburbano, & amœno Prophetarum receptaculo, agere intellexisset. Et lictores, q[illegible]s ad eum comprehendendum, iam tertiùm, emiserat, pari cum cæteris Prophetis spiritu af[illegible] & ipsi ibidem vaticinari cœpissent, neque ad [illegible] redirent, Ipse itæ quidem impotens eòdem pr[illegible]peravit. Sed priùs quàm in Samuelis conf[illegible]ectum ve[illegible]isset; Prophetam similiter agere occœpit. Et ad locum destinatum progressus, quasi à [illegible]istino mentis statu alienior, unà cum cæteris Dei laudes concelebravit: & veste abiectâ nudus, diu noctuque, coràm Samuele, humi prostratus iacuit.

Postquàm autem Davides ex Ionathâ non obscurè cognovit, Patrem nullis rationibus inflecti posse, ut vel in solidam ipsum gratiam recipiat; vel à malitiâ odioque desistat: qui in filium etiam suum, alienæ innocentiæ patronum, impetum cum spiculo fecerit. Post amicum cum Ionathâ congressum; & religiosam mutuæ, etiam apud utriusque posteros valituræ, fidei memoriæque obtestationem; Vale, non sine multis lamentis, & artis amplexibus, extremùm dicto; digressus est: & latebras ab infestissimo rege tutas, circumspicere & consectari decrevit.

Venit itaque Noben, ad Abimelechum sacerdotem. Et e[illegible] solitæ à famulis & comitatu solitudinis [illegible]ullam mirante, & percunctante; finxit: *Sibi negotiam à rege esse commissum, quod clàm alijs geri oporteat. Famulos loco condicto sibi occursaros. Intereà se viaticum, sibi & paucis comitibus, fame confectis, poscere.*

Quumque ille *panis tantùm sacri in præsentia copiam* esse diceret, quo *solos sacerdotes vesci fas esset*, si tamen *ipsi à re venereâ casti essent*, lubentèr eis præbiturum. Davides castitatis, & in se, & suis conscius, accepit & edit.

Prætereà caussatus, ob festinationem, *arma sua domi reliquisse*; à Pontifice, qui aliud quidquam armorum esse ad manum sibi negaret, *Goliathi gladium, iam olim Deo consecratum*, abstulit. Forte autem acciderat, ut eodem die, in Tabernaculo Domini, Doëgus, gente Idumæus, Saulis cliens, & regiarum mularum curator, interesset.

Davides indè se ad Achim, Gethæorum regem, recepit, sub eo stipendia facturus.

Sed ubi à ministris indicium ad regem perlatum est; *Hunc esse* Davidem. *apud suos Principem & domi nobilem, qui tot Palæstinorum millia nuper interfecisset*; ipse ut præsenti se periculo eximeret, furorem egregiè, & ore, & gestu simulans, à rege reiectus est.

Ad eum autem, qui iam in speluncam Odollamę evaserat; non modò fratres & agnati; sed quicumque, ob communem eius caussam, regiæ iniuriæ obnoxij; qui ære alieno fenoreque oppressi, vel bonis cesserant; vel solvendo, publicatis ipsorum facultatibus & agris, non erant: qui in perditis ac desperatis vulgò habebantur. undiq; convenêrunt, ad quadringentos; illo duce & Principe uti modestiùs victuri, ità quemvis casum subituri.

Adito itaque Moabitarum rege, in Maspham, rogavit; *Ut parentes & necessarij ipsius, intrà regni fineis & in fidem recepti, tantisper latérent, dum res eorum, Deo propitio, meliore in statu collocarentur.* Quod ille benignè præstitit, dum Davides arceis sibi creditas præsidiariâ suorum manu custodiret.

A Gado namque Prophetâ, quem ad eum Deus miserat, mox iussus est indè in Iudæam decedere.

Vbi quùm in Saltu Harethio. (Ioseph. in opido Sarim) moraretur; eumque cum armatorum cohorte palàm conspectum esse, Sauli esset renuntiatum; Ille (Ioseph. metuens, nequid magnum in se magnanimus vir moliretur) coactis ad regiam urbem, Gabam, in nemore Ramæ propinquo, tribulibus & amicis; hastam manu quatiens, perfidiæ crimen cunctis obiecit. Qui beni-voli animi inclinatione, *in Iessæi Filium*, auctore Ionathâ, propendentes, *maiora ab eo munera & præmia, quàm à se, exspectent. Neminem ex ipsis esse, qui vicem suam doleat. neque quid filius, cum federato & clandestino hoste, adversum se struat aut moliatur, renuntiet.*

Ibi, cæteris silentibus, Doëgus, quem dixi; quique honoratum inter Aulicos dignitatis locum tenebat; Vidisse se, ait, *Iessæi Filium, in urbe Nobe, apud Abimelechum sacerdotem*, Achitobi filium. *A quo de eventu rerum oracula acceperit: Commeatu prætereà adiutus, & gladio Goliathi donatus.*

Nec mora, Sacerdos, totâ cum cognatione, è Nobâ, ab rege offenso accitus; & insidiarum ac perduellionis (*quòd liberaliter Davidem, imminutæ maiestatis reum, habuisset*) postulatus. quùm rex nullam eius, qui totius negotij, & novi, quod inter socerum generumque intercedebat, dissidij ignarus fuisse diceret, excusationem admitteret: à Doëgo, (cæteris tàm cruentum & detestabile regis imperium abhorrentibus) unà cum LXXXV. alijs, (Ioseph. CCCLXXXV.) eiusdem sacerdotij consortibus, & linteâ veste amictis, immaniter trucidatus est.

Eodemque impetu Nobe, sacrosancta eorumdem alumna civitas, promiscuâ incolarū, tàm hominum, quàm pecorum, cæde; nullo ætatis sexusve discrimine, fundi[t]ùs & nefariè evastata est.

Vnus autem ex tantâ clade, & impijs carnificum manibus, elapsus, Abiatharus, Abimelechi cæsi sacerdotis F. & ad Davidem fugâ delatus, familiæ perniciem, & Patris sacerdotumque interitum, exercitamque in ipsos, & in Civeis universè sævitiem, renuntiavit.

At ille

At ille iam-tunc id animo præsagiisse se dixit; *Doëgum, quem illic, in Tabernaculo, interesse pridem viderat; fraudem & calumniam Pontifici aliquando instructurum. Ægerrimè sibi esse, quòd tantimuli occasionem infausto regi, vel imprudens, præbuisset.* Filium ut apud se maneret cohortatus est, latebras, periculumque an salutem! ambobus communia fore.

Certior autem factus, Palæsthinos, irruptione in agrum Ceilanorum factâ, prædas agere, & ad urbem oppugnandam se comparare; Dei oraculo iterùm confirmatus, & cum suâ cohorte hostem adgressus; magnâ cæde reppulit, & prædam ex ijs recepit.

SAVL autem, audito, inimicum, intrà unius opidi mœnia, conclusum: rem se iam factam habere arbitratus, populum subitò evocat, & Ceilam obsidione circumvallare iubet.

At Davides oraculo admonitus; *Ne opidani eius deditione iram regis redimant; maturè rebus suis consuleret.* Illinc cum sexcentis armatis profugit; & incertis sedibus huc atque illuc pervagatus est. Quod ubi rex intellexit, ab expeditione supersédit.

Intereà autem dum in Ziphenæ solitudinis saltibus ille versaretur; IONATHAS ad eū visit, & ut benè speraret hortatus est. *Ipsum, quidquid Pater incassum obniteretur, omninò regnaturum. neque id Patrem latére. Secum præclarè actum iri, si secundum modò ab ipso dignitatis locum obtineat.*

Et quùm uterque, Deum testati, fedus inter se renováissent, & ritè sanxissent; Davides quidem ijsdem in locis substitit; Ionathas verò domum suam reversus est.

Quùm autem Ziphenij ultrò ad regem, in Gabam, accessissent; & Davidem apud se, in Colle Hachilâ, latitare nuntiássent; *Si modò illuc descendere luberet, se illum in potestatem redactum in manus eius tradituros.* Rex collaudatâ eorum benivolentiâ, omneis Deserti latebras perscrutari iussit: & locis diligentiùs certiúsque exploratis, & vestigijs callidi fugitivi indagatis, ad se reverti.

At DAVIDES intereà se quæri certus, relictis locorum angustijs, in quibus tum versabatur, in Maönis avia se receperat.

Quo cum persecutus Saül, & in adversum montis latus progressus; quùm iam diffusis undequaque militum copijs, coronæ in modum, Davidem circumseptum teneret; neque effugium patéret: perlatus de-repente ad regem nuntius, Palæsthinos in ditionem suam irrupisse; conatum eius abrupit: & inopinatam Davidi salutem attulit; suique in Fauceis Engaddenas recipiendi spatium dedit.

Saül nihilo minus, Palæstinorum expeditione solutus, ter mille ex omni exercitu delectis, ad eumdem per rupeis, solis vix feris pervias, investigandum, perrexit.

Erat ijs in locis spelunca, vasto recessu opaca, in cuius interiora Davides cum suis se abdiderat. & in eamdem Saul, curandi corporis gratiâ, fortè ingressus est.

Hic exhortantibus Davidem comitibus; *ut ab infesto cupite opportunus tot iniuriarum, ex Dei promisso, pœnas expeteret.* Illi satis fuit, regij pallij laciniam clanculùm præcidere.

Cuius etiam facti mòx eius animum pœnitentia subijt: qui nefas existimaret; *In Dominum suum, quem Deus ipse unxisset, & ad regni fastigium evexisset, vim inferre. Ab eo igitur manus abstinerent, qui vel divinitùs, vel fatali mortis die, vel adversi prælij eventu, maturè sit periturus.*

Saüle deinde è speluncâ ad cœptum iter egresso; Davides, ponè, cum clamore, secutus, & regem adorabundus; *Quùm iniquum,* ait, *mi rex, tàm facilem calumniatoribus aureis præbère; & temerè ijs credere, qui Davidem vitæ tuæ insidias moliri vanissimè ementiuntur!*

Vel hodie palàm factum, & res ipsa loquitur; *Te in manus meas à Deo, hoc in specu, traditum, à me, si eâ opportunitate uti voluissem, occidi impunè potuisse. Sed tibi, quem idem Deus unxerit, licet inimicissimo, clementer pepercisse.*

Hæc chlamydis tuæ lacinia testis esto. Num maiore negotio tibi à cervice caput, quàm hancce à veste tuâ, præcidi potuisse. Et quùm ego ab omni iniquitate; & ab ultionis, licet iustæ, cupiditate sim alienissimus; Te contrà, capitaleis adversus me, innocentem, simultates iniquissimè exercere.

Sed Deum iudicem & ultorem obtestor. Impij impia perpetrent: ego pias manus sanguine tuo sceleratum non ibo.

At quem? cedo. quem, tu rex Israelis, persequeris? Eum certè, à quo minus periculi aut incommodi, quàm à cane mortuo, aut à pulice uno, tibi sit formidandum.

His sermonibus inflexus SAVL, ingemiscere & lacrymas fundere. Iustitiam & æquitatem Davidis, uti spectati iam olim filij, extollere. qui tàm expromtâ interficiendi hominis, sibi infensissimi, occasione uti noluisset; sed incolumem etiam dimisisset. Malitiam suam incusare, & veniam animitùs precari.

Et quoniam abundè sibi nunc constaret; *à Deo, qui iustus bonorum operum compensator est, regnum Hebrææ gentis ipsi, ceu præmium, reservari;* postulare enixè, ut regno aliquando potitus. *iniuriarum oblivisceatur: & iusiurandum det, neque se regis posteros exterminaturum; neque paterni nominis memoriam oblitteraturum.*

Quod ut facilè impetravit, domum suam redijt; Davides verò cum comitibus in loca tutiora se recepit.

2920. | In idem tempus, SAMVELIS Prophetæ, & pridem Iudicis, mors incidit. |

Qui in Ramathâ, domi suæ, sanctissimâ in senectute, è vitâ migravit; publico totius gentis luctu honoratus; & ibidem, natali sede, & familiari tumulo, sepultus.

(Vide

(Vide eius elogium, Ecclesiastic. 46. cap.)

Ioseph. libr. 6. vult ab Helis Pontificis excessu, cum solum annis XII. & cum SAVLE regnante, XIIX. ann. populo præfuisse.

Masseus, SAVLI tantùm II. & SAMVELI tribuit XXXIIX. annos.

Plerique ex alijs; Sulpit. Euseb. August. SAVLI & SAMVELI dant coniunctè XL. ann. Vt qui simul vixerint, & eodem ferè anno mortui sint; eorumdem Principatus tempora à B. Paullo connecti dicantur. Actor. c. 13.

Sulpit. eorum opinionem refellit, qui XXX. ann. SAVLI tribuerunt, (&, quod consectarium est, X. SAMVELI) hoc argumento:

ARCA DOMINI in Cariath-iarim translata est, nōdum regnum adepto SAVLE. Deinde eodem ex loco submota per DAVIDEM, iam regem, cum per annos XX. ibi constitisset. Quùm igitur intrà id tempus SAVL regnârit atque decesserit; exiguo admodum spatio imperium tenuisse arguatur, nedum XXX. ann.

Eadem, inquit ille, de Temporibus SAMVELIS, caligo. ut qui sub Heli Sacerdote natus, & admodum senex Sacerdotio functus, referatur. Vnde à nonnullis LXX. ann. præfuisse, per se, & cum SAVLE, putetur.

Hæc postrema opinio nostrum calculum quasi stabilit; qui XXXIIX. SAMVELI damus, & XL. SAVLI. & ex ijs aliquot, filijs Samuelis communicemus.

Genebr. Anno X. Principatus Samuelis, vult regem postulatum. Et idem tamen utrique, Samueli & Sauli, coniunctè XL. ann. attribuit.

Hic SAMVEL, Prophetarum, sive Propheticorum collegiorum, fundator fuisse meritò censeatur. Nam etiamsi multos Patres, antè, quam Prophetas lège promissos mitteret; spiritu prophetico Deus exornarit: Abrahamum, Iosephum, &c. & externorum nonnullos; Balaamum, Iobum, &c. sed præstantissimum omnium Moysem; à quo ad Seniores LXX. ille translatus est. SAMVEL tamen omneis eâ gloria superavit: & propheticam professionem, pænè intermortuam, à Seniorum morte, excitavit.

A quo exinde ordinarium quasi quoddam Prophetarum collegium exstitit: ità ut in singulis Ætatibus, & Civitatibus, greges Prophetarum inventi sint.

Huic autem professioni multi ultrò se devovebant; ut precibus, contemplationi, S. scripturæ Interpretationi, & concionibus, vacarent commodiùs.

E quibus subinde aliqui suscitabantur, qui rerū prædicendarum munere apud Reges, & populos, fungerentur. Itaque pòst Samuelem perpetuo pænè tenore Prophetæ, usque ad Malachiā, exstitere.

Idem, Librum Iudicum, & Ruthæ, & maximam partem Libri I. Regum scripsisse traditur. quem alius, eius nomine, ad Salomonis regnum perduxerit. (Vid. c. ult. I. Paral.)

Raban. Reliqua Libri Samuelis à Davide ipso vult perscripta. Alij ab Esdrâ. & reliqua Regum, edita ab Hieremiâ.

Priore libr. Paralip. proditum est, Samuelem Videntem, hoc est, Prophetam; & Davidem, CXII. Ianitores, qui ibi enumerantur, delegisse. Quod mirum: nisi vivente SAVLE id simul fecerint, vel facere anticipârint.

DAVIDES, implacatum adhuc Saülis furorem declinans, in remotiora Pharani deserta se receperat. Et audito, apud Nabalum, virum locupletem, qui à Calebo usque genus ducebat; & fructuosa in Maône & Carmelo prædia, ac pastiones possidebat; pecora de more tonderi: decem ex cohorte suâ adolescenteis ad eum misit, qui suo primùm nomine ei salutem prosperaque omnia precarentur; deinde sua in ipsius opiliones beneficia, quamdiu in illâ solitudine greges pavissent, commemorarēt. *Tuta illis omnia & indemnia, multis iam annis, suâ fide & custodiâ, fuisse.*

Postremò rogarent, ut ad se ex esculentis & poculentis, quæ in promtu essent, quantumque luberet; referendæ gratiæ transmitteret.

Nabalus verò, homo durus, & agresti pravoque ingenio præditus; ad hæc postulata, immite & inhumanum, more suo, respondens; non modò *Davidem, uti Iessæi F.* contemsit; & quidquam è cibo potuque, qui pastoribus suis adparatus esset, participaturum esse, eum ijs, quos ignorare se diceret, negavit. *sed exertos etiam esse servos*, contumeliose exprobravit *qui desertis heris, fugitivi, superbè insolenterq́ se gererent.*

Quibus ità renuntiatis, Davides suos gladijs accingi iubet: & ducentis ad sarcinas relictis, quadringentos secum adsumit; & rectà, infestisque animis, in Nabalum educit.

Eius autem Vxor, ABIGAILA, matrona, in quâ prudentia cum formæ venustate certabat, ab uno famulorum, de ijs, quæ gesta erant: de duro mariti responso: de Davide, cuius spectata in totam familiam officia exstitissent, turpiter reiecto, & ignominiosè compellato. de periculo denique universæ domui ab iratis militibus impendente, monita; imperat maturè asinos sterni, & rebus ad victū necessarijs adfatim onerari. Et pueros cum eis antecedere: Ipsa ponè, & clàm viro, mòx secutura.

Quæ quùm inscenso iumento ad radicem montis pervenisset; & obvium Davidem, cum armatorum manu, habuisset: iam-tum minas tonantem; & sua in ingratum improbumque hominem, Nabalum, officia cum stomacho exprobrantem. sibique & suis mala omnia optantem; *Siquid eorum, quæ illius essent, aut ex eius familiâ, reliqui faceret; vel cani etiam parceret.*

Ipsa, ut Davidem eminùs prospexit, ex asino delabens, ad pedes eius se proiecit, obtestans; *Ne tàm præcipiti animi impetu in Nabalum ferretur: qui se stultum, idque nomini suo convenienter, hoc in negotio, præstitisset.*

Se in culpâ non esse, quæ legatos eius non vidisset. Ne igitur iniurias suas innocentium sanguine ulcisceretur.

Sic enim fore, ut & Deus ipsum ab inimicorum impetu, siqua vis olim ingruat, salvum conservaret. Neque ipse dolorem in posterum, aut molestiam animo caperet, ex recordatione effusi tàm temerè in præsens sanguinis.

Quem

Quem Deus regem in Israelitis esset aliquando constituturus; clementiam & humanitatem in primis decere.

Acciperet itaque munuscula, quæ lubenti animo ipsa deferret: suique, quùm rex esset, non sine beneficentiâ, meminisset.

DAVIDES non modò eius oratione mitigatus est; sed acceptis prolixè muneribus, gratias etiam Deo & illi egit; quòd *tam maturo occursu & adloquio prohibuisset, quo minus promiscuâ insontium cæde & sanguine, manus suas fœdaret, & iniurias immaniter ultum iret.*

ABIGAILA honoratissimè à DAVIDE expedita; & domum, regio penè convivio tum diffluentem, regressa; nihil ex ijs, quæ gesta erant, cum viro in præsens communicavit: quem cum æqualibus genio indulgentem, ebriumque offenderat.

Primâ autem luce, & heluco iam defervente, sobrium increpitans, ex tàm præsentis periculi denuntiatione in tantum angorem dedit; ut toto quasi corpore sideratus obriguerit; & decimo pòst die, miserandum in modum, divinitùs sit exstinctus.

Quod quùm Davidi nuntiatum fuisset; cum Deo gratias egit, qui & se ab iniquâ cæde cohibuisset; & dignas, ab homine malitioso, iniqui in se opprobrij pœnas exegisset. Tum missis ad uxorem eius internuntijs, ut legitimo secum matrimonio coniungi pateretur, arcessivit.

Illa se tanto honore indignam sentiens; & testata, quæ vix abluendis puerorum eius pedibus idonea esse fateretur; tandem asinâ vehens, & nuntios comitata, & ad Davidem, quinque cum pedisequis, profecta eidem enupsit.

Idque eò prodiviùs; quod Saül, præ vecordiâ animi, Micholen etiam filiam, ipsi priùs nuptam, Phalthieli cuidam, Laisi F. Gallimæo, in matrimonium elocâsset.

Saül iterum à Ziphæis, de Davidis apud se latebris commonitus, cum ter-mille delectis in Desertum venit.

DAVIDES autem, clàm & de nocte in castra ingressus, eum in tentorio, & medio suorum agmine, dormientem nactus; & ab Abisæo, sororis suæ, Sarviæ F. ad cædem infesti capitis faciendam; incitatus; hunc ægrè cohibuit; *Nefas esse* dictitans, *Regem, divino suffragio creatum, interimere.*

Cuius temperantiæ ut indicium daret; hastâ tantùm & Scypho, quæ iuxta cubile eius sita erant, sublatis; non sine insigni fidei & pietatis laude, tegi inimicissimo iterùm pepercit; impunè & clàm, inter sopitos, è castris egressus.

Indè conscenso, ad iustum intervallum, montis propinqui vertice; & inclamatis Saülis militibus, imperatorem eorum Abnerum è somno excitavit.

Et quùm hic nominatim appellatus scitaretur; *Quis nam esset, qui inclamaret, & regis quieti molestus esset!* Ille denuò quæsivit; *Qui factum sit, ut ipse, vir inter regios amicos maximè honoratus, tàm negligenter heri sui corpus custodierit. & unum è turmâ suâ militem, in castra, ad regem cædendum, ingressum, non præsenserit.* Ob quod flagitium, capitali omnes pœnæ iure obnoxij sint. *Inspiceret coràm, quid factum sit spiculo regio, & aquiminario.*

Tum Saul, agnitâ Davidis voce, postquàm ab eo, de tam pertinaci in se persequendo malignitate, increpitus, cognovisset; se, à somno, & custodum negligentiâ, proditum, eâ nocte ab illo potuisse interfici, quem immeritò in exsilium egisset; & capite ac fortunis oppugnare non desisteret: *gratias se illi, pro concessâ salute, habere professus est. & ut securo deinceps animo esset*, hortatus; *nihil in posterum mali à se timeret.*

Et ille quidem, hastâ & scypho receptis, fausta Davidi à Deo precatus, in regiam revertit. Davides verò regi, tàm sæpe perfido, nihil credendum ratus; ut omnem sui investigandi occasionem demeret; peregrè, ad Achin, Gethæum regem, cum sexcentis, iterum profugit.

Ibique fixis ad IV. menseis sedibus, unà cum uxoribus & familiâ, commodè habitârunt. Quo cognito, Saül ab eo, frustrà investigando, destitit.

DAVIDES veritus, ne, uti inquilinus, Gethæis, ex diuturniore habitationis ibidem morâ, gravis esse videretur; à rege petijt, ut ad pristinam ergà se hospitalitatem, hoc quoque gratiæ adijceret. Pars agri, in aliquo regionis limitaneæ oppido, ad incolendum, ipsi & suis attribueretur.

Eiusque precibus rex annuens, Sicelegam ei donavit. (quæ deinceps in Iudæorum regum dominatione permansit.)

Indè, ceu tuto nido & receptaculo, ex Gessuréis, Gerzitis, & Amalecitis (quorum pagi, extrà Gethæam ditionem siti, à reliquijs vetustæ, & devotæ olim, Chananæorum gentis, inter Suram & Ægyptum, tùm impunè habitabantur) magnas pecorum, & utensilium prædas, (captivis, ne ab ijs proderetur, interfectis) assiduè agebant: Et popularibus suis, piâ impostura, parcebant.

Rege autem, cui ex manubijs munera in partem cedebant, subinde percontante; *Vnde prædæ abactæ essent!* Ille Iudæos, Ierameelitas & Cenitas, Austrini tractûs incolas, regi sedulò oggerebat. Qui speraret, si Davides populareis suos hostilem in modum tractâsset, perpetuò sibi fidum & obnoxium fore.

SAVL verò, postquàm Palæstinos, magno cum exercitu, ad Sunam usque progressos, ibique castra metatos audijsset; ipse collectas ex omni regno copias in monte Gelboâ obiecit.

Ibi & de prœlij eventu solicitus; & insuitato Dei, cuius oraculum consuluerat, silentio magis territus, mente vix constitit.

Et quamvis, ab excessu Samuelis, Divinos omneis & Ariolos, religioso edicto è terris suis exterminâsset; nunc quâdam desperatione adactus, (quod neque per somnia, neque per sacerdotes aut Prophetas, responsa sibi redderentur) mulierculam Pythonicam (ἐγγαστρίμυθον, sive fatidicam.

dicam, & Manium eliciendi peritam) conquiri imperavit. Qualem quùm in Endoro opido degere comperisset; mutato habitu, & adscitis duobus famulis, eòdem, de nocte, contendit.

Illa, ariolari, & cuius ipse vellet viri animam è sepulcro ad superos educere, rogata; regis Saulis, qui omne hoc divinaculorum genus à regno suo priùs arcuisset, edictum excusare, & dicere: *Insidias vitæ suæ strui; ut vetitas arteis attrectare deprehensa, ad supplicium raperetur.*

Vbi verò iure-iurando dato persuasa est; se, extra omnem periculi & pœnæ aleam, futuram; & rem cum nemine communicatum iri; Samuëlis animam, uti iussa, ab inferis evocavit.

Qui simul-atque adscendit, & in conspectum venit, Illa primùm cum clamore ad regem versa; *Sibi illusum esse, & se à Saule ipso per fraudem consuli.*

Deinde iterùm ab eo confirmata; *Se, virum, divinâ ac venerandâ specie præditum, videre dixit, senem, & pallio sacerdotali amictum.*

Rex, qui Samuëlem esse istiusmodi indicijs perspexisset; vultu in terram proiecto, adorabundus salutavit. Et rogatus, quam ob caussam demortuum elici, & suis sedibus moveri iussisset; *Necessitate compulsum id se fecisse*, respondit. *Cui gravis hostium immineat exercitus; & à Deo desertus sit; ad ipsum, cui, dum in vivis esset, res suas curæ fuisse usque fuerit expertus, confugisse; ex quo, quid porrò sibi agendum, rogaret, & disceret.*

At Samuël, *Frustrà eum rogare*, subiecit; *qui à Deo destitutum se agnoscat: & cuius regnum æmulo Davidi sit destinatum.* Meritò hæc eum suo pati, qui bello olim Amalecitis indicto, mandatis Dei non paruisset.

Simul itaque; *Exercitum suum ab hoste profligatum, & castra expugnatum iri. & postero die, ipsum unà cum filijs, in prælio cadentem, secum futurum.*

His auditis, Saul, partim præ mæstitiâ, partim præ longinquiore inediâ, viribus corporis attenuatis, obriguit; & humi collapsus est.

Et tandem ægrè à sensibus ad mentem revolutus, muliere ipsâ, ad cibum sumendum, comiter urguente; & hanc officij sui, cum periculo coniuncti, gratiam reposcente: atque adeò improbis suorum precibus, induci vix potuit, ut adpositis cibis se reficeret, & ad iter nocturnum confirmaret.

Iam enim Palæstini ad Aphecam convenerant: & Hebræi, haud procul Iesrahelâ, castra collocárant.

Quùmque DAVIDES regem ACHIN, cum delectâ præsidianorum manu, è Sicelegâ, in Allophylorum castra, esset comitatus: &, uti auxiliaris, in novissimo agmine consisteret: à Satrapis alijs, qui eum cognitum haberent; & parùm crederent sibi illum adversus suos pugnantibus, fidum fore; iussus è castris decedere, & à prælio supersedere, ad stationem suam se recepit.

Intereà verò, dum iam triduum, Davides cum comitibus, abfuissent; Amalecitæ, factâ in Iudæorum Palæstinorumque agros irruptione, vacuam præsidio Sicelegam nacti, eamque depopulati, igne succenderant. & in miserabilem servitutem universos sequioris sexûs & infirmæ ætatis captivos, aliquo-usque abduxerant.

Quùm DAVIDES ex gravi, & incensæ urbis, & captivorum, dolore excitatus: & tantum-non ab iratis, ob iacturam coniugum ac liberorum, militibus, saxis impetitus. Et contrà, mox à Deo, quem per ABIATHAREM consulendum curárat, animatus atque commonitus, hostem ad Torrentem Bezoris insecutus est.

Vbi ducentis, quos lassitudo subsistere coëgerat, relictis; cum ceterâ manu, duce quodam Ægyptio, Amalecitarum desertore, libertatem & vitæ incolumitatem pacto; ulteriùs profectus; universam prædam, non sine extremâ grassatorum (qui iam-tum epulis & compotationibus, per agros, indulgebant) internecione, recuperavit.

Iter autē à victoriâ remensi, postquā ad Torrentem, ubi ducentos, minùs expeditos, ad sarcinarum custodiam, Davides reliquerat, pervenissent: & permulti ex quadringentis iniquiùs eos in prædę partem admittere nollent. *Vxoribus illi scilicet, ac liberis, ex hoste, & alienâ quidem virtute, receptis, contenti essent.*

DAVIDES æquum & par esse decrevit: *Vt universi milites, tam ij, qui prælio interfuissent, quàm qui impedimenta custodyssent; victoria*, quæ diviniùs sit concessa, *premijs, & spolijs æquabiliter participarent.*

Qui mos in prædâ dividundâ, in posterum, latâ etiam lege apud Israëlitas obtinuit.

Neque id ei satis fuit. sed Sicelegam reversus, ex gregibus & armentis, quæ ceperat; amicis, & propinquarum Iudæę urbium incolis, parteis & munera impertitus est. & alijs tuti hospitij memoriam præstitit, meritamque gratiam persolvit.

Philisthæi verò intereà, conserto acriter prœlio, Hebræos in fugam actos, in monte Gelboâ, ubi tetenderant, immani occisione fudérunt.

Et facto deinde impetu in Saulem, treis ex eius filijs, IONATHAN, ABIDANABVM, & MELCHISVAM, strenuè dimicanteis, iniectis undique telis, obruérunt. Et verso tandem totius prœlij pondere in patrem; iaculatoribusque submissis, graviter saucium penè confixérunt.

Ille iam non de salute, sed de mortis ignominiâ sollicitus, ne vivus in hostium potestatem veniret, ludibriumque deberet; Armigerum suum, ut se ferro transfigeret, obsecravit. Quod quùm ille, ob maiestatis reverentiam, detrectaret; suo ipse gladio incubuit. Armigero (hunc Hebr. Doëgum, Idumæum, fuisse putant) regis sui exemplum imitante.

Ad tantæ cladis nuntium, Israëlitæ, qui Vallem, ultrà citràque Iordanem sitam, & campestreis in eâ urbeis tenebant; relictis opidis suis, in loca muniriora se recepérunt. Quæ loca ita deserta Palæstini nacti, & facilè occupata, ipsi posthàc incoluérunt.

Die verò alterâ, quę prœlium proximè consecuta est, dum illi sparsim cęsos spoliant, in Saulis filiorumque eius cadavera incidérunt.

O Caput

Caput Saulis præſectum, & per civitates ignominiosè circumlatum, & in Templo Dagonis adfixum eſt: & arma, ceu ſpolia opima; in fano Aſtarothi collocata. dimiſsis quoquoverſum victoriæ nuntijs & teſtibus. Corpus eiuſdem pro muris Bethſanis, in furcam actum.

Verùm Galaaditæ, Iabeſæ urbis incolæ, rem indignam rati, regem, cum filijs, extremo exſequiarum honore fraudari; aliquam multi ex ijs, robore & audaciâ præſtantes, facto per totam noctem itinere, corpora eorum, ex Bethſanis mœnibus refixa, ſecum Iabeſam aſportárunt. & non ſine gratâ animi benivolentiâ (quòd olim à Saule è manibus Nahæ Ammonitæ liberati fuiſſe meminiſſent) in celeberrimo agri ſui loco, honorificè uſtulatorum oſſa contumulárunt. ſeptemque dies ieiunio, planctu & luctu, populariter exegérunt.

Hic exitus Saulis, vaticinio Samuëlis præſignificatus.

2921. | Ioſeph. l. 6. c. ult. Vult eum, vivente Samuële, xiix. ann. & poſt eius mortem, xx. regnáſſe. | 1029.

Angelomus hinc colligit xl. regni eius an. quòd Isboſethus F. eo anno natus tradatur ab Hebr. quo regnum pater ſuſcepit: patrem autem ille amiſerit, iam quadragenarius.

P·ęterea DAVIDIS puer unctus à Samuële dicitur. qui non videtur tricenarius potuiſſe evadere, in tam exiguo regni, quod Sauli quidam attribuût, tempore. tot enim ille annos natus, regnum capeſſivit.

Hinc deinceps uterque liber, & Βασιλειῶν, & Παραλειπομένων, coniunctim, ad concinnandam Hiſtorię ſacræ, Temporumque ſeriem, & chronologiam, advocari debet.

QVARTA



QVARTA ÆTAS, A DAVIDE REGE, VSQVE AD TRANSMIGRATIONEM IVDÆORVM IN BABYLONEM.

1921. Continet Regum, tum Iudæorum, tum Israëlitarum, tempora, & res ab ijs gestas. Et annos ex veritate Hebraicâ CDLXXIII. 1029.
Ex 70. Interpp. CDLXXXV.
Iuxtà utrorumque codices; Geneas XVII.
Quas B. Mat. certi mysterij caussâ, ad XIV. cõtraxerit.

DAVIDES REX.

Hic perlato ad se, in Sicelegam, (Ios. Sicellam) per Amaleciten quemdam, de Saülis, & filiorum eius, cæde, nuntio; planctu & ieiunio, & epitaphijs, tumulisve honorarijs, eos, qui in acie ceciderant, prosecutus est. Et nuntium cladis, adolescentem, qui manu suâ regem, ita in extremis fieri postulantem, occidisse, falsò fortè-an, aut gloriosiùs iactabat: & diadema regis cæsi, armillamque de capite & brachio detractam, tamquam ad æmulum regni, adtulerat; per suos occidendum e-vestigio curavit.

Inde, monente sic Domino, cum familiâ, & viris comitibus (Ios. cohorte domesticâ) in Hebronem profectus, à Tribu Iudæâ, rex creatus; & per ABIATHAREM Sacerdotem, inunctus est; ann. ætat. suæ XXX.

Quod quidem ipse factum Galaäditis, Iabesæ incolis, renuntiat: & ijsdem, pro egregiâ in Saulem, eiusque liberos pietate, ac sepulturæ honore; gratiam & à se pollicetur, & à Deo ominatur.

Intereà ABNER, Neri F. princeps exercitûs Saulis, ISBOSETHVM, (al. Isbaal. & Ios. Iebosthum) regis demortui F. iam quadragenarium, super Beniamitis, & ceterâ Israëlitarum gente, Regem, spreto Davide, quem sola Iudæ domus sectaretur, constituit. Quod quidem imperium duos iam annos tenuerat, regiâ apud Manahæmum, hoc est, Castrum, ultrà Iordanem, erectâ.

Crebris deinde prœlijs, inter duces Regum, hinc Abnerum, inde Ioabum, (Sarviâ, Davidis sorore, & patre Suri, natum) ex æmulatione, certatum.

Et ABNER, in Gabaone, post singulare puerorum, utrimque, ex provocatione, certamen, ceu fortunæ proludium; pulsus loco, & fugiens, Asaëlem, Ioabi fratrem, se celerrimè & infensissimè persequentem, aversâ hastâ, invitus, confodit. Vnde eiusdem cædes, paullo-pòst, ab ultore fratre, consecuta est.

Davidis intereà res erant usque secundiores: domo Saulis in dies minuente.

Illi autem in Hebrone commoranti, nati sunt,

AMNON, ex Achinoamâ Iesraëlitide.

CHELEABVS. (al. Daniel) ex Abigailâ Carmelitide.

ABSALOMVS, ex Machâ, Tholmai, regis Gessuræi, filiâ.

ADONIAS, ex Haggithâ. SAPHATIAS, ex Abitalâ.

IETHRAAMVS, ex Æglâ. (quæ alijs est Michole.)

(Iosep. sex filios, è totidem uxoribus, susceptos esse tradit.

AMMONEM, ex Achimâ: DANIELEM, ex Abigææ:

ABESALONEM, ex Machamâ filiâ Tholomæi, regis Gessirorum, (cuius soror, Thamar.)

ADONIAM, ex Angite. Quinctum & Sextum; GERTHESAM & GALAM.)

Paullo-pòst Abner, ille militiæ magister, & rector domûs regiæ Isbosethi, dicto regis, uti rebatur, contumeliosiore, ob exambitam, & exprobratam sibi, paternę concubinæ, Resphæ, familiaritatem; iratus: iam cum Davide societatem, deserto Saulis filio: & Michole, quam PHALTIELI viro ademerat, reductâ: suo, & universi Israëlis nomine, pactus, dum iter ad suos adducendos, & federe novo coniungendos, institueret; per dolum ab Ioabo (cuius fratrem, Asaëlem, anteà interfecerat) revocatus, indignissimè cæditur.

Eam cædem (quâ fides ipsius cruentari visa esset) rex palam exsecratus est. neque regno tamen adhuc recente, & instabili, vindicare ausus.

Eo nihilo minus nuntio, non modò rex Isbosethus, sed universus etiam Israël grauissimè conturbatus est.

Huc accessit, BAANÆ & RECHABI, filiorum Rhemmonis Berothitæ, (Ioseph. Banaothæ & Thanni, Hieremmonis Filiorum) facinorosa audacia.

Hi, principes latronum filio Saulis fuisse traduntur (fortè, Satellitum, qui & latrones; sive, mercenariorum militum.)

Et quùm anteà hero suo, & regi, insidias tetendissent; & regni summam ad Miphibosethum, Ionathæ Fil. (puerum etiam-dum, & claudum) transferre moliti essent: & detectis insidijs, in Gethaim profugere coacti. Nunc tandem ea tempo-

rum, & inclinati ſtatûs,opportunitate uti; & gratiam à Davide inire,ac promereri cupientes; Isboſethum, domi ſuæ meridiantem, interfecerunt; præſectumque eius caput in Hebronem, ad Davidem, adportárunt.

Ille verò, cum impios paricidas morte ignominioſâ multavit; tum caput Isboſethi, communi cum Abnero, apud Hebronem ſepulcro, nec ſine honore, tumulavit.

Atque ita omnes ferè natu maiores Iſraëlitarum, publico conſenſu, regnum citotius gentis detulérunt: & federe facto, Regem, iam tertiùm, inunxérunt.

2928. | Ipſe in Hebrone, uni Iudæ Tribui, ann. VII. & menſibus VI. iam fuerat dominatus. | 1022.
In Hieroſolymis, toti genti præfectus. XXXIII, ann. deinceps regnavit.
Triennio antè, ALBA SILVIVS, VII. Latinor. rex, XXXIX annis.
Et paullulo-poſt, EVPALES, XXXI. Aſſyrior. rex, ann. XXXIIX.

DAVIDES (miraculum quoddam inter homines. In quo certáſſe videantur, ſublimitas cum humilitate; ſtrenuitas cum lenitate: tam grandis rerum ſæcularium cura, cum tam purâ & religioſâ rerum ſpiritalium contemplatione. Qui quot homines peremerit, tot pænè lacrymas profuderit.)

Iam ad regnum accommodatus, res magnas adgredi & gerere cæpit, quibus omneis Hebræorum, & finitimorum, qui conſecuti ſunt, reges, virtute & gloriâ, longè ſuperavit.

2929. | Et primùm quidem IIX. regni anno Iebuſæum incolam (Chananæi generis reliquias) Hieroſolymis expulit. | 1021.

Arcem Sionis (ubi IOABVS virtute ſuâ, muris conſcenſis, principatus dignitatem ſibi paravit) cæcis licet & claudis, è murorum ſummo, inſultantibus; vi expugnavit.

Eamque de ſuo nomine dixit; & regni ſedem conſtituit. Domum ſibi cedrinam exędificavit, materiâ & architectis, ab Hiramo Tyriorum rege, ſubmiſſis.

(Ab hoc Hiramo, Tyriorum regnum, ſub XI. regibus, durat ann. CCXII. *uſque ad ann. O. Cond.* MMMCXXXIX.

An. regni IX. (ut quidam putant) Allophylos, bis in regnum ſuum (Ioſ. Syris & Phœnicibus auxiliaribus) irrucnteis, ſecundis prœlijs reppulit. ſemel, in Baal-pharaſimo; iterum in Gabaâ, uſque ad Gezeram.

Tum quoque Arcam Domini, quæ per ann. XX. fuerat in Cariath-iarimo, Iudææ opido, in domo Abinadabi: & per trimeſtre (poſt Ozam, Abinadabi F. diuinitùs cæſum; quòd Arcam in plauſtrum impoſuiſſet; neque ex lege, humeris ſuis portáſſet; eamque, bobus calcitrantibus, inclinatam, indecentiùs ſuſtinuiſſet) in domo Obedodomi Gethæi, (Ioſep.) genere Levitæ: magno cum populi, (*qui à Sehore Ægypti, uſque ad ingreſſum Emathiæ, fuerat per præcones vocatus*) adplauſu, ac veneratione, per Levitas & Cantores, in Sionem tranſtulit. & in medio Tabernaculi, quod pellibus tetenderat, magno adparatu collocavit: Sacrificoſque adſiduos inſtituit.

(Inſultatio autem MICHOLES, in religioſum Davidis mariti, coram Arcâ, tripudium, perpetuâ deinceps ſterilitate multata eſſe proditur.)

Præterea, quùm partâ paſſim & undique ab hoſtibus, eorumque incurſationibus, quiete; indignũ ratus, ſe quidem regem, ædibus cedrinis habitare; ARCAM verò DEI ſub pellibus hibernare: Templum Domino conſtruere in animo haberet. à Nathane prophetâ divinitùs ei reſponſum eſt redditum: *Semini illius (uti pacifico,* & à bellis caſto) *cum mirificis alijs* de regni diuturnitate *promiſſis, eam ædificandi Templi gloriam reſervari.*

Poſtremò hoſteis vicinos varijs prœlijs ita fregit, ut Philiſthæis Frenum tributi, quo, tot annis, Iſraëlitas oppreſſerant, extorquéret; ipſoſque viciſſim, iugo impoſito, ſibi vectigaleis faceret.

ADARAZEREM, regem Sobæ (Ioſep. Sophenorum) Euphrati imminentem; & Damaſcenos Syros, regemque ADADVM, eidem opitulanteis; tantâ clade adfecerit; ut præſidijs ipſe impunè Damaſcum inſidéret, & ad tributa ſibi pendenda adigeret. Domini ope, ubique tutus. Auri atque æris, & armorum ex prædâ opimâ, immenſam vim reportaret; eamque THOVO, regi Emathiæ, licet amico, extortam, Hieroſolymis, ceu munus votivum, cum cæteris manubijs locaret ac conſecraret.

Ioſeph. hunc Thoüm, Thænum vocat; & miſſis, per filium ADORANVM, (al. Ioramum) muneribus, ſocietatem cum Davide redemiſſe ſcribit. Idem pænè l. 2. Reg. c. 8. innuitur.

Refert idem, ab illo, quem dixi, ADADO, poſteros, in decimam uſque ſtirpem, regnum Damaſci deinceps tenuiſſe, nomine Adadorum tranſmiſſo.

Nec minorem ſibi nominis gloriam paravit, ex Syriâ (& Idumæâ) in Valle Salinarum; & cæde ibidem duode-vicies mille pugnatorum (duce exercitus ſui Abiſæo, Ioabi fratre.) & poſitis in Idumęâ præſidijs, totâque vicinitate in ſervitutem redactâ.

Longè tamen glorioſius, inter aſſiduos bellorum fragores, iura ex æquo & bono tot populis dicere. rem militarem, forenſem, Eccleſiaſticam ſive Sacram, optimis legibus, & ſapientiſſimis præfectis, conſtituere. MIFISOBETVM, reliquum Ionathæ, veteris amici, F. & Saulis nepotem, licet pedibus claudum, non modò in integrum, agris avitis mactum, reſtituere; ſed menſæ etiam ſuę adſiduum hoſpitem adhibere.

Quùm autem HANON, Nahæ patri, in Ammonitarum regnum ſucceſſiſſet. & miſſi à Davide Legati, qui, cum recentem eius luctum ſolarentur; tum priſtinæ amicitiæ, quæ cum patre ipſi interceſſiſſet, iura renovarent; iniurioſiùs, ex procerum

cerum instigatione, barbis & vestibus præcisis, ceu exploratores, fuissent tractati; bellum grave exortum est.

Syri mercede conducti, & mox ab Ioabo fusi. Ammonitæ intra mœnia ab Abisæo compulsi.

Viribus iterùm instauratis, dum diuersi Syriæ reges acriùs insurgunt; ita à Davide ipso, qui Iordane transmisso in Helam venerat, victi sunt; ut pacem ultrò exposcerent, & servirent.

CODRVS, POSTREMVS ATHENIENS. REX.
Et ARCHONTES ibidem Regibus suffecti.

2932. | Circiter feré x. regis Dauidis annum, immutatus est apud Athenienses Reip. status, hoc initio: | 1018.

Quùm exsulum, quos validi & victores iam Heraclidę undique è Peloponneso expulerant; frequentia faceret; ut virorum copiâ floreret Attica:

(Rex namque MELANTHVS, & ipse exsul, eos, ad se profectos, in parem iuris libertatisque conditionem receperat. (Vide ad annum O. C. 2395. & Seriem Regum Atheniensium.)

Metuentes, & sibi in longitudinem prospicientes Heraclidæ, instigantibus eos maximè Corinthijs & Messenijs, qui in eorum potestatem concesserant: illis ob vicinitatem; his, quod tum CODRVS, Melanthi F. regnum Atticæ teneret; bellum ijs intulérunt.

Victique prœlio, & profligati, ex Atticâ, Megaridem tamen occuparunt. & Megaris urbe denuò conditâ; & Corinthijs, alijsque qui habitare vellent, traditâ; incolas, ex Iönibus, Dorienseis effecére: & columnas, quibus ad Isthmum Iönes à Peloponnesijs olim ex pacto dispescebantur, sustulérunt.

Quùm hinc itaque inter Dorienseis, (al. Peloponnesios, & Lacedæmonios.) & Athenienseis, perpetuæ essent simultatium offensæ: & Dores vindicaturi bello, de eius eventu oracula (PYTHIVM) consuluissent; responsum fuit: *Superiores fore, ni regem Atheniensium occidissent.* (Patercul. verò sic: *Quorum dux ab hoste esset occisus, eos superiores futuros.* Valer. autem: Ipsi CODRO, ait, per legatos sciscitanti, responsum; *Finem bello & vastitati fore, si ipse hostili manu occidisset*) Quùm ventum ergo esset in bellum; militibus ante omnia custodia regis Attici præcipitur.

CODRVS verò, qui eo tempore Atheniensium rex erat; & Dei responsum, hostiumque præceptum, cognoverat; caput suum pro patriæ salute devovit: atque id ipsum præcaventeis fefellit hosteis. Permutato namque regis habitu, (Valer. depositis imperij insignibus) pannosus (Paterc. pastoralem cultum induens) & sarmenta collo gerens, in castra hostium ingressus est: Ibique in turbâ obsistentium, rixam ciens, à milite gregario, quem falce, de-industriâ, convulneràrat, & in cædem sui irritàrat; haud longè ab Ilisso, interfectus, patriam bello exemit.

Cognito etenim regis cæsi corpore, Dores sine prœlio ex hostico decessére. Et CODRVM, cum morte, æterna, ex summâ in patriam pietate, gloria: & Athenienseis secuta est victoria.

Ab eius morte, regnum Erechthidarum, cui ille xx. annos præfuerat; quodque iam CDLXXXIII. (al. LXXXVII.) ann. steterat; defecit.

Sic Iustin. Post CODRVM, nemo Athenis regnavit, quod memorię eius nominis tributum est.

Non tamen, ut idem innuit, statim Reip. administratio annuis magistratibus est permissa. quúm Codri F. MEDON, teste Paterculo, primus Athenis Archon fuerit: eiusque posteri, dicti Medontidę; & insequentes, ad Charopem usque, dum viverent, eum honorem usurpárint. Et deinde ijdem, à Charope, ad Erycem, in decennium creari (idque per LXX. ann.) cœpti. Postremò, annuis commissa est magistratibus Resp. quorum primus, CREON.

Sic & Pausan. Messenicis. Post Melanthum, Medontidis, populus magnam potentiæ partem ademit: & pro rege, alium instituit, qui reddendis rationibus esset obnoxius. posteà, decennium eis in imperio præscripserunt.

A morte CODRI, sive à I. MEDONTIS anno, ad Euænetum Prætorem Atheniens. sub quo Alexander in Asiam traiecit; à quibusdam anni 735. numerantur.

ARCHONTES ibidem perpetui.

Post MEDONTEM, Codri, quem dixi F. qui annis xx. etiam præfuisse traditur, Archontes perpetui, quorum principatus morte finiebatur; hi ordine fuisse comperiuntur.

2. ACASTVS (al. Agastus) ann. 36.
3. ARCHIPPVS, an. 19. 4. THERSIPPVS. 41.
5. PHORBAS, 31. 6. MEGACLES (al. Mezades) 30.
7. DIOGENETVS, 28. 8. PHERECLVS, 19.
9. ARIPHRON, 20. 10. THESPIEVS, 27.
11. AGAMESTOR, 20. 12. ÆSCHYLVS, 23.
13. ALCMÆON, 2.

DECENNALES, per LXX. ann. teste Velleio.

Isti verò consecuti, quibus decennium in imperio pręstitutum.

1. CHAROPS. 2. ÆSYMEDES (cuius an. 5. primi belli Messeniaci initium, ob Amphiam.)
3. CLIDIVS, al. Clidicus. 4. HIPPOMENES.
5. LEOCRATES. 6. ABSANDER. 7. ERYX, al. Ericius.

ANNVI.

Sub Democratiâ Atheniensium, Archontes annui fuere.

Primus in his (Vell. Paterc.) CREON. Inter alios, DRACO: & deinde SOLON, (qui Philombroto successit) Legum-latores: & PISISTRATVS, novæ tyrannidis auctor.

De cæteris ferè Diod. Sic. seriatim per annuos fastos meminit: & Polybius.

Casaubon. in eiusdem Polyb. Chronolog â. usque ad regnum Græcorum, sive ad Alexandri posteros, prolixè eosdem enumerat.

Herodotus lib. 6. CLISTHENEM, ait, Megaclis, (viri Alcmæonidæ) & Aganstæ, (quæ Clisthenis fuit, Sicyonij tyranni) F. Atheniensium Tribus, populariumque statum, instituisse, exactis iam Pisistratidis.

Quâ de re infrà fusiùs.

COLONIÆ GRÆCORVM IN ASIAM.

Quùm MEDON, & NILEVS, natu, inter Codri liberos, maximi, de regno, sive principatu, contenderent: & NILEVS Medonti, qui altero pede claudus erat, parere aut cedere nollet. & ille nihilo minus Oraculo Delphico rex esset declaratus; NILEVS, eum fratribus, in coloniam dimissi, ex Atheniensibus quicumque proficisci vellent; & Iönum exsulumque maximam partem, secum abduxeruut.

Hanc tertiam vult fuisse coloniam, Pausan. quæ sub alienis regibus, & alienis populis, è Græciâ sit diuulsa.

Olim IOLAVM, Iphicli F. Herculis Nepotem, Thebanorum; Atheniensibus, & Thespiadis (hoc est, ijs, qui patre Hercule, prosati ex L. Thespij filiabus) coloniæ, in Sardiniam, ducem fuisse.

Quâ de re, vide Diodor. Sic. l. 4.

Deinde unâ amenius ætate. quam Athenis enavigârunt Iönes; THERAM, Autesionis F. similiter Thebanum. Minyas, & Lacedæmonios, Lemno expulsos, in Insulam Callisten, sive Theram, ita de se dictam, perduxisse.

Tunc autem, tertiùm, CODRI filij, (qui genere paterno, Neleidæ sive Messenij; & materno tantùm, Erecthidæ, sive Athenienses, essent) duces, & Iönibus fuere præfecti. Quibus se & alij adiunxerint. Thebani; Minyæ, Orchomenij admisti: Cadmei: Delphi; Phocenses; Dryopes. Et ex Euboeâ. Abantes: alijque.

Traditum tamen esse, ait Strabo, hâc Iönum expeditione, Æolicam, IV. ætatibus fuisse priorem: licet in rebus agundis, & navigando lentiorem. cuius deducendæ Orestes auctor fuerit. Et eidem in Arcadiâ, è vivis exemto, PENTHILVS F. successerit. qui in Thraciam usque, cum suis progressus sit, LX. annis, post Troiæ exscidium. Quo ferè tempore Heraclidæ in Peloponnesum redire cœperant.

(Velleio. is annus LXXX. est, à Troiâ captâ. & CXX. quàm HERCVLES ad Deos excesserat.

Exclusi itaque ab Heraclidis, Orestis liberi; iactatique cum varijs casibus, tum sævitiâ maris; quindecimo-decimo demùm anno sedes cepére circa LESBVM Insulam.

ARCHELAVM, Penthili F. in CYZICENAM: & GRAVM, huius (al. Echelati) F. natu minimum, ad Granicum flumen progressum: & copijs, melius adparatis, in LESBVM traiecisse; eamque obtinuisse, produnt.

* CLEVAM, Dori F. & MALAVM, ex eâdem Agamemnonis stirpe, eodem, quo PENTHILVS, tempore, exercitum quidem coëgisse; sed à Penthilo, qui in Asiam transierat, præoccupatos; & diutiùs in Locride commoratos, seriùs in Asiam traiecisse; & CVMAM ibi tandem condidisse.

Postquam verò Iönes navibus in Asiam sunt adpulsi; alijs ad alia maritima conversis, NILEVS, cum suis, MILETVM, (Quæ nomen antè acceperat à Mileto: qui Minoëm fugiens, è Cretâ solverat; & eum Caribus, veteribus incolis, æquato iure, sedem ibi fixerat) occupavit. Et viris, præter eos, qui captâ urbe effugerant, cæsis; uxores, filiasque eorum, matrimonio sibi iunxérunt.

(Vide Herod. lib. 1. de lege Caricarum, ex isto facto latam.

Ibidem Herod. Iönes, inquit, reges sibi creârunt; partim Lycios, GLAVCO, Hippolochi F. partim Cauconas Pylios, CODRO, Melanthi progenie, ortos. partim ex utrisque.

Et Pausan. Achaic. ANDROCLVS, ait, Codri F. legitimus rex Iönum, qui in EPHESVM navigárunt, declaratus; Lelegas, & Lydos, qui partem urbis superiorem tenebant, eiecit: ibique regiam locavit. & SAMVM Samijs eripuit. Quùmque Prienensibus, adversùm Cares, opem ferret; victor, ibidem in prœlio occubuit.

Iönes, post hæc, deductis MYVNTEM & PRIENEN colonijs, Caribus eadem quoque opida eripuérunt. Et Myunris quidem Cyarethus (Strab. Cydrelus) Codri F. spurius, conditor fuit. Prienenses verò, ubi immisti Iönibus Thebani; Philotam (unum ex posteris Penelei: qui Hippalmi F. Thebanorum rex, expeditionis Iliacæ comes fuit) & Ægyptum (Strab. Epytum, Nelei F.) conditores habuérunt.

Alij Iönes, dato Grecis, (qui iam-tum à Mopso; Racij Cretis, & Mantonis, Tiresiâ natæ, F. conditi, COLOPHONEM tenebant) iureiurando; licet rerum iam omnium inopes, in communionem admissi sunt.

* Et Iönicum ibi regnum suscepérunt, DAMASICHTHON, & PROMETHVS, Codri filij. Ex quibus ille, fratre interfecto, in Naxum aufugit. (Strab. ait, Andræmonem Pylium, Colophonem condidisse.)

Alij, duce Andrępmone (Strab. Androcomo) Codri itidem F. LEBEDVM, Caribus eiectis, incoluérunt.

TEVM,

TEVM (quam Orchomenij Minyæ, cum Athamante (qui unus ex posteris Athamantis, Æoli F. multo ante habitârant) APOECVS, inter posteros Melanthi quartus, Ionas, sine maleficio, introduxit.

Eodem haud multis post annis, quidam ex Athenienfibus & Boeotis, pervenére: Illi DAMASO & NAOCLO, Codri FF. hi GERETE Boeoto, ducibus. Ab Apoeco, & Teijs, æquabili iure, cum prioribus, in Civitatem recepti.

CLEOPVS verò, Codri itidem F. quos potuit ex Ioniæ civitatibus collectos, ERYTHRAS, ad æquabilem urbis possessionem perduxit. Cuius urbis antè conditor ERYTHRVS fuerat, Rhadamanthi F. ex Cretâ.

Qui CLAZOMENAS exstruxérunt, Cleonéi ferè & Phliunij fuêre.

PHOCÆI, ex Phocide, quæ sub Parnasso, oriundi; & PHILOGENEM, ac DAMONEM, Euctęmonis Atheniensis, filios, in Asiam, navibus ab eisdem suppeditatis, duce PARALO, secuti; regionem nô armis, sed Cumanorum consensione, accepérunt. Neque prius in Panionium ab Iônibus admissi, quàm reges, ex Codridis, sibi crearent. Quos quidem ab Erythræis & Teijs accepére; OETAM, PERICLVM, & ABARTVM.

Iônum autem in Insulis, hæ civitates fuêre:

SAMVS, supra Mycalen sita: & CHIVS, ex adversum Mimanti.

Insulares verò necessitate tùm magis, quàm benivolentiâ adducti, illos ad æquabile incolendi ius admisère. Quorum dux PROCLVS, Pityréi F. Epidaurius. (qui ab Iône, Xuthi F. originem trahebat) magnâ ex parte Epidaurios (qui à Deiphonte, & Argivis, olim Temenidis, è terrâ Epidauriâ fuerant expulsi) secum adduxerat.

ANDROCLVS verò, cum Ephesijs susceptâ adversus Proclis F. LEOGORVM, qui post patrem apud Samios regnabat, expeditione; prœlio superiores, ex insulâ eos eiecérunt; quòd, cum Caribus, insidiari Iônibus traducerentur.

Atque ex ijs profugi, partim Insulam, Thraciæ finitimam, occupárunt: eamque pro Dardaniâ, SAMOTHRACIAM appellárunt, partim, paullo post, Ephesijs vicissim eiectis, eamdem Samum recepérunt.

SMYRNAM, quæ una erat ex XII. Æolensium urbibus, Iones factâ ex Colophone irruptione, occupárunt: & deinde Panionij consortem fecére.

(Vide de cæteris, nostram, de Græcarum Dialectorum Sedibus ac colonijs, Dissertationem, ubi hæc omnia explicatiùs)

Herodot. libr. I. Iônes, inquit, illi, ad quos PANIONIVM (Locus est in Mycale promontorio, sacer; & ibidem sacrificium, seu fanum, ab universis Iônibus, Neptuno Heliconio dicatum) pertinet; civitates habent in Asiâ, cum cœli bonitate, tum montium commoditate, optimè sitas.

Linguâ utuntur non eâdem, sed quattuor eius proprietates deducunt. MILETVS prima apud ipsos civitas, ad meridiem vergit. Post hanc MYVS & PRIENE: quæ in Cariâ sitæ, eâdem linguâ utuntur.

Illæ verò in Lydiâ, EPHESVS, COLOPHON, LEBEDVS, TEOS, CLAZOMENÆ, PHOCÆA, inter se eamdem sonant linguam; à civitatibus, quas dixi, discrepantem.

Ex reliquis tribus, duæ insulas habitant, SAMVM & CHIVM: tertia, in continenti sita, ERYTHRÆ. Et ex ijs, Chij & Erythræi, eamdem sermonis proprietatem sibi vindicant; Samij, ab his discrepantes, peculiari loquendi formâ utuntur.

DORES (quibus TRIOPIVM, sacrum & fanum, Apollini Triopio sacratum, in pari veneratione) Pentapolin incoluére, quæ ante Hexapolis. Hæ namque quinque civitates, LINDVS, IALYSSVS, CAMEIRVS, COS atque CNIDVS; sextam HALICARNASSVM, (ob legem sacri, ab Agasicle cive, violatam; quòd tripodem, certaminis præmium, victor, non in Templum Dei, sed domum suam asportasset) à sacrorum participatione, & quasi iure civitatis, segregárunt.

IONES autem eo nomine XII. fecisse civitates censentur, nec plures recipere voluisse. propterea quòd, totidem, dum Peloponnesum olim incolebant, fuerint partes: quot posteà Achæi, qui Iônas è sedibus suis expulerant, sibi constituérunt.

E quibus prima ante Sicyonem, PALLENE fuit. deinde ÆGIRÆ & ÆGÆ. post Ægas, BVRA & HELICE: quò ab Achæis bello fracti Iônes confugerant. post hanc, ÆGION est, & RHYPES, & PATRENSES, & PHARENSES, atque OLENVS; posteà, DYMA, & TRITÆENSES.

ÆOLICÆ verò, in Asiâ, civitates, fuêre XI. CVMÆ (quæ & PHRICONIS vocata est) LARISSÆ, NEON-TICHOS (.i. Novus murus) TENVS, CILLA, NOTIVM, ÆGIROESSA, PITANA, ÆGEA, MYRINA, GRYNEA. Vna autem SMYRNA (quæ & ipsa Æolica civitas) ab Iônibus diruta fuit; ijsque ex pacto accessit.

Insulares quinque civitates, Lesbum tenebant. (Sextam enim, in eâdem Lesbo, ARISBAM, Methymnæi iam sibi subiecerant, sanguinis iure sibi coniunctam.)

In TENEDO una habitabatur civitas; & altera quædam in Hecaton. nesis. Hactenus ille.

Cicero orat. pro L. Flacco. Quis ignorat, inquit, quin tria in Asiâ Græcorum genera sint verè! quorum uni sunt Athenienses, quæ gens Ionum habebatur: Æoles alteri; Dores tertij nominabantur.

Cuncta Græcia, parvum quemdam locum Europæ tenet, semperque tenuit. Asiæ maritimam oram bello superatam cinxit urbibus; non ut munitam colonijs illam augeret gentem, sed ut obsessam teneret. De his, satis.

Circa idem tempus Amazones & Cimmerij Asiam superiorem infestabant.

ALIÆ DAVIDIS RES GESTÆ.

2932. An. vertente, quem volunt quidam regni Davidis fuisse circiter XI. summa rei bellicæ Ioabo permissa est, ut rebelleis iterùm Ammonitas, & agrorum vastitate; & Rabbæ (quæ & Rabbatha) regiæ urbis, obsidione, comprimeret. 1018.

Ipse verò DAVIDES, dum otiosus Hierosolymis commoratur; Bethsabeën (Sever. Betsaben) Filiam Eliami, (qui & Amiel) uxorem Vriæ Gethæi, tunc peregrè, in castris, absentis, & militantis; præstanti formâ feminam, (quam ex edito Regiæ fastigio, lavantem, prospexerat, & ad se arcessierat) stupro compertam habuit.

Quam ubi gravidam ex se esse intellexisset; neque vir è militiâ evocatus; & vino regio, de-industriâ, perpotus, induci posset, ut domi uxorijs amplexibus uteretur; bunc quidem, dato per litteras, duci Ioabo, negotio, ut iniquo pugnæ loco hostibus obijceretur, interficiendum curavit. Illam verò iam viduam, & lugentem, matrimonio sibi coniunxit.

Quâ de re, per Nathanem prophetam, iussu Domini, graviter increpitus: & insigni parabolâ, de duobus civibus; pecoris paupere, & divite; ex quibus hic alterum ove unicâ spoliâsset, admonitus; licet errorem agnoverit: castigationem nihilo minus, & calamitates à Vate præsignificatas, non effugit.

Namque & puerum, ex furtivo illo concubitu editum, paucis pòst diebus, amisit. quòd hostes, illo eius flagitio inducti, de Dei nomine & honore detraxissent. multaque in domum familiamque eius, calamitosa deinceps, & exsecranda accidêrunt.

Illum Nathanem, Epiphan. tradit, Gabathanum fuisse: & grave flagitium Davidis, quod cum Bersabeâ erat admissurus, prænovisse. Dumque regis, à tali facinore avertendi caussâ, Hierosolymam properaret; in itinere, ob cædem cuiusdam & sepulturam, impeditum fuisse: domumque suam, admisso iam facinore, redijsse. Sed Vriâ insuper interfecto, à Deo submissum facti utriusque reprehensorem.

DAVIDI, præter eos, sex videlicet, quos suprà, in Hebrone susceptos, commemorávi; nati erant, Hierosolymis, ex uxoribus hi liberi (2. Reg. 5.) SIMMAA, al. Samna. SOBAB, NATHAN, & SALOMON, ex Bethsabeâ IEBAHAR, ELISUA, NEPHEG, IAPHIA, ELISAMA, ELIADA, ELIPHALETH.

1. Paral. 3. hoc ordine IX. enumerantur:

Iebaar, Elisama, (al. Elisua) Eliphalet, Noge, Nepheg, Iaphia, Elisama, Eliada, (al. Baal-iada) Eliphelet.

(Ioseph. XI. filios recenset, & ex ijs IX. legitimis uxoribus natos. quorum hæc nomina:

Amnas, Ellus, Sebas, Nathan, Solomon, Iebar, Eliel, Phalua, & Ennaphen.

Ex concubinis, duo; Ienas, & Eliphal.)

2935. Anno à morte filij Spurij (ut putat Massæus) III. qui Davidis reg. XIV. quinto inter Beth-sabeæ liberos loco, natus est SALOMON. 1015.

Cui Nathan Vates nomen indidit. AMABILIS DEO. Et ipse David anteà unum ex filijs, eàdem matre progenitum, ex eiusdem Vatis nomine, Nathanem appellârat.

In ipso articulo Rabbathæ, iam-tum expugnandæ (quam annis aliquot obsidionem toleràsse, nisi hysterologiæ locus sit, ex rerum gestarum serie (2. Reg. c. 12.) probabile fit) evocatus à Ioabo DAVIDES, ut coràm solidæ victoriæ gloriam fructumque delibaret; post aliquot prœlia, & impressiones, eamdem cepit.

Et inter cætera opima spolia, coronam Melchomi, auro, gemmisque insignem, retrulit.

Captos durissimè tractavit: ut serris & tribulis eos dissecuisse, & pari sævitiâ in reliquas Ammonitarum urbeis usus fuisse, tradatur.

Sed deinceps catenata quædam calamitatum series, in familiâ DAVIDIS, uti à Nathane prædictum fuerat, ceu quoddam laborum mare, effusa est.

AMNON, primæ ætatis filius, insano amore æstuans, an tabescens! Thamarem virginem pulcerrimam, Sororem sibi consanguineam, Absalonis fratris sui germanam, officiosè à patre, refocillandæ suæ invaletudini, expetitam, violat; & mox violatam, exosamque ædibus suis turpiter extrudit.

Biennio pòst, eumdem Amnonem, cum cæteris regijs filijs, ad convivium, in Baal-hasorem, invitatum, & temeto captum; ABSALON frater, qui vindicandam Sororis iniuriam, diu in animo coxerat; per ministros suos interfecit. reliquis fugâ, ad patrem, acerbiore de omnibus cæsis nuntio consternatum, dilapsis.

ABSALON verò profugit ad THOLMÆUM, Gessuræorum regem, avum maternum; ibique triennium exsulavit.

Rex autem pater, luctu & irâ mitigatis; ab Ioabo, operâ mulieris Thecuitidis; (quam quidam aviam fuisse Amosi prophetę tradidérunt) & plenâ sapientię, de gemino facto, & parricidio, inter duos viduę filios perpetrato, parabolâ, placatus; ut filius exsul revocaretur, permisit. Neque tamen eum in suum conspectum venire passus est; nisi biennio pòst, ab eodem Ioabo (quem exsul clade, & agri

& agri sibi vicini incendio eò adegerat) exoratus.

Ipse nihilo minus in gratiam receptus, malis artibus ad regnum sibi parandum grassari cæpit; armato satel itio stipatus, & novâ popularitate gratiam singu orum è plebe aucupatus.

Annum, quo ABSALON à patre sibi potestatem fieri petivit, ut in Hebronem, voti solvendi, sicuti præferebat, proficisceretur; Alij IV. fuisse existimant à cæde Amnonis (sed eum errorem textus ipse convincit) Alij (Iosep. l. 7. c. 9.) à reditu, sive à pace impetratâ, quæ opinio utcumque probabilis.

Quùm verò Angelomus, & alij, adferant, in vetustis codicibus, & Hebraicæ veritatis archijs, XL. ann. legi; Annus XL. hic putandus ex eo tempore, quo SAUL urbem Nobæ, cum Abimelecho, & LXXXV. Sacerdotibus, ob Davidem hospitaliùs acceptum, evastavit.

Caietan. inter cætera, XL. annum autumat, à cæde Goliathi; quod facinus, ipsius magnitudini initium dederit: uti hic annus, imminuti capitis. Aliàs, IV. decas annor. regni Davidis, à LX. ætatis eius anno inchoanda.

Hebr. ab eo tempore numerant, quo Israëlitæ sibi regem depoposcérunt. quod quidem factum, triennio antecessit primam Davidis perunctionem: & tum agebatur XXXVII. annus Davidis.

Tostatus ex eo tempore putat, quo is à Samuële rex est inunctus. (Is erat Davidis regnantis XXVI.)

Hic observandum, cędis illius, sacerdotum, vindictam, tanto pòst tempore à Davide expeti divinitùs: quidolo, licet non pessimo & adfectatâ itineris, aliorumque regis negotiorum, simulatione, Abimelecho tum imposuerit. Quamvis Nathan, adulterio Beth-sabéæ, & recenti Vriæ homicidio, uti primarijs caussis, hanc vindictam adsignet.

2949. | | 1001.

In Hebronem igitur profectus ABSALOMUS, iam sollicitatis anteà Israëlitarum animis; multisque illuc, qui ad res novas inclinati erant, confluentibus; impia palàm adversus patrem arma sustulit, ut eum regno deturbaret.

DAVIDES autem ex Hierosolymis, paucis comitatus, pedes, non sine publico civium fletu: & Ethai Gethæo, in cæteris, regem suum sequi obstinato, profugit. relictâ, concubinis decem, domûs regiæ custodiâ. & Levitis, qui Arcam Federis, ad Torrentem usque Cedronis, exportârant; in urbem remissis.

Ipse in Campestribus Deserti tantisper moraturus, dum per Sacerdotum, Sadoci & Abiathari, filios, Achimaam & Ionatham, de filij sibi rebellis conatibus cæptisque certior fieret.

Vt denique Architophelis transfugæ, quem filius sibi domesticum iam adsciverat, consilia disturbaret; Chusa in Arachiten, sibi fidum, & comitari volentem, in urbem à se submisit. qui eodem ferè temporis articulo in urbem regressus est, quo ABSALOMUS eodem advenerat.

Rex præterea in itinere obvium sibi habuit SIBAM, Miphibosethi procuratorem, cum iumentis, & commeatu ac muneribus. qui falsò adfectati regni crimine herum, in urbe restitantem, oneravit: & à rege credulo herilibus possessionibus remunerari se passus est.

Neque procul à Bahurimâ (quæ & Bocchures, vicus agri Hierosolymitani) Semeis, Geræ filius, (quem Hebr. tradunt fuisse Nabathum, illum Ieroboami patrem) qui cognatione domum Saulis attingebat; convicijs, & saxorum iactu, in regem patientissimum, & eam facti indignitatem à Deo, sibi, ob peccata immitti, interpretantem; atque adeò in eius comitatum, licet præ iustâ irâ frementem, impunè sæviebat.

ABSALOMUS vacuam urbem nactus, primùm, ex vafro ACHITOPHELIS consilio, sese facinore inexpiabili, populumque, obstrinxit: & cubile patris, concubinis, quas pater in urbe reliquerat, palàm constupratis, turpissimè fœdavit.

Déinde, quùm ACHITOPHEL eidem auctor esset, ut cum delectis XII. virorum millibus, patrem, eiusque comites, diurni itineris laboribus fessos, de-noctu persequeretur. Et CHUSAIS, qui iam-tum in intimam eiuidem Absolomi familiaritatem insinuárat, rogatus sententiam, idem dissuasisset. patris, militumque eius robur & bellicam virtutem exaggerans; qui nisi coniunctis totius gentis viribus debellari possent.

DAVIDES interea, per sacerdotum, quos dixi, filios, totâ de re commonitus, Iordanem properè transmisit.

ACHITOPHEL verò, præ dolore consilij ab Israëlitis spreti, suspendio vitam sibi eripuit.

Cæterùm ABSALOMUS patrem, qui cum suis in Castra (Iosf. Castrum, munitissimam Galaaditidis urbem, quæ & Manahem.) iam pervenerat, persequens; transmisso Iordane, castra in Galaadenâ regione metatus est. Et Amasæ (Ietheris Ismaëlitę, ex Abigailâ, Davidis sorore, F.) Ioabi consobrino, imperij exercitusque summam commisit.

Reges vicini, (inter quos SOBAS, Nahę F. frater Hanonis, (de quo suprà) in amicitiâ constantes, commeatum & res necessarias in Davidis castra importabant.

Ipse autem populum universum in treis acies partitus; quibus IOABUM, ABISEUM, & ETHAIN GETHÆUM præfecit; in prælium, cum cæteris, progredi prohibitus est: qui tutiùs & extrà aleam periculi, urbi, & vicinis castris, præsidio esset futurus.

Admoniti sunt tamen palàm à rege, & duces, & milites, ut Absalomo, victo, sive dedito, parcerent.

Commisso deinde, in Saltu Ephraimi, prœlio, cæsi sunt magnâ strage (& multò plures à ferocibus belluis in Saltu absumti) ad vicies mille, ex Israëlitis.

Et ABSALOMUS ipse, inter pugnandum, seu fugiendum, capillis ad condensæ quereûs ramos cohæsis; & mulo, quo vehebat, raptim & subter-elapso, suspensus; à Ioabo (licet de regis iussu iterum per quemdam commonitus fuisset) tribus lanceis cor transfossus est. *Et qui triumphalem sibi titulum, in Valle regiâ, paullò-antè erexerat; acervo lapidum est tumulatus.*

Atque

Atque ita idem, spreto patris imperio, parricidiaIeis filij conatus ferro ultus; & suos receptui canere, & multitudini, in fugam datę, parcere, extemplò iussit.

DAVIDI, cum læta, tum flebilis, ea victoria, per ACHIMAAM, & CHVSIM, nunciata fuisse proditur. Tanta autem in eo inerat pietas, ut tam scelerato etiam filio ignosci; & resipiscere servarique eumdem animitùs exoptaret.

Hoc regis luctu graviter offensi sunt victores. & in primis IOABVS, defectionis etiam publicæ metum inijciens, ut deposito mærore, & vultu ad hilaritatem composito, victor exercitùs, à rege, in portâ, de more, considente, exciperetur, effecit.

Postremò, omnium iam pænè Israëlitarum, qui Absolomi factionem secuti fuerant, animis, ad pristinam legitimi principis obedientiam inclinatis; & AMASA etiam, quem, suum ex Sorore Nepotem, perpetuum militiæ suæ principem creaturum promisisset, in parteis traducto. insigne certamen fuit, inter Iudæos cum Beniamitis, & Israëlitas; utri priores, & maiore cum benivolentiæ significatione, regem, anteà profugum & desertum, in regnum restituerent.

Semei illi maledico, quem rex Iordanem transmittens obvium iterum habuerat, & supplicem, ignovit.

MIPHIBOSETHI verò, sibi pariter occurrentis, & de obiecto sibi crimine purgantis, excusationem, placidè utcumque accepit: parte bonorum, quæ Sibæ calumniatori universa, nec sine iniuriâ, cesserant; redhiberi iussâ.

BERZELLAI Galaaditæ, qui, cum vicinis regibus, exercitum Davidis, egeni & profugi, rerum necessariarum copiâ sublevârat; regiæ mensæ convictum obtulit. Sed is suâ sorte contentus, filium suum CHAMAAM (Ioseph. Achimanum) regi comitem & clientem addixit.

Ex illo, quod diximus, utriusque Hebræorum gentis, in rege Davide excolendo, studio ac certamine, (quod in aliquantam acerbitatem exarserat) novum bellum coortum.

Nam SEBA (al. Sabée) Bochri F. Ieminæus, iterum à Davide Israëlitas avertit, Iudæis interim regis parteis mordicùs tuentibus.

DAVIDES verò, rebus domi, in Hierosolymis, constitutis: & Concubinis, de quibus dictum, perpetuæ viduitati mancipatis; AMASAM copias ex Iudæis, intrà triduum, cogere iusserat, ijsque præstò esse. Qui quùm moræ pauxillum interijceret, idem imperij Abisæo commisit: & in expeditionem, adversus Sebam, cum delectis viris, emisit,

Cui, haud procul Gabaone, obviam cum copijs factus AMASA, ab Ioabo, Abisæi fratre, uti imperij militaris ęmulus, perfidiosè, & amici amplexûs simulatione, gladio transfossus est.

SEBA interim, peragratis Israëlitarum regionibus, & copijs undique collectis, in Abelam, & Beth-maacham confugit.

Quam urbem dum obsidione cingere & evertere, duce Ioabo, parant Iudæi; Cives, sapientis cuiusdam mulieris consilio inducti, præcisum Sebæ caput è muris deiecérunt, pacemque redemérunt. Atque ita ducis rebellantis morte, properè omnis hic motus conquieuit,

Eâ tempestate invaluerat in Hebræis fames, divinitùs immissa, ob Gabaonitas (Amorrhæorum reliquias, à Iosuâ pridem in gratiam receptos, & populo accensos, à Saule, eiusque filijs, ARMONE & MIPHIBOSETHO (quos ille ex Respha, Abiæ filiâ, susceperat) & quinque alijs, eiusdem, ex Michole Filiâ, (veriùs, ex Merobâ eius sorore, quæ Hadrieli, Berzellais F. enupserat) nepotibus: impune interfectos, & indignè habitos. quo tempore Sacerdotes, cum Abimelecho, in Nobe, ob hospitalem in Davidem animum, eiusdem Saulis iussu, necati sunt.

Postulantibus autem, ceu quasdam tam indignę cædis, & famis consecutæ, piaculareis victimas, Gabaonitis: tradidit Davides, filios & nepotes Saulis, quos dixi, facinoris paterni conscios, in crucem agendos.

Idem tamen Resphæ pietate; quæ, noctu diuque, avium & belluarum laniatus, à filiorum suorũ cadaveribus arceret; commotus, ossa eorum, unà cum Saulis & Ionathæ reliquijs, communi tumulo, in Beniamitide, haud procul à sepulcro CISI, Avi, componenda curavit. Eoque facto placatus Deus, cladem desijt.

Crebra deinde, adversus Allophylos, Davides prœlia secundo eventu habuit. Quos primùm in regnum suum irrumpenteis ipse, non sine manifesto pænè vitę suæ periculo, Abisæo opitulante, & gigantem IESBINENOBVM, qui regio capiti iam-iam impendebat; interficiente, in Gazerâ, debelavit.

Posteà iterùm & tertium in Gobâ bellum gestum est. Quorum priore, SOBOCHAIVS HVSATHITES, Saphum; altero. ADEO-DATVS (quem Davidem ipsum quidam fuisse censent) Goliathum Gethæum, Goliæ prioris, fratrem; occidérunt. Quarto, quod in Gethâ gestum, IONATHAN, regius ex Saninâ fratre nepos, virum cæteris ingenti staturâ parem, sedigitum, & pariter blasphemum, interemit.

Hi omnes ex Arapbâ Gethæâ, (Paral. 1. c. 20. Rapha dicitur; & Raphaim, eius genus: quam ORPHAN, nurum Noëmidis, & Ruthę sororem, matrem Gigantum, fuisse arbitrantur) progeniti fuisse perhibentur.

Atque ita hostibus passim; & motibus foris domique oppressis, regnum Hebræorum, eâ tempestate, & pace, & pietate, florentissimum exstitit.

Quæ certè Dei beneficia, eximiâ ipse gratiarum actione (quod quidem omnium, quos condidit, Psalmorum sigillum est) prosecutus; CHRISTVM Dominum, felicioris olim regni auctorem: & ECCLESIAM, ab eo fundandam, solidiore pace potituram; & magis strenuis defensoribus abundaturam: in sesin suo regnos in viris fortibus, ceu quibusdam tum regni columinibus, vaticinando præsignificavit. (Vid. Psal. 17.)

Sed mox eumdem subita, & arrogantię adfinis, veluti à furijs (SATAN, Par. 1. c. 21. dicitur) priorum scelerum, & cædis Vrię, ultricibus, immissa, lubido incessit: ad metiendas imperij sui vireis *populum universè recensere.*

Itaque à Ioabo, militiæ magistro (qui gravatè tamen, uti divinæ ultionis pręmetuens, munus istud susceperat) Decies & ter, (f. quater) centena civium,

na,civium, bello idoneorum, millia, Par. 1.c.21.) undecies centies mille, ex Israelitis. & quadringenties septuagiesque mille, bellatores, ex Iudâ (præter Levitas & Beniamitas, ab reluctante magistro non recensos)numerati sunt & descripti.

Alij ita hunc numerum conciliant.

Ex singulis tribubus. xx.v. Legionariorum millia iu la conscribi. Iosb insuper in Tribu Iudâ 470. virorum millia comperit. Quæ cum Legionarijs coniuncta conficiunt 494000.

In reliquis x. Tribubus comperit 800. Virorum mil. Qui Legionarijs iuncta, conficiunt, decies centena & XL. millia. Scriptura rotundè, Vndecies centena mill. ut supr. Quingenta millia ex Iudæis.

Paral. 1. cap. 27. *Ioab ceperat numerare, nec complevit. quia super hoc ira Dei irruerat in Israël. & idcirco numerus eorum, qui fuerant recensiti, non est relatus in fastos regis Davidis.*

Eius namque facti ipsum mox pœnituit & piguit; veniamque à Domino poposcit, cur in id animos extulisset, regni ut potentiam ex suorum potiùs multitudine, quàm ex favore divino, æstimaret.

Addunt alij (Angelom.) in hâc populi recensione, Davidem peccâsse, quòd à singulis recensitis pretium dimidium sicli) ex præcepto divino (Exod. 30.) non exegisset, ad usum Tabernaculi, quod antegressis Censibus usurpatum.

Missus itaque ad eum, GADVS propheta, triplicem ei pœnam denuntiat; datque ei optionem, sive arbitrium, unius ex eis deligendæ.

Sed propositâ, vel *trienni* 2.Reg. c. ult. septenni *fame*; vel *trimestri* ab hostibu *fugâ*: vel *triduanâ pestilitate*: fugam & famem, quę tibi eximio, cum reliqua plebe, communia, fortè non forent piacula, detestatus; mortem elegit ex peste promiscuam.

Momentoque temporis, ab summo & imo, LXX. *Virorum mill. ex Israëlitis, exstincti sunt.*

Tunc Davides, videns Angelum, *cuius dextera populum prosternebat, & Hierosolymis impendebat*; quem iam-tum Dominus ab ulteriore cæde abstinere iusserat) *Ipse veniam precari; seq. unum, pro omnibus, piaculari pœna obijcere: se, qui peccâsset, exitio dignum.* Ita aversum à plebe supplicium.

Et cum iubente Angelo, tum monente Gado, eodem loci, ipse, ubi dexteram ferientem conspexerat, in fundo Areæ, alijsque ad victimam necessarijs, ab Areunâ (al. Ornane) Iebusæo; coëmtis) Aram Domino constituit; eumque, sacris ritè litatis, placavit.

Quùm præ nimio timore Angeli ferientis, in Gabaonem (ubi pro tempore Tabernaculum Domini, & Altare Holocaustôn, à Moyse olim in deserto fabricatum, sita erant) pergere non potuisset.

Annis ferè VIII. ante mortem Davidis & XII. ante Templi conditum,

HIRAMVS (Iosep. Iromus, & Euseb. Suron) rex Tyri, patri, fort. cognomini succedit: & regnat annis XXX:V.

Tyrij classe potentes, Gadeis; & paullo-pòst Vticam condidêre.

Lydi quoque annis ferè DXX. antè quàm à Cyro vincerentur, maris propinqui longè lateque imperium tenuêrunt.

Ipse Davides deinde Salomoni F. Templi exædificandi (cui omnia, quæ usui essent. iam antè per otium præparârat) negotium committit: in quod Arca Federis, vasaque Deo sacra introferrentur. Ipsumque regni successorem palam designavit.

Levitas quoque & sacerdotes, certis ordinibus, in solennia Templi ministeria. & principes familiarum Israëliticarum, in civilia, militariaque & rustica, munera, distrevit; coram quibus suam, & de Templo exstruendo, & de regni successione, voluntatem exposuit.

(Hic Geneb. 11. Synhodum constituit: Sadoco & Abimelecho, Abiathan FF. pontificibus, (sive ipsius Abiathari, summi pontificis, vicarijs) Gado Vidente, & Nathane prophetâ. In quâ Davides convocârit omneis in Israële principes, sacerdotes & Levitas: De Ecclesiâ emendanda, eiusque ministerijs: Sacerdotibus in XXIV. ordines distinguendis & Levitis in Templi officia sorteisque distribuendis)

Intereà regi, iam viribus, præ ætate & bellicis ærumnis, exhausto, atque effœto. (B. Hieronym. iam septuagenario) conquisita est corpore & formâ venusta adolescentula, Abisage Sunamitis: quæ sine flagitio senem foveret, eique ministraret.

Quâ patris, præ senio, à publicis regni curis iam remotioris, & ceu morti propinqui, occasione, videtur Adonias F. ex Haggitha, frater minor Absalomi, inductus; ut regni successionê iam-tum pompâ regiâ, & patre non nihil connivente, sibi vindicatum iret; Ioabi, primarij militum tribuni, & Abiatharis sacerdotis, favore fretus. fratribus etiam cæteris, præter Salomonem, in parteis traductis.

Nisi expromtâ Nathanis prophetę sagacitate, obviàm eius conatibus itum fuisset: & rex per Bethsabéam, S olomonis matrem, de suâ filijque salute solicitam, de-composito, interpellatus, protinus eumdem Salomonem, (quem ipse pater anteà, nec sine iureiurando, successorem sibi olim designârat) mulæ suæ impositum, à Sadoco sacerdote, ipsoque Nathane, & Banaiâ, alijsque exercitûs ducibus, in Gihone, magno eum populi adplausu, inungendum curâsset.

Adeò ut Adonias, ab omnibus properè desertus, & ab Arâ Templi, quò tamquam ad Asylum confugerat, retractus; fratri iam regi supplex, & privatus, domum suam redire, & ex virtute pacatèque degere sit permissus. Neque quisquam ex liberis regijs manum fratri dare, eiusque imperium agnoscere, detrectârit

Rex

2961. Rex autem DAVIDES, iam morti propinquus, postea quàm Salomonem F. optimis colendi Dei, vitæque castè instituendæ præceptis instruxisset; & ad rependendam, in posterum, quibusdam è suis, bene aut secus, de se promeritis, Ioabo, Semei, Filijs Berzellai, &c. gratiam, cohortatus fuisset: XL. regni sui anno, & ætatis LXXX. decessit. 989.

Sub eo rege, NATHAN, GADVS, ASAPHVS, HEMAN, & IDITHVNVS, prophetæ floruerunt. Ex ijs GADVS & NATHAN prosecuti sunt res gestas Davidis, quæ I. & II. libris Reg. & initio III. continentur; ab eo loco, ubi Samuel desierat. (1. Paral. c. ult.)

Ipse, non tantùm propheta eximius, sed poëta etiam venustissimus, Psalmos CL. omni sapientiæ genere refertissimos, conscripsisse aut vulgasse traditur.

ORDO SVMMORVM HACTENVS SACERDOTVM, sive PONTIFICVM in Israële.

ANtè, quàm ad Salomonis regnum delabamur, interruptam hactenus Pontificum seriem, quoniam res ita exigit, enarrare visum est. Ex quibus,

1. AARON. 2. ELEAZARVS. 3. PHINEES. 4. ABISVA.
5. BOCCI. 6. OZI. 7. ZARAIAS. 8. MERAIOTH.

Deinde ex stirpe Ithamari (qui fratre Eleazari)

HELIS. PHINEES. ACHITOB. ACHIMELECH. ABIATHAR.

Hoc postremo, primum proscripto & eiecto; deinde admisso, ut secundas teneret; stirps Eleazari restituta videtur, in Sadoco, qui fuit filius Achitobi alterius, filijs Amariæ, filij Meraioth superioris, qui IIX. recensetur.

(B. tamen Aug. l. 17. C. D. Neminem ex stirpe Helis, ultore gladio, superfuisse, dicere videtur.)

1. Paralip. cap. 6. sic pertexitur stirps Eleazari.

MERAIOTH (Zaraiæ F.) AMARIAS. ACHITOB. SADOC.
ACHIMAAS. AZARIAS. IOHANAN. AZARIAS.
AMARIAS. ACHITOB. SADOC. SELLVM. HELCIAS.
AZARIAS. SARAIAS. IOSEDEC.

(Hic egressus est, quando transtulit Dominus Iudam & Hierusalem, per manus Nabuchodonosor.)

Hic observa. In sacris, modò nominari Pontificem, cui pontificatum administrare fas fuit, è legitimâ Eleazari stirpe: modo ex alterâ; qui reipsâ pontificatum, pro principum aut populi temeritate, gererent.

Priore itaque modo, c. 6. 1. Paral. Pontificum successio, ad Iosedecum usque, descripta est: cui Iesus F. suffectus est, & è captivitate populum reduxit. Et huius Iesu successores, usque ad Iaddum, Alexandri Magni æqualem, Nehem. 3. cap. enumerantur.

Ex c. 4. Reg. 3. colligi videtur, Abiathar iterum permissus ad ministerium Templi redire; ut unde viveret, haberet. utque Sadocus præcipuus, ipse verò vicarius esset sacerdos. cessante novæ conspirationis periculo.

Vide cætera sub exitum Herodis copiosiùs pertexta.

SALOMON REX.

QVem quidam ann. XXVII. natum, successisse volunt. cum iam anno antè ex Nahamâ Ammonitide, quæ prima ei enupsisse videatur, Roboamum genuisset)

Initio pænè regni sui (uti videtur) Adoniam fratrem, cui anteà regnum adfectanti pepercisse dictus est; quòd, subdolè Abisagen Sunamitidem, intercessione Beth-sabeæ, regiæ matris, à rege fratre sibi uxorem tradi postulâsset; & viam sibi ad regnum, eo facto, coniugioque, iterum munire velle, indicaretur, interfici iussit.

Abiathar quoque sacerdos, ex stirpe Helis, quem Adoniæ favisse commemoravimus; à rege in (avitum forté) Anatothi agrum, ceu exsulatum, privatus, (uti olim Heli præsignificatum fuerat) secedere iussus est. Et ob consiliorum laborumque, quos unà cum Davide patre nuper tolerârat, communionem, morti, quæ ipsi, ceu læsæ maiestatis reo, debebatur, subductus.

Præterea Ioabum, nefariæ duorum militiæ principum, Abneri & Amasæ, cædis convictum; & Adoniæ partium studiosum, quantumvis in Asylum Tabernaculi, ad Aram, præ metu, confugisset, ibidem interficiendum curavit.

Et quemadmodum Sadocum, Abiathari in sacerdotium; ita Banaiam, Ioiadę F. in militiæ principatum, eidem Ioabo, (quem ipse manu suâ occiderat) subrogavit.

Nec multo-pòst, Semeis, Gerę F. cui hâc conditione, iniuriam, patri Davidi factam, prius condonârat: ut fixis Hierosolymę sedibus, pedem numquam inde, in posterum, efferret: quùm ille vecordi iussi regij oblivione, fugitivos servos conquisitum, in Getham, ad Achin regem, ex urbe excessisset, &

set & cum servis revertisset; eidem Banaiæ, uti re-[illegible], ven[illegible]âque in [illegible]num, rex interimendum [illegible]t.

Regno igitur iam securè constituto, Vrbem primariam muro cœpit circumdare. Et Pharaonis, Ægyptij regis, filiam, coniugij (& fort. religionis pa-triæ [illegible] fortem) accepit. Iam de Domûs Regię, sive Palatij; & Templi substructione cogitans.

Intereà, licet DAVIDES, paucis antè annis, ex Cariath-iarimo, Arcam in Hierosolymam, fixo sibi Tabernaculo, cum Altari æneo, veteris illius Beseleelis opere, traduxisset; populus tamen, ex inveteratâ etiam-num consuetudine, in Excelsis immolare non desistebat. Atque id etiam rex, cætera pius & Deo carus; verùm hanc in partem à paternis præceptis degener, usurpabat.

Colligunt Hebr. ex XII. Deuter. fas fuisse vbilibet sacrificare Domino, quo tempore in Deserto versati sunt. Postea verò quàm in Terram promissam sunt ingressi; tantùm in Siloâ, ubi Iosua Tabernaculum fixerat; usque ad Helis, Sacerdotis & Iudicis, mortem id usitatum. Sub quo, Arcâ iam capiâ, varijs in locis offerre licuerit, donec Téplum à Salomone extructum esset.

Arca namque à Philisthæis reddita, primùm translata est in Cariath-iarim: deinde in Masphetum: tum in Galgala, in Noben, in Gabaonem, in domum Obed-edomi, in Domum Davidis; hinc in Templum Salomonis, loco stabili deinceps & immoto.

Indicto itaque ducibus & Iudicibus populi sui conventu; ipse rex in Gabaonem (ubi Tabernaculum erat Federis, à Moyse olim in Deserto fabricatum) sacris operaturus, asportato secum ex Hierosolymis, quod diximus, Altari; concessit: & mille hostijs litavit.

Hic per soporem adstare Dominus visus, & petendi, quodcumque vellet, optionem tribuere.

Sed hic, qui reliqua omnia parvi æstimaret; non aliud sibi, quàm Sapientiam, dari poposcit; sive rectè iudicandi facultatem. Quo cordato adolescentis responso delectatus Deus, non modò adeò eximiam animi sapientiam, ut omnes cuiusvis sæculi Principes ei concederent; annuit: verùm incôparabilem etiam quandam opum & gloriæ amplitudinem: &, siquidem paternæ pietatis vestigijs insistere pergeret, vitæ regnique diuturnitatem.

Isto autem è somnio expergefactus, & Hierosolymam reversus, antè sacrarium, sive Arcam Federis, [illegible]: & holocausta, victimasque pacificas im[illegible]avit. Et mòx insigne indolæ sibi à Domino sapientiæ documentum dedit.

Duæ scilicet mulieres, cum eodem tempore, & unis in ædibus, pueros partu furtivo edidissent; atque ex [illegible], post diem tertium, noctu obijsset; mater [illegible], somno alterius, sibi vicinę, insidiata, mortuum suum supposuit, & viventem abstulit. Inde inter eas de puero altercatio; & postremò res, ad regem delata.

Difficilis erat iudicij, inter neganteis, absolutio: & ob testium penuriâ, novæ & mirandæ, in eruendâ veritate, subtilitatis opus.

Tum Salomon, divinæ sapientiæ munere prędítus, puerum superstitem gladio perimi, corpusque inter ambigenteis dividi iubet.

Quumque hîc una earum, regio iudicio lubens acquievisset: altera verò, cedere adversariæ puerum vivum, quàm dissecari, mallet; Rex adfectû feminæ, ceu quodâm genuinæ caritatis indicio, eâ verè matrem esse coniectans, pùerum illi adiudicavit. Non sine publica inusitatæ in regé prudentiæ, apud circumstanteis, admiratione; & subitâ eiusdem facti in omne Hebræorum regnum divulgatione. Vndè non modò exprompta omnium subiectorum, adversus tàm sapientem regem, in posterû, obedientia; sed vicinorum etiam regum reverentia, exstitit.

Ipse vero Regnum, Patris Davidis virtute longé latéque propagatum, & necessarijs in omnem probæ πολιτείας partem præsidijs ministerijsque egregiè communitum; præter domestica officia; XII. pro Tribuum Israeliticarum numero, præfectis commisit. Qui, quot-mensibus, suam quisque vicem, domui regiæ annonam, & res necessarias, ex ditionum suarum proventibus, subministrarent. Quùm intereà universus Hebręorum, à Dane, usq; ad Bersebeën, populus, altissimâ pace frueretur. Et regna circum-circa omnia, à Flumine Terræ Philisthæorum, ad extremos usque Ægypti limites, muneribus & tributis, cuiusdam servitutis testibus, regem Salomonem prosequerentur. Et in regione etiam Transiordaniâ, à Thapsâ usque ad Gazam, Reges idem sibi parenteis pacatosque haberet.

Tanta verò eiusdem sapientiæ, & multi-iugæ rerum cognitionis passim erat fama, quâ Eöos, Ægyptios, populareis, longè superabat, & rerum abditissimarum naturas explicabat; ut magnus, ex toto terrarum orbe, Principum & regum etiam, ad eum audiendum, concursus fieret.

Et rex Tyriorum Hiramus (quem Euseb. l. 9. Præp. ex Eupolemo, Suronem appellat: & Clem. Alex. filiam suam Salomoni elocâsse tradit) quæ cum Davide Patre fedus, amicitiaque, ipsi intercessissent; missis legatis, eiusdem cum filio rénovaret. Et petenti, Cedrina è Libano ligna, & artifices fabros, cædendi dolandique peritos, ex certâ pactione, submitteret.

Vaphres quoque, rex Ægypti, (quem volunt fuisse Chabréum, Cheophis F.) fabrorum & ministrorum octoginta millia, eâdem fini submisisse memoratur. Scripserat prætereà in Galilæam & Samariam, ad Galaaditas, Ammonitas & Moabitas, ut frumenti & vini vim, quæ sustentandis CLX. Millib. hominum satis esset; diligenter subministrarent. ijsdemque oleum è Iudæâ præbebatur.

TEMPLI HIEROSOLYMIT. FABRICA.

His opibus confisus Salomon, Templum Domino, immensi operis, facere adgressus, paratis, suprà ea, quæ multis antè annis Pater congesserat, per triennium, impendijs.

2964. (Quarto imperij anno (hoc est, post triennium iam expletum, altero anni consequentis mense. quem Zio Hebr. nos Maium dicimus.) 986.

In monte Moriâ, qui unus ex collibus Sionis, prima eius iecit fundamenta.

Inventi sunt, inter Israelitas, Proselytorum CLII. Mill. qui operam suam ad lapicidinas &c. præstarent. Et ligna, quæ sub Patre cæsa in monte Libani iacebant, per mare in Ioppen, & indè Hierosolymam, transveherent.

Hic Genebr. V. constituit Ætatem, (novâ Temporum Epocham) Regum, & variorum mundi principatuum, feracem: & quasi Virilē. uti Quarta, quæ Iudicum & Heroum fuit, Iuvenilem populi Ætatem prætulerat.)

Hic erat autem Annus, ab Egressu Hebr. ex Ægypto, CDLXXX.

Sever. ponit LXXXIIX. supra Quingentos. Et Libro Regnor. III. ait referri CDXL. annos. Quod quidem in Græco cod. sic habet; sed in Hebræo, numerantur anni CDLXXX. Et nihilo minus ex supputatione, quam init Sever. tantum colligere est, DX. hâc ratione.

Moræ Hebræor. in deserto, anni XL.

Iosuæ, qui Moysi successit, imperij, anni XXVII.

Iudices consecuti, ad mortem usque Samsonis, ann. explent, CCCXXXIX.

Heli, XX. Samuel, cum Saüle, XL,

Davides, totidem, XL. Salomon, IV.

Summ. Ann. DX.

Noster calculus sic probetur.

Ab Exodo, ad regnum usque Saulis, anni CDXVI. (ac proinde totidem annis, Hebrææ Reip. forma, sub Iudicibus, universé durârit.)

Sauli dantur, XX. Davidi XL. & Salomoni IV. ad inchoatum templum.

Summ. Ann. CDLXXX.

Sive, ad nostri instituti rationem accõmodatiùs.

Ab Exodo præfuérunt, Moyses, & alij Iudices, annis CCCXCVI.

Adde XL, Samuelis, cum Saüle communeis. Et XLIV. David. & Salom.

Postremò, & optimè sic stabiliatur.

Ex illis, quos nos statuimus, CDLXXX. annis, subducantur XX. Saulis, XL. Davidis, IV. Salomonis; restabunt pro Iudicib. CDXVI.

Item, ab Othoniele (adnumeratis, quos dixi, XX. ann. Helis: & XL. Samuelis ac Saulis: XLIV. David. ac Salom.) ad inchoatum usque Templũ, resultant anni CDIII.

Quibus si addantur XL. an. Moysis: & XXXVI. qui, dantur partim duci Iosuæ, partim interregno decennali; efficientur CDLXXX. Aut, ob annor. fractiones, CDLXXIX.

(An. circiter IV. Salomonis, Atys Silvius (Dionys. Capetus) IIX. Latin. rex, ann. 24. Et paullopost, Laosthenes, XXXII. Assyr. rex, an. XLV.)

Salomon, Domum regiam sibi (sive Palatium) tribus antè perfectum Templum annis, inchoâsse putatur: Et alteram Vxori; & tertiam æstivam, extrà urbem. (quæ domus Saltus-Libani dicta, quod purâ, è Libano, cedro constaret) vicissim ædificâsse.

Vrbis denique totius muros à fundamentis exstruxisse. In quibus omnibus superbè excitandis, XIII. ann. consumserit.

Regiæ Domus tres summæ fuére partes. Porticus Iudicij, cum solio regio: Atrium; & Ædes ipsa: cuius muri omnes, extrà lapidei, & intrà cedrini.

Templum autem omnibus suis partibus absolutum est, ann. regni eius XI. post septenne spatium, quàm condi cœperat. mense Bul, qui octavus est, & nobis November. ut hic celerem; ibi tardum fuisse, existimes.

Templi autem huius, quod L. cubitis longum, & XX. latum esset; altitudo CXX. cubitorum fuit.

A pavimento scilicet, ad I. Tabulatum, XXX. & totidem ad II. Sed postremò ad fastigium. LX.

Industriâ autem Opificum, & prudentiâ Salomonis, lapides & ligna, ad tantum opus, tàm exactè alibi erant aptata, ut sine ullo ferè strepitu inter se compaginari potuerint.

Idem Templum (quod VII. Mundi, quæ feruntur, miracula longè exsuperâsse creditum est) tres præcipuas habuit parteis.

Templum clausum: Atrium interius, Sacerdotum; & Atrium exterius, populi. in quo, post Ædem iam perfectam, porticus à rege constructa est. Sed temporis progressu, Atrium istud exterius murorum interstitio separatum fuit; cuius anteriore parte, Viri; posteriore, feminæ continerentur. & Sacerdotes ab eodem essent remotiores. (Vnde 2. Paral. c. 20. Atrium novum.)

Hæc autem Atria suas, tum ad Septemtrionis, tũ ad Meridiei latera, porticus habebant. quibus imber, vel æstus gravior posset devitari.

Tandem & Atrium profanum, sive Gentium, accessit: in quod exteri, & Israelitæ non-puri, convenirent.

Vniversa hæc muro cingebantur: à quo totum spatium, usque ad Atria expansum, Mons Domus, & Domus Dei, & Mons Moria, dicebatur.

In eodem namque montis tractu, IV. erant Colles, seu Iuga. quæ quandoque, communi appellatione, Mons Sion, dicuntur; quandoque diversa sortiuntur nomina.

Primus Sion, qui ob sui altitudinem, respectu totius terræ, Specula interpretatur. in eoque erat Arx, dicta, Civitas Dei. quàm ab urbe ipsâ, Hierosolymâ, dirimebat hiatus qoidam. (Mello, 2. reg. c. 5.) Vbi sepulcra, Davidis & Regum. Alter, Moria. Tertius, Acra; ubi nova Civitas. Quartus, Golgotha.

Hic observo Severum, qui Salomonem cœptum Templi opus XX. anno explicuisse aiat, annos Templi exædificari, qui VII. sunt; cum annis XIII. Domus Regiæ exstructæ & absolutæ, confundere; & XX. efficere. (Ioseph. tradit hoc Templum constructum ann. CXLIII, antè Carthaginem, Tyrior. coloniam.)

In Tem-

2972. In Templum itaque, omnibus iam suis numeris absolutum, 978.
Salomon universa, votiva, Patris sui donaria intulit. Idemque solenni Principum ducumque conventu, anno regni xii. die xix. mensis Ethanim, sive Tisri (qui mensis vii) ritè, & celebri sacrificio, & precibus dictis, est dedicatum.

Arca Federis Domini (quâ nihil, præter ii. è lapide Tabulas, quas Moysi Deus in Horebo tradiderat, comprehendebatur: cum pauculis cimelijs, & veterum miraculorũ reliquijs. B. Paul. ad Hebr. *Vrna, habens manna; & Virga Aaronis, quæ fronduerat.* quæ omnia non tàm intra Arcam, quàm iuxta posita fuisse putantur.)

Arca, inquam de Civitate Davidis, quæ est Siõ, cum Tabernaculo, & sacris Vasis, in Oraculum Tẽpli, quod Sanctum Sanctorum dicitur, subter alas Cherubinorum, gloriosè est introducta.

Vbi quùm se Gloria Domini, nebulâ quâdam, spectantium oculis obiecisset. & rex multa Deum precatus sibi, regno, & Ecclesiæ, omnibusque subiectis, salutaria: de tàm singularibus in se Patremque beneficijs, quòd Templi (in quo ipse, Deus, habitare, & adorari non gravaretur) ædificatione dignati essent; reverenter & suppliciter grates egisset: ipsiusque Templi privilegia, ex Oraculo, commemorâsset; luculentis hostijs, quas ignis è cœlo demissus absorbuit, perlitavit.

Et multitudinem populi. *qui à finibus Emathiæ, ad rivum, sive Torrentem Ægypti,* (hoc est, à Septemtrione, ad Austrum) *eò convenerat*; post solenneis xiv. dierum ferias; & Scenopegiorum, Epulisque promiscui, octiduum, (In hâc namque Templi dedicatione. Boum xx. ovium c. millia, eoque amplius fuére immolata) xxiii. eiusdem mensis die, in suas quemque domos dimisit. Mœstos, ut gratis, lubentibusque animis, tàm profusæ spectatæque Domini Dei, in regiam familiam, & Hebræum universè nomen, benignitatis memoriam concelebrarent, & ad posteros transmitterent.

2980. Anno regni xx. Postea quàm omnia, quæ instituerat, ædificia absolvisset; 979.

Dominus iterum eâ, quâ anteà in Gabaone, specie, de nocte regi apparens, ratas habuit eius preces, & vota. Denuntians; *vicissim fore, siquando peccarent & ab ipso deficerent. ut rex solio & regno; populus, patrio solo & possessionibus; Templum sui sanctitate, spolietur. & vastitati omnia sint obnoxia.*

Eodem anno, compensationis, ut probabile est, vice donavit Salomon, regem Tyri, Hiramum, xx. Opidis, in terrâ Galilææ, & Tribûs Nephthalæ portione, Tyro ipsi propinquis. Quæ quùm minus arriderent; ille Terram Gabalon, sive Chabul, quasi sterilem, appellavit.

Et duo vicissim opida, quæ ab Hiramo acceperat; ipse tectis. & suæ gentis incolis; frequentavit.

Centum & Viginti auri talenta, ad se ab eodem Tyro transmissa, Civitatibus aut muniendis, aut exstruendis impendit.

Ipse Tyrios quotannis contrà, tritico, vino, & oleo (quibus rebus Insulares egent) prolixè remuneratus est.

Hiramo illi succedit F. Baleazarus, quasi Baal auxiliarius. regnatque vii. ann. Baleazaro Habdastarttus.

Gazer e, quam cæso Chananæo expugnatam, à Pharaone, Ægypti rege, socero. ceu dotalem, acceperat. Et Palmyræ, in terrâ solitudinis, alijsque in Æmathiâ; & omnibus pænè ditionis vicis, muros & propugnacula adiecit.

Reliquias gentis Chananææ, Amorrhæos, Hethæos &c. qui Hebræo populo nondum erant adcensi; neque suis dum finibus omninò & hactenùs extrudi potuerant; tributarios sibi subiecit. & Hebræos omneis pro liberis habuit.

Nec res sacra, in Templo, minus sedulò, cum à rege ipso, tum à sacerdotibus, quotidianis sacrificijs, & itans ferijs, obibatur: Et militiæ disciplina, per Principes exercitûs, egregiè colebatur.

Ipse deinde in Asion-Gaberam (quæ est propinqua Aialathæ, haud procul ab Helana urbe. quæque Ioseph. est Berenice, in sinu Ægyptio; sive ad oram Maris-rubri, in terrâ Idumææ. (Ab Edomo, namque, qui & Esavus, hoc est, Rufus & Ruber, ἐρυθρὸς. (Plin. l. 6. c. 23. Erythras, rex) mari Erythræo, sive Rubro, nomen,) cum selecto comitatu profectus; classem ibidẽ exædificavit: cui rex Hiramus Nautas. rerum maritimarũ peritos, adiũxit.

Illique, ex Ophire (Danieli, Ophaz, aurum) Insulâ Maris Indici. Al Sophira, al. Sophala, al. Zamatra est. Riber. Insula nobilissima & maxima, Taprobane (quæ Sumatra) suprà quã Malaca, urbs & regnũ, ad Septemtriones) magnam auri vim, ad ccl. Talẽta (unde Obrizo, quasi Ophiriso, auro, nomen) cum lignis thyinis (Thyia, arbor perpetuò virens) & gemmis eximij pretij; ad regem attulérunt.

(Genebr. ex eo quod aurum in Hebreo (2. Paral. c. 3.) vocetur Pervaim; putavit adlatum ex Peruvia occidentali, quæ nunc Hispano paret.)

Alterâ quoque classe, utriusque regum cõmuni, Mare Tharsicum (à Ciliciâ, hinc ad Pontum usque Euxinum; & indè ad Africæ Hispaniæque litora) per triennium, enavigabatur: & ex indigenitalium mercium commutatione - *Aurum & ebur,* aliaque exotica, adportabantur.

Sub idem tẽpus Regina Sabæ (quæ & Austri dicitur, a situ Æthiopiæ meridiano. Nili insula, quæ pòst à Cambysis Sorore, Meroë dicta. quantumvis, & Arabiæ Felici, cuius incolæ Sabæi, imperitâsse ea videatur) excita fama gloriæ nominisque regij, & admirandæ in eo sapientiæ, Hierosolymam venit: periculum corâm factura eorum. quæ longè & passim de rege prædicabantur. *Omniaq; longè suprà famam, & hominum sermonem, nec sine stupore, maiora deprehendit.*

Regẽ auro patrio, aromatis & gemmis mactavit: ipsa ab eodẽ muneribus longè maioribus cumulata.

Alij hanc reginam, Makedan, nominari volũt; & ex Salomone filium suscepisse, qui nobilis Abyssinorum imperio principium dederit. Et hinc,

totſam annis, primùm legem Iudaicam; deinde Euangelium Chriſtianum, per Eunuchum Candacem, quem Philippus Diaconus inſtruxerit & baptizârit; annuntiatum: (cui extremam manum MATTHAEVS Apoſtolus adhibuerit) Æthiopas, ſervâſſe.

Illam, regis Salomonis permiſſu, XII. Iudæorum millia (millenos ſcilicet è ſingulis Tribubus) in Æthiopiam traduxiſſe. undè Nobiles illic etiamnum ex Iſraelis ſemine orti eſſe gloriantur. Et circumciduntur; non ob ſalutis neceſſitatem, ſed ob ſanguinis prærogativam.

Adlatam ab eâdem BALSAMI plantam, quam Salomon in agro Hierichuntino ſeverit; & ſola Iudæa aluerit. Quæ hodie in Ægypto ſteriloſcere dicitur.

Ingens certè erat opum regiarū abundantia. cui præter annua vectigalia, & negotiationum terrâ marique fructus: Præter ea, quæ à vicinarum gentium legatis; à regibus Arabiæ, & Satrapis, præſtabantur: quotannis DCLXVI. auri Talenta obveniebant.

Ius enim quoddam ſupremæ poteſtatis, in reges finitimos, *ab Euphrate ad Philiſthæorū regionem*; & hinc ad *terminos uſq; Ægypti*: nec ſine incredibili ſubiectorum cantate, an obedientiâ exercebat.

Hinc (3. reg. c. 10.) *Argentum nullius fuiſſe pretij dicitur, in diebus Salomonis*; ob ingeneis ejus ſumtus, & in ædificando magnificentiam. Populo intereà & carum ... & pretioſum. In illâ namque regis abundantiâ, luxu & largitionibus; populus, regijs exactionibus exhauſtus, haud dubiè egebat. & illæ, quò eius profuſioni ſatisfieret, in dies augebantur.

Tàm eximiâ regni, opum, & gloriæ maieſtate florens Salomon, regum omnium, quotquot umquàm fuêre, ditiſſimus iuxtà ac magnificentiſſimus, tandem (qui eſt rerum humanarum ordo) ab opibus in luxum, & vitia, regiæ lubidini licentiæve adfinia, delapſus; & ſui diſſimillimus: *luxurie ſapientiam in amentiam vertente. quùm contrà interdictum Dei*, Exod. 34.) *Ex alienigenis coniugia adſciviſſet: & DCC. reginarum inſtar, Uxores; & CCC. concubinas haberet.* earum conſuetudine, & illecebris, ſenex, tranſverſum actus; Idola eis, ritu gentium ſuarum, quibus ſecum, ſaltim diſſimulante, litarent; conſtituit.

Quibus rebus averſus Dominus, graviter increpito pœnam denuntiavit: Fore, *ut regnum, maiore ex parte filio ademtum, ſervo illius traderetur.*

(Anno regni eius XXIIX. CAPYS SILVIVS, IX. Latinor. rex. an. XXIIX. Et quadriennio poſt, XXIX. Ægyptior. Dynaſtia ſumit initium; quę CXXX. annis perdurat.)

HOMERVS.

CIRCITER ann. Salomonis XXIX. Natus traditur Homerus: annis ab Ilij) excidio, (verius, obſidione, ſive belli Troiani initio) CLXXIX. & ann. XLIX. poſt Cumæ Phricotidis conditum, in Aſiâ. Ante Ariſtotelem (teſte Caſſio apud Agell.) DC Ante primam Olympiad. CXXX.

Ab eiuſdem Natali, ad Xerxis in Græciam traiectum, anni DCXXII. quos Herodot. in eius Vitâ, ſic colligit:

Ab expeditione Græcorum, quam Agamemnon & Menelaus in Ilium ſuſcepêrunt, annis CXXX. pòſt, LESBVS opidatim habitari cæpit.

Poſt Lesbum habitatam, XX. anno, CVMA Æolica, quæ & Phricotis appellata, incoli occæpit.

Porrò à Cumâ, ann. XIIX. in Smyrnâ Cumani colonias deduxêrunt. quo tempore natus eſt Homerus. & mortuus anno ætat. CIV.

CRITHEIS namque, Melanopi Filia, Crithonis neptis, ex ſtupro gravida, à tutore Cleonacte, pudore culpæ, ablegata, & Iſmeniæ Bœotio cōmiſſa, in itinere, iuxta fluv. Meleſium, peperit filium. qui primū à loco Meleſigenes; dein Homerus dictus eſt.

Eo anno quo Archippus Athenienſ. prætor perpetuus Acaſto ſucceſſit, ſub ſecundâ Ionum tranſmigratione.

Antè Homerum, hi in Græciâ Poëtæ exſtitiſſe feruntur:

LINVS, PHILAMMON, THAMYRAS, AMPHION, ORPHEVS, MVSÆVS, DEMODOCVS, PHEMIVS, SIBYLLÆ, &c.

Suæ Poëſeos argumentum ſumſiſſe ex CORVINO, Ilienſi Poëtâ, Palamedis diſcipulo, volunt: idque ex Suidâ. Et multis è Sibyllis verſus ſuo Poëmati inſeruiſſe. Et ſapientię parandæ ergò, ad Ægyptios ſacerdotes adiiſſe.

Iuſtin. Parænet. Non modò cæcum fuiſſe; ſed vagum per omneis pænè terras emendicando, & canendo, victum quæſiiſſe. - Plin. l. 7. c. 29. *Ingeniorum gloria quis poſſit agere delectum*, &c. niſi fortè HOMERO, vate Græco, nūllū feliciorē extitiſſe cōvenit, ſive operis fortuna, ſive materia æſtimetur. Vid. cętera apud Herodotum, vitę eius ſcriptorem.

Tunc tandem, DEO itâ agente, & regem ſui immemorem, luxuque flagitiosè diffluentem, perturguente; adverſarij & æmuli quidam Principes, regnis in viciniâ receperatis, aperto in Salomonem bello inſurgere cæpêrunt.

HINC ADADVS Idumæus, qui quū Davides, duce Ioabo, mareis omneis in Idumæâ interficere contēderet; puer adhuc in Ægyptum, ad Pharaonē, profugerat. Et licet regiâ ibidē adfinitate dignatus, cōmodè & liberaliter, cum prole, haberetur; à morte tamen Davidis, & Ioabi, in patriam reverterat.

ILLINC, RAZON, Eliadæ F. qui olim ab Adarezere, rege Sobæ, deficiens, collectâ latronum manu, rex in Damaſco fuerat conſtitutus.

(Ex eo tempore Regnum Syrorum exortum. ſed IX. tantum reges ſparſim in S. Hiſtoria reperiūtur. Et id quidem annis incertis.)

Domeſticum pręterea hoſtem DEVS in eumdem Salomonem concitavit; HIEROBOAMVM, NABATHÆ è Sarvâ F. EPHRATEVM à Saredâ, Qui dum rex ædificaret Mellonem; & voragoc civitatis, quæ Patris Davidis nomine dicebatur, æquaretur; moleſtè id tuliſſe proditur. (fort. ob fundos eo in ſolo amiſſos.) Quantumvis eum Salomon, ob induſtriā, indolisque præſtantiam, *Tributorum, qua univerſa Ioſephi Tribus pendebat, exactorem conſtituiſſet: & in familiarium claſſe haberet.*

Sed quùm obviam ei factus AHIAS Propheta, Silonites, (ex cuius pallio novo, duodecim in parteis disscisso, decem segmenta tollere iussus fuerat.. quo signo, *totidem Tribuum*, hoc est, *reliquarum, præter Iudam & Beniaminum*; *regnum, ipsi delatum iri* portendebatur) *regem fore ab obitu Salomonis: Et huius filio* (quòd Pater peregrinos Vxorum suarum Deos coluisset; nec Dei præceptis, exemplo Davidis, paruisset) *unam tantùm Tribum, cui imperaret, reliquam fore*, præsignificâsset. illudque rex comperisset: necare eum clàm destinaverat. Quo metu ille in Ægyptum, ad regem Sesacum, confugit.

Hebr. Ahiam illum perhibent, ætate Moysis, puerum fuisse; & vitàm ad Elisæi sæculum produxisse. quod spatium est annor. ferè DC. hinc inter VII. annosissimos relatum. Quo de commento, infr.

3001. | Rex autem SALOMON, annis imperij XL. & ætatis suæ LII. perfunctus, è vitâ excessit. Falli itaque videntur, qui annos XXVII. ei tribuunt, quùm regnum inijt. | 949.

Res eius gestæ (2. Paral. c.9.) à NATHANE Prophetâ, ab AHIA SILONITE, ab ADDO VIDENTE, perscriptæ memorantur.

Reliqua Libri III. reg. & totus IV. cum Paralipomenis, fortè à sacerdotibus, sive eius sæculi Prophetis, pertexta.

Ipse inter X. Psalmorum cõditores, à B. Hieron. numeratur. quòd LXXII. & CXXVII. Psalmi, eius nomen præferant. Cui CXXIIX. & CXXIX. & XXX. ἀντιπίχαφοι, uti proximo auctori, tribui etiam debeant. Hebræi verò eum prætermittunt; & eius loco subsistunt Adamum, & Melchisedechum.

B. Aug. l. 18. C. D. *Salomon, inquit, bonis initijs malos exitus habuit. Quippe secundæ res, quæ sapientum animos fatigant, magis huic obfuérunt; quam profuit ipsa sapientia.*

Tribus libris tamen prophetâsse reperitur, Proverbijs, Ecclesiaste, & Canticis. Ecclesiasten certè, quasi suæ censorem vanitatis, & pœnitentiæ testem, scripsisse censeatur, extremis vitæ suæ temporibus. Quum animum omni scientiarum genere & voluptatibus ad satietatem usque expléсset; nihil ei supererat præter mundi contemtum ac fastidium. Sic prima & ultima in Solomone laudabilia.

Ioseph. multa ab eo conscripta commemorat, in omni Philosophiæ parte.

Sapientiæ Librum, Philoni cuidam: Ecclesiasticum, IESV, Sidrachi F. sub Ptolemæo Euergetâ, adscribunt. Antiquiores tamen Patres, communi ferè consensu, Salomoni tribuunt Librum Sapientiæ: cuius IX. cap. testetur; *Se regem in Israele fuisse: sibiq; à Domino imperatum, ut Templũ ædificaret.*

Sed forte, sententiæ sunt Salomonis, in unũ volumen collectæ; & Græcè expressæ, à Philone quodam antiquiore.

Vt Pater eius DAVIDES, Lyricis; ità ipse Dramaticis excelluisse censeatur.

Ætate iam præcipiti, Spiritum sanctum, quem ob idololatriæ studiũ amiserat, recepisse propterea non immeritò iudicetur; quòd PROVERBIA, hoc est, sanctæ vitæ præcepta: & CANTICA CANTICOR. hoc est, Drama sive parabolam, de intimà Dei, vel filij Dei, cum Sponsâ Ecclesiâ, coniunctione, & caritate. Denique Ecclesiasten, de Mundi contemtu, conscripserit.

Et hunc certè Librum, complecti pœnitentiam Salomonis; & cum de ante-actâ vitâ, tum maximè de Idololatriâ, resipiscentiæ eius, testimonium edere, Hebræi autumant. Nec abhorret B. Hieronym. (43. Ezechiel.) ex istis, Proverb. *Ego egi pœnitentiam; & respexi ut eligerem disciplinam.*

Cætera eius opera, quorum ibi mentio, intercidérunt.

Scripserat, inter cætera, De morborum curationibus: quo Maiores usos fuisse tradunt Hebr. instar Hippocratis, aut Galeni. Librum etiam de Exorcismis, ad fugandos Dæmones. quem Origenes suâ adhuc ætate exstitisse memorat. Vide & Ioseph. libr. 8. cap. 2. Antiq. de miraculo (quàm certo; dubitem) coram Imperat. Vespasiano.

Magi falsò illi attribuérunt Libros de evocandis Dæmonibus; iisque in circulos & gemmas annulorum arcessendis.

Videre etiam liceat, apud Euseb. Præp. eiusdem Salomonis epistolas ad Suronem Tyrium, & ad Vaphrem Ægyptium, reges. Eius certè tempore, omne etiam doctrinæ sapientiæque genus in Ægypto florebat.

ROBOAMVS IVDÆ: ET HIEROBOAMVS ISRAELIS, REGES.

3001. | ROBOAMVS, Salomonis, ex NAAMA Ammanitide, Filius, (quem Pater XI. vel XII. ætatis anno genuisse videatur) regnum paternum tenere cœpit, anno ætat. suæ XLI. | 949.

Sever. an. XVI. (sed error ibi ex notis; XLI. L littera, in V, versâ; ortus esse videatur.)

Ille confestim à morte Patris venit in Sichemũ, quò populus Israelitarum, eius, regis creandi, caussa, convenerat.

Verum intereà HIEROBOAMVS ille, de quo sup. ex Ægypto reversus, & ab Israelitis adscitus est, quo, quasi duce & interprete, uterentur, in proponẽdis novo regi, reip. administrandæ, conditionibus.

Quòd namque à Patre, graviore imperij & tributorum iugo, & immensis regiæ familiæ mensæque impendijs se fuisse oppressos quiritarentur; laxiùs secum agi, & de oneribus remitti, à filio postulabant.

Ille autem spreto Seniorum, & longo usu præditorum, virorum, consilio: qui leniter cum populo

agendum esse, & æquis postulatis obsequendum, suaserant: secutus est, Aulicorum adolescentum, æqualium suorum, temeritatem: non sine acerbo responso, & durissimi in posterum imperij comminatione.

Atque ità repudiatis supplicum precibus, plebis favorem à se avertit; & ad manifestariam à regiâ Davidis progenie defectionem impulit. Tàm pervicaci rebellium irâ; ut Adoranum, quæstorem regium, quem rex leniendæ seditioni, & responso mitigando, submiserat; lapidibus obruerint. ipseque rex, malè sibi metuens, conscenso trepidè curru, in Hierosolyma perfugerit. *Atque ità ille, nutans paternâ culpâ imperium, suâ stultitiâ evertit.*

SCISSVRA REGNOR. in Israële.

HINC perniciosissimum Regni Israëlitarum (qui coniunctè hactenus, Saüli, Davidi & Salomoni, paruerant) discidium. ut unum, IVDÆ; (cui confederati BENIAMITÆ.) Alterum, communi nomine, ISRAELIS, sive X. TRIBVVM, & SAMARIÆ, diceretur. Quùm utrique anteà, & legum societate, & fraterno fœdere, inter se, fuissent devincti; duo hæc regna, perpetuis inter se bellis, odijsque, ferè deinceps concertárunt.

Masi. quo nescio auctore; Totam Tribum Beniamitarum Nathani, Solomonis filio, an fratri! cessisse; & Nathanitas Dominos, (ex quorum stirpe, B. VIRGO DEIPARA ortum erat ductura. quâ de re aliàs.) fidelem regibus Iudæ, quoties usus posceret, operam navásse tradit.

Tribus verò Levitarum, (2. Paral. 11.) relictis urbibus, & Suburbanis, quæ passim inter X. Tribus sortitò obtinuerat; ad duas, Iudæ & Beniamini, Tribus, regi legitimo parenteis, (partim ut Templo Domini esset vicinior: partim quòd à reliquis defectoribus arceretur, & sacerdotio destitueretur) sese paullo-pòst recepit.

Simeonis etiam & Danis Tribus, Tribui Iudæ, magnam partem, imputari solebant, & adsociari.

Quum autem solæ, quas dixi, Tribus, Roboami, legitimi regis, (qui Hierosolymis regni sedem iam collocárat) parteis, constanter sequerentur; & in avitæ religionis cultu permanérent. Tum Hieroboamus vicissim, qui ex populi, immoderatiore regis novelli severitate irritati, seditione, gratiam sibi auctoritatemque comparásset; reliquarum X. Tribuum, quæ desciverant, suffragijs rex creatus est.

DANIS TRIBVS, ob urbem Dan, eidem adscribebatur: & MANASSES, quasi 2. Tribus efficiebat. & SIMEONITÆ aliquot, eidem adherebant.

Hinc Regnum Israelitarum. quod sub XIX. regibus, ann. CCLX. duravit, ab anno O. C. 3001. usque ad 3260.

Familia istorum regum novies mutavit, ut regni tamen summa penes eamdem Tribum EPHRAIMI perpetuo ferè remanserit: quæ omnibus vel ortum dederit, vel viam ad regnum patárit.

Cum namque universa Nobilitas, in X. Tribuum dominatu, ex EPHRAIMO, pèrinde emerserit; atque ex IVDA, in 12. Tribubus; tum IACOBVS, Patriarcha, in suis præsagijs & Votis, idem fore significárat. (Gen. 48. & 49.)

Hoc schisma contigit currente 1. hebdomadis anno. Ἀπὸ κληρουχίας, ad hoc schisma fluxérunt annor. hebdomades LXVII. solidæ.

Regnum Roboami, ab altero regno, dispescebat Iordanes, Torrens Cerith, montes Ephraim, & Torrens Gaal. ut Meridies Roboamo; Septemtrio Hieroboamo cederet.

Hanc iniuriam & ulcisceretur Roboamus, regnumque à maioribus partum, ex rebellibus, reciperaret: ad CLXXX. armatorum millia, ex II. Tribubus, quæ parebant, coëgit. Verùm promotâ iâ in iter acie, per Semeiam Vatem, rex & populus prœlio, adversus cæteros tribuleis, abstinere; & domos quisque suas remeáre iussi sunt. quòd nutu Dei, altera regni pars Hieroboamo cessisset.

Tunc quoque in Habdastarthum, Tyrior. regem, IV. nutricis ipsius filij insurgunt: & ex ijs veterrimus regnum invadit.

IDOLOLATRIA in Israëlitis sub HIEROBOAMO.

HIEROBOAMVS, ut régnum recens ità quæsitum stabiliret; & legitimi imperij, observantiæque debitæ memoriam, ex subiectorum suorum animis, deléret; cum domicilium sibi, ac regiam prius in Sichimis (quæ est in monte Ephraimo) deinde in Phanuele, constituit; tum novum superstitionis genus excogitavit: quâ & imperiti, & per se ad eiusmodi flagitia præcipitis, populi menteis occuparet: & ab omni Iudæorum consuetudine; & præcipuè ab anniversariâ feriarum, & statòrum in Hierosolymis Temploque Sacrorum, religione, & communione, abalienaret.

Vitulos itaque duos (Sever. Vaccæ sunt) ex auro conflavit. sive imitatione Aaronicorum in solitudine; sive recenti Ægyptiorum (apud quos ille diutulè fuerat diversatus; & undè uxorem, Sesaci regis Filiam, adduxerat) memoriâ.

Et ex ijs unum, in BETHELE; alterum, in DANE (venerationis ergô, uti Deos, adsertæ ex Ægypto libertatis, vindices) pro locorum opportunitate, ad Austrum & Septemtrionem, collocavit. qui novo utrimque regno, ad eas plagas, essent termini.

Hoc genere omnes Samariæ reges, ad unum, impij fuérunt, & idolorum cultores.

Ille namque prætereà fana in Excelsis construxit: & contemtâ Leviticæ Tribus prærogativâ;

Sacerdotes,

Sacerdotes; Vitulorum, Excelsorum, & Dæmoniorum præstites, ex infimâ plebe (qui vitulo & ariete facere sumsissent, aut munera præbuissent) instituit. *Hæc omnium calamitatum, quæ in Israelitas usque redundárunt, & tandem exitij origo.*

Porrò appetente mensis VII. feriarum celebritate, quæ SCENOPEGIA dicitur; quæque partim, ob perceptas Auctumno fruges; partim ob diuturnæ, sub dio, & Tabernaculis, per Deserta olim Mansionis, recordationem, Hebræi hactenus, Hierosolymæ, frequentare consuérant: Ipse, veluti adumbratâ Pontificis personâ, exstructoque in Bethelis Altari, & cœtu populi ad venerationem coacto: Vitulis, quos ibidem fabricárat, sacra facere, & incensum adolére, (hoc est, invisum DOMINO facinus adgredi) dum pararet; ab IOAMO Prophetá (qui al. IAN, IENDI, & IADON.) quem Deus ex Hierosolymis submiserat, gravissimè increpitus est.

Et quemdam, ex stirpe Davidis, regem, Iosiam nomine, CCC. plus minus, pòst annis, exoriturum esse, præmonetur: à quo, super eodem Altari, fallaces eâ tempestate Prophetæ & Sacerdotes, mactandi sint: Et hodiernorum impostorum ossa igni simul concremanda. Cuius comminationis veritatem, præsentarium prodigium, Altari mox disrupto, & cinere cum victimarum adipibus humi effuso, sit comprobaturum.

Nec mora. quùm manus regis, quam iritatus, & comprehendi Vatem impetans, in eum intendebat, de-repente siderata exaruit; tum Altare disruptum victimas humi effudit.

Quo miraculo ille attonitus, & scelus suum agnoscens; virum sanctum & veridicum obtestatur, ut precibus à Deo adfectæ in se dextræ incolumitatem, vigoremque pristinum, impetret. Cuius voti compos, hominem ad prandium hospitaliter, cum munerum pollicitatione, invitat.

Is verò, qui nullo se præmio induci posse; atque adeò divino iussu vetari adseveraret, ne cibum aut potionem apud profanos sumat: aliâ etiam, quàm advenerat, quod ita à Deo sibi imperatum esset; ex Bethelis, reversus est.

Sed insignis hîc intercessit veteratoris cuiusdam Prophetæ, qui gratiâ & auctoritate apud regem Hieroboamum pollebat, malitia, & techna.

Quùm namque ex filijs, ea, quæ circà regem & Altare, à Vate Iudæo, non sine novorum sacerdotum contumeliâ, gesta fuerant, cognovisset: morbi, senijque oblitus, & asino vectus, revertentis Vatis vestigia est persecutus. Et eiusdem se Dei, cum illo, cultorem, atque adeò divinitùs commonitum hospitem, falsò professus, Virum credúlum, & fortè nonnihil de rege contemto gloriantem, (Angelom.) domum suam seduxit.

Cui iam prandenti, idem hospes, novo Dei iussu instigatus, prædixit: propterea quod priori eius præcepto non paruisset, sed sibi, fallaci Vati, adsensus esset; cadaver ipsius, in Patrum suorum monimenta, nequaquam illatum iri. Quod quidem exitus mox probavit.

Dum enim ille pransus; & asino, quem hospes præbuerat, vehens, reverteretur: à Leone, cætera innocuo, asino etiam incolumi, enectus est in viâ; & fideliter, adversus alienam iniuriam, custoditus.

Quâ re à viatoribus in urbem divulgatâ; fallax idem Vates & hospes, confestim eò profectus, integrum cadaver domum suam adtulit: & ingenuè, mortui, & Deo cari Vatis, probitatem, & suum cõtrà peccatum, vel ingratijs, agnoscens; omni cum officio sepeliendum curavit. Et ut se, simulé vitâ excessisset, in eumdem tumulum inferrent, liberos rogavit. ut in mutuâ illâ ossium confusione, præsignificatas in posterum, sacerdotum & vanorum Vatum pœnas effugiat.

Commemorat Ioseph. ab hoc eodem veteratore, qui rei à sancto Prophetà gestæ, & prodigiorum veritatem, malitiosâ interpretatione, labefactare contenderit; Hieroboamum in pristinâ impietate fuisse obfirmatum. Nescio an satis convenienter menti S. historiæ. quæ tantùm tradit, regem, isthoc rerum gestarum eventu, non modò à malitiâ non discessisse; sed sacerdotibus Excelsorum, è vili plebe, institutis, in nova flagitia, cum suis, pessimo in vulgum exemplo, præcipitâsse. Vndè, Deo vindice, tota tàm impij regis progenies funditùs sit tandem deleta.

Hebr. tradunt, Iudæos, ne cum schismaticis Israëlitis ullo sacrorum usu communicare viderentur; eam Litterarum formam, quæ nunc usitata est, hoc est, Quadratam, mutatis prioribus figuris, condidisse: & eas, quæ Samaritanæ deinceps nominatæ, desijsse.

ROBOAMVS verò, regno Ita imminuto potitus, Civitates, in eodem, partim novas condidit; partim veteres communivit. easque in omnem propinqui hostis & belli eventum, præsidijs & præfectis, commeatu & armis, abundè instruxit.

Ad ipsum insuper, è totâ Israelitarum ditione, Sacerdotes & Levitæ, possessionibus suis, & avitâ Sacerdotij dignitate, à rebellibus, moti: & plerique è reliqua plebe, pij; & Hieroboami, qui eos ad suorum Vitulorum adorationem adigeret, Tyrannide offensi, promiscuè confluebant.

Quo factum est, ut Roboami regnum, & res Iudæorum, integro triennio, quo in sincero Dei cultu perstitérunt, istiusmodi incrementis mirificè corroborarentur.

Traduntur etiam multi, ex Israelitis, novitatem & regni, & superstitionis ab Hieroboamo invectæ, perosi, ab eo secessisse: & in novas sedes, trans Æthiopiam, se contulisse. Allecti forte-an, veteri Æthiopum, & reginæ eorum Sabæ, cum suis maioribus, fœdere & commercio. Et alij, aliò.

Rex autem ROBOAMVS, ex varijs, partim uxoribus (quæ octo & decem: inter quas duæ cognatæ, MAHALATHA, ET MAACHA: patruelium, hæc Absolomi, illa Ierimothi, filiæ. (Ioseph. Maacha dicitur, è Thamare, Absalomi, qui 3. reg. 15. Abessalom, est, filiâ, progenita. Et 2. Paralip. 13. Michaia, mater Abiæ, filia dicitur Vrielis de Gabaâ.)

Partim concubinis, quæ LX. fuére, Mares duode-triginta, & femellas sexaginta, suscepit.

Præ cæteris autem ABIAM, ex Maachâ, quam in delicijs,

in delicijs, & honoratiore ſemper loco habuiſſet, natum; quòd robore & prudentiâ præſtaret, ſucceſſorem ſibi, & regni adminiſtrandi vicarium cooptavit.

3005. | ——— | 945.

Hâc Regni, licet imminuti, felicitate, & inopinatis acceſſionibus, elatus rex; & firmiſſimis, uti ſibi videbatur, regni tuendi præſidijs munitus, quùm populus eâdem etiam ſecuritate, & pacis otijq́ue indulgentiâ luxuriaretur; ad ſcelera, impietatem, & ſacræ religionis contemtum, effuſis quaſi habenis, deflexére.

Aras, Lucos, ſtatuas, in Collibus & arboretis, erexére. Virîm muliebrem laſciviam degeneres, & publicarum lubidinum victimæ, (Hebr. Cumedi ſunt, qui hic effeminati) ſacra, profana, contaminárunt. Et inuſitatis flagitijs Genteis ipſas Chananæorum, in quarum ſedes, Deo auſpice, ſucceſſerant, longè ſuperárunt.

3006. | Hanc contumeliam Deus, V. Imperij anno per SESACVM, Ægyptiorum regem, confeſtim ultus eſt. | 944.

Qui Roboamum bello adortus, (copiæ eius MCC. Curribus: LX. M. equitibus, & CD. peditum Millib. conſtitiſſe produntur; ex Libybus, Æthiopibus & Troglodytis, præter Ægyptios, coactæ) nuper, & tàm ſedulò munitas, Iudææ civitates, in quibus illi tantùm fiduciæ collocárant, nullo negotio expugnavit, incolis ultrò ſeſe dedentibus. Et ad Hieroſolymam uſque, quò pleriq́ue è viciniâ confugerant, victor penetravit.

Ibi rex, cum Principibus, mirandum in modum conſternatus; & quùm ex SEMEIA Prophetâ cognoviſſet; ſc. *propterea quod Deum contemſiſſet; ab eo viciſſim deſertum, & in manus Seſaci traditum iri:* cum vehementi gemitu, & Dei æquitatem, & ſuum errorem propalàm conteſtatus. ex-templò ab eodem Prophetâ audijt, *mitiùs ſecum acturum Deum.*

Ægyptium ſcilicet, voluntariâ urbis deditione, ceu ſervitutis argumento; & Regiæ Templiq́ue ſpolijs contentum, impunè, & cætera innoxium, eſſe è regione receſſurum.

Seſacus itaque, Roboamo urbem, præ metu, dedente; theſauros, tum Deo ſacros, tum regios, expilat. ſcuta aurea, quæ Salomon fecerat, detraxit, & opimâ cum prædâ domum revertit.

Hic, (ut Ioſeph. ex Herodoto colligit) ille eſt SESOSTRIS, qui primis Ægypti regibus, MENI, MOERIDI &c. longo poſt intervallo ſucceſſerit. Qui primùm longis navibus ex Arabico ſinu profectus, Rubri Maris accolas in ſuam poteſtatem redegit. Deinde, quùm Mare vadoſum ulteriore cum navigatione prohiberet; coacto exercitu, per continentem, genteis omnes, ut in quamque incidebat, ſubegit.

Et cum in earum, quas feroceis & libertatis cupidas erat expertus, regionibus, columnas; victoriæ, & captarum per vim urbium, indices, teſteiſque ſtatueret; tùm quarum urbeis nullo prœlio negotióve cepiſſet, ibi Titulos muliebribus genitalibus, ad ignaviæ exprobrationem, impreſſos, relinquebat. qualeis ſe in Syria Palæſtinâ vidiſſe teſtatur idem Herodot.

Ille ex Aſiâ in Europam tranſgreſſus, Scythas domuit, & Thraces. & ad Phaſin uſque progreſſus, Colchos pudenda circumcidere docuit, more Ægyptiorum & Æthiopum. Immò Phœnicum & Syrorum, iam recepto.

Hic quoque ſolus, ex Ægyptijs regibus, Æthiopiæ imperio potitus fuiſſe traditur; & PHERONEM filium regni heredem reliquiſſe. cui PROTEVS vir Memphites, Menelai & Helenę hoſpes, poſteà ſucceſſit.

Hoſte Seſaco è Iudæâ digreſſo, Roboamus, pro ſcutis aureis, ærea, pari numero, (χάλκεα χρυσέων) ſuffecit: & ſcutarijs, excubitoribusque ſuis adſignavit.

Neque memorabile quidpiam, ob perpetuum cum Hieroboamo diſſidium, reliquo vitæ tempore, quod, ob quorumdam in gente Iudæâ probitatem, ipſi utcumq́ue pacatum fuit; perpetravit.

Anno regni eius XV. PYRITHIADES XXXIII. Aſſyrior. rex, ann. XXX. Et anno pòſt, CAPETVS SILVIVS, IX. Latinor. rex, an. XIII.

3018. | Res geſtæ Roboami à Semeiâ Propheta, & ab Addone Vidente, diligenter fuiſſe perſcriptæ, memorantur. Et poſtquàm annos XVII. regnáſſet, in Civitate Davidis ſepultus eſt, & in maiorum ſuorum tumulum illatus. | 932.

HIEROBOAMVS etiam (quem probabile eſt, ob adfinitatem, & veterem in aulâ Ægyptiâ familiaritatem, ſuſceptæ nuper à Seſaco in Iudęos, ſibi inviſos, expeditionis fuiſſe auctorem: quò populum, immiſſâ belli clade, cuius ipſe, cum ſuis, immunes; magis magiſque à legitimo rege abalienaret: dum nullum in cæptâ adverſus Deum impietate modum facit; Deus, iſtiuſmodi ſui contemtum, & dignam tanto ſcelere pœnam, in caput ipſius, familiæque vertit.

Quùm namq́ue filius eius ABIA (Ioſeph. Obimes) gravi morbo ſub id tempus adflictaretur; Et ipſe uxorem, diſſimulato habitu, ad AHIAM Prophetam (à quo olim regnum X. Tribuum ſibi obventurum cognoverat) in Siloam. de morbi eventu percontaturam, proficiſci iuſſiſſet; Deus, & Prophetam,

Prophetam, iam præ senio cæcutientem, de eius adventu præmonuit; & quid responderet, suggessit. hæc scilicet.

Ob impietatem, & immemorem tanti beneficij, quo à Deo adfectus fuerat, animum, delendum ibi funditùs Hieroboami genus, & cadavera eorum, à canibus atque alitibus devoratum. Exiturum mox regem, qui ex isto genere superstitem neminem sit relicturus. Populum quoque, qui patriarum cerimoniarum pertæsus, in scelerati regis vestigia institisset, nevaq; sacra amplexus esset: è patrio solo, omnium uberrimo, in incultas trans Euphratem regiones, aliquandò exterminandum. Filium, qui ægrotet, citiùs quàm mater domum reversa sit, è vita exiturum. Cuius tamen mortis acerbitas, hoc solatio sit pensanda: ut, qui solus ex totâ Hieroboami familiâ, innocens & probus exstiterit; publico etiam luctu & sepulturâ honoretur.

Vxor itaq; ꝛe regia, in THERSAM, (quâ civitate, edito in monte sitâ, pro regiâ, Israelitarum reges, antè Samariam conditam, usi) reversa, vix domûs limen attigerat, quùm puerum exanimem repperit; & marito tàm tristia oracula renuntiavit.

ABIAS, IVDÆ. ET HIEROBOAMVS, ISRAELIS, REGES.

3018. | ABIAS (qui & ABIAM, & Sever. ABIVD) Patri Roboamo, qui vivens ipse decreverat, in regnum Iudæ, successit. quùm XIIX. fortè ineuntem, regni sui annum, apud Israelitas, ageret Hieroboamus. | 932

Hic novi, apud Iudæos, regis immaturâ adhuc ætate fretus; & facilem sibi victoriam, de rudi hoste, pollicitus; copias ingenteis, ad DCCC. Bellatorum Millia, instruxit.

Eiqu: se ABIAS, collecto ex Iudæis Quadringenties mille exercitu, occurrit, & ad Samaronem castra metatur. (Massæ. Numerum utrimque ità contrahit: ut Abiæ XL. & Hieroboamo LXXX. Mill. attribuat. Et L. Millia in conflictu cecidisse.)

Hic, ABIAS, antè, quàm acies concurrerent, impetrato ab hoste silentio, ex edito montis loco, iniuriam Deo & maioribus suis factam, accuratâ oratione, exprobravit. - Quibus Hieroboamus, abiectæ sortis homuncio, ob imprudentius, & paullo durius Patris Roboami, ad plebem quiritantem, responsum; meliorem regni partem ademerit, & sibi vindicàrit: *& subiectos sibi populos, scelerum, & novæ impietatis, societate obstrinxerit.*

Neque tantâ facti iniquitate contentus, reliquum etiam pristini regni, non tàm sibi subijcere, quàm impuro Vitulorum cultu contaminare, paret.

Omnia apud Iudæos castè sacra servari: legitimos sacerdotes, & stata sacrificia. Proinde Deû pro ipsis staturum: & clangore tubarum, quas sacerdotes mox sint inflaturi, adversarios dissipatum iri. *Resipiscant igitur, & prælio in præsens abstineant.*

Hæc illo orante, HIEROBOAMVS, parte copiarum à tergo submissâ, Iudæos circumvenire per insidias satagebat. Verùm hi, bonis animis, à rege intrepido, esse iussi, & tubis el ingentibus instigati; tanto in hostem adversum, aversumque, impetu ferebantur, ut cæsis Quingenties mille, memorabilem victoriam reportarint. Et urbeis eorumdem munitissimas, Bethelem, Iasanam, Ephronem, cum vicinis municipijs, expugnàrint. Adeoque deinceps infractæ sint Hieroboami vires; ut eo pacato, Abias, dum superstes fuit, usque visus sit.

Quem nihilominus, quod vel victoriæ fructum, ad exterminandum Vitulorum cultum, occupatâ iam Bethele, non contulerit; vel non satis piè se gesserit; Deus præcoci morte sustulisse, haud abs re, iudicetur.

2021. | Exacto namque III. Principatus sui anno, mortuus est, & Hierosolymis apud maiores conditus. | 929.

Ipse ex XIV. uxoribus, XXII. Mares, & XVI. sequiore sexu liberos, reliquit.

Res eius gestas Addon Vates perscripsit: & sub eo Azarias Pontificatum gessit.

Sever. VI. annos regni tribuit; quamvis in Chronicis, ut inquit, triennio regnâsse feratur.

ASA IVDÆ. — HIEROBOAMVS, NADABVS, & mox BAASA; Deinde, ELA; ZAMBRIS, AMRIMVS & THEBNIVS, ACHABVS; Israel. REGES.

ASA (Sever. ASAB.) Patri suffectus, (Eius mater, Ioseph. Machæa. & (quod miramur, neque satis explicamus) 3. Reg. 15. Maacha, Abessalomi filia; cui cognominis, & agnata, mater erat Abiæ Patris.) Regnum inijt, anno XX. Hieroboami, Israelitarum regis, nondum exactu; qui biennio pòst obijt.

Hic Davidis abnepos, eiusque pietatis, maiorem vitæ actionumque partem, imitator; & proinde continente X. annor. pace divinitùs beatus. quod peregrini cultûs Altaria, Excelsa, Lucos (avitæ perfidiæ vestigia) subvertisset: & populum, ad pristinæ pietatis observantiam, reduxisset: Cinædis, & idolorum sordibus sublatis.

Tàm

Tàm diuturnæ denique pacis opportunitate usus, & urbeis passim muris turribusque circumdedit; & paratas in omnem belli eventum copias habuit: Treecenta armatorum, ex Iudæis; & ex Beniamitis, Ducenta & octoginta millia.

3023. | Anno eius altero, Hieroboamus, post expletos sui, in Israele, sive x. Tribubus, regni, XXII. annos, defunctus; | 927.

NADABVM F. habuit, non tàm imperij successorem, quàm scelerũ & impietatis suæ æmulum. qui, cum Patre, annum unum regnâsse anteà videatur.

Hunc. BAASA, Abiæ (Sever. Banachiæ. Ioseph: Macheli) Filius, è Tribu Isacharide, èque domesticis Hieroboami amicis; Gebbethonis, urbis in Philisthæis, obsidioni intentum, per insidias, interfecit. Eamque cædem, promiscuâ totius regiæ familiæ strage cumulavit, nemine, ex tàm impij regis, qui omnis superstitionis, atque adeò defectionis auctor fuerat, stirpe, relicto. uti multo-ante ab Ahiâ Silonite fuerat præsignificatum.

3024. | Anno itaque Asæ III. (4. Reg. 15.) BAASA, in Thersâ, regnum arripuit. quod pari cum impietate & offensione, ad XXIV. ann. (Sever. XXVI. comprehenso filij biennio. Genebrard. attribuit illi XXIII. annos plenos, ad XXVI. Asæ) varijs casibus administravit. | 926.

Anno IX. TIBERIVS, seu TIBERINVS SILVIVS, X. Latinor. rex, ann. VIII. Hunc perijsse dicunt commisso iuxtà fluvium prœlio; rapidoque eius gurgite abreptum, fecisse, ut mutato nomine Tiberinus, pro Albulà, vocaretur.

3032. | Anno autem XI. (Ioseph. X. Mass. & Hebr. XV.) ZARA, Æthiops (an Æthiopum, & Ægyptiorum rex? Alijs, Chusæorum, hoc est, Arabum,) exercitu decies-centenûm Millium (Ioseph. Nongenties peditum, & centies mille equitum) & curribus trecentis, stipatus; in Asam ducit. | 918.

Hic autem illi, ad Maresam, occurrit; & instructis in Valle Sephatiâ aciebus, supplex Deum precatus est; *Vt exiguas suas copias, adversus hostem, animaret: qui omnem victoriæ spem, non in multitudine, sed in Deo ipso, collocâsset.* Atq; ita de-repēte, panico, sive immisso divinitùs terrore, Æthiopes terga vertérunt. eosque Iudæi ad Geraram usque insecuti, ad internecionem delevérunt.

A cædibus ad prædam conversi, Gerara ipsa, & finitima opida, & castra denique diripuérunt.

(Hinc opiner in Hebr. Chronico, dici, A Zarâ restitutam Asæ prædam, quam Sesacus, Ægypti rex, paullo-ante, avo ademtam, ex Hierosolymis asportârat.)

Dum itaque victoriâ ovantes, & prædà onusti, Hierosolymam reverti pararent; AZARIAS, Odedi (al. Obedi) Filius, Dei jussu, fit eis obuiàm: & habitâ concione, docet; *Victoriam Dei virtute & benivolentiâ partam, quòd in eo spem ipsi suam collocâssent, eumq; piè coluissent.*

Ac prædicit, multis diebus in populo Israelitico verum Deum, neque agnitum, neque cultum iri. nullum legitimi sacerdotij ministerium: nullam doctrinam aut legem futuram. *Deum tamen, à quocumque, rebus adversis, quæsitus & imploratus fuerit; præstò fore.* Eâ tempestate, omnia terrore, bellis & calamitatibus, conturbanda. Ipsi porrò pergerent forti esse animo mactis neque à pietate desisterent, *cui sua & certa merces esset futura.*

His verbis rex magis magisque inductus, ad tollendam peregrinorum ubique Deorum superstitionem: & ad restituendum, tum in ditionibus suis, tũ in externis montis Ephraimi civitatibus, Dei patrij cultum; & ad suos in ijs omnibus probè confirmandos; Conventum solennem; tàm Iudæis & Beniamitis; quàm advenis, qui ex Ephraimi, Manassis, & Simeonis Tribubus, ad pium, & Deo carum regem, ex Israele, confugerant; palàm indicit.

3036. | Anno itaque regni XV. mense III. Hierosolymis, ex prędâ, manubijsque hosticis, boves & Arietes Domino immolârũt. | 914.

Et rex populum fœdere ac sacramento obstrinxit; *Vt propositâ pœnâ capitali, & non sine exsecratione, omnes* DEVM, *ex institutis maiorum, colere ac venerari tenerentur.*

Adcò, ut Maacha, mater regia, quæ sacris & luco Priapi præerat; dignitatis loco à filio moveretur: & simulacrum turpitudinis, in frusta comminutum & exustum, in Torrentem Cedronis dispergeretur.

Et quamvis rex Excelsa in Israèle intacta reliquisset (quâ in re aliquantulum peccare visus) animo tamen religioso votiva Patris munera, & ex auro argentóve vasa, in Templum Domini importávit.

(Circiter hoc tempus, OFRATÆVS, XXXIV. Assyrior. rex ann. XX. Et XVII. Asę anno AGRIPPA SILVIVS, XI. Latinor. rex, an. XL. (al. 41.)

3047. | Anno eiusdem XXVI. (Paral. c. 16. est annus XXXVI.) | 903.

Quod

Quod Maſſæ. exſcriptorum vitio attribuit. niſi, inquit, Aſam dicamus unà cum Patre regnare cœpiſſe, ſub avo Roboamo. Neque tempus hoc initi poteſt à cæde Maurorum, &c.

Chronicon autem Hebraic. - *Nonne Aſa ſepelivit Baaſam, anno regni ſui XXVI?* Quæ alij alijs modis conciliare nituntur.

Vt nempe XXXVI. anni iſti, Paralip. referantur ad XXXVI. annos, quibus Salomon coniugio filiæ Pharaonis Ægyptij potitus eſt. - Item, ad annos totidem, quibus decretum, ut regnum Davidicæ familiæ diſſcinderetur, poſteaque iterum coäleſceret. Denique ad annos, quibus decretum, ut reges Syriæ eſſent Iſraeli adverſarij; & tandem manu potentiâque domus Davidicæ fracti conciderent.

Quum ergò dicitur, anno XXXVI. regni Aſæ, Baaſa adſcendiſſe, &c. ſic quidam interpretantur. Anno XVI. Aſæ, poſtquam manu ipſius cæſus eſt Zara, Æthiopum rex; qui eſt XXXVI. à morte Salomonis, &c.

Alij verò ſic ſolvunt - XXVI. anno Aſæ Baaſam adſcendiſſe, &c. & mortuum eſſe. hoc eſt, XXVI. non regni Aſæ; ſed bellorum, ſive eius temporis, quo Aſa bellis, præſertim à Baaſâ, per annos XXIV. iactari cœperit. Ideò enim ſpeciatim, X. *eius primis annis, terra conquieviſſe,* adnotatur, 2. Paral. 14. Quibus ſi addas XXVI. bellorum; XXXVI. incidet in hanc Baaſæ expeditionem. Qui & diſertè (3. Reg. 15.) bellum geſſiſſe cunctis diebus ſuis, (hoc eſt, XXIV. ann. quibus regnavit,) cum Aſâ commemoratur. (Alij; Hunc annum fuiſſe XXXV. regni, in Iſraele, ab Hieroboamo inchoati.)

Baasa itaque, eo, quo dictum eſt, anno; Benedado, Syriæ regi federatus, in Iudæos cum exercitu inſultabat. Et Ramam, (Ioſ. Ramathonē) urbem non ignobilem, quæ ab Hieroſolymis XL. dumtaxat ſtadijs diſtaret; inter alias, interceptam, ità muniverat; ut ex eâ, tamquàm belli arce, regnum Aſæ perpetuis militum excurſionibus vaſtaretur: & eius ſubiectis ultrò citroque commeandi facultas eriperetur.

Quod periculum proſpiciens Asa, miſſis legatis & magnis muneribus, ex Templi regiæque theſauris; eiuſdem Benadadi (Tabremonis filij, Hezionis Nepotis) Damaſcenæ Syriæ regis, ſocietatem redemit. ut priſtini cum Patre ſuo federis memor, Baaſam, non modò deſerat; ſed bello etiam illato, illum cervicibus Iudæorum iam incumbentem, ad res ſuas tuendas, avertat.

Id autem ille, miſſis in conterminos Iſraelitarum fineis exercitibus, ſedulò præſtitit. Et mox ad nuntium aliquot urbium, quas, in Nephthalitis, Syrus per vim expugnárat; Baasa, intermiſſâ Ramæ munitione, ad ſuos defendendos recurrit.

Asa verò ex coacervatâ lapidum lignorumque materiâ, quam hoſtis Ramæ muniendæ deſtinárat; duas, in Beniamitis, urbeis, Gabaam & Masphan, operis undequaque evocatis, conſtruxit.

Eodem anno Baaſa (cui Deus antè per Iehvm, (Ioſeph. Gimonem) Hanani F. ingrati & impij in Deum animi ſcelus, (quòd à legitimis ſacris, à pietate & Iuſtitiâ, cum ipſe diſceſſiſſet; tum populum avertiſſet) exprobrárat: & eius familiæ, ſeu poſteris, parem, cum Hieroboami ſtirpe, calamitatem fuerat comminatus. & ipſe Vatem eumdem, liberè Dei mandata exponentem, morte multárat) mortuus, & in Thersâ (Ioſeph. Arſane) ſepultus eſt.

Tunc temporis Phelem, qui deiecto Atzerumo, Tyri regnum invaſerat; occidit Ithobalus, Deæ Aſtaroth, Sacerdos; Iezabelis Pater.

3048. | Baaſæ Elà ſucceſſit. cui regni biennium tribuitur, quod cum Patre potiùs regnáſſe cenſeatur. | 902.

Is mox, anno Aſæ XXVII. à Zambre (Ioſ. Zamare) equitatûs ſui duce, intereà dum Gibbethon, Philiſthæorum civitas, copijs regijs obſideretur; temulentus & Genio indulgens, apud Arſam (Ioſeph. Oſam) regiæ urbis, Therſæ, præfectum, per inſidias cæſus eſt, Cui cædi promiſcua propinquorum & amicorum Baaſæ, totiuſque adeò familiæ, ſtrages, ab eodem Zambre adiecta.

Tyrannus autem (Sever. vir perinde in Dominum, atque in homines impius) VII. dumtaxat diebus, inter aſſiduas cædes, ceu ſubitus divinæ Iuſtitiæ miniſter, regem egit.

Exercitus namque, qui ad Gibbethonem deſidebat, de rege Ela per inſidias, & hominis viliſſimi manum, cæſo, certior factus; Amrimvm (Ioſeph. Amarinum) imperatorem ſuum, ſive militiæ principem, in caſtris regem creavit: Et ſine morâ, eodem duce, Therſam obſedit.

Ille autem, ne, urbe captâ, vivus, in novi regis & infenſi exercitûs poteſtatem veniret; ſe ipſe, cum domo regiâ, iniecto igne, concremavit: & iuſtas ſuæ in herum perfidiæ, & nimiæ in Deum impietatis, pœnas à ſe exegit.

Quo facto populus in contraria ſtudia diſſciſſus eſt. & pars Thebnio, Ginethi F, regnum detulit. Alij, Amrimi, quem in caſtris delegerant, parteis ſunt ſecuti. De regno certatum, inter utramque factionem, per ann. IV. uſque ad XXXI. ann. Aſæ.

Hebr. Asam, Ioſaphato, filio ſuo, Amrimi filiam, in matrimonium collocáſſe, tradunt, undè in eumdem conſocerum favor: & prima impietatis, & conſecutæ mòx infelicitatis labes, in regno Iudæ. - (2. Paral. 16.)

3052. | An. itaque eius XXXI. victo, & à ſuis exſtincto Thebnio, | 898.

Merus dominatus, in Israele, AMRINO obtigit; qui durat ann. XII. (connumeratis, inquiunt Hebr. IV. annis dissidij.) Ex quibus, in THERSA, VI. ann. & totidem in SAMARIA exegerit. Quam Civitatem, coëmto, à SOMERO quodam, monte, inædificavit; & posteris Regiam reliquit.

Hic nihilo minus priores omneis reges impietate & nequitiâ superavit. Et anno XXXIX. Asæ moriens & in SAMARIA sepultus, ACHABO F. regnum reliquit. quod XXII. ille annos gessit. singulare impietaris & iniustitiæ exemplum, Patre ipso nequior.

3060. — 890.

ASA itidem ab HANANE Vate increpitus est, quòd in rege Syriæ, & non in Domino Deo suo, spem suam, proximo bello, posuisset: Ideoque delendi Syrorum exercitûs facultas ipsi esse ademta. *Nonne Æthiopas, & Libyas,* inquiebat ille, *curribus & equis longè magis formidabileis, Dominus,* à quo spe & animo tunc totus penderes, *in manus tuas anteà tradidit? Dominus oculis suis universum terræ orbem intuetur: & ijs, qui se suaq́; omnia eius potestati ac fidei permittunt, robur animosq́; immittit. Huius itaq́; stultitiæ, an imprudentiæ! tu pœnas graveis exsoluturus es: & continentibus, quoad vives, bellorum molestijs conflictabere.* (Ab anno scilicet, regni XXX. Mass.)

Hæc liberè eloquentem Vatem rex commotior in nervum compedesq́ue coniecit; & in multorum è populo capita desævijt.

3062. Ipse vici Tim, anno regni & vitæ antepænultimo, vehementissimo pedû dolore laborare cæpit. Cuius morbi curationem quùm potiùs Medicorum arti, quàm Dei providentiæ committeret, anno XLI. è vitâ ereptus est. 888.

Eius sepultura ambitiosissima, in Tumulo, quem sibi vivens in urbe regiâ fodiendum curârat, nescio quid luxûs, & profani adparatûs spirare videtur. Compositus namque in lecto, exquisitissimis unguentis, & pigmentariæ artis aromatis, ac pænè meretricijs odoribus, infarcto rogo, (&, uti Persius ait; *crassis lutatus amomis*) concrematus est.

Intereà ACHABVS, qui uxorem sibi adsciverat IEZABELEM, filiam Ethbaali (Sever. Basæ. Et Ioseph. Ithobali) Sidoniorum regis; suprà Vitulorum cultum; Baali, Idulo, Templum; & in eo Aram Lucosq́ue, instigante Vxore, Samariæ instituit: & iustissimam exinde in se Dei iram iritavit.

Eo regnante, quùm HIEL, è Bethele, Hierichuntem urbem, multis antè sæculis funditùs à Iosuâ eversam; & sub exsecratione, reædificari vetitam, (Iosuæ 6.) iterum erigere tentaret; iactis opidi fundamentis, Abiramum, primæ ætatis F. Et portis in altum eductis; Segubum, liberorum postremum, amisit.

IOSAPHATVS, IVDÆ. ACHABVS, OCHOSIAS, & IORAMVS, Israel. REGES.

IOSAPHATVS, Filius Asæ, matre Abidâ (quę 3. regum, c. ult. vocatur Azuba, filia Salai, al. Selahi) XXXV. annos natus, regnum paternum adijt; dum IV. iam (al. III.) in Israelitis, annum regnaret Achabus.

Vir ille religiosis virtutibus meritò clarus; & pietate à Davide secundus; & ob tàm eximias dotes, fortunatus. Neque cum Ambrino, (ut vult Sever.) sed cum eius filio, Achabo, pacem habuit; & adfinitatem amicitiamq́ue coniunxit. Cuius filiam, Athaliam (Ioseph. Gotholiam) in matrimonium, Ioramo F. paullo-post collocârit. Magnâ posteritatis, & religionis pernicie.

Vrbeis aliquot in Iudæâ, & Ephraitide, quas Pater (Ioseph. Avus, Abias) de Hieroboamo interceperat; præsidijs & vallis egregiè munivit. Opibus, & gloriâ, & subiectorum expromtâ ergà se benivolentiâ ac liberalitate, mirificè auctus; Excelsa, & Lucos, vanis Dijs consecratos, præclaro animi conatu, evertit & succendit. Vsu tamen Excelsorum, ubi populus, nondum recto corde præditus, sacrificaret, & incensum Domino adoleret;. neque-dum sublato.

3065. — 885.

Is III. regni anno, missis in universam ditionem aliquot Principibus, & unà cum ijs Levitis ac sacerdotibus, populi multitudinem passim Mosaicis Domini legibus, & sacræ religionis institutis, opidatim, erudiendam curavit. Vndè & in finitima regna metus, & reverentia incessit; ne bello tàm pium, Deoq́ue carum, regem appeterent.

Quin & Philisthæi; argentum & munera: Arabes, pecora, certatim & quotannis, tributorum vicem, sponte adpenderent.

Ipse Palatia magnifica, & opida murata, impunè exstrueret: & ingenteis, è suis, militum copias, sub exercitatissimis ducibus, ad undecies centena, & sexagena millia, ad manum; præter præsidia passim in opidis collocata; haberet.

ELIAS THESBITES PROPHETA.

EO tempore HELIAS Thesbites (Ios. è Thesbone, Galaadicâ urbe) impio regi Achabo, cum iureiurando, denuntiat; cœlum, pro suo arbitratu, conclusum iri *ne pluviâ aut rore terram irrigaret:* donec ipse rex se tanti mali caussam esse vel illubens agnosceret.

Suspensis igitur cœlo aquis, cum loca omnia arida, & adusta solis ardoribus, neque victum hominibus, neque pabulum iumentis præberent; ipse se quoque intra famis periculum propheta concluserat. Et quùm in eremum, haud procul Iordane, & Torrente Caritho, secessisset; corvis cibum ex alto ministrantibus, & aquæ proximæ beneficiô, victitabat.

Torrente autem iam exarescente; iussus est Sareptam, Sidoniorum urbem, petere: ubi à muliere viduâ pasceretur.

Quam ubi, non longè ab urbis portâ, ligna colligentem offendisset: & non modò aquam, sed panis etiam frustum poposcisset: & illa vicissim se panem habere negasset, sed pauxillum modò farinæ & olei, ut eo d. pane cocto, eoque ad extremum absumto, unà cum filio, mortem exspectare:

HELIAS, eum primùm sibi, deinde ipsi matri, & filio, panem cibarium conficere præcepit: tum Dei verbis pollicitus est *Nec hydriam farre, nec vas oleo esse minuendum; donec ipse pluviam in terras esset effusurus.* Nec fides promissis abfuit.

(Huius siccitatis, hornotino longioris, Menandrum in rebus gestis Ithobali, Tyriorum regis, qui tum vixerit, meminisse, tradit Iosep. quæ supplicationibus institutis fuerit depulsa.

Ithobalo illi successit F. Badezorus, Iezabelis frater.)

Eiusdem Viduæ, hospitæ suæ, filium ita ægrum, ut iam spiritum ampliùs non duceret; Idem Vates (quem illa, præ doloris impatientiâ, ob peccata eius coram Deo detecta, mortis caussam filio attulisse, querebatur) pijs ad Deum precibus, & supplici corporis gestu; commensuratione ac pandiculatione, ter, suprà pueri corpus, usus, in vitam reduxit.

ANNO autem III. siccitatis, iussus est à Deo se Achabo regi sistere, ut aquis terra aliquando irrigaretur.

Tanta verò erat rerum omnium ad victum necessariarum, apud Samaritas, penuria; ut ne iumentis quidem regijs, pabulum aut aqua, præ siccitate, suppeteret. Et rex, Abdiam (Iosep. Obediam) Oeconomum suum, (al. Prætorio præfectum) virum occultè pium: (Hunc Hebr. unum illum ex XII. prophetis fuisse putárunt, qui sub Holiâ rege posteà floruit: quique immani sceleratæ reginæ furori & lubidini subtractos, C. sanctos Vates, & cavernis subterraneis abdiderat, & pane atque aquâ sustentabat.) fonteis, inquam, & herbidas valleis conquirere secum, diversis licet vijs, iussent.

Huic autem HELIAS obviam factus, & cum veneratione agnitus, quùm præciperet, ut nuntiatum hero suo iret, adesse HELIAM. Et ille, non ita se esse de Deo, eiusque servis, commeritum, subijceret; ut Achabo temerè interficiendus propinaretur, qui quocumque gentium, ad ipsum quærendum & comprehendendum, interpositâ etiam iuramenti fide, certos homines emisisset.

Iniquum itaque videri; nunc se ab eodem nuntium præsentiæ suæ ad regem mitti; qui mox quidem, spiritu ita agente, in locum sibi incognitum transferendus: ipse verò, abs rege, qui illusum sibi doleret, nec quæsitum inveniret; certâ morte esset mulctandus.

Sed posteà quàm illi HELIAS iureiurando adfirmásset, se in regis conspectum eo die esse venturum; atque ita ille adesse HELIAM nuntiásset: ACHABUS occurrens, & in Heliam intuitus: *Túne es,* inquit indignabundus, *ille, qui omnem Israelem conturbas: & tam longinquæ sterilitatis auctor?*

At is nihilo blandius: *Non sibi eius mali caussam tribuendam esse,* respondit *sed ipsimet, & generi paterno ac familiæ, qui contemto veri Dei cultu, eiusq; præceptis; non sine sacrilegij notâ, Baalim secuti essent & colerent.*

Eidemque pari fiduciâ tum præcepit. *Ut universum populum, & Baali prophetas CD. & L. ac pariè totidem lucorum sacerdotes, qui à reginâ alebantur, in Carmelum montem convocari iuberet.*

Qui quùm properè convenissent; ipse ad populum accedens, rogavit *Quousque inter diversa religionum studia vacillaturi essent? Si Dominus verè Deus esset; hunc amplecterentur. sin Baalus; in eius sacra toti abirent.*

Tacentibus universis, (Sever. ortam inter eos de religione altercationem, adijcit.) Iterum ille subiecit: *Se, qui unus Domini propheta remansisset; quùm CD. & eò ampliùs, Baalo ministrarent; hanc tamen conditionem proponere, & veluti quamdam certæ religionis periclitationem.*

Ut datis bobus duobus; illi, utrum mallent, in frusta concisum, super lignis imponerent, igne non supposito. Ipse, altero, parem in modum faceret. Atque ita invocato ab utrisque, seorsim, numine, utrorum hostiam missus cœlo ignis absumeret; rata esset religio, quæ manifestariam virtutem edidisset.

Quæ conditio quùm placuisset; & Israëlitæ Baali sacerdotes, priores, omnibus ex pacto perfectis, à primâ luce ad meridiem, Baalum suum, ut se exaudiret, frustrà inclamássent. Et irridens eos Helias, contentiore voce Deum illum, qui vel colloquijs alibi tempus falleret; vel diversaretur, aut iter obiret; vel obdormisceret; excitandum, amarè increpitaret. Neque tamen illi inconditis vocibus; neque sanguine ex artubus, cultro lanceolâve incisis, profluente, quidquam proficerent. Et iam-iam miseri ac trepidantes mussarent, quod temporis meridiani hora, ipsorum vaticinio

ticinio & sacrificio præstituta, transijsset.

Helias tandem, populo propiùs accedere, & observare iusso, Altare Domini, anteà dirutum, ex lapidibus XII. quos pro numero filiorum, sive Tribuum Iacobi, sumserat, instauravit. & compositâ iam lignorum strue, alterum bovem cæsum imposuit.

Et quò res maioris esset miraculi, ex IV. hydrijs, fontanam aquam, tertiùm, & victimæ, & lignis adfundi tam ubertim iussit; ut fossa, quæ circum Altare geminis sulcis fuerat ducta, exundaret.

Quumque iam appetente sacrificij tempore, ipse Dominum, uti Deum Abrahami, Isaaci, & Iacobi, invocâsset: ut certis hic indicijs se Deum esse Israëlis, & ipsum Vatem iussu suo hæc omnia in præsens edicere & gerere, palam faceret. quò & potentiam eius, & in convertendis ad se errantium animis, benignitatem, adstantis populi corona agnosceret.

Ecce, de-repentè, Ignis cœlo delapsus, hostiam, ligna & lapides, cum pulvisculo; atque adeò aquam omnem, lambendo consumsit.

Tum verò populus, solo stratus, Dominum Heliæ & suum, semel iterumque, palam fateri, & idola exsecrari. Et Helias demùm profanos Sacerdotes, ad unum omneis, comprehendi ab illis, & ad Torrentem Cisontis perduci iubet. Qui ibidem ab eo necati sunt: (al. per regem interfici curati.)

Interà verò, dum rex, hortante Helia, & fremitum aquarum mòx auditum iri vaticinante, cibo se & potu procuraret; ipse conscenso Carmeli vertice, pronus humi, caputque genibus adplicans, puerum iussit septies mare versùs prospicere.

Quod quùm ille fecisset; & nubecula, ad instar humani vestigij, è mari excitari visa esset; iussit Achabum moneri, ut iuncto properè curru descenderet, ne ipsum de-subito pluvia opprimeret. Nec multo-pòst, non sine cœli horrore & procellâ, ingens pluviæ vis in terras effusa est. Digressum inde curru regem, Helias, numine correptus, & procinctus, pedes ante-vertit; & in Iesrahelem usque, Azari urbem, est prosecutus.

Vbi quùm Reginæ res ab Helia gestas, & cædem suorum prophetarum, rex ordine narrâsset; & illa confestim nuntio ad Heliam misso, cum dirâ Deorum in se imprecatione, cædem vicissim, postero die, ei esset comminata: Ipse trepidus, incertis temerè itineribus, profugit; & Bersabéam, Iudææ opidum, Idumęis conterminum pervenit. dimissoque ibi pucro, in solitudinem, viâ unius diei se recepit.

Tum fessus, & sub iunipero stratus, vitæque pertæsus, mortem à Domino optavit: & sub umbrâ arboris quieti se dedit.

Expergefactus verò, & non semel cibum sumere iussus ab Angelo, qui panem cibarium, & vas aquę propè adposuerat, & multum viæ restare significârat; vi cibi illius, XL. diebus, totidemque noctibus, ad montem usque Horebum (Iosep. Sinæum, in quo Moyses legem à Deo accepisse proditur) ambulavit.

Ibi in specu quodam delitescens: & quid rerum illic, desertâ urbe, ageret, à Domino rogatus, quùm respondisset. *Se vehementi quodam in Deum, eiusque cultum studio, impulsum fuisse; & in eos malè animatum, qui non sine perfidiâ præcepta illius contemsissent, altaria diruissent; sanctos Vates gladio occidissent. Se denique, qui solus relictus esset, ob cadem Sacerdotum Baali, à se perpetratam; ad mortem abs Reginâ, alijsque, exposci.* Egredi, & coram Deo, in monte adstare, iussus est; quùm extemplò quædam adventûs sui, præsentiæque signa Dominus, in spiritu, in terræ motu, in splendore ignis, denique in tenui auræ sibilo patefecit.

Quibus ille exterritus, & pallio faciê operiens, in speluncæ ostio constitit. Atque iterum voce ad eum delapsâ, eadem rogatus, eadem, quæ priùs respondit.

Tunc eâdem quoque, quâ venerat, iussus est Damascum proficisci: Ibique, Hazaëlem, Syrorum; deinde Iehum, Namsi (Ios. Nemessæi) F. Israëlitarum; Reges. Et Elisaeum, filium Saphati, Abelmeulâ oriundum; succidaneum sibi prophetam; inungere.

Futurum enim esse, ut qui Hazaelis gladium effugisset, ab Iehu interficiatur: & qui Iehu evasisset, in Elisæi manus incidat. Se relicturum in Israele VII. virorum millia, qui genua Baale nondum flexissent; neque adorâssent.

Profectus itaque inde, repperit Elisæum in agro arantem. Iniectoque in eum pallio suo, quùm ille rem intelligens, & relicto aratro adcurrens, rogâsset; ut sibi parenteis antè osculari liceret; & se tum denique secuturum promitteret. re perfectâ, & epulo popularibus præbito; redijt ad Heliam, eique ministravit.

3078. | Anno regni Iosaphati XVI. | 872.

Ben-adadus, Syriæ rex, & suis, & XXXII. Regum socijs auxiliarijsque armis, Samariam, & conclusum in eâ Achabum, artâ obsidione urgebat.

Qui non contentus demississimâ regis obsessi, coram caduceatoribus, & sui. & suorum, uxorum, liberûmque, in ipsius potestatem traditione; quâ & pacem, & civium incolumitatê redimere & pacici paratus esset. quùm insuper ille posceret, ut reliquorum universè civium facultates, per emissarios satellites priùs & curiosè exploratas, auferre sibi liceret,

Neque ea tamen conditio proceribus, & populo civitatis placuisset. Atque ille postremò, extremam obsessis perniciem, fretus suorum multitudine, & quasi victoriæ certus, comminaretur: & ducto aggere, ac vallo urbem undique circumdaret:

Achabus, à propheta quodam admonitus, & animatus, ad prœlium, & eruptionem se parat. Et intereà dum Syrus in castris, cum regibus, quos in belli societatem adsciverat, poculis se ingurgitaret; ipse, XXXII. suprà CC. principum provincialium pedisequos, ceu antecursores, ex urbe emittit.

Quibus

Quibus graviter & feliciter, adversus obvios excubitores, rem gerentibus, reliquus opidanorum exercitus, ad VII. millia, una cum rege, sese adiunxere. & immani occisione Syros insecuti, copiosam prædam reportârunt.

Rex prætereà ab eodem vate commonitus, omni ope bellum, in proximum annum, quo, cladis ulciscendæ caussâ, regressurus esset Syrus, adparabat.

BEN-ADADVS namque à suis vanissimè persuasus, Deos, quos Israelitæ colant, Deos esse montium præsides: ideoque prœlium nuper in montibus sibi fuisse sinistrum. Quod si in planitie campestri committatur, se victores fore. Conscripto copiarum supplemento, & Satrapis in locum regum subrogatis,

3079. | —— Anno iam vertente —— | 871.

In fineis Israelitarum ingressus, ad Aphecam opidum consedit.

Cui ACHABVS, cum copijs longè imparibus, ex adverso tetendit: à Prophetâ quodam, qui victoriam pollicebatur: & parem Dei (Hebræorum) in campis, atque in montibus, potentiam contestabatur; egregiè ad audendum corroboratus.

Prœlio itaque iterùm commisso, centum Syrorum millia occidére. Reliqui verò, ad vicies-septies mille, ruinâ murorum urbis, in quam confugerant, oppressi & exstincti sunt.

Rex autem BEN-ADADVS, qui se in cubiculi cuiusdam interiora abdiderat; & à suis, ut victoris regis clementiam, Regibus Israëlitis peculiarem, experiretur; commonebatur.

Postquam illi, usitato supplicum habitu, saccis induti & restibus capita redimiti, dedititio regi, salutis tantùm & vitæ gratiam, ab Achabo postulâssent; & ille, superstitem, fratris etiam loco habiturum esse, si in conspectum suum adducatur; comiter respondisset. Ipse, acceptâ sacramenti fide, e latebris productus; & à victore in currum communem, non sine gratulatione, sublatus est.

Et quum se Civitates, quas pater occupârat redhibiturum; & liberam potestatem utrimque in Damascum commeandi facturum, quo iure pater ipsius in Samariâ usus fuerat, recepisset; fœdere icto, dimissus, & in pristinum regni statum restitutus est.

Qua de caussâ, à prophetâ quodam, (Ios. Michæam nominat) quibusdam facti, & verborum ambagibus, graviter & mòx est increpitus: *Cur abusus divino munere, hosti, ut publicè perniciosissimo; ita in Deum contumeliosissimo, pepercisset!* Quum namque ille cædi se à socio, Deo ita mandante, iussisset; & is confestim, quod id facere detrectaret à leone discerptus esset: ab altero facilius, ut vulneraretur, impetravit.

Atque ita vultum, cruore ac pulvere oblitum, regi ostentans, nec agnitus; *Se ad mortem peti quiritatur, quod captivum, custodiæ, fideiq́; suæ ab alio commissum, elabi passus esset.*

At quùm rex ceidisset ipsum, ex compecto, reum esse; ille, abstersâ facie, liberè & vicissim in regem sententiam retorsit: *Propterea quòd hominem impium, & morte dignum, quem in manus eius Deus tradiderit, impunitum dimisisset; fore, ut ab eodem, cui pepercisset, interfectus, pœnas Deo offenso exsolveret.* Et populus etiam aliquando, ab hostibus profligatus, plecteretur. Quæ quidèm rex contemtim accepit; & ceu furore concitatus, Samariam se proripuit.

Ipse eodem anno (qui Iosaphati XVII. fuit) regni administrandi potestatem, cum OCHOSIA, uno, ex LXXII. filijs, omnium impientissimo, communicat. Regnavitque ille posteà annis II. in Samariâ. quos, vel maiorem certè partem, cum patre regnâsse censeatur. vel ipsi II. anni, patris regno detrahendi: ut aliquanta Chronologiæ constet ratio. Quâ de totâ re, proximè.

Intereà ACHABVS, quum NABOTHVM quemdam Iesraëlitam (Ios. urbis Azari civem) inducere non potuisset; ut prædium, & in eo vineam suam, regijs fundis propinquam, quod iure heriditario à maioribus acceperat; in horti olitorij usum, sibi vel permutatione, vel venditione factâ, cederet; id ita molestè tulit, ut præ iracundiâ & dolore in lectum se projceret, & à cibo abstineret.

Regina verò Iezabela, cognitâ doloris caussâ, virum, qui regiâ scilicet auctoritate uti nesciret, bono animo esse iussit. *Se vineam, quam cuperet, gratis esse daturam.*

Nec mora. perscribit illa litteras, annulo regio obsignatas, ad seniores & optimateis Iesraëlitas; & præcepit: *Ut & indicto ieiunio, & testibus subornatis, NABOTHVM læsæ maiestatis accusarent; & condemnatum, ipsi protinus lapidibus obruerent.* Quod illi, ut impigrè, ita impiè executi, certum de eius morte nuntium ad reginam amandant.

Rex autem iam voti compos, & dolore animi liberatus, quùm ad vineæ possessionem, ceu manum iniecturus, properaret, ab HELIA, qui Dei iussu ipsi obviam processerat, graviter increpatur. *quòd insontem occidisset, atque immò casi res possessum iret. Quod ob nefas, fore, ut illo ipso in loco, in quo canes lambendo hausissent sanguinem Nabothi; eius quoque sanguinem paullopòst exsorberent.*

Quùm hic ACHABVS ex Heliâ quæreret: *Num ipsum, inimicum sibi, ullâ in re, expertus esset; qui par pro pari referret, & tam dira sibi portenderet!* Respondit ille, se in eo expertum; *propterea quòd sponte suâ scelus in Deum admisisset, & in scelerum societatem populum induxisset.* Deum igitur, eâ de caussâ, *eius familiam* eo modo *deleturum esse*; quo illas, HIEROBAMI & BAASÆ, anteà *delevisset.*

Ipsam quoque *Iezabelam, in agro Iesraheliti- co, à canibus discerptum & depastum iri.* à quâ ip- se ad tam propudiosa facinora, & ad colenda A- morrhæorum idola, impulsos fuisset.

His tandem minis addoctus Achabus, quùm la- ceratis vestibus, cilicio se operuisset, ieiunioque maceráſſet, & in sacco cubuisset: Et quo magis, Deum iratum placaret, abiecto incurvoque, an ob- stipo! capite palàm incederet; Deus vicissim pœni- tentiâ eius inductus, Eliæ dixit; *Quoniam sese ille ità abiecisset; mala ea, quæ modo prænuntiasset, non nisi eo mortuo, & rege illius filio, esse eventura.*

Anno XVII. REMULUS, al. Areu u'us, (Liv. Ro- mulus Silv. Ovid. Acrota: Dion. Alladius) XII. Latinor. rex, ann. XIX. Vir impius, & tyrannus. qui tonitruum fulminumque strepitus imitari vo- lens & edens, haberi pro Deo ambiebat. Sed veris fulminibus in eius domum irruentibus; & stagno, quo domus cingebatur, exundante; ipse diluvio cum ædibus absumtus est. Cuius ruinæ vestigia multo etiam pòst conspecta sint.

3081. Anno IOSAPHATI XIIX. (vel XIX. ineunte.) 869.
IORAMUS, frater Ochosiæ, regnare cæpit. (cum patréne & fratre; an ijs pridem mortuis?) Solus, post fratrem, XII. ano. præfuit.

Biennio pòst, Iosaphatum libido subijt, ad A- chabum, sibi adfinitate coniunctum, in Samariam, visendi. Postquàm triennium iam, inter Syros & Israelitas, à bello proximo, pacatum intercessis- set.

Ille autem, unà cum comitatu, amicissimè, & epulo publicè præbito, acceptus; & rogatus ab ad- fini, ut armorum societatem secum, & expeditio- nem, adversus Syrum, nuper captivum; neque promissa servantem; recipetandæ Ramathæ (pri- mariæ, & fugitivorum anteà propriæ, in Galaadi- tis, urbis) iniret. Ipse prolixè omnia pollicitus, id unum egit, ut Dominus in præsentiâ consulere- tur; illone, an secus, proficiscendum esset?

Quumque CCCC. Vates ab Achabo, ex Israële, e- vocati, omnia prospera; & hosteis in ipsorum po- testatem esse venturos, respondissent. Neque ta- men Iosaphatus fidem ijs, uti profanis, habendam; sed pium aliquem Dei cultorem evocandum, iudi- caret: MICHÆAS, Iemlæ F. quem rex Achabus, uti veracem, pessimè oderat; (Ioseph. in carcerem coniecerat) arcessitur.

Intereà dum coràm regibus, cultu regio, & in solio, ad portam urbis, considentibus, vaticinantur illi Vates; & inter cæteros, SEDECIAS, ceu cornibus ferreis capiti suo impositis, ventilan- dam & dissipandam, à victoribus regibus, Sy- riam, prænuntiant. Ille autem, licet à spadone regio solicitatus, ne à secundis cæterorum Va- tum præsagijs dissentiret; iure-iurando confir- mavit; se ab eo, quod Deus cumque esset sug- gesturus, ne latum quidem unguem esse discer- surum.

Ad regem itaque quùm venisset; & rogatus, priùs omnia prosperè ipsis eventura esse (nescio, an anquisitâ dissimulatione) respondisset. Déin- de, iureiurando adactus, ne quidquam, nisi quod res esset, Dei nomine renuntiaret. ait; Se *universum Israelem in montibus dispersum, more ovium, quæ pastore carent, conspexisse. Et Do- minum imperáſſe, ut omnes, in suam quisque domum, reverterentur incolumes, qui dominum, sive ducem non haberent.*

Quùm hic Achabus Iosaphato; *Nónne verè dixi, illum nihil, nisi quod infaustum esset, no- bis esse prædicturum!* Subiecit iterùm ille; *Se Deum vidisse, in solio suo considentem. omnemq; cœli exercitum ei præstò fuisse, à dextrâ & sinistrâ.* ac tum quævisisse; *Quisnam fraude impulsurus es- set Achabum, regem Israëlis, uti ad Ramatham Galaaditarum accedat; ibique cæsus corruat?*

Cui quùm alij aliud responderent; Spiritum improbum in medium processisse, qui hocce ne- gotij sibi deposceret. Deoque quærenti; *Quâ viâ illum deciperet:* respondisse; *Se, spiritum mendacem, in omnium illius prophetarum ore ac labijs insessurum.*

Quibus verbis concitatus Sedechias, colaphum ei intregit. quærens ab ipso; *Quà viâ Spiritus à se ad illum transijsset?* Cui quum ille respondis- set; Id illum tum re ipsâ experturum esse, quo die è cubiculo in cubiculum se ipse, ob vaticinij eloquium, occultandi caussâ, translaturus esset.

Rex perduci eum iussit ad Amonem, Princi- pem Civitatis; & ad Ioam, Amalechi F. qui il- lum in carcerem conijceret: ubi ei pauxillum pa- nis & aquæ quotidie præberetur. quoad ipse, cum pace, rebusque ex animi sententiâ gestis, re- verteretur.

MICHÆAS verò, qui hoc sibi à Deo patefactum sciret, adseveravit; *Si rex victor, & cum pace reverteretur, per se non esse locutum Deum. E- iusq; sui dicti omneis, qui aderant, memores & te- steis esse voluit.*

Ita reges, ACHABUS & IOSAPHATUS, in pericu- losum prœlium se præcipitant; & ad Ramatham, in Galaaditis, ubi hostis castra fixerat, conten- dunt.

Sed Achabus, depositis paludamenti regij in- signibus, ut prædicta Michææ eluderet; Iosa- phato persuaserat, cultu ipse regio conspicuus, primam prœlij aleam tentaret.

Syri autem Principes, uti à rege suo impera- tum erat; solum Israelis regem petebant. Illum itaque è vestitu esse rati, quùm circumfusi un- dique Iosaphatum cinxissent, & cominùs cum eo dimicarēt: Et ipse cōtrà in tàm certo vitæ discrimi- ne, clamore, quo Dei opem implorabat, se, qui esset, prodidisset; atque impunè evasisset. Neque quisquā in tàm longinquâ pugnâ, dum nemo terga vertit, & unus Achabus ab hoste quæritur; cecidisset.

Accidit, ut unus de plebe, (Iosephus. ex fa- mulis Adadi, AMANUS nomine) sagittam in in- certum iaceret: & casu Achabum, inter cervicem

& hume-

& humeros (al. inter pulmonem & stomachum) [illegible] iaret.

Qui ex vulnére, (licet ex acie subtractus ad vesperam usque in curru perstitisset) sub solis occasum, viribus, ex continenti sanguinis profluvio, defectus, ibidem interijt.

Syris autem dato receptûs signo, in castra reversis & regis Achabi morte per caduceatorem cognitâ; reliqui incolumes, in suam quisq; civitatem, publico praeconio, reverti iubentur, & impunè dimittuntur.

Cadaver quidem regis in Samariam perlatum, & ibidem sepultum est. sed eius currus, in piscinâ Samariae (Ios. Iezaræ fonte) ablutus, aquas cruentavit: quas canes lambuerunt. (Iosep. ex 70. meretrices, suâ aquatione, suisque sordibus, deinceps infamarunt.)

IOSAPHATUM verò, ex eo bello reversum, IEHVS, Hanani F. (Hic [illegible]ius esse censendus est, à priore, quem BAASA, rex Israëlis, antè morte mulctárat; sub ASA, Iosaphati patre,) graviter obiurgat, quod impio regi & genti, Dei contemtrici, socius & amicus, auxilium tulisset. Quod ob factum, cum irâ Dei & supplicio quidem dignum esse. sed habitam fuisse bonorum in ipso operum, & pietatis in regni instaurataeq; rationem.

Tunc ille iterum, per omneis ditionis suæ parteis, à Bersabeâ, ad Ephraimicos usque monteis, Iudicibus constitutis; (quos rectos conquiri, & integros esse iussit) Ex Levitis sacerdotibusque, in Hierosolymâ, urbe sanctâ & regiâ, ordinatis. cum familiarum, ex Israële, principibus (quibus præcepit, ut æqui probique, caussarum omnium, quę ad leges divinas ceremoniásve pertinerent, essent cognitores; & accuratè iura redderent. his, AMARIA pontifice; illis, ZABADIA, duce Iudæ, præfectis) populos sibi subiectos ad sincerum Dei cultum, & Iustitiæ observationem, revocavit.

Eâdem pænè tempestate, Moabitæ & Ammonitæ, (& Ammanitarum pars - Incolæ montis Seiri. Ios. Arabum auxilia) conflato ingenti, ex transmarinâ regione, & Syriâ, exercitu; Iosaphato bellum inferre decreverant. & irruptione in fineis factâ, ac transmisso mari, in Asason-Thamare (quæ est Engaddis, Asphaltitæ lacui vicina, & ccc. stadijs, ab Hierosolymis dissita) castra erant metati.

Ille sibi, viribusque suis, ex proximi belli, & privati in eo periculi, memoriâ, diffidens; totum sese ad Deum contulit. Et ieiunio, ac supplicio, publice indictis, in Templo, coram universo cœtu, cum obsecravit: *Vt qui nationes profanas, superioribus temporibus victas, ex illis terris expulisset, & in eis dilectum sibi populum, uti Abrahæ promiserat, incolas constituisset: & præsentem usque numinis sui opem, in Æde sibi consecratâ supplicantibus, esset pollicitus; se & suos*, dubijs nunc rebus, *exaudiret.*

Ammonitas, cum Moabitis, & montis Seiri accolis, infesto in se venire exercitu. Ingratos illos, nec pristini memores beneficij. quibus, eius iussu, quùm maiores ipsorum ex Ægypto, in Chananæam, duce Moyse, proficiscerentur; & cæteros illic populos delerent; parcitum fuisset.

Scire, se *non posse tantæ multitudini obsistere nisi ipse in cuius manu sita est omnis potentia; & ad quem unum, pro re natâ, confugerint, ferret auxilium.*

Quùm hasce regis preces, Iudæi omnes, cùm uxoribus ac liberis, certatim adiuvarent; IAHAZIEL, Zachariæ F. ab Asaphio, Davidis Cantore, oriundus, spiritu Dei commotus, regi populoque prædicit ac denuntiat; *Ne tantam hostilium copiarum vim expavescerent. fore enim hanc non ipsorum, sed Dei pugnam, qui postridie hosteis profligatos in fugam daret.*

Hoc tantùm, ut in crastinum se parent: & hostibus obviam, Engaddin inter & Hierichuntem, ad eminentem Sisi clivum, *nullâ instructâ acie*, sed o*mni fiduciâ in Deum collocatâ*; procedant.

Tunc quidem rex, & populus, humi strati, Deo gratias egerunt: & Levitæ hymnos occinuérunt.

Postero autem die, per desertum Thecuæ, quæ est circa Vallem Ieruelîam, progressi: & à rege, *ut spem suam in Deo desigerent, & prophetis eius fidem adhiberent*, annuarii Cantores in primâ acie, qui turmatim, & certo concentu, Dei laudes, virtutem eius clementiamque, celebrarent; collocárunt.

Qui simul atque concinere cæpissent; hostes tanto terrore sunt debacchati, ut primùm Moabitæ cum Ammonitis, in Idumæos, sive Seiri incolas, arma vimque converterint. Deinde ipsi inter se conflictati, mutuis vulneribus, ad internecionem usque, conciderunt.

Quam cadaverum stragem, è speluncâ, Valli propinquâ, conspicati Iudæi, tantum prædæ invenerunt; ut ne tertius quidem dies ei asportandæ suffecerit.

Quarto verò die, quùm in Valle (cui à IOSAPHATO, & laudibus divinis, nominis memoria remansit) debitas Deo grates, cùm Epinicijs, exsolvissent; ovantes, cum lyris & tympanis, Hierosolymam sunt reversi: & in Templo, novâ gratiarum actione perfuncti.

Quin & perlata ad exteras nationes tam mirificæ victoriæ fama, cum Dei nomen reverentiamque latè propagavit; tum Iosaphato pacem auctoritatemque, foris & domi conciliavit.

3082. | 868.

Ipse nihilo minus, quùm partâ undequaque pace ampliores opes sibi & posteris comparare & quærere studet; inirâ cum OCHOSIA, Achabi filio impijssimo, qui tum Israëlitis præesse cæperat, societate; classem navium in Asion-gabere fabricavit.

Quam instructam, in Tharsim, & Ophyren. (Iosep. in Pontum, & Emporia Thraciæ. Al. in Iudiam,

Indiam, Sophiram, & Auream Cherſoneſum) mercibus mutandis, & auro conquirendo, per mare Rubrum, emitteret.

Magnam autem hîc fecit iacturam: navibus, dum imperitiùs, ob vaſtitatem, reguntur, in mari, confractis. Quod futurum ei prædixerat Eliezerus, Dodani Mareſani F. propterea quòd cum impio rege amicitiam fedusque oijſſet.

Hæc claſſis, eiuſque curſus, duplex fuiſſe cenſeatur. Ex Ioppe, in Tharſim, hoc eſt, in mare Mediterraneum: ad Tarteſſum, urbem Hiſpaniæ mercimonijs tum florentem, aliaque loca. Et ex Asiongabere, non procul ab Elanis, in maris Rubri inſulas; in Ophiram &c. uti ſup. de Salomonis claſſe dictum. (Vid. Riber. in 1. c. Ionæ.)

Sic Iosaphatus, iterum (uti videtur) ab Ochoſiâ interpellatus, ut pateretur ſervos ſuos, artis fortè navalis & maritimæ diſciplinæ experientiores; (uti ſup. de Hirami miniſtris, ſub Salomone) cum Iſraëlitis proficiſci & navigare: non acquievit.

Erat enim vir ille ſceleratiſſimus, & utrique parenti ſimilimus. & Hieroboami, qui primus impietate Iſraëlitas complevit, æmulus; profano Baalis cultu, Deum in ſe graviſſimè irritavit. Ideoque claſſis (quam vel in Ciliciam, vel veriùs in Indiam miſerat) naufragio: & Moabitarum, qui patri tributa pendere ſoliti, defectione mulctatus.

Deinde, quùm ex cancellis cœnaculi ſui, in Samariâ, delapſus, ſive per gradus devolutus, vulnere accepto, morbum contraxiſſet: & certos homines dimiſiſſet, qui Beelzebubum, Deum Accaronitarum (Myiodem, quaſi muſcarium, Ioſep.) conſulerent; *ex illóne morbo convaliturus eſſet!*

Helias ab Angelo monitus, legatis regijs obvium ſe dedit; & quæſivit; *An non Deus eſſet, præter alienos, in Iſraële!* Et renunciari regi iuſſit; *Ipſum*, eam ob cauſam, *incolumem è lecto non eſſe ſurrecturum; ſed brevi moriturum.*

Ochosias, qui hęc legatos exponenteis audijſset: & illi rogati; *Quis vir eſſet*, à quo ea acceperant? *Hirſutum* eum, *& zonâ pelliceâ renes accinctum*, reſpondiſſent. ex habitu Heliam eſſe facilè coniecit. Itaque miſit L. milites, cum præfecto, qui illum arceſſerent; vinctumque adducerent.

Ille verò, dum ab ijs, Homo Dei, appellatus, è montis Carmeli vertice, in quo ſecurus conſidebat, deſcendere, mandato regis, nec ſine minis, iuberetur; ad eius imprecationem, ignis è cœlo delapſus, eos omneis conſumſit.

Totidem denuò à rege ſubmiſſi, & ijſdem verbis miniſque uſi; illo iterùm imprecante, pari incendio ſunt confecti.

Tertiorum, qui pari numero mittebantur, præfectus, (Hunc Epiphan. Abdiam, illum Achabi Oeconomum, & Vatem, fuiſſe adfirmat) homo cordatior & religioſior, genu cum ſuis inflexo, Vatem precatus eſt; *Vt ſui ſuorumq́, miſereretur; ne idem ſibi, quod ſuperioribus, accideret.*

Ipſe itaque, Angeli hortatu, qui bono eſſe animo eum iuſſerat; deſcendit, & ad regem pervenit. Cui, coram, tùm ſacrilegia exprobravit; tum mortem impendentem denuntiavit.

3083. Ille è vitâ decedens, nec virilem prolem relinquens, fratri Ioramo regnum tradidit. anno II. imperij Iorami alterius, Ioſaphato geniti, Iudæorum regis. Qui. 4. Reg. c. 3. Annus XIIX. ipſius Ioſaphati ponitur. Hebr. certè, VII. annos, quibus à morte Achabi, Ioſaphatus ſupervixit; filij ipſius, Iorami, regno attribuunt. Hinc illa varietas annorum, & regum, apud Chronographos. 867.

Ioramus ille Achabi F. XII. ann. imperio, in Iſraëlitis, eſt potitus: hoc nomine quidem Achabó patre melior, quòd ſtatuas Baalis, quas pater fabricârat, ſuſtulerit. In veſtigijs verò ſcelerum Hieroboami, & publici in Vitulorum ſacris offendiculi, crimine adhuc inhæſit, externis religionibus deditus. Vir alioqui non ignavus, & ad res gerendas ſatis induſtrius. ſi Ioſepho credimus.

HELIÆ RAPTVS; ET ELISÆVS EIDEM SVCCIDANEVS.

Interea Helias, poſt res admirabileis, & præclarè geſtas: & XXX. plus minus annis, unius Dei religionem, in Iſraëlitis, fortiter propugnatam; non mortuus eſt; ſed in cœlum (Aërium, ſive editiorem terræ regionem; Seceſſum à turbis tranquillum) abreptus eſt. (Vt ſit præco & teſtis Christi, iterùm adventuri; unà cum Enocho.)

Hebr. ſic; Anno II. Ochoſiæ, ex hominum conſpectu ablatus eſt Elias: *neque comparebit, donec veniat* Christvs. Tunc enim apparebit: & iterum occultabitur, dum prodeant Gog & Magog.

S. Gregorius, XXIX. homil. In cœlum aërium Elias ſublevatus eſt, ut in ſecretam quamdam terræ regionem repentè duceretur; ubi in magnâ iam carnis & ſpiritûs quiete viveret; *quouſque ad finem mundi redeat, & mortis debitum ſolvat.*

Hic autem Raptus quùm illi à Deo patefactus eſſet; neque arbitrum ferret Eliſæum, itineris comitem: ſubinde illum, hîc, ibi; ſubſiſtere iuſſit. fingens, nunc ſe Bethelam, nunc Hierichuntem verſus, ire, à Deo iuſſum.

Ille verò, futuri gnarus; & à liberis prophetarum, utrobique, præmonitus; iureiurando affirmavit, *Se illum non eſſe relicturum.* & ad Iordanem uſque conſecutus eſt.

Tum L. ex prophetarum filijs, qui eos unà cunteis

teis fuerant ex utrâque civitate comitati, procul inspectantibus; Elias detractum sibi pallium convolvit, eoque aquas fluminis percussit. Quibus in duas parteis divisis, ambo siccis pedibus Iordanem transmiserunt.

Ibi, amne traiecto, Elisævs ab Eliâ monitus, ut, quod vellet, à se peteret, antè quàm ipsi eriperetur. Et ille quidem spiritum duplicem, (prodigiorum, & vaticiniorum) & maiorem, quàm in ipso resedisset, postularet. Hic verò, rem difficilem peti diceret. cuius tamen, si ipsum, cum eriperetur, oculis adspexisset, compos esset futurus. Atque inde ipsi, unà iter facientes, sermonem ultrò citroque ferrent;

Ecce; *Currus igneus, & equi ignei,* Eliam in cœlum, *per turbinem, extulérunt*: Elisæo spectante; & inclamante; *Pater mi, Currus Israelis & auriga eius.*

Itaque ut eius, quod petierat, & compos esse gaudebat, periculum faceret, pallio, quod Eliæ adscendenti deciderat, quùm Iordanem remetiri vellet; aquas, quo pacto magister eius antè fecerat, percussit.

Quumque illo ictu divisæ non essent; clamare occæpit, & quasi obtestari Deum spiritumque Eliæ. Sed postquam easiterùm percussisset; divisæ in duas parteis, facilem ei transitum præbuére.

Quod procul, & ex adverso conspicati prophetæ Hierichuntini, in illo Eliæ spiritum residere confessi; eumque pronis in terram vultibus venerati sunt.

Et deinde quasi soliciti de eventu Eliæ, ne fortè eum Spiritus in montem aliquem, aut Vallem detulisset; suam, L. virorum, validorum, cum servis eius, operam ultrò detulérunt, ut eum amissum passim conquirerent. Nec, illo quemquam dimitti vetante, conquievérunt; donec explorandi ipsis faceret potestatem.

Quùm autem missi, re infectâ, tertio demum die, rediissent; increpavit officiosam ipsorum in conquirendo sedulitatem.

Eliæ, post mortem, Synagogam, sive oratorium, in Carmelo monte, vulgato ipsius habitaculo, exstructum & dicatum fuisse tradunt; in quo viguerit Oraculum. de quo Sueton. Vespasiano. c. 5. *Apud Iudæam Carmeli Dei oraculum consulentem, ita confirmavére sortes, ut quidquid cogitaret, perficeretur.* (Genebr.)

Fixâ autem, in Hierichunte, sede; & civibus apud Eliseum conquerentibus; quòd loco tam amœno, & ad habitandum opportuno, aquæ potantibus noxiam, aut mortem adferrent: & terra sterilitate esset damnata:

Ipse vas novum, & salem, sibi adferri iussit. iisque in fontem demissis; *Dexis, aquarum vitium, & terræ sterilitatem, curâsse,* proclamavt. Quod eius in se beneficiû incolæ, in multas ætates persensére.

Inde in Bethelam proficiscenti, pueri ex urbe egressi, quùm ei, his vocibus illuderent: *Adscende, Calve: adscende.* Et ipse ob præcocem, in parvulis, malignitatem, eis malè esset precatus; duo Vrsi, è Saltu prosilientes, XLII. ex iis dilacerárunt.

3088. | 862.

Quùm Mesa autem, Moabitarum rex, cuius regio pecore abundabat; & ex fœdere, regi Israëlitæ, tributi annui vicem, Centena agnorum, totidemque arietum millia, cum vellenbus, (Ioseph. Ducenta intonsarum pecudum millia) péndere solitus erat; à morte Achabi stipendium illud Ioramo F. negaret:

Hic Iosaphatum, paternum amicum; & sibi adfinem; cum rege Idumææ obnoxio; in societatem expeditionis, quam in rebellantem Moabiten parabat, accivit, & facilè pertraxit.

(Ioseph. addit, eum Hierosolymam profectum, & splendidè ab adfini rege acceptum.)

Illi, copiis simul iunctis, quùm per deserta Idumææ, VII. dierum iter confecissent, (Ios. præ imperitiâ ducum, aut viarum errore) aqua, exercitum & iumenta defecit.

Hic quùm Ioramus cum Deo quasi expostularet, qui treis reges, sine prœlio, in manus hostium suorum tradidisset. Et Iosaphatus, Eliseum Vatem (quem in propinquo esse intelligebat) adeundum esse, & consulendum censuisset.

Ipse, iam repertus, primùm, nec sine amaro irrisu, Ioramum iussit, *Abire consultum parentum suorum prophetas.* Deinde querenti, *Cur Deus treis reges eò loci adduxisset, ut in hostium potestatē venirent!* respondit: Nisi vultum Iosaphati veritus esset; se eius nullam habiturum fuisse rationem.

Tùm adducto Psalte, & canente, divino spiritu adflatus, imperavit; ut in alveo torrentis subiecto, elices fierent, & sulci aquarii ducerentur. In eo autem postridie, sole nequedum exorto, & tempore sacris matutinis destinato; sine vento aut pluviâ, tantam aquæ vim, ex terræ visceribus, erumpere vidérunt, quanta & ipsis, & familiæ, & iumentis, siti anteà pænè enectis, satis esset.

(Ios. *Torrens magno impetu ferri cœpit; auctus imbribus, qui in Idumæam, III. dierum itinere distantem, demissi fuerant.*)

Neque Vates illo, quod illi exoptárant, beneficio contentus fuit; sed victores etiam hostium fore prædixit. deletis illorum opidis, arboribus excisis, fontibus obturatis, & agris glareâ opertis.

Moabitæ namque ad belli, adversum se concitati, rumorem, cum armis, ad fineis regionis suæ tuendos, se converterant. Et conspicati aquas Torrentis, longè lateque diffusi, matutinâ luce, & solis radiis, ut fit, rutilanteis: easque hostili cruore rubére, ex mutuâ regum pugnâ, & cruentâ sociorum, inter se, confligentium cæde, arbitrati; in castra Israelitarum, tanquam vacua & prædæ obiecta, incautè & nullo ordine irruérunt.

A quibus, integris & paratis, excepti, & facilè in fugam sunt coniecti: & turbatis ordinibus, promiscuè cæsi. Eorumque civitates eversæ, & agri sævissimâ populatione vastati.

Rex ipse in urbe quâdam, (al. Regiâ, quæ Moab, & pòst Areopolis) obsessus, & ad extremum sui dedendi periculum adductus; quùm eruptionem

in castra regis Idumæi, sibi inimicissimi, frustrà tentâsset. & exsecrandum facinus, ex desperatione, adgressus, filium natu maximum, sibique successurum, pro mœnibus, ceu piacularem victimam, inspectante oppugnatorum exercitu, mactâsset; effecit, ut reges coniurati, præ tantâ necessitatis commiseratione, & humanæ sortis memoriâ, obsidionem solverent; & suam quisque domum reverterentur.

(Regis illius Idumæi, ossa, è sepulcro effossa, & combusta in cinerem redegisse Moabitas, pręe veteri odio & feræ vindictę cupidine, narratur; Hamos c. 2.)

Intereà ELISÆVS, rebus mirificè gestis inclarescebat, & Dei cultum propagabat.

Quùm namque mulier quadam, de uxoribus prophetarum, (Ios. Obedia, sive Abdia, qui regis Achabi Oeconomus fuerat) vidua, & viri sui pietatem, benéque-facta, & spectatam in Dei ministros; sub sævissimâ Iezabela tyrannide, fidem & liberalitatem: & creditorum, qui liberos ipsi ereptum, ad servitutem, venissent, acerbitatem; commemoraret:

Ille eius misertus, pauxillū olei, quod sibi unguendo reliquū esse dixerat; iubet eam vasa cōpluria, à vicinis mutuò accepta, diffundere. Quúmque id subitò & prodigiosè increvisset; vendere. & partim ex eo as alienum dissolvere; partim ea, qua sibi liberisq́ ad victum sint necessaria, comparare.

Deinde, quùm in urbe Suna, à nobili quadam matronâ, (quam cur viduam Sever. alijq́ dicant; non capio,) ipse viator, frequens, commodo hospitiolo acciperetur. & quo prolixam sua hospita comitatem remuneraret, prolem, ex viro effœto, suis ad Deum precibus, impetrâsset. eundem, adultâ non nihil atate, mortuum, eódem arcessitus; & mirificis gestibus incubans, suscitavit; & vivum salvumq́ bene-merentissima matri reddidit.

Quùm autem in Galgalis moraretur, famésque terram opprimeret; & prophetarum liberi apud ipsum habitarent; puerorum uni id negotij datum est, ut in ollâ grandiore, ad ignem, pulmentum ijs omnibus coqueret. Et alter intereà colocyntidas, ex vite agresti (al. cucurbitas silvaticas) properè collectas, & mox concisas, in ollam eamdem, imprudens, infuderat.

Quùm itaque ex ollâ suum cuique iusculum defunderetur; & singuli, degustato iure, adeò illud amarum sentirent, ut mortem in ollâ inesse clamitarent. ipso farinâ in eamdem inspersâ, amarorem omnem exemit, & ius edule præbuit.

Sub idem tempus, quùm vir quidam, ex Baalsalesâ, panes primitiarum (sive, ex præmessis frugibus) eosq́ hordeaceos, viginti: & horni, sive novi, frumenti aliquantum, ad eum attulisset. qua omnia adponi domestica turba confestim iusserat.

Et minister detrectaret, diceretq́; nihil aut parum id esse centum viris; rursus adponi imperavit. Et posteàquam omnes, quod satis erat, edissent; aliquid etiam, ut futurum pradixerat, superfuit.

Rex Syriæ, NAAMANEM, exercitus sui ducem, sibique multis nominibus carum, per litteras, Regi Israëlitarum, (penes quem esse prophetam, morborum curandi peritum, intellexisset) commendarat; & ut illum elephantiâ, quâ inquinatus erat, liberaret; obnixè rogârat.

IORAMVS verò, veste discissâ, quasi imperium istiusmodi abominatus, se à Syro irrideri, & occasionem belli ab eo captari, opinabatur.

ELISÆVS, eius rei famâ ad se perlatâ, regem increpuit; & ut Naamanem ad se mitteret, admonuit.

Qui ubi, cum equis & curribus, ad domum, prophetæ advenisset, & pro foribus staret; iussus est à puero eius, ad Iordanem abire, ut aquâ illius septies se ablueret, ac tum denique curaretur.

Ille autem, ægrè ferens, sibi à Vate obviam & honoris caussa non esse proditum; nec fidem Dei sui imploratam: nec lepram manûs saltim contactu curatam; se infectâ, discedere parabat. Hoc etiam adferens: *patriorum fluminum, Abana, & Pharphari, quibus Damascus adluitur, aquam, meliorem Iordane esse, & salubriorem.*

Sed quùm servi eius, rem, quam Vates præscripserat, facilem esse demonstrâssent; paruit. & ex præscripto, *septies amne ablutus, & planè curatus est.*

Ille, cum universo comitatu, ad Vatem revertens primùm; *Non esse alium Deum, prater Deum Israëlis*, scire se protestus est; deinde, ut munera à se acciperet, Vatem rogavit.

Quæ quùm ille accepturum constanter pernegaret; alterum quid ab eo contendit: Ut terræ Israëliticæ, sive Hebrææ, portiunculam, Altari, & sacris, *Vero & soli* DEO in posterum faciendis, asportare sibi liceret.

Et veluti coacta deinceps, apud regem suum, profanæ, in Templo, patrij idoli (Remnon) adorationis, dissimulatio, fraudi sibi aut sceleri ne verteret.

Sic digressum, GIEZES, cui respui ab hero suo ELISÆO munera, tam liberaliter delata, doluisset; clam secutus: & submissum ab eodem hero se fingens, cui eius, quod respuerat, petendi, nova esset, ex inopinato novorum hospitum adventu, obiecta necessitas: talenta duo, & vesteis dupliceis ab eo reportavit.

Quod quidem famuli scelus quùm Elisæum non fugeret; licet ille rogatus factum pertinaciter inficiaretur; hęc illi imprecatus est: & scire voluit; *Neque ab ipso, qui argentum vestemq́, emendis vinetis & olivetis, alijsq́ rebus,* à principe *accepisset; neque à posteris* eius, Naamanis *lepram unquam abscessuram.*

Quùm verò filij prophetarum angustè se habitare apud illum questi essent; ob eamq́ caussam, simul ad Jordanem, materia cadenda, concessissent: forte accidit, ut uni, inter cadendum, ferrum securis, è manibus in amnem elaberetur.

Jste autem rem, non sine lacrymis (quòd utendum ab alio id instrumentum accepisset) apud Elisaum exponens, & locum indicans; posteaquam hic lignum pracisum demersisset, & ferrum enâsset; quod amiserat, reciperavit & sustulit.

Rex Syriæ, bellum cum Rege Israëlitarum gerebat. & suis in consilium adhibitis, insidias certo

loco.

loco collocare decreverat, in quas hostis imprudens præcipitaret.

ELISÆVS verò rem divinitùs præcognitam regi suo indicavit: & is loco per suos præoccupato, non semel periculo evasit.

Quod quùm Syrus rescivisset; in proditorem, qui hosti consilia sua aperiret, inquirit. Et tandem Elisæum esse accepit, qui regi suo enuntiaret, quæ ipse clam & in intimis ædium penetralibus deceret & statueret.

Quumque ille, Vatem in Dothane versari comperisset; ceu furijs agitatus, illuc equos, & currus, & robur exercitùs, submisit, qui urbem quasi indagine circumdarent.

Minister autem Elisei, primâ luce egressus, obsidione animadversa, hero trepidas adcurrit nuntiatum. Puer contra sine metu esse iussus: & oculis, ad preces heri, apertis circumspiciens; videt montem currùm & equorum igneorum, qui Vatem stiparent, completum.

Hostes verò, quùm ad illum venissent, cæcitate quàdam à Deo sunt consternati. Et à Vate ipso, qui se ducem, & ad urbem, & ad virum, cuius capiendi caussâ missi essent, præbuerat; rectâ in ipsam Samariam sunt perducti.

Quò ingressi, depulsâ itidem cæcitate, sive oculorum caligine, in inimicam civitatem delapsi esse senserunt.

Quumque rex à Vate quæreret: Num illos interficeret? non modò non est passus vim inferri, propterea quod vi aut gladio capti non essent; verùm eis etiam, quæ ad victum pertinebant, præberi iussit, & bene curatos dimitti. Quo facto, insidiosis latrocinijs modus est positus.

Sed postquàm insidię non procederent: aperto Marte rem gerere, & hostem exagitare instituit BEN ADADVS. Et compulsum intra Samariæ mœnia IORAMVM, tam arte, tamque diu obsedit; ut ijs omnibus, quibus vita sustentetur, consumtis, tanta annonæ caritas existeret, ut caput asini, octogenis; & quadrans cabi, (Ios. sextarius est) fimi columbini (vicem fort. condimenti) quinis argenteis veniret.

Et ipse rex, mœnia excubiasque obiens, insolentem mulieris cuiusdam, de vicinâ suâ, querelam, & actionem exaudiret. Quòd quùm ex pacto, pridie filium suum coctum & edendum præbuisset; illa postridie conventis stare nollet, & suum abdidisset.

Quâ tragœdiâ exsternatus rex, veste in conspectu omnium discissâ; & cilicio, quo artus constrinxerat, palàm ostentato; diris se ipse devovit; nisi ELISÆVS, eo die, tamquam mali auctor, caput truncatus, vivere desineret.

Cuius tam nefarij consilij administrum quùm iam submisisset; & Elisæus, divino præsagio instinctus, senibus, qui cum ipso considebant, illud regis propositum enuntiasset: ijsque imperâsset, ut Nuntio fores domûs occluderent. mox enim adfuturum ipsum regem, mandatæ cędis pœnitentem.

Ecce, rex nuntium suum antevertit: & cum querelâ contestatus est: *tantam cladem urbis regiæ, & calamitosam civium famem, à Deo, scelerum vindice, esse profectam.* neque se, quid præterea ab eo exspectare debeat, habere. Cur non ipse saltim aliquod sibi, & adflictæ urbi, à Deo, remedium flagitet?

Tum Vates, subitò adflatus, iussu Dei prædicit; *Illâ ipsâ horâ, in portâ Samariæ, modium similæ* (Ios. Satum: quod, teste Hieron. comprehendit modium Italicum, & dimidium) *uno statere*, sive siclo; *& duos modios hordei, tantidem* venditum iri, postridie.

Res illa tam incredibilis visa erat cuidam duci, cuius manui rex erat innixus, (Iosep. qui tertię regiarum copiarum parti præfectus) ut negaret id fieri posse: *Etiamsi Deus cœli cataractas recluderet.* Cui idem ille confirmat; *Fore, ut rem ipsam coràm inspiceret; nec vesceretur, aut particeps esset.*

Quattuor tum viri, leprâ imputati, qui in suburbanis de more degebant; fame tam longinquâ, & desperatione, præ tam præsenti mortis discrimine coacti, uti inter se constituerant; sero vespere, tanquam transfugę, in castra hostium sese receperunt. Et quùm ad principia castrorum venissent; invenérunt neminem.

Hostes namque, Deo ita agente, audire sibi visi fuerant fragorem armorum, sonitumque curruum & equorum, & ingentis opidò exercitùs. Quo exaudito, ceu panico terrore, consternati Syri, & auxiliares Israëlitis, Hethæorum, (Ios. Insularium, is fortè legerit, χεττιαίων, à Chethim) & Ægyptiorum reges, advenisse, suspicati; relictis castris & impedimentis, per tenebras, effusâ & expeditâ fugâ, vestibus vasisque per viam abiectis, suæ saluti consuluerant.

Quæ quùm leprosi illi, impunè per vacua hostium tentoria grassati, & prædâ ditati, urbanis excubitoribus; & hi, Regi renuntiâssent. Et rex primùm strategema, cum insidijs coniunctum, interpretatus esset. Deinde missis duobus equis, ex quinque, qui sibi reliqui in urbe erant: speculatores, ad Iordanem usque progressi, planè ita esse compertissent: populus omnis, apertis portis, ad prædam egressus est. Direptisque castris, ea annonæ vilitas secuta, quam Vates prædixerat.

Et dux ille, quem Elisæi verbis fidem non tribuisse diximus; quem que rex in portâ tum collocârat; à turbâ erumpente obtritus est.

Idem ELISÆVS mulieri, cuius filium à morte excitatum memoravimus, quùm famem VII. annorum futuram prædixisset, suaserat; ut unà cum familiâ, calamitatis vitandæ caussâ, aliò se reciperet: & pro re natâ peregrinaretur.

Quumque ea, transacto apud Philisthæos septennio, in patriam revertisset: & ad regem accedens supplicaret; ut domum suam, & agros (in quæ alieni, se absente, invaserant) sibi, per ipsius æquitatem, recipere liceret. opportunè accidit, ut rex IORAMVS Giezem, Elisæi ministrum, audiret, magna & insolita opera enarrantem, quæ herus ipsius edidisset. & inter alia, filium supplicis mulieris pro re natâ cum matre præsentem, à morte excitatum.

Quod cùm ipsa vicissim à rege interrogata, ita esse

esse confirmásset; ille spadoni fido negotium dedit, ut reduci mulieri non solùm res omneis suas, verùm fructus etiam reddendos curaret.

Ægrotante rege Syriæ, Ben-adado, fortè Elisæus Damascum venerat. (Id illi 17. antè annis ab Eliâ mandatum fuerat) Quâ de re certior factus rex, misit ad eum HAZAELEM, cum largissimis muneribus (XL. camelorum onere) consultum; *Num ex eo morbo convalesceret!*

Ille *convaliturum quidem esse* priùs respondit. deinde subiecit, sibi à Deo esse enuntiatum; *propediem eumdem esse moriturum.*

Et quùm in Hazaelis conspectu staret, vultu turbato flere occæpit. Et caussam rogatus, respondit: *Se præscium esse cladium, quas Israëlitis paullo-pòst ipse, regni potitus, sit illaturus.* Et urbibus eorum igne subversis, iuventute cæsâ, infantibus ad saxa adlisis, & prægnantibus immaniter dissectis; acerbissimè adflicturus.

Atque idem, HAZAEL, quùm hero suo salutem ex-templo nuntiásset; postridie eumdem, stragulo in faciem iniecto, & animâ interclusâ, exstinxit; regnumque occupavit.

IORAMVS, IVDÆ. ET ALTER IORAMVS ISRAELIS; REGES.

3087. | IOSAPHATVS, quùm XXV. totos annos Iudæis præfuisset; & LX. ætatis explevisset: | 863.

Moriens, & Hierosolymæ in tumulis maiorum conditus, regnum IORAMO, maximo natu ex filijs, & iam-tum XXXII. annos nato, reliquit.

Quùm quinctum sui apud Israëlitas regni annum tum ageret, alter, cognominis, & uxoris Athaliæ frater, IORAMVS.

Ipse annis IIX. ab excessu patris, qui-cum aliquamdiu regnárat; imperium tenuisse traditur.

Dici hîc possit (ait Lesmor.) *Ioramum cæpisse quidem regnare anno ætatis XXXII. & tamen regnásse annis omninò XXIIX. unà scilicet cum patre, XX. & solum IIX. Et sic dicitur regnásse anno V. regni Josaphati patris. Et 1. c. Quarti Reg. dicitur: Anno II. Iorami regis Iudæ, regnásse Ioramum, regem Jsraëlis. Quia Ioramus, rex Iudæ à patre designatus est, anno regni ipsius XVII. quùm pater regi Achabo auxilium ferret contra regem Syriæ. 2. Reg. 22.*

IORAMVS ille, Iosaphati filius, fratres suos VI. (paternæ pietatis heredes, quibus magnam vim argenti & auri; & pensitationes, vitę honestè, regiéque sustentandæ idoneas, cum civitatibus munitissimis, in Iudæâ, pater distribuerat) barbarâ dominandi rabie instinctus, rebus regni iam nonnihil stabilitis, ad unum omneis de medio sustulit, cum aliquot popularium principibus.

Et degener à paternâ pietate; & in vestigia soceri Achabi (cuius filia, Amrimi neptis, Athalia, patre Iosaphato non satis prudenter curante, ei multo-antè enupserat) insistens, Deum sceleribus & vitę morumque propudijs, in se iritavit.

Qui pacti tamen, cum Davide olim initi, memor; neque regij sanguinis posteros, (è quibus SALVTIS AVCTOR exspectaretur) penitùs exstingui passus; sacrilegum regem cladibus immisis ad mentis sanitatem revocare adnixus est.

Idumæi, (quibus sub Iosaphato nondum rex constitutus fuisse memoratur, 3. Reg. 22.) cæso rege, qui Iosaphato patri, vel amicus, vel tributarius, paruerat: & altero in eius solium suffecto; apertè rebellárunt. Et quamvis equestri prœlio victi; iugum tamen regis Iudæi planè excussérunt.

& Lobna (Ios. Labinæ regionis incolæ) ab eodem defecit.

Ille autem non modò à religiosis maiorum suorum institutis decesserat; sed Excelsa etiam in Vrbibus passim fabricare: & populo, ad pravissimos alienorum numinum cultus, auctor esse non destitit.

Litteræ verò ab Eliâ prophetâ ad eum delatæ (vel è cœlo recèns adlatæ, qui iam septennio antè ex hominum conspectu abreptus erat; vel ante raptum divinitùs conscriptæ) in hanc sententiam: *Propterea quòd à probitate maiorum suorum, regum Iudæ, recessisset; & sese ad regum Jsraëlitarum impietatem conformásset. atque adeo ad scelerátum vanitatis Achabicæ ritum, Iudæos, & Hierosolymitanos, traduxisset. Et fratribus suis,* alijsque se melioribus, *necem attulisset. grandi calamitate mox adfligendum esse, quæ populum,* & liberos coniugemque eius, & fortunas regni omneis, *comprehenderet. Deinde, lento & teterrimo alvi profluvio,* quo viscera ipsa egererentur; *ad mortem usque esse torquendum.*

Nec multo-pòst, Philisthinorum, & Arabum (qui contermini Æthiopum tumultuariæ copiæ, hinc & inde, in Iudæam insultant: vastitate & direptionibus omnia miscent: Regiam ipsam Hierosolymam, diripiunt: coniuges & liberos regios, (pręter unum, natu minimum, IOACHAM, qui & OCHOSIAS) immaniter contrucidant.

Ipse rex morbo incurabili, per biennium, & longâ tabe, miserabiliter est consumtus. Nec populus eum, uti hominem nefarium, regio funere, aut solenni rogo dignatus; nec in patritum monimentum inferri passus est. quùm paullo-plus VII. annis regnásset.

HOMERVS circiter VII. Iorami annum (qui Orb. Cond. ∞·∞ ∞ XCIII.) anno post Ilij excidium CCLXXII. & ante Vrb. Rom. conditum CLX. Annis ante Hesiodi mortem CXXXIIX. mortuus esse traditur. (Sic Lesmor.)

EVNOMIVS V. à Procle, Spartanor. rex, ex priore uxore

uxore Polydecten, sive Pollucem suscepit; ex posteriore Deianassâ, Lycurgum.

Ili, sine liberis defuncto, successerat Lycurgus; quùm aliquantò pòst Polydectæ vidua Lycurgum monet; se quidem gravidam esse, sed fœtum oppressuram, modò ipsi nubat. Lycurgus scelus aversatus, & dissimulandum ratus, fœtum ut diligenter servet, mulieri persuadet. se cætera, si mas nascatur, dispecturum. Lycurgo cum proceribus epulanti, à satellitibus, qui partum observare iussi fuerant, adfertur Postumus Polydectæ filius.

Hunc ille regio solio imponit, & eo die natum esse urbis regem proclamat. Regnum abdicat; & munus tutoris, dum rex adolescat, suscipit. Ne mater paricidium meditata, infanti nutrix detur; deprecatur. Infanti Charilao nomen datur; & pietas Lycurgi vulgò laudatur.

Ab Ilij excidio ad hanc Lycurgi tutelam anni 286. (al. 290.) numerantur.

OCHOSIAS, IVDÆ; IORAMVS, idem; & IEHVS, Israëlis, REGES.

3095. OCHOSIAS (qui & Ioachaz, Osias, Ahazias seu Achasias) unus de tot fratribus, Iorami FF. ex violentis Arabum latronum manibus elapsus, & superstes; populi Hierosolymitani suffragijs & consensu, rex patri, licet inviso, subrogatus est; & anno, plus minus, uno imperavit. Quùm IORAMVS, Achabi F. iam XII. (3. Reg. 8.) Al. XI. (3. Reg. 9.) annum regni in Samariâ agitaret. 855.

(Mass. interpretatur annum XI. cum patre; & annum XII. solus, post patrem regnantis.

Tostatus, Hic, annum, qui agebatur; illic annum, qui transactus, intelligit. Sive veriùs; Annus XI. iam erat expletus; & XII. inibat.)

Atquum ipse XXII. annos (4. Reg. 8.) & XLII. (2. Paral. 22.) natus tum fuisse prodatur, quùm regnum inijt; mirè hic variatum est sententijs.

Lesmor. sic. OCHOSIAM simul cum patre regnásse, (Avo Iosaphato superstite) idque per XX. ann. post quos, solus regnárit anno uno. Quando enim cœpit cum patre regnare, erat annor. XXII. (lib. 4. Reg.) Quando verò solus; erat XLII. annorum (lib. Paral.) Vt tota eius ætas fuerit XLIII ann.

Vel annus erat 42. Æræ Samaritanæ, quando regnare cœpit.

Genebr. ex alio capite, explicat *Ochosiam (sive solum, sive aliter) uno tantùm an. regnásse. Ne nimiùm, inquit, excrescant anni, quibus reges Israëlitæ regnárunt. Nam illi continuatâ serie respondent successioni regum Iudæ Et factâ putatione à Roboamo, ad VI. Ezechia annum, quo translata sunt X. Tribus: Sive à I. rege Israelis, usque ad hanc eamdem regni Israelitici Eversionem, (hoc est, à I. Hieroboami, usque ad ultimum Oséa) tantùm reperientur, plus minus, anni, CCXLII.*

Et tamen, si illos II. reges Iuda pluribus annis regnásse dicamus, quàm ut dentur IIX. anni Joramo, & I. eius filio, futurum est, ut anni Regum Israelis excrescant ad CCLXXXI. ann. (Hæc ille.)

Verum contrà, ait Lesmor.) hæc putandi ratio non improbat, quæ suprà dicta sunt. Quia illi anni addititij, & sub paterno regno transacti, non sunt Chronologici, sive Temporum rationi accensendi.

Idem Genebr. alibi sic se explicat. 2. Paral. 22. *Quadraginta duorum annor. erat Ochosias, quùm regnare cœpisset: & regnavit anno uno in Hierusalem. Quadragesimum & alterum annum attigerat, à Samariâ conditâ: & ab Amrimi in eam (quam in urbis formam iam-tum ædificárat) migratione. A cuius conditu, tamquam ab Ærâ novâ, Israelitæ annos; uti Romani à suâ Vrbe, numerabant.*

Anni autem illi, XLII. existunt, à VI. Amrimi, sive à Samariâ conditâ, ad Iorami, regis Israelis, XII. qui erat Ochosiæ huius primus & unicus. Alioqui (4. Reg. 8.) Ochosias anno ætatis XXIII. interijsse scribitur.

Chron. Heb. sic ea Scripturæ loca conciliat, ex R. Iose.

Ex quo Asa, rex Iudæ, dedit Iosaphato filio suo in matrimonium filiam Amrimi, regis Israelis; diuinitùs decretum est, (ob impiam illam, & Deo invisam adfinitatem) ut regnum Iudæ periret cum domo Achabi & Israelis. XLII. nempe annis ante rei præsentis historiam. Quod significatum istâ posteriore notâ; *(Ochosias erat 42. ann. cùm reg. cap.) &c.*

Item eo quòd subijcitur. *A Domino quippe fuit conculcatio Ochosiæ, ut veniret ad Ioram, &c. Athaliaq; regnum familiæ Davidicæ labefactaret.*

R. Levi, apud Geneb. sic annos colligit.

Post XXXI. *annum Asa, regnat Amri ann.* VI. *(4. Reg. 16.) Et Achab F.* XXII. *Et Ochosias.* II. *Ioramus iam* XII. *ann. agebat. Sic regnum Israelis stetit* XLII. *an. penes familiam Amrimi.*

Massæ. cum Caietano, indicat errorem exscriptoris inolevisse in Paralipomenis: & quæ alij adferunt, refutat. Quomodo, inquit, natu minimus inter fratres Ochosias, si iam rex XLII. fuit annor?

Et hunc putat è stirpe Salomonis ultimum. Et Ioam, neci ab Athaliâ intentatæ, subtractum, fuisse huiusdem adoptivum ex Nathanitis, sive Ahiasarim, hoc est, fratribus principis. Quæ alij vicissim solidè refellunt.

Fr. Lucas, nostrâs, commen. 1. Matth. Ioramus, inquit, Oziam (al. Azariam) genuit, pronepotem (for. abnepotem) suum. intermedijs tribus, Ochosiâ F. Ioâ Nep. Amasiâ Pronep. Sed quia Euangelistæ propositum erat, &c. Et Ochosias, Ioas, atque Amasias, proximè geniti fuerant ex semine Achabi & Iezabelis: Quorum posteritatem penitùs delendam decreverat Deus, utique ad IV. usque generationem. Ideircò, &c. Deinde confutat opinionem Massæi, ex Philone haustam, de Nathanitis: & adserit regnum Iudæ usque-usque continuatum in

tum in posteris Salomonis.

Sic & Ve.i.Bedas-Azariam, cum filio suo Ioâ, & nepote Amaliâ ; ob enormitatem scelerum ; & quia nec patrem, filiumve quispiam eorum habuit) Beatus Matthæus à genealogiâ CHRISTI exclusit.

Atque ut summatim complectar-Collatio regum Israëlis, cum regibus Iudæ, in Chronologiâ, fallax est, & plena difficultatum.

Et quoniam, impio in regno, multa interregna, licet minùs explicata; certa hic esse debet temporum regula; Ipsa Regum Iudæ series. Alioqui in scriptâ successione regum utrorumque, invenitur discrimen annor. XIX.

Ecce namque à Roboamo, rege Iudæ, usque ad Iehu, qui regnum Israëlis invasit, interfectis Ochosiâ & Ioramo, utriusque regni præcisè regibus; numerantur anni, XCV.

Ab Hieroboamo, qui simul cum Roboamo regnum suum ing essus; ad eumdem Iehu, anni XCIIX. Triennio amplius. quo regnum Iudæ ab Israële superari videtur: quùm tamen utrimque idem sit primum, & extremum temporis punctum.

Deinde à principio eiusdem Iehu, ad ultimum Oseæ, novissimi Israëlitarum regis, numerantur anni CXLIII. Atqui ab Athaliâ, cuius primus annus, cum primo Iehu; usque ad VI. Ezechiæ, (in quem ultimus Oseæ, & regni Israëlitici, incidit) anni CLXV. Vbi regnum Israëlis ab Iudâ XXII. annis superatur. A quibus si detrahas III. quibus antè Iehu, regnum Israëlis redundabat; adhuc supererunt XIX.

Quæ tamen sic utrimque reconciliari possint.

In priore calculo, discrimine III. ann. tres illos, ut fractos, esse absorbendos, per integros Regum Iudæ. Vt Hieroboami XXII. sit quoque primus Nadabi successoris, hoc est, utrique communis. utque è duabus anni partibus, integer constituatur.

In posteriore discrimine XXII. annor. sparsa fuisse interregna in Israële, ob factiones, & familiarum vicissitudines.

Nunc ad rem.

OCHOSIAS ille (4. Reg. 8. & 2. Paral. 22.) natus dicitur matre Athaliâ, filia Amri, regis Israël. Quæ alibi, filia Achab. (uxor Iorami, patris) & proinde Neptis ipsius Amrimi. Et idem, gener domûs Achabi fuisse: quamquàm de eius uxore nihil tradatur. Nisi vox illa, Gener, adfinem & cognatum notet. Et infrà, Ioæ mater, Sebia de Bersabée, nominatur.

Ab illâ itaque impientissimæ familiæ adfinitate, & domesticâ matris sceleratissimæ instigatione; OCHOSIAS, contemtâ maiorum suorum religione, novam impietatem imbibit. Vnde dignus eius mentis exitus est consecutus. & ipse à consiliarijs pessimis in subitum exitium præcipitatus.

Quùm namque IORAMVS, avunculus, adversus Hazaëlem, novum Syriæ regem, expeditionem pararet; illum facilè, uti cognatum, & sacrilegij consortem, in belli societatem pertraxit. ut Ramatham, in Galaaditis, coniunctis simul copijs, obsiderent.

Quâ in obsidione, sive prælio, IORAMVS, accepto vulnere, quùm, sui curandi, in Iesrahelem (al. Azaram) se recepisset; & ad eum ægrum OCHOSIAS officiosè visisset: ELISÆVS intereà unum, è filijs prophetarum, arcessitum, iussit, adsumtâ lenticulâ, olei plenâ, Ramatham, in castra, proficisci: ibique IEHVM, Iosaphati (Iosep. Amasis) filium, Namsi Nepotem, inter principes exercitûs repertum, in interiore cubiculo, & remotis arbitris; Dei iussu & auctoritate, oleo delibutum, regem Israëlis consecrare. qui universam ACHABI familiam, (uti antecessoribus eius factum) cum uxore eius Iezebelâ, adhuc superstite, prorsus, & ad internecionem deleret. Et tot prophetarum, aliorumque innocentum sanguinem, cædesque, ulcisceretur.

Quod ubi iam intùs perfectum, commilitones ex ipso principe cognovêre; & serium nuntij, (quem priùs insanum caput existimârant; quique se longiùs iam proripuerat) mandatum sunt interpretati; pallijs, in solij, sive tribunalis speciem, congestis, IEHVM sublimè collocatum, faustis acclamationibus regem consalutârunt. *Nec difficilis fuit, utroque regum à castris tunc absente, conspirandi copia.*

Ad quos de-improviso opprimendos, insessis omnis indicij vijs, quùm, non sine lectissimo equitum globo, pergeret IEHVS; & unum atque alterum exploratorem, quos rex obviam illi adventanti ex urbe submiserat, elusisset; ambos tamdem reges, in suo quemque curru, habuit in agro Nabothi obvios.

Et quùm prior IORAMVS; *Satin' salva & pacata omnia!* rogaret. Non verbis modò eum minacibus terruit, & amaris convi[i]js excepit: *Quæ pax filio mulieris meretricis, & venefica!* Sed flexis etiam habenis fugientem, & insidias occlamantem, sagittâ, per scapulas & cor. transfixit.

Et memor decreti divini, quod olim, eodem cum rege curru vehens, ex ore Vatis ELIÆ, inaudierat; in agrum NABOTHI, (qui ibidem ab Achabo patre, indignissimè, cum liberis, anteà fuerat trucidatus) cadaver regis, per BADRACVM ducem, proijci iussit insepultum.

Et dum regiæ familiæ, ACHABI, reliquos, ad cædem conquirit; principes etiam quosdam Iudæ; & OCHOSIÆ fratrum (quos ab Arabibus suprà occisos memoravimus) filios, XLII. regio ministerio destinatos; & eodem salutandi regum, qui iam cæsi perierant, caussâ, adventanteis, promiscuè interfecit.

(Massæus, hos fuisse putat Nathanitas. Et 4. Regum 10. hæc cædes pòst, in Samariâ, perpetrata, memoratur.)

Nec OCHOSIAS ipse, modò latitans, modò curru aliorsùm converso fugiens, quùm ad Clivum Gaberium pervenisset; letalem sagittæ ictum effugit. quin præcipiti licet equi admissi cursu, Mageddonem delatus, ex eo vulnere moreretur. Eodemque curru Hierosolymam transportatus, ob Avi Iosaphati memoriam, in Maiorum sepulcra inferretur.

Neque

Neque IEZAB[illegible]LÆ, Iorami regis matri, parcitum est. Quùm namque illa, oculos stibio fucata, & caput reginè comta, è fenestrâ, (al. turri) in urbem ingredientem, IEHVM respiceret; & duorum regum percussori, tamquam alteri Zambri, præ formæ & ornatus fiduciâ, & pristino fastu, insultaret; per Eunuchos eius, ex alto præcipitari iussa est ita ut sanguine suo solum consspergeret, & equorum ungulis proculcaretur.

Et dum paullo-post eamdem, licet scelera-tam, regio tamen genere natam, IEHVS sepeliri mandaret; famuli, nihil præter calvariam, & pedum manuumque extrema, reliquis in canum ingluviem absumtis; invenérunt.

Quod quùm regi renuntiaretur; HELIÆ oraculum, & præsagium, de miserabili & infami Reginæ morte, non sine divinæ providentiæ & iustitiæ admiratione, commemoravit.

IEHVS verò hâc animadversione non contentus, quùm LXX. Achabi filij Samariæ adhuc superstites essent, ibique alerentur. scriptis priùs, ad Vrbis præfectos, & regiæ familiæ custodes, literis; quibus ipsorum animos, *An rebellare, & ex regijs liberis aliquem regno sufficere, sibique opponere, præsiderent;* tentârat. intellecto, nihil illos molituros, sed ipsius imperio lubenter parituros. Iterum, per literas, regis filios ab illis, ad unum, interfici; & præsecta eorum capita, ad se, in Iesrahelem, perferri, præcepit.

Quæ postridie in cophinis adlata; & in portæ vestibulo, in duos utrimque acervos, uti iusserat, aggesta conspicatus; & ad populum spectatorem conversus, IEHVS, Se regis & heri, à se interfecti, crimine absolvit; quòd in tot regiæ stirpis capita, à regijs amicis, tàm miserabiliter animadversum esse viderent.

Neminem itaq; tàm horrendæ cædis, & ultionis, auctorem, præter Deum, censeri oportere; qui hæc omnia, tam impij regis generi eventura, per Heliam Vatem, multò-ante præsignificâsset.

Quâ sui excusatione confirmatior rex, neminem ex regiâ Achabi domo, eiusque Palatinis & familiaribus, & Sacerdotibus, superstitem eâ in urbe reliquit.

Iamque in iter, Samariam versùs, ingressus, incidit in fratres Ochosiæ, regis Hierosolymitani, (verius agnatos, fratrum filios) quem letali vulnere profugientem nuper adfecerat. (de quibus sup.) Eosque, qui rerum gestarum, & cædium regiarum ignari, officij & salutationis ergò, ex Hierosolymis, eò adventârant; iugulandos suis satellitibus obiecit.

Deinde obvium sibi in itinere IONADABVM, Rechabi F. (undè RECHABITÆ, abstemij. Hierem. 35.) & de tàm præclaræ ultionis facinoribus sibi gratulantem; expromtique animi & pristinæ amicitiæ candorem, porrectâ manu, testantem; conscenso secum, ad Samariam, curru, sui in Deum, sincerumque eius cultum, studij, testem & spectatorem esse voluit.

In urbem namque regiam ingressus, reliquijs Achabicæ familiæ, & familiaritatis, ibidem ad internecionem sublatis. & indicto populi conventu, (quem Hatzaram dicunt, hoc est, festum Tabernaculorum, eiusve festi octiduum) fingit se longè ampliore cultu, quàm Achabus umquam fecisset; Baalum, (quem proprium Tyriorum Deum, Achabus, ut gratificaretur Ithobali, Tyri & Sidonis regi; socero suo; Templo & sacerdotio, Samariæ, mactârat) venerari palàm, & in præsens, constituisse. Ideoque Vates ipsius omneis & sacerdotes, ad diē festum, solennibus victimis celebrandum, undaquaque arcessiri. *Capitale fore, siquis abfuerit.*

Illi itaque quùm sine mora omneis, & soli, convenissent: & religiosis in Templo vestibus induti, ad sacra (à quibus, uti profani & alieni, legitimi Domini ministri, ex composito, arceri iussi fuerant) se coràm rege & Ionadabo, accinxissent: LXXX. Viri, quos foris rex armârat; & nemini ex ijs, quos cædi obiecturus esset, parcere iusserat; signo dato, & impetu in Templum facto, omneis ad unum gladijs trucidârunt: corpora eorum inhumata abiecérunt: statuam Baali, ex fano dereptam, & minutatim concisam, exussérunt: Ædem ipsam funditùs eversam, spurcissimis foricæ, & publicorum purgamentorum usibus, destinârunt.

Quamvis autem ità rex IEHVS, & excisâ radicitus Achabi stirpe; & sublato penitùs Baali cultu, iniuriam, Deo hactenus factam, præclarè sibi ultus esse videretur:

Atque immò Deus ipse (cui grata obedientia, & in impios animadversio fuisset) filios eius, in quartam usque stirpem, regno Israelis potituros esse, (fort. per Elisæum Vatem; aut, ut Hebr. per Ionâ, Amithæi F.) promisisset: In inveteratâ nihilo minus alienorum Deorum, & aureorum Vitulorum, (quos Nabathides ille Hieroboamus, in Dane & Bethele, consecrârat) veneratione, perstitit: & populum, sibi subiectum, nihilo emendatiorem, in tàm immanis flagitij contagionem pertraxit.

Atque hinc Deus, ceu quodam Israelitarum, gentis tot annos à se alienæ, & in profanâ impietate inveteratæ, fastidio adfectus; HAZAELEM, Syrorum regem, debitæ ultionis administrum, excitavit.

Qui universos Transiordanitæ regionis, ad Ortum, tractus, cum à Galaaditis, Gaditis, & Rubenitis, ac Manassæis, habitatos; tum ab Aroëre, Arnoni impositâ, ad Galaaditim & Basanitim usque, extensos; rapinis & incendijs, hominumque cædibus, miserabilem in modum, evastaret.

ATHALIA, TYRANNA, IVDÆ: IEHVS, Israëlis, REGES.

3096. | —— | 854.

Athalia (Ioseph. Gotholia, seu Godolia) mater Ochosiæ, comperta filij morte, & generis sui pernicie; ipsa, licet externa, regnum Iudæ invasit.

Et invidiâ atque odio concitata, cum quidquid erat reliquum stirpis, sanguinisque regij, è Davide & Ioramo, crudelissimâ strage sustulisset; Tum IOSABA (al. Iosabeth) Iorami regis Filia, & Ochosiæ germana soror: Ioiadæ Pontificis (quem alij, non summum Sacerdotem, sed Sacerdotum suæ, in Tribu Iudaeâ, fortis Principem, fuisse adserunt) Coniux. in regiam ingressa, IOASVM, Ochosiæ regis F. suum, & Athaliæ ipsius nepotem, anniculum, inter cæsorum cadavera, nutricis operâ, latentem; de triclinio, sive Aulâ Lectulorum, furtim ablatum, domi in cubile suum abdidit. Et in editiore Templi parte, clanculùm, sed conscio marito, per sexennium (quo paullo-plus Athalia regnavit) alendum sedulò curavit.

(Anno huius ATHALIÆ IV. AVENTINVS SILVIVS XIII. Latinor. rex, ann. xxxvii. Ab eo nomen mons, è VII. Vrbis collibus.)

IOIADAS verò interea partibus suæ factionis, (quâ usurpatum Athaliæ regnum, ad puerum, regiæ & legitimæ stirpis superstitem, transferre satagebat) longinquâ molitione confirmatis; VII. demùm anno. re cum V. primarij nominis Centurionibus, primùm communicat, & fedus init. Deinde, horumdem operâ, ex universis Iudææ civitatibus, sacerdotes cum Levitis; & familiarum Principes, ad se, Hierosolymam & in Templum, evocat.

Tum omnibus iure-iurando & silentij fide adactis; Filium regis, ex Davidicâ familia, *cui perpetuum regnum Deus spoponderit;* in medium producit, palàmque ostentat. Et contrà adversariam Tyrannæ, Templo vicinæ, vim, rem ità instituendam, & tutò perficiendam, proponit.

Vt tertiæ parti Sacerdotum, Levitarum & Ianitorum, qui ad Sabbati solennia confluebant, & de-industriâ non dimittebantur; portarum Templi custodia committeretur.

Alij, ad Domum Regiam excubarent. Alij denique, ad portam, quæ Fundamenti nomine indigetabatur. (4. reg. 11. nominatur porta Sur: & porta, quæ est post habitaculum Scutariorum; & Domus Messa.)

Reliquum vulgus, opportunis Templi atriis, insideret. Soli sacerdotes, & ex Levitis, qui ministrabant; in Templum ingrederentur, alijs, id capitale foret.

Levitæ præterea, Satellitum in morem armati, regem cingerent: dum ille & in Templum ingressurus; & inde, ad regiam, iam vacuam, esset egressurus.

Quibus ità constitutis; & armis ex sacro Davidis armamentario depromtis: & Templo militum coronâ, consertisque quasi inter se manibus, vallato: Ioiadas, puerum, regis F. in omnium conspectum producit: & caput diademate redimitum, sacroque oleo delibutum, Deique Leges manu prætendentem; regem pronuntiat.

Populus vicissim, festo adplausu & acclamatione; *Vitam novo regi, & victoriam felicitatemq; ingeminat.*

Hic promiscui clamoris tumultus, & ingens tubarum clangor, ut Athaliæ aureis impulit; ipsa animo consternata, cum satellitio suo, è Regiâ in Templum irrumpit. sola quidem: satellitibus eius ab ingressu coërcitis.

Vbi Regem novum in Tribunali sedentem, & Principibus turmisque stipatum, non sine festâ populi congratulatione, conspicata; scissis vestibus, *insidias & coniurationem vociferatur.* (Ioseph. *interfici insidiatorem, & tyrannidis invasorem,* imperat.)

Eam Ioiadas, comprehensam, & extrà Templi septa, (ne locus sacer, veneficæ sanguine pollueretur) obtorto collo abreptam; (pœnâ capitis in eos, qui suppetias ei ferrent, constitutâ) haud procul à portâ Equorum regis, (Ioseph. ad Torrentem Cedronis. Sunt enim hæ duæ portæ, Equorum & Aquarum, ad Ortum obversæ, & inter se propinquæ) à quâ haud procul aberat Palatium, pœnas tyrannidis luere, & necari imperâvit.

Quâ re perpetratâ, Pontifex iterùm populum militesque sacramento, ad fidem regi servandam, adegit. Et Regem pari iure-iurando, ad divini numinis reverentiam, & legum sacrarum observationem, adstrinxit.

Tum populus, concursu ad profanam Ædem, quam Athalia cum marito construxerat, & Baalo sacrârat; properè facto, eam à fundamentis, cum aris & statuis, evertit: & Mathanem, exotici sacerdotij antistitem, trucidavit.

Postremò, Ioiadas. constitutis Templi custodibus, qui Sacerdotibus & Levitis, à Davide olim rege in classes suas distributis, paterent: Et pristinis solennibus quotidianorum sacrorum, in integrum restitutis: & Ianitoribus, ex Levitarum classe, qui immundos & profanos à Templi aditu prohiberent; ad portas excubare iussis. IOASVM è Templo, militum & populi catervâ comitatum, in Palatium deduxit, & in regali solio collocavit.

Cui quùm denuò alacriter esset acclamatum; populus ad epulas conversus, festos dies aliquantisper egit, & conquievit.

IOASVS, IVDÆ: IEHVS, idem, & IOACHAS, & IOASVS alter, Israëlis; REGES.

3102. | Annum VII. regni agebat IEHVS apud Israëlitas, | 848.

Quùm IOASVS, septennis (Sever. ferè octennem facit) apud Hierosolymitas regno avito est inaugratus. quod quidem XL. ann. (rotundè. nam ex historiæ serie constat tantum 37. aut 38. ann.

ann. regnâsse) variâ fortuna gessit. Matre natus Sebia, al. Sabiâ, ex opido Bersabée oriundâ.

Hic omni eo tempore, quo Ioiadas superstes fuit, qui solus post Moysem, cxxx. ann. vixisse traditur) legum, divinique cultûs fuit observantissimus. Excepto, quod Excelsa, in quibus populus immolare & adolere consuérat, non sustulerit.

Et uxores duas; conciliante nuptias sacerdote, sibi adscivit; ex quibus complureis utroque sexu liberos procreavit.

Annis prope 108. ante 1. Iphiti Olympiadem, Elide, Agon Olympicus celebratus fuisse proditur, cui Lycurgus interfuerit.

CARTHAGINIS CONDITVS: ET LYCVRGVS LEGISLATOR.

SVb hoc tempus Carthago, in Africâ, à Didone, Pygmalionis, regis Tyrij, sorore, condita esse traditur: annis CXLIII. post Templum Salomonis, sive post alterum annum templi inchoati.

Iterum ea condita, sive potiùs munita, post ann. LXXXI. Ab hâc autem secundâ ædificatione, ad 1. Olympiadem, anni sunt XXXIIX. (Dion. Halic. l. 1.)

Tandem eversa à Romanis ann. V. Cond. DCVII. cum stetisset annis DCLXX. à secundâ ædificatione.

Velle-ius hinc detrahit, annos III. Vndè patet iterum conditam LXXI. ann. ante Vrbis Palilia.

Nomina Regum, eorumque anni, valdè obscura: usque ad ann. Orb. Cond. Ter millesim. octingentesim. sextum. - Vide Excerpta Orosij.

Tum quoque LYCVRGVS, multis regionibus perlustratis, undè mores legesque perdisceret; apud Lacedæmonios, Legislator floret. Ille optimatibus Spartæ auctoribus, & ipso Charilao rege, Nepote suo ac pupillo, remp. optimè constituit: & Agrum Laconicum viritim & æqualiter divisit. Vsu argenti aurique sublato, nummum ferreum induxit. Leges, quæ Rhetæ dictæ, non litteris, sed disciplinæ mandavit: ut eæ moribus potiùs, quàm scriptis, custodirétur. Civibus Sacramento adactis, nihil de legibus immutaturos, quoad ipse ab oraculo Delphico revertisset; exul voluntarius in Cretâ obijt.

Et paullo-post, anno Ioasi XI. ASTRAPES (al. Astrazápes, & Ocrazapes, & Acracarnes) XXXVI. Assyrior. rex, ann. XLII.

Decennio post, XXII. Dynastía Ægypti; duratque ann. XLIX.

IOASVS, ætate provectior, ad Templum Domini (quod Athalia, eiusque filij, labefactárant; & ornamentis, quæ fano Baali accederent, spoliárant) instaurandum, animum adiecit.

Et ut pecunia eâ fini cogeretur; priùs quidem iussit Sacerdotes & Levitas, ad omneis Iudææ gentis civitates adire; & in singula capita certum pecuniæ pretium (Ioseph. semisiclum argenti) ad sarta-tecta Templi, quotannis exigere. Sive (ut 4. reg. 12.) omnem pecuniam votivam, quam offerrent, vel ij qui nomen militiæ profitebantur; (Exod. 30.) vel qui animas suas, voti & Deo damnátes, redimebant: vel qui sponte suâ in Templum deferebant, accipere; & in istiusmodi instaurationis usum impendere.

3124. | Déinde, quùm id ad XXIII. sui regni annum, Rex à sacerdotibus negligentiùs factum videret; | 826.

(Ioseph. quod Pontifex sciret neminem libenter argentum esse erogaturum.) Eosque graviter increpasset: atque ab accipiendâ in posterum pecuniâ abstinere iussisset: tale quiddam, colligendæ pecuniæ, unà cum Pontifice, (al. Principe) commentus est.

Arcam è ligno (Gazophylacium) supernè perforatam, pro foribus Templi, (al. iuxtà altare!) collocandam curavit. in quam Sacerdotes, ostiorum custodes. pecuniam omnem, quam populus (præconio eiusmodi largitatis, ex veteri Moysis præcepto, per universam Iudæorum regionem, promulgato) ultrò deferebat; fideliter congererent.

Quod quùm singulari cum alacritate, & animi æquitate, ab omnibus præstaretur; & multum argenti aurique iam esset collatum;

Rex, & Pontifex, qui in eam deplendæ numerandæque pecuniæ curam quotidie incumbebant; fidissimis operum Templi præfectis, qui cæmentarios, lapicidas, fabros lignarios & ærarios, & omnis generis materiarios, homines industrios & artis suæ peritos, conducerent, mercedesque ijs exsolverent; pro ratâ portione attribuerunt.

Ità ut non modò parietum, præ diutinâ labe rimas agentium, cicatrices obducerentur; sed Templum omne in pristinum sui splendoris & magnificentiæ statum exsurgeret.

Quo opere perfecto; ex reliquâ pecuniâ, auro & argento, religiosa Templi vasa, ministerijs & sacrificijs quotidianis, sunt conflata.

Et cum Sacerdotibus pecunia omnis, quæ pro delicto & peccatis exsolvebatur, tamquam proprium peculium, accederet; tum stata Deo quotidie holocausta frequentabantur.

Et hæc quidem accuratè omnia, piéque ac feliciter peragebantur, toto eo tempore, quo vixit Ioiadas; eiusque consilio Rex usus est.

At postquam ille cxxx. iam ann. natus, è vitâ excessit; & ob nupera merita, regnumque stirpi Davidicæ adsertum, regijs Hebræorum monimentis est illatus: (Hebr. Chron. *Oriente in dies labe & ruinâ Salomonis, natus est simul Ioiadas, qui eam corrigeret.*) IOASVS, quasi tutelâ liberatus, à pristinâ religionis & cultûs divini curâ facilè descivit. Et Principum assentatorum obsequijs delinitus. an depravatus! adorari se (Hebr. *Deum nominari & consecrari*) passus est.

Atque ità desertâ Templi & Dei patrij pietate, ad lucos & simulacra se converterunt. Nec Prophetis, quos Deus indignatus, an miseratus! submittebat, audientes dicto fuerunt; neque eorum minis territi resipuerunt.

(Genebr. vult regem permisisse quidem Principibus & populo, ut Templum Domini, Dei Patrum suorum, desererent, & servirent lucis ac sculptilibus. hoc est; quùm ipse Catholicam religionem profiteretur, impietatem in ijs dissimulâsse.)

Illi præterea ZACHARIAM, Ioiadæ F. sacerdotem, quòd nefarijs religionibus adversaretur: & præcipitem populi à Deo defectionem palàm libereque incusaret: Et vaticino spiritu adflatus, divinæ ultionis minas intentaret. in ipso Templi vestibulo, saxorum imbre obruerunt. *Rege tantorum Patris in se beneficiorum immemore, & dirum facinus imperante.* Sed hæc posteriùs contigere.

Huius Zachariæ sanguis, usque ad adventum Nabuchodonosoris, ollæ instar ebullientis, & quasi ultionis cupidus, effervuisse traditur.

Et post cædem eius, cessarunt Dei, in Templo polluto, responsa & oracula, ex Debir: (hoc est, arcaniore Templi parte, ubi erat Propitiatorium) & ex Ephod, ornamento pontificio. Epiphan.

3124. | Eodem, quem proximè commemoravimus, Ioasi regnantis anno XXIII. (Ioseph. est ann. XXI. Quod observa, ob annorum duorum fractiones) IEHVS, qui XXIIX. annos in Samariâ regnârat, ibidémque erat sepultus; successit IOACHASVS, (Ios. Ioasas) F. qui XVII. annos regno ibidem est potitus. | 826.

(Adnumeratis 2. filij annis, ut videtur. vel dicendus regnâsse, 17. inchoatos.)

Hic Patre deterior, à Maiorum suorum impietate, & profano Hieroboami, Nabathidæ ritu, non recessit, pernicioso in vulgum exemplo. Quod quidem scelus Deus longinquâ belli vastitate, & clade, (quam Israelitarum regno HAZAEL, eiusque F. BEN-ADADVS, Syrorum reges, ingessérunt) & duro servitutis iugo ità ultus est; ut ex immensis Ioachazi copijs, vix equites L. Currus X. & Decies mille pedites, reliqui, pulveris instar ex triturâ, superessent. Et ipse rex ad se rediens, erroremque suum agnoscens, supplex Deum veniam deprecaretur; ut populi, miserandum in modum adflicti, vicem aliquandò miseraretur.

Nec vanæ fuére preces. Et obtigit Israelitis SERVATOR (quem probabile est ELISÆVM fuisse, qui apud Syrum gratiâ valeret; & pro suis intercedere, quâdam cum auctoritate, posset.) qui eos ex tàm impotenti hostium dominatu liberaret; & regione, pace redditâ, pristinæ felicitati & securitati restitueret. Neque propterea tamen ab Hieroboamicis sacrilegijs, & superstitiosi Baali lucis, abstinuérunt.

(Hesiodus, C. post Homerum, (Velleio, CXX.) & XXXXII. ante primam Olympiad. & CD. antè Herodotum, annis floruisse traditur.)

Et anno Ioasi XXXI. (qui est Orb. Conditi. Ter mill. centes. tricesimus secundus, Et antè Nat. CHRISTVM, Octingentesim. Decimus octavus: cæpit, Parthenorum in Illyrico regnum. De quorum tamen regibus & annis, parum certi compertum est.

Anno eiusdem XXXVI. PROCAS SILVIVS, XIV. Latinor. rex, an. XXIII.

3139. al. 3141. | Anno consequenti, qui XXXVII. IOASI; cognominis illi, IOASVS, Ioachazo Patri, etiam-dum, ad biennium, superstiti, apud Israelitas, subrogatur: regnumque XVI. annu. à Patris excessu, administravit. | 811. al. 809.

Hic suis quoque sceleribus Deum iritavit; ab Hieroboamo, profanæ à Deo defectionis principe, minimè degener. (Ioseph. contrà. Vit optimus, quique nihil paterni ingenij præferret.)

3141. | Anno regni pænultimo, qui consecutus est violentam istam, de quâ sup. ZACHARIÆ mortem; eiusque in regis, ut iniquissimi, ità ingratissimi, caput, teste & Iudice Deo, imprecationem; | 809.

HAZAEL, impressione in regnum Iudæorum factâ; & Gethâ captâ ac direptâ; metuque obsidionis Hierosolymitanis iniecto, postquàm à modicâ Syrorum manu, Principes, cum infinitâ populi multitudine, ad unum, cæsi essent: & ingens præda vis Damascum asportata. ad tàm ignominiosas pacis leges Ioasum, Iudæ regem, adduxit; ut universis Dei, priorumque regum thesauris, & Templi donarijs, ad victorem transmissis, pacem redimere; & excidium, regiæ Vrbi Temploque impendens, avertere, cogeretur.

Eumque tandem, gravi deinceps morbo implicitum (ne Pôtificis Ioiadæ, Filius Zacharias, quem lapidum iactu immaniter trucidârat, inultus maneret) aliquot, ex servis domesticis, coniurati, mulierum peregrinarum filij, per insidias, in lectulo (al. in Domo Mello) confodérunt: neque in regum sepulcra inferre sunt dignati. quum ann. XL. imperâsset: & totidem, septennio plus, vixisset.

AMASIAS.

AMASIAS, IVDÆ.
JOASVS, & HIEROBOAMVS, 2. ISRAEL. REGES.

3142. Ioramo ità mortuo, AMASIAS F. annos iam natus XXV. matre Ioadanâ, Hierosolymitide, successit, & XXIX. ann. regnavit. Agebat autem, id temporis, alterum in Israelis regno, annum, Ioasus. 808.

Ille verò, quantumvis in Patris sui potiùs, quàm in Davidis vestigia insisteret, & populum in Excelsis immolare sineret: ob rectum probumque ingenium, (initio saltim regni) Deo gratus fuisse proditur: Et dum Patris sui cædem ulcisceretur; in ipsos scelens auctores, non in eorumdem liberos, (quod lex vetabat) animadvertisse.

Sub idem tempus, quùm fortè Ioasus rex ad Elisæum, iam grandævum, & ægrum, visisset: viq́ue morbi perspectâ: Illum, *Patrem suum, Currum & Aurigam Israelis* (hoc est, proram & puppim, Columen & robur populi: Servatorem illum, de quo sup. compellans) adflictim & acerbè lamentaretur: iussus est à Vate, primùm; *Vt arcum & sagittas adferret: deinde ut manum arcui contento adplicaret. tum ut, Vate manus suas regijs proximè admovente; & fenestrâ, quæ ad Ortum, sive Syriam, spectabat, apertâ; in altum eiacularetur.*

Quod quùm ille fecisset; *Sagittam illam, Divini favoris nuntiam, Israëlitis salutarem, & Syriæ* (quæ ad internecionem usque, in Aphecâ, casura esset) *perniciosam fore*, testatus est.

Ille quùm iterum iaculo terram ferire iuberetur; & ad tertium ictum subsisteret; Vates commotior prædixit ei; *Quoniam ter tantùm terram percussisset; ter quidem victoriam de Syris reportaturum. potuisse autem Syriam ad interitum usq́; deleri, si ictum sapiùs iterásset.*

ELISÆVS verò, qui à raptu Heliæ, ann. LX. supervixerat; defunctus, & magnifico tumulo honoratus; fortuito ossium suorum contactu, mortuum quemdam, qui in idem sepulcrum à latrunculis erat proiectus, in vitam revocavit.

Hazaele quoque, qui Ioachazum & Samaritas, assiduis bellorum calamitatibus, & acerbâ dominatione usque oppresserat, exstincto: & regno Syriæ ad Ben-adadum F. transmisso;

IOASVS, hâc opportunitate, & præsenti Dei benignitate, quam Vates ostentárat, sibi utendum ratus; tribus prœlijs victor, Syrum eò adegit; ut quas urbeis Pater, tàm longinquo bello, ex Israelitis interceperat; nullo pænè negotio sibi restituere cogeretur.

3143. (Anno Amasiæ II. incepit Macedonum regnum. quod sub XXIII. regibus, ad Alexandrum usque Magnum, durat CDLXXXVI. ann. Vid. infrà.) 807.

AMASIAS intereà, collecto ex Iudæis & Beniamitis exercitu, & flore iuventutis, ad CCC. Mill. expeditionem, adversus Idumæos, (Ioseph. addit, Amalecitas, & Gabilitas) qui à maiorum suorum imperio desciverânt; suscepit.

Et quùm ad hasce popularium copias, C. (Iosep. XX.) Mercenariorum, ex Israelitis, Mill. adiunxisset; prohibitus est à Vate quodam, impiorum militum, qui Deo invisi, & à recto eius cultu alieni essent, operâ uti. - *In Deo solo, non in numerosi exercitûs robore, spem victoriæ esse collocandam. Neque C. Talentorum, quâ mercede illi conducti fuissent; iacturam, magni esse pendendam.*

Missione itaque illis datâ, plenus fiduciâ, suos in Vallem Salinarum, (Vbi & Ioabus XII. Idumæorum Mill. sub Davide cecidisse olim traditur. Angelom. ex veteri editione, legit, REGIONEM GEMELAM, ubi & VALLIS IERVELIA, haud procul à Mari Salso) educit, & cum hoste confligit. Ex ijsq́ue XX. Mill. partim in acie occídit; partim vivos cepit.

Et hos ex vertice editissimæ rupis, (quam Iosep. tradit Arabiæ imminére. Angelom. Petram esse putat, nobilem Arabiæ urbem, in terrâ Edomiâ; quæ & Recem, Numeris, dicatur) præcipites deiecit. Et opimâ cum prædâ, nec minore gloriâ, domum revertit.

Intereà Israelitæ mercenarij, gratuito stipendio non contenti, sed ignominiosam sibi missionem arbitrati; & ad Bethoron (al. Beth-choron) usque progressi, regionē depopulati sunt: & cæsis III. Colonorum Millib. magnam pecoris vim abegérunt.

AMASIAS verò, abusus tàm recente & memorabili victoriâ, eiusq́ue auctorem Deum fastidiens; asportata secum, ex Idumæâ & Seïrâ, captivorum Deorum simulacra, colere & venerari instituit.

Quumq́ue submissus ab irato Deo Vates eius stoliditatem redargueret; quòd *Deos alienos adoraret, qui cultores suos ab Hebræorum vi tutari, aut ex ipsius manu eripere, non potuissent*; Ille monita ea surdis respuens auribus, & capitis minatus supplicium, hominem quietum esse iussit; nec se alienis regni negotijs immiscére.

Hic verò ab eo digrediens, indubitatò, & quidem propediem, novo sceleri & pervicaciæ ultorem non defore, prædixit.

3156. Anno itaque regni XIV. Amasias fastu, ob nuperam etiamnum victoriam, inflatus, litteris, & nuntijs Ioasum, Israelis regem, ad mutuum conspectum, quasi pugnam & virium suarum periculum cum eo facturus, provocavit. 794.

(Ioseph. Eum imperata, cum populo suo, facere iussit; & sibi, uti maioribus suis, Davidi & Salomoni fecerant, parere. alioqui bello de imperij iuribus esse decernendum.)

Cui quùm hic apologum, *de Carduo, & Cedro Libani*, responsi, & sani consilij vicem, remisisset: & ut domi quiesceret; neque nuperà ex Idumæis victorià immoderatiùs efferretur; suasisset. alioqui malum sibi, & suis perniciem, esse arcessiturum: si ipse, rex humilis, longè se potentiorem irritare; & regni ius incertæ committere aleæ, pergeret.

Ille his convicijs, & Deo instigante, ad bellum magis concitatus, in Bethsemen, Iudææ opidum, in mutuum cum Ioaso conspectum, & quasi ad manum conserendam, descendit.

Vbi instructâ utrinque acie, Iudæi, repentino pavore consternati, terga verterunt; & regem à suis desertum in hostis potestatem venire permiserunt.

Ioasus verò captivum ad Hierosolymam adduxit: & interruptis, (à portà Ephraimà, quæ est ad Aquilonem; ad portà Anguli, quæ est prima ad Occasum) ad CD. Cubitorum spatium, muenibus; curru, triumphantis in morem, invectus est. Atque ità, velut Vrbis Dominus, vasa omnia, quæ in Templo Regiàque, vel apud custodes, latebant; quidquid auri & argenti repertum; cum obsidibus, in Samariam transtulit.

3157. Nec multo post, anno, ut volunt, consequente, qui erat Amasiæ XV. Idem Ioasus, regnum suum Hieroboamo (al. Ioramo) F. tradidit. 793.

Hunc vult Masse. cùm Patre superstite, ann. XI. eoque defuncto, solum. XLI. regnasse. Ios. XL regni annos attribuit. Nos veriùs, aut LI. aut LIII. damus. quamvis (4. reg. 14.) XLI. ei adscribantur. Alij Interregnum XII. annor. intercessisse putant.

Certè à XV Amasiæ, quo cæpit; ad XXXIIX. Azariæ, sive Oziæ, quo desijt; anni sunt LI.

Amasias verò, quùm cæperit II. anno Ioasi, & XIV. annis cum eo vixerit; & XV. ann. ab eius morte superstes fuerit; XXIIX. annos regnâsse convincitur. Sever. alijs usus codicibus videtur: adeò in horum regum annis alucinatur.

(Eodem circiter anno SARDANAPALVS. qui Thonos Concoleros, ultimus Assyrior. & Babylonior. rex, sive Monarcha, an. XX. De quo infrà.)

REGNVM LYDORVM.

3158. Anno verò XVII. quidam statuunt initium regni Lydorum, ab ARDISO, sub IX. regib. duratque ann. CCXLIX. 792.

Alij cæpisse volunt aliquot ann. post desitam Assyrior. Monarchiam; & biennio antè primam Olympiad. In quo, post Heraclidas, regnârit GYGES.

Sed præter alios priores, qui à Lydo, Atyis F. oriundi erant; magnâ ex parte ignotos; hi reges numerantur.

ARGON, Heraclidarum primus, Sardium, in Lydia, rex. Nini F. Beli N. Alcæi pron. Herculis abnepos, ex Iardane ancillâ.

Et post multos; ARDISVS, HALIATTES, MELES, CANDAVLES, Myrsi F. ex Heraclidis, in Lydiâ, ultimus.

Deinde MERMNADÆ, hi - GYGES, Dascyli F. ARDYIS, SADYATTES, HALYATTES; CROESVS, Gygis abnepos.

Ab ARDISO, regnum inchoante, usque ad Gygen, anni sunt LXVI.

A GYGE, ad Crœsum captum, CLXX. Vndè existunt CCXXXVI.

Ab ARGONTE Heraclidâ, usque ad Gygen, sive ad mortem CANDAVLIS, (quo cæso, ille regnare cæpit. & teste Plin. l. 35. c. 8. incidit in annum mortis Romuli) anni DV. (Vid. Herod. l. 1. Et inf.)

Anno consequente AMVLIVS (qui & Aremulus) XV. & ultimus Latinor. rex, maiore fratre NVMITORE pulso, quæsitum iniuriâ regnum per XLII. (al XLIV.) annos tenuit. donec & ipso cæso, Numitor regno est restitutus.

HIEROBOAMVS autem ille, Ioasi F. & Israelis rex, licet impius, neque ab avitis superstitionibus degener; Deo tamen populi Israelitici, tàm assiduis cladibus adflicti & imminuti, vicem miserante: & IONA Vate, Amathi F. Gethæo, ex Opherâ.

(Quem alij illũ, unum ex XII. Prophetis minoribus; & Sareptanæ, sive Sunamitidis viduæ filiũ, quem Helias à morte excitârit; esse voluérunt. quâ de re inf.) Regem divinitùs exhortante; victis prœlio Syris, ditionem suam longè lateque ampliavit. Et terminos, quibus olim Chananæam terram IOSVA circumscripserat; à Septem-trionibus quidem ad Emathiam: à Meridie verò ad Lacum Asphaltiten: protendit.

Atque adeò *Damascum restituisse Iuda in Israële* traditur: (hoc est, regno ipsi Israelitarum, quod Iudæ fuit succidaneum) redhibuisse.

AMASIAS verò: quem Ioasus ille nuper, duris pactorum conditionibus devinctum, liberum reliquerat;

liqueret; suorum [illegible] dijs appetitus, & fuga in Lachi[illegible] delatus; [illegible] lentâ ibi morte, maiorum ferè exemplo, oppressus est. eiusque cadaver, equo revectum, avito sepulcro illatum; exacto LIV. vitæ suæ anno. Quod quidem Mallæ. ann. Oziæ F. XI. accidisse, opinatus est.

31[illegible]1. | ———— | 797.

OZIAS, IVDÆ.

HIEROBOAMVS, ZACHARIAS, SELLVMVS, MANAHEMVS, PHACEIA, PHACEE; ISRAELIS; REGES.

Hic Ozias, qui & Azarias, natus ann. XVI. matre Iecheliâ, (Ioseph. Achiâ) Hierosolymitanâ, populari studio in regnum suffectus, LII. ann. [illegible] [illegible]nente pæne felicitate, id administravit.

Ma[illegible] verò & Caietan. volunt hunc, Patre adhu[illegible] [illegible]te & profugo, XI. & ab excessu eiusdem X[illegible] annos regnâsse. (Par suprà annor. ratio. in H[illegible]boamo, quod observatione dignum) ut [illegible]us int[illegible]rregno sit locus.

Er[illegible] h[illegible] annus Hieroboamo: Israelitarum regi, XXVII. (Hic tamen alij, & Ioseph. XIV. ponunt. Alij, XXVII. annum, non regni, sed vitæ Hieroboami, designari. Alij, Oziam, XII. ann. sub tutela [illegible]gisse. quâ liberatus, anno XXVII. Hieroboami, suis auspicijs regnare cœperit.)

Hinc quoque, XXIII. Ægyptiorum Dynastia cœpit; duratque ann. XLIV.

In Ozia rege, eximia eluxit pietas, & gratus in Deum animus. Neque tamen Excelsa, in quibus populus sacra faciebat, est demolitus.

Idem, Zacharia Prophetâ (qui Zachariæ illius, inter Templum & altare occisi, F. *dono intelligentiæ, in visionibus*, polluisse traditur plurimum) [illegible]sus, Deum piè coluit; cumque propitium sibi expertus est.

Circa i[illegible]em tempus, Amvlivs ille, Albani imperij in[illegible]asor, vel vindictæ metu, vel continuandi principatûs cupidine, totam germani Numitoris, stirpem tollere decreverat. Et quùm occultè Ægestum, (al. Lausum) puberem adhuc, eius filium, occultè peremisset; tum sororem eius Iliam, sive Rheam, licet nuptijs maturam, (quò ipsem prolis omnem præcideret) Vestæ sacerdotem legit, & optavit.

Hæc verò, incerto auctore gravida, geminos, Romulum & Remum, edidit. Quos ad Tiberim expositos, & à Lupâ supervenientc, distentis à recenti partu uberibus, aliquousque foveri cōspectos, Laurentia quædam, Faustuli pastoris regij, coniux, pro suis educavit. *Hi Romanæ urbis conditores.*

Huius autem regis, quē dixi, Oziæ temporibus, hi vaticinandi munere tum apud Iudæos, tum apud Israelitas, defuncti fuisse & floruisse leguntur:

Hoseas, Isaias, Ioel, Hamos, Abdias et Ionas.

Inter cæteros, Abdias iste, (teste Epiphan.) deserto loco & ordine, in quo Achabus & Ochosias reges eum collocârant, Heliæ adsectator fuit; & Ecclesiæ dux. Qui brevi scripto, Idumææ eversionem, & Iudææ restitutionem. hoc est, Gentium sive Ethnicismi excidium; & Christianæ Ecclesiæ, per Apostolos, ædificationem, prædixerit.

Id Ribera minus probat: convincitque Habdiam, Prophetam fuisse æqualem, Hoseæ, Hamoso, & Micheæ. Vid. inf.

REGNI ASSYRII EXCIDIVM.

3172. | Anno altero Oziæ, Sardanapalum, quem ultimū Assyriorum regem diximus; à Nino & Semiramide, qui Babylonem, & unà hoc Assyriorum regnum, Ninivenque condiderunt; ordine XXXVI. (ut vult Vell.) al. XXXIII. al. plus minus. | 778.

Per tot enim reges, illi posteritati suæ imperium propagâsse traduntur: ità ut perpetuâ serie successor paterni Principatus, foret filius.

Hominem, inquam, planè effeminatum, & mollitijs fluentem, nimiumque malo suo felicem; Arbaces (al. Arbatus, & Pharnaces) Medus; & copiarum, quæ quotannis è Mediâ Ninum destinabantur, dux, vitâ imperioque privavit. Res autem ità gesta proditur.

Medus ille, quem dixi, ab uno, ex regijs Eunuchis, & quidem donis corrupto, in regiam Sardanapali, (qui angustis parietibus & tectis nequitiā suam occultaret, & purpuram in choro puellarum neret) introductus: & luxuriam, ignaviamque regis, coràm intuitus, simul & detestatus; Medos, Persas, Babylonios, & Arabas (qui feminæ sibi nunferendum esse imperium censerent) clàm ad defectionem solicitat. Et annuæ militiæ simulatione, ad urbem Ninum, Quadringenta armatorum Mill. adducit.

Sardanapalus dolum & insidias subodoratus, collecto statim ex alijs gentibus exercitu, bis hostem profligat: & præmium, Arbacis Medi, & Belesis Babylonij, perduellium, interfectori, proponit. Atque adeò iterùm victor, & castris eorum potitus, hostem in Babyloniam usque persecutus est; non sine ingenti rebellantium strage, & Arbacis vulnere.

Belese interim, ex arte patriâ, auxilia mòx sibi adfutura præsagiente; Bactriani, ad regem auxilio submissi, ut ad cæterorum desertorum parteis sese adiungant, facilè persuadentur. Arbaces itaque, his copijs auctus,

castra regis de nocte oppugnat; & regios consternatos in urbem compellit.

Rex verò, Salæmoni, sorori, exercitûs sui summam committit; & ipse urbis custodiam sibi sumit. Duobus deinde prœlijs, haud procul ab urbe, regiæ copiæ funduntur: & Rege in urbe obsesso, multæ interim gentes, libertatis cupidine, ad Arbacem deficiunt.

Rex liberos (treis mareis, & duas filias) in Paphlagoniam, ad Cottum, sibi fidum, amandat. (quorum fortè posteri in Ninive posteà regnârunt.) Et auxilia undique arcessit, fretus oraculo, quod progenitoribus olim datum. - *Ninum capi non posse, nisi fluvio adversario.*

Post alterum itaque obsidionis annum, fluvius Tigris, ex continentibus imbribus excrescens, muros urbis latè disiecit.

Tum demum rex pyram in regiâ exstruit: & carissimis quibusque rerum, cum uxoribus, in medio conclusis, se unà cremandum in eam iniecit.

Hostis verò per disiectos muros ingressus, urbe captâ, Arbacem regem appellat. Et ipse, inter cæteros, Beleesem, ex Chaldæis Sacerdotibus unû, comitem, & pænè eius expeditionis auctorem; quique imperium ei præsignificarat. ità fide & industriâ promeritum Babyloniæ regionis præfecturâ donavit. Qui prætereà partem Assyriæ sibi vindicâsse videtur. quòd (4. reg. 15. & 2. Paral. 5.) rex Assyriæ etiam vocetur.

Et volunt quidam, annis XIX. aut X. post, vel bello, vel pacto, ut aliquantam Assyriæ partem; ità regni Babylonij titulum, ex præfecto, obtinuisse. Sic. 4. reg. 16. Belochi (qui idem est Beleses) successor, Teglatzalasarus, rex Assyriorum nominatur.

NOVA REGNORVM, MEDICI ET BABYLONII, INITIA.

Eo igitur pacto, Imperium Asiaticum, ab Assyrijs; qui id obtinuerant ann. (apud Vellei.) MLXX. (al. 1400. vel 1300. vel 1240. nobis 1136. quò proximè accedit Orosius) translatum est ad Medos.

Ribera ait; Hoc Assyriorum regnum stetisse ad 1440. ann. licet non pari semper potentiæ magnitudine. Quos quidem sic colligit.

Abrahamus natus est XLIII. ann. Nini, primi regis.

Ab illius ortu, ad exscidium Hierosolymæ, per Nabuchodonozorem; Anni, Ter mille, Trecenti, Nonaginta. Quibus si addantur VI. anni, post excidium sanctæ urbis, quo tempore vastata est Ninive; dicta summa colligetur.

Tomiell. dat eidem Imperio, ann. MDI.

Ex huius itaque Imperij exscidio, alia regna pullulârunt,

MEDORVM scilicet, in eo, quem diximus ARBACE; ad DARIVM usque Medum, & CYRVM Persam: sub quibus soluta Iudæorum, in Babylone, captivitas.

Reges autem Medorum, eorumque anni, apud Eusebium, hi recensentur.

ARBACES, regn. ann. 28. MANDANES, 40.
SOSARMVS, 30. ARTICARMVS, 28.
CARDICEAS, 13. DEIOCES, 40.
ARTINES, 24. CYAXARES, 32. ASTYAGES, 57.

Apud Diodor. Sicul. ex Ctesiâ, nominibus & annis, variant,

ARBACES, 18. MANDAVCES, 50.
SOSARMVS, 30. ARTICAS, 50. ARBIANES, 22.
ARSEVS, 40. ARTINES, 22.
ASTYBARAS, 14. ASTYAGES F. 26.

REGES VTRIMQVE NOVEM.
Et regnorum anni, coniunctè, CCLXXII.

Eodem ferè tempore, vel paullo pòst MEDICVM, exortum Regnum BABYLONIÆ ... parte Assyriæ vicinioris, in BELESE, (quem alij cum PHVL-BELOCHO confundunt) usque ad MERODACHVM, novi & potentioris in Babyloniâ eâdem regni fundatorem. ac deinde ad BALTHAZAREM, qui à Cyro victus est.

Duravit itaque hoc regnum sub IX. regib. annos CCLII. ad eumdem Cyrum, iam Manasse; sive ad ann. O. C. MMMCDXX. Vid. inf.

Notat rursum B. Aug. (l. 16. c. 17. C. D.) desijsse istud Assyriorum Imperium, quo ferè tempore condita est Roma. Ninive nihilo minus stetisse, & regia fuisse, adhuc traditur initio regni Manassis, (ann. c. post Oziam) & infrà, uti patebit.

Vt namque corruerit vetus illa & ampla Assyrior. Monarchia, in morte Sardanapali; non tamen regnum tunc planè etiam eversum.

Iterum namque regnum ... ceptum, in Babylone, sub Phul, primo rege. Ex quo tempore, inter alios, Babyloniæ, & ex parte, Assyriæ Reges, recensentur;

SALMAN-ASSAR, & SENNACHERIB (4. reg. 19. & 20.) Immò & ASSAR-ADDON.

Et tandem MERODACH, BALADANI F. qui auxit imperium. σύγχρονος Manassæ, Iudæorum regi. Post quem, in S. litteris, nulla mentio alicuius, speciatim, regis Assyriorum.

Obsessâ multis pòst annis Ninive à Medis, & deinde eversâ.

Tertiùm; sub initium captivitatis, Ninive iam-tum deletâ, & translato ad Babylonios imperio; NABVCHODONOZOR, ipsam Babylonem, ceu novam Regiam, egregiè restituisse: & Babylonij reges, etiam Ninivæi esse, & audire, cæpisse, censeantur.

(Vide infrà, ann. O.C. 3206. qui est 27. Oziæ, Genebrardi, novam de hâc Assyriot. Monarchiâ, opinionem: eiusque rationes. Et nonnihil anteà, sub Abrahamo & Loto, eâdem de re dissertatum.)

SERIES

SERIES REGVM ASSYRIORVM.

Reges autem, siue Monarchas Assyrior. quorum nomina, & anni Imperij, totâ hâc historiâ, passim, suo quæque, quà potuit, loco, sparsa sunt, & adnotata; hîc sub unum conspectum, pro re natâ, damus.

s. NINVS, Beli F. regn. ann. 33. (al. 52.)
II. SEMIRAMIS, 42. — ssI. NINIAS, 38.
IV. ARIVS, 30. — V. ANALIVS, 40.
VI. BALEVS, 30. — VII. ARMAMERTES, 38. — Et IIX. BELOCHVS, 35.
IX. BALEVS, 2. 52. — X. ALTADAS, 32.
XI. MANITVS, 30. — XII. MANCALEVS, 30.
XIII. IPHEREVS, 20. — XIV. MAMILAS, 30.
XV. SPARETVS, 40. — XVI. ASCADAS, 40.
XVII. AMINTAS, 45. — XIIX. BELOCHVS, 2. 25.
XIX. BELLEPARES, 30. — XX. LAMPRIDES, 32.
XXI. SOSARES, 20. — XXII. LAMPARES, 30.
XXIIS. PANNIAS, 45. — XXIV. SOSARMES, 19.
XXV. MITREVS, 27. — XXVI. TAVTANES, 32.
XXVSI. TAVTEVS, 40. — XXIIX. THINEVS, 30.
XXIX. DERCYLLVS, 40. — XXX. EVPALES, 38.
XXXI. LAOSTHENES, 45. — XXXII. PIRITIADES, 30.
XXXIII. OPHRATEVS, 20. — XXXIV. OPHRATANES, 50.
XXXV. OCRASAPES, 41. — XXXVI. SARDANAPALVS, 20.
(Interregnom, 3. annor.)
XXXVII. PHVL, 40. (al. 48.) — XXXIIX. TEGLATPHALASAR, 23.
XXXIX. SALMANASAR, 10. — XL. SENACHERIB, 7. — Et XLI. ASAR-HADDON, 10.
(Et hi quidem omnes ferè in Ninive regni sedem habuisse putantur.)
Hi verò in Babylone, usque ad CYRVM Persam.
XLIS. MERODAC, post victum Asar-haddonem, ann. 49. (al. 40.)
X[illegible]SI. BEN-MERODAC, 4. (al. 22.)
XLIX. NABOLASSAR. 25. (al. 35.) — XLV. NABVCHODONOSOR, 43.
XLVI. EVIL-MERODAC, 22. (al. 30.) — XLVII. NIGLISAR, 4.
XLIIX. [illegible]ABOSARDAC[illegible] I;
Et postremus, XLIX. BALT-ASSAR, 17. (al. 5. aut 3.)
Summ. Aon. MDIII.

Hoc item tempore Carthago, vel iterùm condita, vel ampliata & munita. Vt à priore Conditu ad alterum, anni intercedant, LXXXI.

JONAS PROPHETA.

Eâdem tempestate; & tàm dissolutis in omnem lasciviam, tàm regis Ninivæi, SARDANAPALI, quàm incolarum, moribus; probabile est, IONAM Vatem (de quo sup.) iussum esse à Deo, ad Niniven, Assyriæ urbem, ad Tigrim amnem, maximam; nunciandæ veritatis & cōminationis caussâ, proficisci.

Quo dicto, & Dei præcepto non audiens, & imperatæ prædicationis ministerium detrectans; (neque id contumaciâ, inquiunt; sed præscientiâ, quâ prospiciebat Dominum, pænitentiâ populi placandum; sic Sever.)

Ad Ioppen, Iudææ portum, divertit. Ibique navim, quæ in Tharscis (Mare Mediterraneum, Libycum, sive Ponticum; aut in Tartessum Hispaniæ, mercatu tùm celebrem. Genebr. ex Ios. & Aug. in Tarsum, Ciliciæ urbem) fortè solveret, dato naulo, conscendens, navigationis aleæ se commisit.

In Mari autem, tanta ventorum tempestas, Dei permissu, coòrta est; ut navis in maximo versaretur discrimine. Et cæteri vectores, præter Ionam, qui in carinâ securus stertebat; metu exterriti, Deū quisq; suū, deprecarentur. Et quò, levior, onere sublato, navis esset; vasa, cum mercibus, in Mare, iacerent.

Gubernator itaque, qui illum, cæteris metu perculsis, & Deorum opem implorantibus; in tàm certo vitæ discrimine dormientem, id susque deque habere, & negligere existimaret; expergefecit: & Deum suum, aliorum exemplo, obtestari iussit.

Tùm postremò inter omnes convenit; sortitione factâ explorandum esse tanti mali auctorem.

Quæ sors quùm in eum evenisset; rogant cæteri, ut exponat, quâ culpâ, malum eiusmodi accidisset. Vndè veniat, ipse; Quò tendat; Cuiâs sit; quamque artem exerceat!

Ipse Hebræum esse professus est; *& Dei, qui Mare terramq; procreârit*, cultorem. cuius pro tempore, ob neglectum imperium, offensam, conspectumque declinaret.

Quùm illi, novo indè pavore turbati, quærerēt; quid ipso facturi essent; ut periculo illo, quod ipsius culpâ accidisset, liberarentur; respondit: *Si se, tamquam tempestatis piaculum, & mali auctorem, in Mare deiecissent: fore. ut secundo vento, tranquilloq; Mari, uterentur,*

Quod

Quod illi facere veriti, & navem remigio ad terram adpellere adnixi: ſed vi ventorum, tumidique Maris, invaleſcente, prohibiti: & Deum, ne hominis innocentis mortem ſibi noxæ eſſe vellet, deprecati; in Mare præcipitárunt.

Iacturam autem eius confeſtim ſecuta eſt, incredibilis Maris tranquillitas. Et Nautæ Deo, quem eo ex caſu vehementer metuere cæperant; hoſtijs immolatis, vota nuncupárunt.

Deus verò, IONAM ità proiectum, non neglexit aut deſeruit. ſed ingentem piſcem, ſive cetum (monſtrum Marinum, Sever.) præparavit, qui illum excipiens deglutiret; nec tamen læderet, aut conſumeret.

Atque ille, ex alvo piſcis, tàm præſens in ſe Dei beneficium ſentiens, gratias egit: & ſui, è tanto naufragij periculo, liberationem, ſuæque ſalutis ſpem, inſigni Carmine celebravit.

Piſcis autem, qui eum integrum, ad tertium uſque diem, in viſceribus ſuis cuſtodierat; ſalvum & incolumem, in littus, Deo imperante, evomuit.

(Non in littus Ninivitarum, ut vult Sever. quod nullum eſt; ſed Maris Syriaci, vel, (Ioſ.) Ponti Euxini.)

Gènebr. in Tharſum fugientem, indè, littoribus Ponti Euxini eiectum, pedibus in Niniven ſe contuliſſe.

Vel è Tharſis, Indiæ regione, per Mare Rubrum; & indè ad littora Sinus Perſici penetraſſe. Vel in Ninive, quæ ſita erat ad Tigrim, qui Sinui Perſico, ſed procul, ſeſe infundit, à Ceto evomitum fuiſſe.

IONAM autem, ità liberatum, iuſſit iterum Deus in Niniven, Civitatem, ſuâ, inter cæteras, magnitudine nobilem, quæ III. dierum itinere pateret:

(Diod. Sic. l. 2. Ambitu 480. ſtadiorum. hoc eſt, Leucarum 120. ſi Leucam quater mille paſſibus metiamur. Longitudine verò 150. ſtadiorum: quæ ſint 37 Leucæ, cum dimidiâ.)

Eo, inquam, proficiſci; & ea, quæ ipſi divinitùs præſcriberentur, Civibus nuntiare.

Ibi, quum diei unius dumtaxat iter confeciſſet; & palàm omnibus denuntiáſſet; *Ob peccata populi, intrà XL. diem* (Sever. triduo) *everſum iri Civitatem.* (Ioſeph. imperium Aſiæ amittendum) Ninivitæ, orationem Ionæ, licet peregrini & ignoti hominis, non contemſérunt; ſed fide in Deum converſi, *Ieiunium publicè ſibi indixerunt: ſaccisq́; promiſcuè omnes amicti, pœnitendum ſibi duxérunt.*

Atque adeò *rex ipſe*, ſimul-atque ſermone multorum, illa de Vrbis exſcidio prædictio; ad aureis eius eſſet perlata; non modò priſtinarum deliciarum, ſed ſolij etiam oblitus; *abiecto & ſe, & ornatu regio, indutus eſt primùm ſacco, ſeditq́; in cinere:* deinde, edicto, & ſuo, & Principum, cávit; *Vt non ſolùm viri ac mulieres, atque adeo pueri; verùm beſtiæ etiam univerſa, nihil cibi aut pabuli caperent, nec biberent.*

Homines quidem, ſaccis cilicijſque obvoluti, Deum rogarent. Iumenta verò, fame ſitique enecta, validis mugitibus, lamentantium ſpeciem præferrent; & quaſi precibus eumdem ad miſericordiam inflecterent. Omnes denique à cõſuetis propudioſæ vitæ ſceleribus abſtinerent, & ad ſanitatem ſe converterent.

Ecquis enim novit; num Deus placatus ignoſcere, & ſententiam reſcindere ac mutare, velit?

Nec regem illa ſua, de Dei clementiâ, opinio fefellit. Et imminens malum, ſubitò à conclamatâ civitate averſum eſt.

Quùm namque incolas omneis, edicto exemploque regis, a facinoroſâ vivendi viâ deflexiſſe videret; eorum Deus miſertus, Civitati, quàm fundò evertere conſtituerat, pepercit.

Quæ quidem Dei in Ninivitas, profanam alioqui gentem, commiſeratio, maximum Ionæ dolorem attulit. vel ne mendacij aut vanitatis crimine velut obſtrictus apud illos traduceretur: vel quòd intelligeret; *fide & Dei cognitione, in Genteis importatâ. Hebræum populum imminutum, aut reiectum iri.*

Et conqueſtus eſt; hanc ſibi initiò, miniſterij, quod Deus ipſi impoſuerat, detrectandi. fuiſſe cauſſam: Quod eum ſciret, *ſummâ eſſe clementiâ præditum*. neque fidem propterea ſuis, Vatis, apud externos, prædictionibus adfuturam. Rogare itaque, ut ſe è vitâ confeſtim iubeat decedere. quod emori mallet, quàm ſe vivente illud evenire.

Dumque à Deo viciſſim rogaretur; *Iuſtumne putaret ſuum dolorem eſſe?* Ipſe confeſtim ex urbe egreſſus eſt. Et loco, qui ad Ortum Solis ſpectabat, ſibi, diurnâ ambulatione fatiſcenti, ad umbram parato; ex quo, quid urbi eventurum eſſet, tutò & longè proſpectaret. Ederam (al. cucurbitam, aut ciceiam) quæ illius capiti umbraculi vicem eſſet; Deus excitaverat. cuius quidem ex adſpectu incredibilem ille animo cepit voluptatem.

Sed poſtquàm idem Deus vermiculum poſtridie, primâ luce, excitáſſet; qui paullatim adrépens ederam ità deroſit, ut penetrabilem ſolis æſtum, vento urente adiutum, & capiti ſuo imminentem, ipſe perſentiens, mortem optaret.

Et rogatus à Deo; *Rectène, ob ederam deroſam, iraſceretur?* Seque, ille, non iniuriâ, & vehementer quidem iraſci, & præ irâ pæne emori, reſpondiſſet. tum ea illi dixit Deus, quibus *immenſa eius in hominum genus miſericordia*, vel apertiſſimè declaretur.

Quæſivit nãque; *Æquumne eſſe cenſeret; ipſum quidem edera, quam nec ſeviſſet, nec aluiſſet* (quæ unâ nocte, & ſponte ſua nata, & denata eſſet) *interitum, moleſtè ferre. Se verò, Vrbi tàm magna & frequenti*, in quâ degerent C XX. innocentium hominum Mill. (præter iumenta) qui bonum à malo internoſcere vix poſſint; non ignoſcere!

OLYMPIA-

OLYMPIADVM INITIVM.

3177. — al. 3179.	Anno VII. Oziæ (al. est IX. Et quidam referunt ad XV. Ionathanis) Olympiades inchoatæ sunt, solstitio æstivo.	773. — al. 771.

Itaque hic primus ann. primæ Olympiad. semiplenus, completur dimidio anni consequentis, sub idem sol stitium. Idque cæptum, anno CDVII. ab exscidio Troiæ; quod inciderat in ann. O. C. bis Millesi. Septingentesi. Septuagesimum.

In nostrâ Chronologiâ, qui reijciunt Cainanum II. legant, si velint, XXXVII. aut IX. ann. Oziæ. Et sic deinceps usque ad Iechoniam.

Eratosthenes à primo anno Olympiad. usque ad mortem Alexandri Magni, numerat CDLII. ann. & inde ad Actiacam pugnam CCXCIV.

Riber. Prol. in Proph. minor. Vult cæpisse Olympiades, L. ann. Oziæ. Et à captâ Troiâ, usque ad primam Olymp. ex Græcorum historijs, auctore Euseb. colligi CDL. annos.

Nomen autem, à Ludis Olympicis ductum; qui Iovi Olympio, magnâ totius Græciæ celebritate, quincto quoque anno, in Elide, Peloponnesi, agebantur. Hinc spatium IV. annor. inter unos & alteros ludos, interiectum, Olympias dici cæpit.

Et ex eo tempore Græci, ad temporum discrimina, Olympiadas, Romanis lustris pareis, adhibêre cæperunt. Vt quùm ante id tempus fabulæ, magnam partem, viguisse putentur; ex eo Græcorum initium ducat Historia.

P. Vell. I. Clarissimum deinde omnium ludicrum certamen, Olympiorum initium, habuit auctorem IPHITVM Eleum, Praxonidis F. Æmonis Nep. qui obtinuit, ut Olympionicarum nomina publicis actis inscriberentur: & à victoris nomine Olympias designaretur; & ab Olympiadibus tēpora notarentur. Is eos ludos, mercatúque instituit, ante annos, quàm M. Vinicius consulatum iniret, DCCC. (Consul is fuit anno V.C. DCCLXXXII. Et Roma Condita, Olympiade VI.)

Idem hoc sacrum, eodem loco, annis abhinc, inquit Vell. (scilicet antè M. Vinicij Consulatum,) MCCL. Et CDLXIIX. ante Rom. C. Instituisse fertur Atreus, quùm Pelopi Patri funebreis ludos faceret: Quo in ludicro, omnis generis certaminū victor tunc Hercules.

Hesiodus Poëta, sub initium harum Olympiad. obijsse traditur; ann. post Homerū circiter CXXXIIX. Vell. CXX. ann. distinguit ab Homeri ætate.

Euseb. quoque tradit tunc Lacedæmoniorum regnum, in Peloponneso, iterum defecisse, in Alcamene. Sed Pausanias protrahit ad Leonidæ Filium: quando Antigonus, Demetrij F. Athenas oppugnavit. Vide sup.

Nunc, ad res Iudaicas revertamur.

3181.	Ozias rex, iustus & magnanimus Princeps, & in rebus gerendis industrius, anno (Massæ.) XI. Patre tùm recens, post fugam, sive exsilium, per insidias, uti diximus, interfecto;	769.

Ælathen, ad littus Maris-Rubri, aut ædificavit, aut instauravit; eamque præsidio munivit, & Iudææ ditioni adiecit. urbem ad navigationes opportunā.

Deinde, expeditione in Philisthæos susceptâ, & prœlio victor, urbeis, ex ijs captas, Getham, Iabniam (al. Iamniam) & Azotum, mœnibus nudavit; aliaque ibidem opida exstruxit.

Et Dei ope fretus, non modò Philisthæos; sed Arabas etiam, Ægypto vicinos, qui Gurbaalem, sive Geraram, incolebant; & Ammonitas, secundis prœlijs ità fregit; ut ijs tributum; sive munerū, quæ quotannis penderent, necessitatem imposuerit. Quæ victoriarum crebritas, nomen eius, non sine terrore, ad Ægypti usque terminos, propagavit.

Inde, ad Vrbis regiæ muniendæ curam se convertit. & quidquid mænium, sive vetustate, sive priorum regum incuriâ, sive hostilium bellorū vastitate, erat labofactatum; sedulò instauravit, aut resarsit. Turribus, in eâ præsertim murorū parte, quà rex Israelitarum Ioasus, Amasiam Patrem, captum, & ceu victor, triumphatum, introduxerat; in altum eductis. Et machinis, balistis aut catapultis, (quibus saxa, & omnis generis tela in hostem propinquum torqueri eminùs solent) passim collocatis.

Et quùm infinitam vim pecorum, tàm in camporum planis, quam desertorum vastis, haberet. Et ipse in agriculturâ, ad rem familiarem augendā, deditus; vineas in Carmelo, alijsque montibus excoleret; ad securiorem eorūdem tutelam, arceis opportunis locis construxit, & cisternas lacusq; effodit.

Habuit prætereà exercitū, in omne belli eventū, procinctum; CCCVII. (al. LXX.) suprà D. selectorū & fidorum virorū, Millia. Quibus, ad bis-mille & Sexcentos, Centuriones & Tribuni, ex familiarum Principibus, viri generosi & fortes, erant præfecti. Atque hi omnes, clypeis & hastis, galeis & loricis, arcubus & fundis, suam quisque vicem, armati.

Vt huiusmodi, cum militaris adparatus, tum divinæ in regem benivolentiæ fama, magnam ei nominis celebritatem apud exteros compararet.

Sed rebus omnibus ità ad voluntatem eius fluentibus, inani & sibi perniciosâ mortalis potentiæ aurâ inflatus; Deum, sui hactenus tàm studiosum, cæpit negligere. Et contemtâ maiorum religione, in Templum Domini ingressus, (solenni diei festi celebritate) & Sacerdotis habitu indutus, Altare interius & Aureum, thure accenso suffire pertendit.

Quumque AZARIAS, summus Pontifex, LXXX. Sacerdotum, virorum pietate & animis præstantiū, globo stipatus, adcurrisset; & simul regis conatū cōpescere his verbis pararet: *Tui non est, ô rex, muneris; nec fas, thura Deo ad arā hanc adolere; Sed Sacerdotibus solis*; qui ab Aarone prosati, istiusmodi ministerijs solenniter sunt initiati. Quare actutùm *ex hoc Sacrario egredere: & Dei iram* in te, tàm temerario facinore *concitare, cave.* Qui hanc alioqui in te, rege, honoris Pontificij adfectationem, non gloriâ, sed insigni ignominiâ sit cumulaturus.

Rex verò non modò non paruit; sed arrepto in manus thuribulo, dum incensum adolére pertenderet: & præ irâ, Sacerdotibus, ni quiescerent, mortem comminaretur:

Ecce (Ioseph. Terra subito motu concutitur: & Templo supernè diffisso, radij Solis os frontemque regis sacrifici feriunt.) *Lepra ei in fronte oborta est.*

Quam plagam divinitùs inflictam conspicari Sacerdotes, non modò ut è Templo, sed ex urbe etiam, tamquam impuratus, confestim excederet; eum commonuêrunt.

Neque ipse, pudore calamitatis iam modestior; & tàm miserabili superbiæ suæ, cum impietate coniunctæ, pœnâ mulctatus; parêre, & sponte suâ præscriptum sibi egressum maturare, detrectavit.

Illa autem corporis labes, regem, ad extremum usque vitæ diem, est persecuta. Et ipse extrà urbem, hominumque congressum, secretus, domo, à curis & regni negotijs liberâ, habitare: & filio suo IONATHANI, regiæ, iurisque dicundi & imperij administrationem, concedere coactus est.

Genebr. censet, hanc ei plagam obtigisse, postquàm XXVII. ann. regnâsset. & XXV. reliquis, ad mortem, leprâ fuisse inquinatum. R. Kimchi, putat, Ionathanem F. Patris loco regnû administrâsse ann. XXXIIX. illumque tot annis cum eâ lue fuisse conflictatum.

AMOSVS PROPHETA.

3197. Anno XXVII. AMOSVS Thecnita (quem Epiphan. putat Esaiæ Prophetæ Patrem fuisse. quod Hebr. ex litterarum, in utroque nomine, dissimilitudine negant.) 753.

Ex pastore humili, Vates factus; hoc est, à gregibus ovium, aut armentis, ad gregem populi Hebræi pascendum, docendumque, à Deo delectus; isto munere fungi cæpit: & intra duos Hieroboami, Israelit. regis, extremos annos, explevit.

Quùm namque ille Israelitarum Exscidium, atque adeò futuram captivitatem, Dei iussu, in Samariâ, prædiceret; eum Amasias, Sacerdos Deorum (sive Vitulorum) in Bethelis, per nuntios, apud Hieroboamum, accusavit.

Illum novis rebus studere; regique palàm adversari & rebellare. Nec quemquam eius verba, sine offendiculo, aut horrore, ferre posse: qui publicè diceret; *Regem gladio, sive violentâ morte, esse periturum. Gentem Israelitar. captivam, longè & in exteras terras, abductum iri.*

Tunc idem (Rege, forte-an, susque dèque habente) Vatem adgressus, ei cum minis præcepit, ut ipse, qui Prophetam esse iactaret, *è Samariâ excederet;* atque *in Iudæam, patriam, fugeret.* Ibique & vaticinaretur, & apud credulos ex eâ arte victum sibi quæritaret. *In posterum, à prædictionibus, in Bethelis, supersederet. ubi & Vitulus aureus instituto maiorum coleretur; & regum sedes esset collocata.*

Ad quæ Vates respondisse proditur. *Se, quùm Propheta non esset, neque Propheta Filius, sed armentarius;* (ruborum moris destrictis, sive sycomororum amarissimis cariculis, victitare solitus) *à Deo esse vocatum.* Sibique imperatum; *ut Israelitis,* populo suo; *res futuras præsignificaret.* Itaque ipse saltim verba Dei audiret. *Qui, quòd vetaret, res futuras Israeli, & familiæ, Deorum simulacra colenti, à Vate prenuntiari; hæc ipsi portenderet.*

Vxorem eius stupro, in urbe, contaminatum iri. Liberos gladio perituros: Terram, quam possideret, sortitò hostibus dividendam: Ipsum in regione profanâ esse moriturum. atque adeo universum Israelis genus è regione suâ procul exterminandum.

Addit Epiphan. Amosum, quasi convictus esset abstulisse buculas duas aureas, à filio Sacerdotis, percussis fuste, sive vecte, temporibus, interfectum: & seminecem in patriam perlatum, & cum maioribus suis sepultum esse.

3199. Anno XXIX. sive biennio pòst, maximè memorabilis, & multis scriptorum, & Vatum (Zachariæ in primis) monimentis celebratus, accidit in Iudæâ Terræ-motus. 751.

Quem alij, Hebr. præsertim & Ioseph. malè referunt ad id tempus, quo Ozias, improbo ausu, Sacerdotis vices in Templo usurpavit.

Eo motu, Mons, dimidiâ sui parte, ad Occasum urbis, in EROGE, situs, revulsus; & per IV. stadia volutus, hortos regios ruinâ oppressit.

ROMA CONDITA.

3200. Anno XXX. (al. XXXII.) Oziæ; Olympiade VI. iam præcipiti; bimestri scilicet antè initium VII. Olympiadis, ex-Ante-diem XI. Kalend. Maj. 750.

ROMA Condita, à ROMVLO & REMO, fratribus gemellis, ILIÆ Silviæ FF. Postquàm iam adulti, Numitorem, avum maternum, occiso Amulio, in regnum Latinor. restituissent.

Vell. lib. I. - VI. Olympiade, post XXII. ann. quam prima constituta fuerat; Romulus, Martis (ex Rheâ) F. ultus iniurias Avi, Romam Vrbem, Parilibus, in Palatio, condidit. A quo tempore, ad Consulatum M. Vinicij, anni sunt DCCLXXXII. Id actum, post Troiam captam, annis CDXXXII.

Lesinor.

Lesinor. Romam conditam putat anno XII. Ach[illegible] anno I. Olympiad. VII. mense Aprili. Anno ab O. C. T[illegible] millesi. Ducentesi. Quinquagesimo, aut secundo. Sed ex Era.[illegible] bene colligit ann. ∞ ∞ ∞ CCXXVII.

Varro hic uno semper anno differt a calculo Fastorum Capitolinor. qui & Catonianus dicitur.

Ab hoc ROMVLO, regnum Romanor. sub VII. regibus, durat ann. CCXLIV. Deinde sub Consulib. DVI. Vsque ad CHRISTI Natalem, DCCLI.

REGNVM MACEDONVM.

Huius regni initia valde incerta. Volunt tamen plerique id exortum, post eversam Assyriorum monarchiam; & circiter Conditum Vrbis Romae.

Vel. l. I. Circa quod tempus (inter Carthaginem & Romam conditas.) CARANVS, vir generis regij, XVI. ab Hercule, profectus Argis, regnum Macedoniae occupavit: aut, ut alijs placet, inchoavit. A quo Magnus Alexander fuerit XVII.

Iustin. l. 7. CARANVS, inquit, cum magnâ multitudine Graecorum, sedes in Macedoniâ, iussus responso oraculi, quaerere, cum in Emathiam venisset (sic ab Emathione rege priùs dictam) post quàm [illegible] illam urbem, ducibus capris, occupâsset, [illegible] sede in illic statuit: & ob memoriam muneris [illegible] capras praeibus) Ægéas, & populum Ægeadas [illegible].

[illegible] deinde MIDA, alijsque regibus, primus adunatis variorum populorum colonijs, unum velut Macedoniae corpus fecit; & regni valida incrementis fundamenta constituit.

Post hunc (alij, COENVM, & TYRIMNAM anteponunt) PERDICCAS, regnavit, vitâ & morte illustris. De quo suprà.

Qui ARGEO F. locum moriens monstravit; ubi si posterorum reliquiae conderentur; regnum in familiâ mansurum praefatus est.

Argéo PHILIPPVS: & huic EVROPVS, (al. Æropus,) successére.

Huic AMYNTAS (alij ALCETAM anteponunt) & deinde ALEXANDER F. De quibus sub Dario Persâ.

Herod. lib. 7. à Perdiccâ, Ille VII. numeratur. Ex illis CARANVS, 28. ann. COENVS, 12.

TYRIMNAS, 38. EVROPVS, 25. ALCETAS, 29.

AMYNTAS, 50. ALEXANDER, 43. PERDICCAS, 31. regnâsse produntur.

De caeteris usque ad Alexand. Magn. infr.

ANNI NABONASSARI.

3206. Anno XXXVI. Oziae, à XXVI. Februarij die; An. I. Olympiadis IIX. (sive ann. XXIIX. post primam Olympiadem) Anni NABONASSARI inchoantur, qui sunt Ægyptiaci, mensium 12. τριακονθημέρων, & dierum 5. 744.

NABONASSARVS ille, ut quidam volunt, BALADAN est M[illegible] pater. Ctesiae, BELITAN; Diod. Sic. BELESIS; Plinio BELVS, inventor sideralis scientiae. & hinc Astrologi ab eo annos numerant. Alij SALMANASSARVM putant; & probant apud Ptolem. notant quod utriusque par paene sit Epocha.

Ab initio horum annor. ad Alexand. Magn. anni 424. Ab Alexandro ad Augustum, 294. & deinde ad CHRISTVM, 28. (fort. 26.) fluxêre.

Illustrio[illegible] temporum initia ferè in saeculum incidunt, quo ipsarum Olympiad. initia est consecutum. Anni namque Chaldaeorum, Macedonum, Ægyptiorum, commune ferè habent principium ab hoc NABONASSARO, quicumque is fuerit.

Graecorum & Romanorum memoriam in idem ferè tempus recidisse, sic convincatur.

A Nabonassaro, ad Augustum, Ptolem. Almag. DCCXXIIX. ann. colligit.

A primâ Olymp. ad eumdem August. DCCXXXIV.

Atque ita Olympias I. annis dumtaxat XVI. antecedat illum Ptolemei Nabonassarum, & NABONASSARVS, Vrbis Romae fundamentis, IIX. annis, prior.

DISSERTATIO DE REGNO ASSYRIORVM.

Geneb. hinc primam quasi, Monarchiae Assyriorum, tantopere ab Historicis, ut vetustissimae, decantatae, adolescentiam, contendit incepisse: Neque ante hoc tempus, Euphratem transijsse. Fabulosa itaque esse, quaecumque de regum, à Nino, sed re, caeteri scriptores prodiderint. Id sic probare nititur.

I. In Sacris litteris, ubi primae antiquitatis res diligentissimè designantur, ne apicem quidem extare de eâ Monarchiâ. Quae si tam potens, tamque ampla fuisset; tanto annor. spatio, ob viciniam, aliquod illa commercium cum Syris & Iudaeis fuisset; quorum, uti & finitimorum, res & bella, Scriptura solet attingere.

(*Hic tamen contrà, Herod. lib. I. Quum, inquit, Assyrij ann. DXX superiorem Asiam obtinuissent primi Medi ab ipsis deficere cepêrunt, & in libertatem se adseruérunt. post quos, & aliae nationes idem fecérunt.*

Strab. lib. 16. Qui de Syrorum imperio scribunt, quum Medos à Persis eversos dicunt; Syros autem à Medis, nullos alios Syros intelligunt, quàm eos, qui in Babylone, ac Nino Regias constituérunt. quarum alterâ Ninum, Ni[illegible] Aturiâ condidit: eiusque uxor Semiramis, quae & in regnum successit, Babylonem. Atque hi Asiam occupavérunt. postea is verò suis imperiu reliquerunt usque ad Sardanapalum, & Arbacem, qua duce, ad Medos translatum.

Et Iustinus l. 1. *Imperium Assyrij, qui postea Syri dicti sunt, 1300. ann. tennerunt.*

Et idem pæne Vell. l. 1.

Diod. Sic. l. 1. c. 6. *Cæteri reges* (à Ninyâ) *ad Sardanapalum usque, XXX. regnum tennere. cuius tempore, Assyriorum Imperium, quod annis M CCCLX. perseveràrat (Ctesiæ l. 2.) ad Medos transijt.* Nomina regum, & quanto quisque regnârit tempore, cùm nihil memoriâ dignum egerint, Ctesias, nequaquam est persecutus.

(Et Genes. 10. c. Initia Assuris & Nini, sive Ninives & Babylonis, duplicisq́; regni, memorantur)

II. Temporibus Abrahæ; Amraphel rex Sennaar sive Babylonis, Arioch rex Elasar, Chodarlaomer rex Elamitarum sive Persarum, Thadar rex Gentium; uti sui iuris, nominantur. Gen. 14. Qui in terrâ Chanaan, contra reges Sodomorum & Gomorrhæorum, bellum gesserint. Non erant itaque istæ nationes sub iure Assyriorum.

Item, tempestate Moysis & Iosuæ, quùm Hebræorum fama feratur ad longissimas quasque terras pervenisse, ut etiam è Mesopotamiâ Balaam vates fuerit excitatus: nihil hic de Assyrijs, quos tamẽ præcipuè commotos oportuit: & cum reliquis Orientis regibus adcurrere, ad reprimendam tam numerosi populi inundationem, qui non solùm Palæstinâ contentus fore videretur.

(Hæc haud difficiliter refelli possint. Iosep. Quatuor illos reges, Gen. 14. Assyrij monarchæ Satrapas fuisse, adserit. Et nihil fuit opus Assyrios longè, ad Tigris fonteis, dissitos, Hebræis, vili tum hominum genere (præter divina opis miracula) in Palæstinam paullatim influentibus, commoveri.)

III. per consequenteis deinceps Patriarchas, Iudices, Reges, Prophetas, in libris succedẽtibus; Reges Syriæ, Mesopotamiæ, Damasci, Moab, Arabiæ, Ægypti, Æthiopię, & reliquarum ferè Orientis regionum, præter quàm Assyriç, perpetuò occurrunt: De illâ altum silentium.

Et quùm rex DAVID Mesopotamiæ partem acquireret; nullus se Assyriot. rex opposuisse narratur. Aut nulli ergo ante PHVL, qui, (4 Reg. 15.) nominatur; & terrorem iniecit regionibus cis Euphratem sitis; aut non adeò potentes erant reges.

(Hîc dicimus; Reges Assyrios, Euphratem, pro Imperij termino habuisse; & mutuum metum, inter Ægyptios Æthiopasq́; conterminos, atque Assyrios, intercessisse. Atque hos contentos nationum sibi subiectarum obedientiâ, à quibus quotannis & milites, & duces, vicissim ad regni tutelam, extorquebant; ad res minutiores se minimè demisisse. Neque de ampliandis finibus magnoperè fuisse sollicitos.)

IV. BALAAM (Num. 24.) de Assyrijs loquitur, ut valde infirmis, qui non possent regulos iuxta Euphratem subigere. & vaticinatur de eorum sub novissima tempora incremento.

Et id fatemur.

V. Ionas propheta, sub Amasiæ vel Oziæ ævum, Niniven, magnam quidem vrbem fuisse, & regem habuisse narrat. at eum describit, ut potentem regni haud multum extra Assyriam diffusi. Quare non Assyriorum regem, sed Ninivæ appellat.

(Ionas, de regis Ninivæi potentiâ non meminit. Sic & reges Babylonis; & alij, à primariâ, sui quisque regni, civitate appellati sunt.)

VI. Exteri scriptores, qui nihil fabulis, aut inanibus sermonibus tribuerunt; Epochen, sive principium calculi, figunt in Nabonassaro, Assyrior. rege; tamquam insigni aliquo principe; annis dumtaxat ante Alex. Magnum. CDXXIV.

(Nec mirum, post tot otio & mollitie dissolutos reges, principem aliquem ingenio excitato & acri præditum, tot regnorum accessione auctum, magnum aliquid & memorabile designâsse. Idem Cyrus, Alexander, Cæsar &c. fecêre.)

VII. Hanc eamdem epocham statuit Scriptura circa ann. XXVII. Oziæ, quando Terræ motus ille perniciosus, vicissitudinum mundi prænuntius, extitit: Et PHVL, sive Nabonassarus, hoc imperium cœpit condere. quò respexerit Esai. c. 7. *Adhuc LXV. anni, & Ephraim desinet esse populus.* Hoc est, LXV. an. imperij Assyriorum; qui idem est cum anno Terræ-motûs; Ephraim à Salmanassare evertetur. Hos enim annos reperies à XXVII. Oziæ, ad VI. Ezechiæ.

(Hæc nihil evincunt.)

VIII. Hic primùm apud prophetas, Esaiam, Oséam, Amosum, & alios, Assyrij nominis terror nationibus incutitur, & virga furoris Domini appellatur.

(Idem fatemur. Sunt enim σύγχρονα)

IX. Iosep. contra Apionem, Berosum profert Græcos arguentem, multa, atque adeò de hâc Monarchiâ fabulatos.

(Audire velim Berosum veriora adferentem. Et cuius quæso, regni initia tam liquida, ut fabulis careant!)

X. In Assyriâ, annis dumtaxat D. regnatum antè Arbacem Medum, qui Sardanapalum sustulit, Herod. l. 1. auctor est.

(Id nos quoque sup. Sed idem pluribus annis non negat) Et alij, MD. ann. legendum ibi putârunt.

XI. Semiramis, non nisi V. Geneis Nitocrim antecessit, quę in Assyriâ regnabat Medorum temporibus, proximè ante Cyrum. Atqui hoc tempus non est dimidium eius, quod huic Monarchiæ adfingitur. Sed nec bellum Troianum transgreditur.

(Hîc observa ea, quæ subiungit Herod. Huius Babylonis, multi quoque aliquando reges exstitere. quorum, in exponendis rebus Assyrijs, mentionem faciam. Nusquam ea mentio, in IX. Herod. libris exstat. At, qui multi illi reges Babylonis, ante Belesem, nisi Assyrij?

Si qua igitur Semiramis, quinque dumtaxat ætatibus, Nitocride prior; non illa fuerit Nini illius uxor, & succidanea; sed iunior quædam.

Immò verò, si III. Geneç, sive ætates (ut idem l. 2. explicat) C. tantùm. annos conficiunt; Semiramis illa, nedum Oziæ, sed vix Manassis sæculo extiterit, annis ante Cyrum CLX. Hæc enim de Nitocride ibidem Herodot.

Animadvertens imperium Medorum, ingens ac pacatum; subactaque ab illis multa opida, & inter hæc Ninum, præmunivit se &c. Adversus huius filium Labynitum, qui patris nomen & Assyriæ imperium haberet, Cyrus exercitum duxit &c. Hæc ille.

Sic facilè corruunt Genebrardi τὰ πελώρια.

Anno

3208. Anno XXXIX. Oziæ, mortuo apud Israëlitas Hieroboamo, ZACHARIAS F. successit; neque ab avita in Deum impietate recessit. 742.

Et post semestre imperium, factione & dolo S[illegible] LLVMI, (Ios. Selesmi) filij Iabesi, unius ex purpuratis, interfectus est. Et in ipso, quod antè Deus Iehoi[illegible], abavo, vindici & ministro suo, futurum promiserat; posteros, in IV. usque stirpem, regni esse potituros; perfectum est.

Ann[illegible] itaque consequenti, vacuam Zachariæ cæde regiam, insidiator occupavit. & XXX. die pòst, regnum m[illegible]lè partum, malè perdidit.

M[illegible]NAHEMVS enim, F. Gadi, è Thersâ, (Iosep. dux exercitûs, qui erat apud urbem Thersam) cum omnibus copijs, properè in Samariam adscendit: & prœlio victor, Sellumo interfecto, regnum per vim sibi vindicavit.

Thapsenses, qui venienti portas aperire detrectârant: primùm miserabili agrorum longè latéque ad Thersam usque vicinam, vastitate: deinde urbis exscidio, & promiscuâ civium cæde; nec teneræ ætati, nec gravidis mulieribus (in quas dissectis uterorum finibus, supra omnem barbariem, desævijt) parcens; crudelissimè multavit.

Nec mitius fuit eius deinceps, totius decennij, in Israëlitas imperium. Neque à profanis priorum regum, & Hieroboami in primis Nabathidæ, superstitionibus degener.

Et quò certiora regni, sibi posterisque confirmandi, præsidia haberet; Mille argenti talentis, PHVLIS, Assyriorum regis, (qui al. Belochus; quemque suprà, Babyloniæ præfectum fuisse diximus) & cum exercitu in regionem Israëlitarum bellum facturus venerat; auxilium amicitiamque (Ios. à bello vexationem) redemit. Quam pecuniæ summam, constitutis, in singula locupletiorum capita, Quinquagenis argenti siclis, (al. drachmis) conflavit, & exsolvit.

Circa hoc tempus, XXIV. apud Ægyptios, Dynastia: duratque XLIV. ann. Bocchyre rege. (sub quo agnum locutum esse, auctor Euseb.) quique leges novas Ægyptijs & iura constituisse proditur.

3220. Anno L. Oziæ, MANAHEMVM, placidâ morte defunctum, PHACEIA F. excepit. 730.

Quo item anno PHVL-ASSVR (quem sacra Historia, THEGLATHPHALASSAREM nominare videtur, regem Assur) Belocho; apud Assyrios, subrogatus, regni XXV. ann.

(Tunc & II. Corinthiorum Dynastia, in Automene defe[illegible]it. Scalig. tamen duos reges superaddit, quibus dat ann. LXX. Vide supr. Senem.)

PHACEIA verò, nihilo suis decessoribus religiosior aut iustior, nec patre clementior, postquam biennium regnâsset; à PHACEE, Romeliæ F. Tribuno, seu exercitûs sui duce, qui in eius caput cum alijs coniuraverat; in Palatio Samariæ (Iosep. in convivio) cum fidissimis amicis, & L. Galaaditis, corporis sui stipatoribus, trucidatus est. Ille itaque

3222. Anno LII. & ultimo Oziæ, principatum vi partum capessivit. eumque ann. XX. variâ fortunâ, administravit. 728.

ESAIAS PROPHETA.

Et quoniam hoc eodem anno ESAIAS propheta (c. 6.) commemorat se vidisse Dominum, in solio excelso confidentem, &c. Et Sever. sub eodem Oziâ, eum vaticinandi munus incepisse. Atque adeò, (2. Paral. c. 26.) ab eodem Vate, res gestas Oziæ regis, litterarum monimentis, proditas esse (quæ tamen intercidisse videntur) paucis de eo hic dicendum.

Is patre Amoso (sive prophetâ illo, de quo diximus, sive altero) natus, multa in posterum eventura, prædixit, quæ ad Tribum Iudæ, sive Hierosolymam, pertinerent.

De CHRISTO Servatore, eiusque in orbem terræ adventu, & rebus mirificè gerendis.

De Gentium ad Dei cultum & cognitionem, vocatione: reliquisque Christianæ religionis mysterijs; tam dilucidè scripsit ut Euangeliographus potiùs, quàm Vates, videri & audire possit.

Multa quoque de alijs regnis, eorumque eventibus, prænuntiavit. CYRI regis, CC. & VRIÆ sacerdotis, C. antè annis, quàm nascerentur, commeminit.

Hebr. Illum regiâ stirpe ortum prędicant, (cui, non modò AMASIAS rex fuerit patruus; sed ipse Manassi etiam, à quo miserandum in modum serrâ dissectus est, socer) & subter Quercum Rogeli, haud procul urbe, sepultum.

Quæ autem ille à principio libri sui differit, ad eum locum. C. VII. quo Achazi regis meminit; Oziâ & Ioathane regibus, prædixisse, meritò censeatur: Quæ verò deinceps sequuntur; Achazo & Ezechiâ regnantibus. De quibus, suo quidque loco, & certis annorum intervallis.

HOSEES PROPHETA.

HOSEES quoque, Beeri F. (Epiph. è Tribu Issachande) qui sub Oziâ, & posteris filio, nepote, & pronepote, regibus Iudæorum: & sub Hieroboamo, Ioasi filio, Israelitarum rege, vaticinatum se esse prodidit: (Ita ut id munus, LXXXIV. plus minus, annis, gessisse colligatur; & quàm maximè diuturnam vitam degisse) hoc etiam loco commemorandus videtur.

Verba illa certè: *Principium loquendi Domino in Osée &c.* significare videntur, eum primum fuisse. Et quia meminit dierum Hieroboami, cuius regni finis concurrit cum initio Oziæ; etiam ante Esaiam prophetâsse.

Ipse, Dei iussu, Gomeram, mulierem omnibus vulgatam, matrimonio sibi coniunxit. Et tribus, quos ex eâ susceperat, liberis, præsaga rerum futurarum nomina imposuit. Primigenio, Iesraheliis: Filiæ, Immisericordis: Tertio, Non-populi mei.

Quibus quidem indicijs, cum regni Israelitarum, sive x. Tribuum; (qui Deos peregrinos, auctore Hieroboamo Nabathide, eiusque posteris, hactenùs coluissent) detestatio: & einsmodi excidium, ut nec misericordiâ Deus ergà eos commoveretur; nec suum duceret aut agnosceret populum:

Tum alterius mulieris (nisi eadem sit, quæ antè coniux) iam adulteræ; sed quam pristinâ caritate diligere à Deo iuberetur; symbolo, II. Tribuum, Iudæ & Beniamini, incolumitas; & Gentium vocatio; ritè portenderetur. ex quibus illos nihilo minus Nabuchodonosor cepit posteà & adflixit.

IOEL PROPHETA.

IOELI etiam, Bathuelis F. (quem Epiphan. tradit Bethoréum origine fuisse, ex Tribu Rubenide: & B. Hieron. alijque, ijsdem, quibus Hosees, regibus sua oracula edidisse, prodiderint) hic locus dabitur.

Prædicit autem duabus Tribubus, infestum Chaldæorum cum exercitu adventum: qui & vastitatem agris, & famem incolis, invecturi sint.

Deinde Iudæos ad sanitatem mentis, vitæque emendationem, cohortatur. quam Dei benignitas sit consecutura: & spiritalium, CHRISTO auspice, bonorum ubertas; & profusa S. Spiritûs in Apostolos, CHRISTIQVE adsectatores, gratia.

Tum terribilem Iudicij extremi diem, & in valle Iosaphati censuram: quæque ei adfinia sunt. Eorum scilicet, qui Sanctos iniquissimè sunt persecuti, supplicia; & piorum, cum immutabili vitæ æternitate, præmia, proponit. Ipse tandem in pace obijsse existimatus est.

ANNO, quo mortuus est, OZIAM leprâ demùm inquinatum fuisse, vult Mass.

Caietanus conijcit, plusculis antè mortem annis cum eo morbo cæpisse conflictari. ex quo tempore, Ioathan F. regias parteis gesserit. Vt annos scripturæ (scilicet, annum II. Phaceæ, Filij Romeliæ, quo IOATHAN regnare cæpisse: & XX. ipsius Ioathanis, quo OSEES, F. Elæ, regnâsse traditur) inter se concilier. Quùm tamen ille XVI. tantùm annis regnâsse scribatur: neque ipsi Phaceę proinde superstes fuisse videatur.

Priorem difficultatem, hoc ille pacto solvit. XVI. quidem annis illum regnâsse à patris sui, Oziæ, decessu; sed pluribus unà cum patre, iam morbido.

Alteram, sic. XX. illum annum esse eum, ex quo Oziæ, iam elephantiasi inquinato, filius in regni partem est subrogatus.

PHACEES autem, qui regem suum oppresserat; regnumque, quod XX. annis gessit, per vim occuparat; more priorum regum, impiúsne magis, dubium, an iniustus, tot scelerum vindicem mòx Dei manum persensit.

THEGLATHPHALASSAR, Assyriorum rex, armatâ manu Israëlitas adgressus, cepit AIONEM (urbem fort. Iudææ, ad Ortum, conterminam, & cum Simeonitis communem. quæ B. Hieronymo est, Bed. hennim)

At 2. Paral. 16. hæ urbes commemorantur ab eo captę - AHION, in Tribu Nephthalicâ: ABELBETH, sive Domus Abelis; MAACHA; IANOE, in Tribu Ephraitide: CEDES, (Ios. Cydida) urbs Galilææ, in montanis, Tribûs Nephthalitidis. ASOR, quæ & Hesron.

Potitus denique Galaadicâ & Transiordaniâ regione, Galilæâ & Nephthalide universâ, Colonos III. Tribuum, Rubenitidis, Gaditidis, & dimidię partis Manassęorum, ex avitis sedibus abstractos, in Assyriæ extrema transportavit.

Quæ prima Israëlitarum Transmigratio, eorum qui numquam patrię sunt restituti. Et Iudæi eâ occasione Galilæam vacuam inhabitare cæpisse iudicentur.

Genebrad. vult THEGLATPHALASSAREM, VII. Ioathanis anno, imperio paterno potitum: & anno demùm X. ea patrâsse, quæ, 4. Reg. 15. memorantur.

Circa hæc tempora Catana, in Siciliâ, ad radicès montis Ætnæ condita. Et V. circiter annis antè, Syracusæ; quas Archias Corinthius, Heraclides, construxit. Ex 4. opidulis Acradinâ. Neapoli, Epipolis & Tyche, conflatæ: Et Ortygiâ Insulâ adiectâ; in amplissimam urbem evasit.

Naxos Insula, uno anno antè, à Chalcidensibus Euboëæ, occupata & exculta est.

IOATHAN, IVDÆ; PHACEES Iſraëlis, REGES.

3223. IOATHAN verò (cuius pater Azarias) ob lepræ luem, aliquot, ut probabile eſt, annis, (Hebr. xxv. annos præſtituunt) privatim & extra urbem, vixerat: & mœrore tandem confectus, anno ætatis ſuæ xxviix. regni autem lii. obietat; ſuiſque in hortis, tumulo à regibus, ob morbum ſecretò, erat ſepultus.) 727.

Anno PHACEÆ, Romeliæ F. in Samariâ, II. abſolutâ poteſtate, regnum adijt; quod xvi. annis deinceps adminiſtravit. annos ipſe iam natus xxv. matre Ierusâ (Ioſ. Ietasâ) Sadoci filiâ.

Is piet te in Deum fuit eximiâ, & in patris veſtigia præter ſacrilegium) ſedulò inſtitit. hoc tamen nomine minùs rectus, quòd Excelſa, in quibus populus immolabat, & thura DEO adolebat; nec ſine aliquanto interdum ſacrilegij & offendiculi crimine; non ſuſtulerit.

In ædificijs perinde, ac patet, magnificus. In montanis Iudæ, opida: in ſaltibus, caſtella, turribus munita, & palatia, ad venationis oblectamenta, [illegible]uxit.

I[illegible] T[illegible]lo portam ſublimiſſimam, & quaſi aëre [illegible]ratam, (quùm reliquæ ſolo innitantur) quæ S[illegible]a dicta eſt, exædificavit. Et ruinoſos Tu[illegible] Ophelę, haud procul Templo, muros reſtitu[illegible]t.

Neque pietate ſolùm, ſed fortitudine etiam animi excelluit. Regem namque Ammonitarum, bello victum, tributa pendere coëgit. in præſentiâ quidem (Ioſep. annua) c. Talenta argenti [illegible]bimâ aut m deinde penſione, Decies mille tritici, totidemq ue hordei coros. *Et quoniam Deo utebatur propitio; ipſe & domi felix, & foris exſtitit formidandus.*

Riber. in Proph. Ab hoc rege, annos ab O. C. ad CHRISTVM, ſic quidem colligit:

Annus I. Ioathanis, fuit xxxiix. antè Captivitatem x. Tribuum, quæ anno Ezechiæ vi. accidit.

Ante Templi verò deſolationem; & extremam II. Tribuum aliarum ἅλωσιν, quæ facta eſt xi. anno Sedechiæ; fuit clxxi.

Ante D. N. CHRISTI natalem, dcclxxxii.

Nam illis clxxxi. annis, ad Captivitatem II. Tribuum, addimus lii. ab anno xi. Sedechiæ, uſque ad I. Cyri, Ac deinde dlix. qui à finitâ captivitate ad CHRISTVM computantur.

Teſtatur enim Euſeb. Cyrum, I. anno Olympiadis LV. Iudæos captivitate ſolviſſe. Et CHRISTI Dom. Natalem, III. anno Olymp. cxciv. adſignat. — Anni itaque ſunt dcclxxxvi.

Hactenus ille. in annis conſequentibus ſatis conveniens; in antegreſſis diſſentit.

(Anno III. Ioathanis (qui V. condita xxxviii. *& Olympiad.* xv. *an.* iv.) *mortuus putatur* ROMVLVS: *Ab eius morte, Interregnum anni unius.*

Deinde Numa Pompilius II. Roman. rex, annis xliii.

Eodem anno Peloponneſij & Athenienſes belligerantur. Archonte Athenis xii. *Æſchylo.)*

CYRENÆORVM, in Libyâ, REGNVM.

ANNO eiuſdem iix. regnum Cyrenæorum cœpit; quod ſub iix. regibus, durat ann. cc. uſque ad ann. O. C. Termilleſ. Quadringenteſ. Viceſim. Septimum.

CYRENE, condita eſt ab ARISTÆO, qui F. Cyrni, BATTVS, ſeu Blæſus dictus eſt.

Herod. l. 4. hunc Battum, non Grini, aut Cyrni; ſed Polymneſti Theræi Filium, ex Phronimâ Etearchi, regis Oaxi, in Cretâ, Filiâ, facit: quam ille, à patre abiectam, in concubinam adſciverat.

BATTVS iſte Cyrenæis xl. ann. imperavit.

ARCESILAVS F. xvi.

Dein BATTVS alter.

ARCESILAVS alter: quem ALIARCHVS frater ſtrangulavit. ipſe viciſſim ab uxore Arceſilai interfectus.

Arceſilao itaque ſucceſſit BATTVS Tertius, claudus.

Huic verò ARCESILAVS Tertius, F. ex Pheretimâ. Qui ſeditione ortâ eiectus in Samum profugit. Et ſtatu deinde recuperato, crudeliter egit in civeis. Atque iterum ad regem Barcæorum, (Hanc Barcen, fratres Arceſilai I. defectores, & exſules condiderant Alazerin, ubi adtinem, confugiens, à Barcæis & Cyrenæis, inter ſe in tyrannum coniuratis, obtruncatus eſt.

PHERETIMA, Batti Filia, poſt ultionem de Barcæis, per Perſas Ægyptioſque ſumtam, in Ægyptum reverſa, malè perijt. Vid. infr.

MICHÆAS PROPHETA.

Sub hoc rege Ioathano, MICHÆAS Morasthites (ex viculo Palæſtinæ, ad Orientem Eleutheropoleos) vaticinari exorſus eſt.

Eius prophetia ad Hieroſolymam & Samariam

propriè pertinet. Huic quidem maximam vastitatem, quæ ab Assyrijs paullo-pôst impendéret: Illi verò, urbium munitarum ab ijsdem expugnationem; & clades, vel ipsis opidi portis propinquas; ac tandem feralem in Babylone captivitatem, prænuntiat.

Et cum scelera, quę in Deum, & in proximos, concipiebant & admittebant, tam Israëlitæ, quàm Iudæis reprehendit: tum quid porrò agendum sit, ut Deo utantur propitio, exponit. *Vt iudicium faciant*: hoc est, quod suo quisque animi iudicio rectè statuerint; perficiant: *Benignitatem ament; & solicitè Dei preceptis obsequantur*. Multa quoque de serâ Euangelij promulgatione: de CHRISTI ortu in Beth-lehemo, & in cœlum Adscensione: & de ipsâ Gentium primùm, ac déinde Iudæorum, conversione, differit.

Superstite adhuc Ioathane, iam-tum Deus instigare cæperat Rasin, Syrorum; & Phacéen, Israëlitarum, reges, in bellum Iudæis faciendum. quod sub Achazo F. in apertum erupit.

ACHAZVS, IVDÆ. PHACEES, & OSEA, Israëlit. REGES.

3239. ACHAZVS itaque, dissimilimus, Filius, & planè indignus, optimo patri, qui anno ætat. XLI. & regni absoluti XVI. obierat: 711.

Anno PHACEÆ, Romeliæ F. XVII. Ipse annos iam-tum XX. natus, hereditario iure suffectus, totidem, quot pater, annis regnavit.

Hic in Deum, omnium, sceleratissimus, à receptis maiorum suorum institutis planè decessit: & impios Israëlitarum regum ritus amplexus est.

Fusileis statuas Baalo erexit: filium suum, ritu profanarum Gentium, quas Deus è Chananæâ ipsâ deleverat; igni lustravit. (Iosep. holocaustoma, ex Chananæorum superstitione, Dijs obtulit.) In Valle Ben-ennomiâ (quæ & Topheria, in Tribu Beniamitide) incensum adolevit. In Excelsis, sive Collibus frondosis, non sine suffitu, sacra publicè & impiè peregit.

Bellum itaque, quod societate, & coniunctis viribus, iampridem, RASIS, Syrorum & Damascenorum; & PHACEES, Israëlitarum, Reges, in Iudęos præceperant, diuque coxerant: in ACHAZI, ita furentis, caput erupit. Et licet illi, irrito conatu, regem Hierosolymis inclusum obsedissent; Syrus tamen Ælathen, ad mare-Rubrum, cepit; & pulsis, sive necatis civibus, novam eò Idumæorum (Ios. Syrorum, & Hebr. Aromim) coloniam deduxit. Et universam hostium regionem, cum exercitu, non sine clade, & impunè pervagatus, victoque regi insultans; ingentem prædæ vim, Damascum deportavit.

Quo digresso, (ut vult Ios.) ACHAZVS, parem se viribus Phacéæ & Israëlitarum ratus; copias educit; & infesto ob impia facinora Deo, prœlium committit. & uno die. CXX. mill. ex suis, licet belli gnaris, sed Dei contemtoribus, amisit.

Quo prœlio, & MAASIAS eius F. congressus cum Zechri, (Ios. Zachariâ) viro Ephraimite, primario hostilis exercitûs duce; cécidit. Et HESRICHAS, prætorianæ cohortis prefectus; & ELCANAS, ab ipso rege secundus; vel interfecti, vel vivi, in hostium potestatem venérunt.

Magnum pręterea captivorum, utroque sexu, numerum, è Beniaminiâ præsertim Tribu, (ad CC. mill.) abegérunt: & opimis spolijs ditati, in Samariam reversérunt.

Sed hic, ODENVS (al. Obed.) eâ tempestate propheta, ex urbe obviam victoribus egressus, factum illud minimè Deo gratum fore exponit. Victoriam, non ipsorum virtute partam; sed Iudæos, à Deo, ob scelera irato, in manus ipsorum traditos: in quos ipsi summâ atrocitate, quę vel in cœlum pertigerit; essent grassati.

Oportuisse ipsos, præsenti victoriæ felicitate contentos, nullo præterea in Deum crimine, sese obstringere. Et quos homines, sibi consanguineos, ex Tribubus, Iudæâ & Beniaminiâ, omnibus fortunis exutos, in indignam servitutem, contra ius ac fas, abduxissent; domum incolumeis remittere. Ne gravior Dei furor in ipsos, satis per se nocenteis, exardescat, & pœnas repetat.

Quibus prophetæ minis perterrefacti, Quattuor inter cæteros, Ephraimitarum principes, victoribus è prœlio, cum prædâ reversis, sese obiecérunt: & passuros negárunt, ut captivi in urbem introducantur; ac proinde gravi omnes pariter piaculo obstringantur. Satis esse publica, & privata singulorum crimina, quibus ultricem Dei iram commeriti essent; ut ne novâ impietate cumulentur.

Nec mora. feroces militum animi inflectuntur: prædamque omnem palàm, cum captivis, uti rem sacram, restituunt; & principum illorum arbitrio permittunt. Qui humanissimè non modò captivos vinculis solvérunt; sed & eos, qui nudi erant, è spolijs vestitos; qui ieiuni, cibo potuque curatos; qui fessi, oleo delibutos; qui ægri aut imbecilles, in iumenta impositos; ad Hierichuntem usque, in pacata deduxérunt.

Quùm verò duo illi reges, prædæ tam opimæ & novę cupiditate inflammati, iterum in Iudęos expeditionem parare ferrentur: & belli metus vehemens ACHAZO incolisque incesseret; ESAIAS à Deo iussus, ad illum accessit. *Et ne timeret à regibus: quorum vanus furor, & vanior de novo rege, F. Tabelis, Iudæis præficiendo, conatus; in fu-*

tus, in fumum mòx esset abiturus; cohortatus est. Eique præcepit, ut certum eius eventûs *prodigium à Deo peteret, sive in cælo, sive apud inferos.*

Cumque ille, *petiturum se, aut Deum tentaturum negaret*; non quod submissè se gereret; sed quod scelerum furijs agitatus, & Deorum peregrinorum ipse cultor, Deo non fideret: & id tamen n[e]quiter simularet) Vates illum, eosque qui ipsi parebant, acriter obiurgans, propterea quod non hominibus tantùm; sed Deo etiam molesti essent, ægréque facerent; signum eiusmodi à Deo editum iri prædixit.

Virginem fore, quæ conciperet, & partu ederet filium; qui Emmanuel, (hoc est, nobiscum Deus) *vocaretur.* cuius præsenti olim numine populus ab universis hostibus liberaretur.

Multaque alia, & Iudæis, & Gentibus inimicis, eventura præsignificavit.

Cæterum rex, qui Vatis promissis fidem minimè adiungeret; legatos ad Theglath-phalassarem, Assyriorum, (& ex 4. Reg. 17. Medorum etiam) regem, dimisit. cui se serviliter submitterent, & supplicarent: Vti sibi adversus Syrum, & Israëlitam, reges, in perniciem sui coniuratos, subsidio veniret.

Intereà & Idumæi cædibus ac populatione Iudæam evastârunt: & Philisthæi urbeis ad Austrum, & in planis sitas, cepêrunt, novisque colonijs complevêrunt. Nemine resistere auso, quòd rex ACHAZVS, Dei contemtor, omni auxilio esset nudatus.

Ille itaque ingentibus muneribus, & magnâ vi auri, quod ex Templo, Regià, & principum palatijs, spoliando corraserat; Assyrium, ut suum ipsi præsidium polliceatur, sollicitat.

Qui tandem supplicis, regis, voluntati acquiescere visus, in Syriam cum exercitu descendit, & Damascum expugnavit; rege RASI capto & mox interfecto. Et civibus in extima Mediæ, sive regionis Cir, aut Cirenes, traductis; novam ex fidâ Assyriorum gente, coloniam illic constituit.

Post Syros autem hunc in modum tractatos, ACHAZVS, cum pulcerrimis Templi regiæque donarijs, ad Assyrium gratulabundus, in Damascum, perrexit.

A quo nihilo minus, qui regia munera suisque deque haberet: non modò nihil subsidij, ad ea, quæ amiserat, recuperanda, reportavit; sed gravibus etiam belli cladibus est adflictatus.

Et quam idem Assyrius Israëlitis vastitatem, abductis in Mediam cultoribus, suprà invexisse dictus est; hoc demum tempore accidisse quidam putârunt: & tum ab eodem Vitulum illum Hieroboami aureum simul è Dâne sublatum.

Tanta autem dementia ACHAZVM ceperat, ut quantumvis internecina cum Syris odia ac dissidia ipsi hactenus intercessissent; illorum tamen Deos (quorũ templa & aras, & cerimonias Damasci curiosè fuerat contemplatus; & exemplaria Hierosolymam, quæ imitarentur, ad Sacerdotem Vriam, (qui ad Apostatæ regis voluntatem se facilè inflecteret) transmiserat; colere obstinatè contenderet. & in eorum cultu, uti quoddam victoriæ præiudicium inde sibi pollicens, pietatis summam collocaret.

Atque adeò, post cladem acceptam, ipsorum etiam Assyriorum vulgaria Numina (ut regi victori tem gratam faceret) venerari iam cœperat. Vt quidvis potiùs adoraturus videretur; quàm verum, & à maioribus traditum, & tot signis meritisque spectatum, DEVM. cuius indignatione, ut tot malis implicaretur; totiesque ab hostibus vinceretur, factum esse, vel nolens meminisset.

Eò denique in religionis contemtu, processit; ut spoliatum priùs cimelijs suis, Templum clauderet; ne solemnibus sacrificijs honor & locus esset. & profanas Hierosolymę, alijsque opidis, aras, per compita excitaret.

Atque ita, quùm priùs IOASVS permisisset quidem populo cultum externorum Deorum; neque ipse tamen esset secutus: tum ACHAZVS, primus ex regibus Iudæ, religionem pristinam palam eieravit: & Templo clauso, in Synagogas novam & inauditam hæresim, & peregrinum Deorum cultum, invexit.

Quod quidem ausum, ex ijs, qui consecuti sunt, regibus, EZECHIAS & IOSIAS, penitùs repudiârunt.

Aliqui ex antegressis regibus, IORAMVS, OCHOSIAS, ATHALIA, (mali huius origo) fuerant quidem Deorum cultores; at verum Dei cultum, neque sustulére, neque sunt insectati.

3243. | Anno IV. Achazi, OSEES, Helę F. interfecto per insidias PHACEE, regnum Samariæ usurpare adnixus est. Hunc annum Scriptura (lib. 4. Reg. c. 15.) dicit XX. Ioathanis, ab inchoato eius scilicet regno. | 707.

Mass. Qui annus, fuit patri eius adhuc viventi, Oziæ, XX.

Hebr. sic; Id iam à sæculo Ioathanis fuerat decretum.

Vel Scriptura attribuit hos annos regi mortuo, Ioathani; & non Achazo viventi, ob eius impietatem.

Caietan. verò, duo initia ponit regni Oséæ: unum, quo, viuente, (vel recèns exstincto) Phacée, regnum arripuit. (de quo c. 15.) Alterum; quo solus regnare cæpit: (de quo c. 17.)

Itaque Interregnum fuerit, IIX. vel IX. annor. Vel regnum eius, IX. prioribus annis fuerit tyrannicum.

Et certè, THEGLATHPHAL, & SALMANASSARES, Assyrij reges, homini perfido, per novennium, plus minus, securam regni possessionem non permisérunt.

3252. Sed XII. demum Achazi anno, (Mall. XIV. qui fuit XII. à morte Ioathami mortuo iam Teglathphalassare; pacificè, aut saltim legitimè regnat annis IX. 698.

Circa idem tempus, sub Theopompo rege, constitutus est, Lacedæmone, Ephororum magistratus. Vide Seriem Regum Lacon.

Item, Decennale magistratus imperium Athenis inchoat Charops Archon, circa solstitium. Vell. (Vid. Seriem Archontôn)

Paullo-antè, VII. anno Achazi, SALMANASSAR, III. Babyloniæ & Assyriæ rex, an. XVII. (al. IX.) Hunc putant esse Ptolemæi Nabonassarum.

OSEES ille in Deum impius fuisse traditur. neque tamen decessoribus suis par iniquitate.

Heb. Chron. tradit eum, (sublatis iam Vitulis, quorum alterum, Bethelis, Assyrius nuper asportárat) præsidia etiam sustulisse; quæ Hieroboamus, Nabathi F. in suæ terræ limitibus pridem collocárat: nequis ad Hierosolymam, & annua ibidem sacra adscenderet. quod consecuti reges illrenuè (?) câtenus imitari videntur. Huius tamen nulla commemorantur bene facta, sed clades tantùm ipsi & regno extremæ.

In eum namque, iàm regno quasi pacato potitum; sed Deo ob scelera invisum & paterno, uti probabile est, odio concitatus, SALMAN-ASSAR, Assyrius, exercitum duxit: & longè viribus impa-rem sub iugum misit; & stata quotannis tributa péndere coëgit.

EZECHIAS, IVDÆ:
OSEES Israëlis; REGES.

3255. ACHAZO iam mortuo (anno ætat. XXXV. & regni XVI.) quem in monte Sionis, loco à regijs sepulcris secreto, contumulárant: 695.

Suffectus est EZECHIAS F. XXV. annos natus, (hinc patet eum genitum patre undecenni) matre Abiâ; muliere Hierosolymitanâ, Zachariæ Filiâ: regnumque XXIX. annis moderatus. Is autem erat Oseæ, in Samaritis regnanti, III. annus. (Ios. XV. iniens scilicet, aut inchoatus.)

Multum ille paterni dissimilis ingenij, & singulari in Deum pietate, Davidis, progenitoris, vestigia & exempla sedulò persecutus, mandatis Dei à Moyse traditis, ita obtemperavit; ut non modò, qui consecuti sunt, sed etiam superioris sæculi reges, longo pòst se intervallo; isthoc pietatis, & solidæ in Deum fiduciæ nomine, reliquerit.

Anno & mense I. ab inito principatu, quùm nihil prius aut antiquius duceret, quàm divini cultûs & religionis curam; apertis Templi valvis, ijsque instauratis, Sacerdotes & Levitas; quos in Atrium Magnum (id, ad Ortum Solis, Templo erat obversum) convenire iusserat; istiusmodi oratione, ad retinendam priscæ religionis constantiam, cohortatus est. „*Hactenus, & graviter quidem, à patribus nostris peccatum, o Levitæ, qui* DEO *maiorum deserto, inexpiabili se impij & ingrati animi crimine obstringere non sint veriti.*

Et ex legibus à Moyse præscriptis; inter adorandum, coram Tabernaculo, ad occasum vultus obvertere iussi, ipsi repudiato prisca religionis ritu, ad Ortum spectare, & terga obvertere, maluerint. Atque adeò, obstructis porticuum foribus, & lucernis extinctis, cum thura adolere; tum holocausta aris imponere neglexerint.

Vnde quàm gravis Dei, adversus nos, Iudæos, *furor exarserit: In quas calamitates, & in quàm acerba vicinarum gentium ludibria, nos coniecerit; ipsi* coram oculis *intuemini, & indoletis.*

Grandiores natu ferro obtruncati: liberi nostri, & Coniuges, in miserabilem servitutem longè abstracti; meritas tam inveteratæ impietatis, & sacrilegij pœnas, nos luere, vociferantur.

Vt ne eadem igitur in posterum patiamur: utque eius, a quo tam frequenter, & frustrà, castigati sumus; misericordiam conciliemus; constitutum mihi est pro tempore; *Cum Domino, Deo Israëlis, fedus inire: eiusque à nobis indignationem amoliri.*

Vos, qui forte divinâ delecti estis, ut singulari præ cæteris cultu & ministerio eumdem veneremini, & placétis: sedulò curate, ut corporibus animisque ritè expiati, Domum etiam Dei nostri, tot sordibus profanatam, lustretis; & in pristinum sacra reverentia decórem restituatis.

His verbis excitati Levitæ, & in classes suas distributi, cum se ipsi expiárunt; tum, uti rex præceperat, Templo expurgando gnaviter accinxérunt.

Sacerdotes verò, quibus solis fas est in Templum, Domum Domini, ingredi, idemque sanctum efficere: illò introgressi, quidquid immundum, & sacrilegij sordibus adfine, intus repererant, in Vestibulum, sive Atrium, (quod Altari holocautomatum, & Templo, intermedium erat) exportantes; Levitis ulteriùs, in Torrentem Cedronis, proijcienda tradidérunt.

Quod quùm paucorum (VIII. fortè) dierum opera alacriter peregissent: toudemque diebus, porticus & interiora Templi purgássent. Regique significássent, non modò Templum pristinæ castitati

tare restitutum; sed Altaria etiam,& Vasa,omnemque sacram supellectilem, (quæ ACHAZVS, peregrinæ superstitionis ritibus mutârat anteà, & polluerat legitimis ceremonijs esse procurata;

EZECHIAS, summo mane consurgens, & cum principibus ciuitatis in Templum ingressus, septenis taurorum & arietum, agnorum & hircorum, victimis, ceu totius populi, & publicæ noxæ piacularibus; ritè per sacerdotes, (manibus suis tantum in pecorum capita.de more, impositis) litandum curavit.

Levitis, inter hæc, organa musica, (quæ rex olim DAVIDES, suggerentibus tum permulta divinitùs, GADO & NATHANE prophetis, ordinarat; & vocibus, nervis, atque tibijs temperârat, quibus illi inter sacra uterentur) relicto Sacerdotibus tubarum & buccinarum, ad clangendum, usu, eu post-[illegible] attribuit.

Et postquàm, iussu regis, holocausta Altari imposita, cremari iam cæpissent: & tota concio ad adorandum se composuisset; Illi tubarum clangore, & modulato organorum cantu, DEI laudes concelebrare, ad sacrificij usque exitum, perseverabant.

Rex verò, cum suis, perfectâ post sacrificium, genibus flexis, adoratione; eosdem Levitas, psalmis, quos vel idem Davides, totius religiosæ musicæ auctor & moderator, contexuerat; vel quorum argumenta ASAPHVS regi, certis modulis distinguenda, submittebat) laudes Deo iussit, alternis, canere & pertexere.

Quod ubi magnâ cum animorum voluptate, & pietate fecissent: & Deum (Caiet. regem) submissis cervicibus essent venerati; Rex iterum eos, quòd operas suas in peragendo Dei cultu gnaviter pieque locassent, collaudavit. Et quas ipsa multitudo, sponte suâ, & pra religioso animi adfectu, hostias laudis) in templum immolandas,& penitùs concremandas, adduxerat, offerre iussit. Quæ fuere; Tauri LXX. & arietes C. & agni CC.

Cæterùm, Deo præterea consecrârunt, quæ à flammis immunia, intestam publici epuli celebritatem cederent, (Ios.) ad boves DC. & III. minoris p[illegible]is mill.

Qu[illegible] que præ paucitate, sacerdotes tergoribus victimarum detrahendis, quod proprium ipsorum munus; pares non essent: Levitarum, uti fratrum, opera [illegible] sunt, dum maior illius ordinis numerus paullatim accresceret.

Q[illegible] quòd facilior sit in Levitis, quàm in Sacerdotibus consecrandis, ritus. (Caietan. vult rectores Levitarum fuisse tum voluntates, quàm sacerdotum. Apud Iudæos namque in ordinandis, siveinitiandis Sacerdotibus, ætas XXX. annor. definita erat. postcà XX. annorum numerus à Davide præscriptus: quòm animadverteret filios Levi, tam Sacerdotes, quàm Levitas, propter multitudinem sacrificiorum in dies augescentium, non posse functionibus Templi superesse. (I. Paral. 23.)

Rex itaque EZECHIAS, & unà cum populo solenniter epulatus, & ingenti gaudio perfusus est: postquàm ritè omnia à Sacerdotibus, in tam subitario tanti negotij, rerumque necessariarum, adparatu. perfecta esse cerneret.

Idem tunc (ut videtur) Excelsa, sive veri Dei sacris, sive prophanis Dæmonum superstitionibus peculiaria, dissipavit: & statuas lucosque externorum Numinum comminuit ac succidit.

Atque adeò illum ex ære Serpentem, quem Moyses in solitudine olim fabricârat; & ceu signum SALVTIS erexerat: quem que Israëlitæ multis iam sæculis, ut beneficum simulacrum, thure, aliisque ceremonijs, fuerant venerati; penitùs contrivit. Eumque ipse NOHESTAN (al. Nechustan) appellavit, quasi Aenulum. ut intelligerent, exiguo & vili metallo, æn sive aëno, divinitatis experti, tantum honorem ab ipsis temerè hactenus fuisse tributum.

Suidas tradit, Librum etiam, quem Salomon, de omnium morborum curatione, conscripserat, & valvis Templi insculpserat; ab eodem rege erasum. ut populus à Deo potiùs, quàm eius Libri ope, sanitatem sibi exposceret.

Posteà rex, (An. regni VI. id factum vult Caietan. nec longè dissentit Sulpit. quùm Israëlitæ, reliqui, ex ijs, quos SALMANASSAR in servitutem abduxerat; quique inde profugerant; in patriam reduces, rege carerent) inito cum principibus & civibus Hierosolymitanis consilio, decrevit; PHASE, sive PASCHA (Azymorum festum, Ios.) quod tam pridem regum priorum, partim impietate, partim incuria, fuerat intermissum; altero anni mense (primus namque, quod opportunum erat tempus, & lege constitutum. ijs rebus, quas diximus, procurandis; & Sacerdotibus nondum idoneo numero consecratis; & infrequentiore populi concursu, effluxerat) promulgandum esse,& celebrandum.

Lauretus in suo Hazoar; Ezechias, inquit, rex Iudæ, Annum restituisse fertur: & leges interposuisse de tertio quoque anno intercalando, mense Nisan; & duplicando ut ille esset mensium XIII. & menses lunares, ad cursum solis, accommodandæ, pro celebratione Phase.

Quâ fini, quùm ad Ephraimitas & Manassæos specialiter,(quòd uti à Iosepho orti, cæteris mitiores; ita ob viciniam limitaneam, & aliquot civitatum inter se communionem, minùs à Iudæis esse alieni, putarentur) litteras perscripsit.

Tum nuncios certos, per ceteram Israëlitarum ditionem, à Bersabeâ usque ad Dánem; sive ab Austro ad Septemtriones usque, cum epistolis dimisit. qui eos cohortarentur:

Vt desertâ nuperà maiorum suorum superstitione, ad pristinum & avitum veri Dei cultum sese converterent: neque ulteriore animorum obstinatione, Deum in se irritare pergerent.

Sed ad Templum, quod ibi ipse, in omnem ætatem, *Hierosolymis consecrârat; accederent: & Pascha, cum reliquis Tribubus, quà decet castitate, concelebrarent.* Fore, ut si huic Regis consilio paruerint: & propitio Deo utantur; & qui ex ipsis in servitutem peregrinam iam-nunc abrepti sunt, à clementioribus heris, liberi, suas quisque in sedeis, remittantur.

Legati. qui hæc renuntiare iussi, partim ab Ephraidis plerisque, & Manassitis Zabulonijsque, ludibrio sunt habiti: partim complureis ex Aseritis,&

tis, & iisdem, quas dixi, gentibus, induxerunt; ut & dicto regis audientes essent: & Hierosolymam, sacrorum precumque caussa, convenirent.

Sed singulari Dei munere factum est, ut non modò unanimi animorum cõsensione; verùm certatim etiam Iudæi, & sine morâ, in regio consilio decretoque acquiescerent; & id, ceu Dei ipsius præceptum, amplecterentur.

Coetu itaque pòpuli, in Hierosolymis, ad Azymorum ferias, II. mense celebrandas, coacto; eversa priùs sunt altaria, in quibus vanissimis anteà Dæmonibus adolebatur: Et sordes in Torrentem Cedronis proiectę. Et XIV. mensis secundi die, PHASE, concordibus omnium animis, immolatum.

Ipsi quoque Levitæ & Sacerdotes, ex tantâ populi in divinum cultum propensione, ceu quodam pudore adfecti, tandem se quoque certo sanctimoniæ ritu, ad holocausta in Templo offerenda; & ad suum, ex lege Moysis, munus ritè obeundum, præmuniérunt.

Et quòd permagna populi pars minùs sancta aut munda esset, quàm ut victimas stato tempore offerre; aut agnos etiam, Paschæ peculiareis, iugulare præsiderent: & Levitæ, uti mundiores, eorum vicem fungerentur; Sacerdotes victimas, quarum sanguinem effundi oportebat, de manibus Levitarum suscepérunt.

Tum, quia plerique ex Ephraidis & Manasséis; Issacharitis, & Zabulonijs, minùs, ex legis præscripto, expiati, PHASE nihilo minus comedissent; suâ apud Deum deprecatione, pro ijs rex EZECHIAS intercessit. & cõfidere testatus est; *Summum Deum pro suâ bonitate, propitium fore omnibus ijs, qui recto mentis instituto Iudicem & rectorem patrum suorum, ipsum totius naturæ fontem, requirerent.* Et ab eodem, illam simplicis animi integritatem, cui via munditiei, quam legitima sanctitas desideraret, longè antelatum iri.

Et has certè regis preces Deus placatior exaudísse; & quodam publicæ sanitatis indicio comprobásse, visus est.

Septem itaque dies, festivâ Azymorum celebritate, & victimarum pacificarum immolatione; quotidianisque Dei laudibus, non sine musico organorum, quæ Levitæ tractabant, concentu; peracti sunt.

Rex prætereà accuratâ oratione, ex Levitis, rerum divinarum peritissimos, exhortatus erat; ut in curam populi rectè instituendi incumberent.

Quo factum est, ut multitudo non contenta solenni VII. dierum panegyri, quam Azymis, & Esu Agni; sacrificijs & divinis laudationibus, transegerant: quò accuratiùs in Dei cultu, & lege sacrâ erudirentur; aliorum prætereà VII. dierum, quasi succidaneam, celebritatem, lubentes admitterent; & ingenti cum gaudio vota perficerent.

Rex namque syssitia præbuerat; mille Tauros, & oveis septies mille. Eiusque liberalitatem æmulati principes familiarum, totidem boves, & ovium myriadem, populo sunt elargiti.

Ad quas victimas ritè procurandas, necessum fuit, ut quamplurimi sacerdotes sanctè sese expiarent.

Et dies hi festi, incredibili hilaritate, tam Sacerdotes & Levitas; quàm cæteram hominum, é Iudæâ & Israële, frequentiam, unà cum Proselytis utriusque nationis, perfuderunt.

Nec pari magnificentiâ & celebritate, in eum usque diem, à temporibus Salomonis, festum Paschæ umquam frequentatum fuisse memorant.

Neque id iniuriâ. quòd ab eius, quem dixi, regis excessu, & consecuto mòx per Hieroboamum regni dissidio; omnem hactenùs eiusmodi anniversarij ad Hierosolymam conventus facultatem, reges Israëlitæ, subiectis suis, præcidissent.

Ad extremum, Sacerdotes, è Leviticâ Tribu, bene precati sunt populo. Eorumque preces benigne acceptas, ab eo, qui in coelis habitat; neque irritas fuisse; horna frugum ubertas satis superque prodidit.

His omnibus ritè perfectis, Israëlitæ, qui in urbibus Iudæ reperti fuerant; egressi, omnia, quà transeundum erat, lustrárunt: & simulacra, lucos, Excelsa, altaria Deorum, non modò ex Iudæâ & Beniamitide; sed ex Ephraidarum etiam & Manassitarum finibus, penitùs exterminárunt. Atque ita domos quisque suas sunt reversi.

EZECHIAS verò, Sacerdotes & Levitas, turmis & classibus suis distributos, suo quemque munere in holocaustis & pacificis; in laudationibus & cantibus, intra Septa Templi, persungi iussit.

Et ipse sibi sumsit, suoque sumtu peragendum curavit, perenne & quotidianum, sub Ortum & Occasum solis, Holocaustum.

Prętereà, Sabbatis & Kalendis, & Solennibus lege præscripteis, stata sacrificia.

Deinde, exemplo suo, Hierosolymitanos, ad primitias, & subsidia ijsdem sacerdotibus ac Levitis, quo minus à divino cultu avocarentur, prębenda, incitavit.

Et hoc idem, secundo rumore, ab alijs vicinis acceptum, effecit; ut non modò Israëlitę copiosas, frumenti & vini, olei & mellis, præmetias; sed omnium etiam, quæ humo seruntur & gignuntur, decumas adferrent.

Neque his contenti Iudęi & Israëlitæ, qui promiscuas, in Iudææ regionis opidis, sedes habebant; boum etiam & ovium decimas; rerumque adeò votivarum, decumam, (quam Levitæ à populo, voti damnáto, acceptam, sacerdotibus adpendebant) ultrò sunt elargiti.

Quæ ita per IV. menseis comportata, & à Sacerdotibus ex parte absumta, in magnos adeò nihilo minus excrevére acervos; ut Rex, cum principibus, & Deum, tam benignæ messis auctorem, feliciter compellarent; & populum tam profusę liberalitatis mirarentur.

Atque præsentis copię diuturnior usus esset in posterum; horrea, & cellas penarias, in Templo parari; eoque votiva ista primitiarum & decumarum munera, inferri iussit.

Certosque homines, fide spectatâ præstanteis, ei negotio præfecit: qui singulis Templi Deique ministris, pro ætate & ordine, demensa, cibosque præberent.

Neque præteriti sunt ex Aaronitis, qui in agris, aut suburbijs opidorum agitabant; quin pari liberalitate

beralitate sustentarentur.

Atque hunc in modum Sacri ministerij cultus, à rege recto & sapiente, est restitutus. Qui Deo vi-ctrici, propitio usus, res etiam civileis prudentissi-mè administravit.

Et cum Assyriæ servitutis iugum, quod pater in se suosque admiserat, rejecit; tum Philisthæos, in-festos usque hosteis, omnium urbium, à Gittâ (Ios.) ad Gazam usque, expugnatione; Turriũ custodiæ, & munimentorum, exscidio; & agrorum vastita-te, multavit, ac redhostivit.

3258 | Anno regni IV. (qui VII. Oseæ in Israelitis) | 692.

SALMAN-ASSAR, compertis occultæ rebel-lionis consilijs; quòd OSEES missis legatis SUUM, Ægyptiorum (Seven, Æthiopum) regem, (Hic alijs Sua, vel So. Diodor. Sesotis. Alijs Sabachos Æthiops, qui pulso Asyche, ann. L. regnavit) ad novi foederis societatem secum ineundam, & ad o-pem sibi ferendam, iterùm solicitâsset: & annua sibi tributa pendere detrectaret, cum exercitu in omnem eius regionem pervagatus; regem fugien-tem triennali obsidione Samariæ circumsédit.

(Ex c. I. Hoseæ colligunt quidam, collatis si-gnis antè dimicatum fuisse ab Israelitis, extra ur-bem, in Valle Iesraheliâ.)

Circa hoc tempus, XXV. Ægyptiorum Dyna-stia, per ann. XLIV.

3260. | Anno VI. Ezechiæ; & IX. Oseæ. | 690.

SALMAN-ASSAR, Samariâ per vim expu-gnata, regem captum perpetuis vinculis in carce-rem coniecit.

Et quo populi Israelitici contumaciam, exstin-ctoque nomini imperio, & longinquo exsilio, compe-sceret, reliquias victæ gentis, è X. Tribubus, se-des cogit mutare, & in Assyriam, ad loca flumini Gozan conterminas; & in extimas Medorum ci-vitates, commigrare. (4. Lib. 17. in Asareth. Io-seph. in Mediam & Persidem)

Hæ X. Tribus trans Euphratem abductæ, num-quam in patriam rediérunt. (Ios. p.) Probabile est tamen permultos ex ijs, sub regibus Persarum, una cum Iudæis, iam liberis, postmodò reversos esse. Alij aiunt eos in gentes Scythicas, vel Tarta-ros degenerasse.

De clausis ultra Caspios monteis Iudæis, fabula censetur.

Dei autem admirabili factum est providentiâ, ut Israelitæ in genteis dispersus, testis esset universo terrarum orbi adventuri aliquando MESSIÆ; quem tot vates indigenæ præsignificâssent. Et magnum Evangelij promulgationi in posterum robur & ad-iumentum accederet, ex sacris Veteris instrumenti codicibus, quos ipsi, licet Christianæ Fidei adver-sarij, pro sacrosanctis & Canonicis, peregrè etiam, habere non vererentur.

Hoc inveteratæ impietatis premium tulit, gens illa, in Deum tam beneficum, & in pœnas lentum, ingrata & contumax. quos neque continentia divi-ni numinis beneficia; neque tot sanctorum Vatum monita & præsagia, ab erroribus, & vano Dæmo-num cultu (quæ omnia, post factum regni Hebræi discidium, Hieroboamus auctor invexerat; & re-liqui reges imitati fuerant) *revocare umquam po-tuerint. dum & à Dei conspectu, & à patria am-plexu, penitùs exterminarentur.*

Contigisse id tradunt annis DCCCCXLVII. post quàm Maiores eorum, ex Ægypto egressi, loca illa in ditionem suam, Deo iuvante, redegissent.

Annis à principatu IOSVÆ, MOYSI succidanei, DCCC.

A defectione verò à ROBOAMO, Davidis Nepó-te, CDXL. annis, mensibus VII. & totidem diebus, (Ioseph.)

Matiæ. Israelitæ, inquit, è terrâ suâ eiecti, anno XXV. ab illâ Amosi (fort. Ezechiæ) Vatis, c. 7. com-minatione, *Israel captivus migrabit de terrâ suâ.*

Assyrius interim victor, cum armis, Syriam & Phoenicen peragravit. Et regem Tyriorum ELV-LÆVM, vario Martis eventu exagitavit.

Ægyptij res gestas SALMAN-ASSARIS, suo Sôo attribuêrunt; Imperium multò ampliùs, quàm Alexandri. Totam, Gange traiecto, Indiam do-muisse; ad Eôum usque Oceanum. Scythas, ad Tanaim, qui Scythiam ab Europâ disterminat, subiugâsse. Relictos ibi Ægyptios, circa Mæotim, Colchorum gentem constituisse; qui & suo more circumcidi didicerint quemadmodum Iudæi, sci-licet ab se orti, eum ritum acceperant. Quùm contrà ipsi ab Ismahele Abrahæ F. id accepissent.

Vide supr. Roboami regnum, eiusque hostem Sesacum, cui paria tribuuntur.

TOBIAS VTERQVE.

Hoc bello TOBIAS, Tribu & civitate Nephtha-litâ unà cum alijs, in eam, quam dixi captivitatem traductus, & inter suos piè, & inter barbaros civi-liter vixit.

Ex Annâ Tribule, filium cognominem sustulit. qui Saram posteà Raguele & Annâ alterâ, optimis parentibus, & sibi propinquis, natam, (quam VII. ordine Sponsi, ab Asmodeo Dæmone, ob intem-perantiam, interfecti, attingere, & frui non potue-rant) peropportuno RAPHAELIS Angeli beneficio (quem itineris; ad Ragen, Mediæ urbem, instituti, ducem, obvium delegerat. unde à Gabelo, pro-pinquo

pinquo paterno, argentum, mutuò olim datum, repoſceret) caſtiſſimo coniugio ſibi coniunxit.

Et redux, patrem, nidificantis forte hirundinis fimo obcæcatum, morbo & paupertate liberavit.

Quorum hic, plu[illegible]ennio, centenarius, ſub Manaſſe; ille, triennio minor, ſub Ioſiâ, (quando rex Medorum, Cyaxares, Niniven evaſtavit) è vivis exceſſére.

Vtervis, ſenior, an iunior, librum [illegible], Angelo ita monente, ſcripſiſſe putatur. Extrema ab alio addita.

3262. | Anno Ezechiæ XIX. SENNACHERIBVS IV. Aſſyrior. & Babyloniórum etiam (ut quibuſdam placet) rex, regnatque annis VII. | 688.

Hunc Euſeb. perperàm confundit cum Salmanaſſare. quùm (Tobiæ 1. c.) apertè pater & filius diſtinguantur: & filius peſſime Hebræos, captivos, odiſſe & tractâſſe prodatur. Quam furoris regij procellam, Tobiæ ſenioris benignitas, fecerit leviorem. quippe qui mortuos & âbiectos, ſepulturâ; vivos, & oppreſſos omni ope iuverit.

Paullo-pòſt Artecarmus, Medorum rex, regn. XXXII. ann.

NAHVMVS PROPHETA.
ET SAMARITARVM ORIGO.

Circa idem tempus, (poſt VI. Ezechiæ annum; quo captæ & peregrè traductæ ſunt X. Tribus. & ante XIV. annum, quo urbes Iudæ obſideri cæptæ à Sennacheribo) NAHVMVS, patriâ Elceſæus, (viculo Galilææ) vaticinari cæpit.

Quùm enim Ninivitæ ad concionem Ionæ reſipuiſſent; urbemque ſuam pijs ad Deum precibus, & vitæ in melius commutatione, ab exitio eripuiſſent: more humani ingenij, iterum novis flagitijs Dei iram in ſe concitârunt, donec à Chaldæis funditùs vaſtarentur.

Quam vaſtitatem Vates hic non obſcurè præſignificat. anno (ut volunt Hebr. in Chronolog.) ab Ionæ vaticinijs, XL.

Nec exigui certè ſolatij vicem cenſeantur hæc prædicta. cum ijs, qui ex X. Tribubus iam fuerant ab Aſſyrijs in ſervitutem abducti; tum cæteris, qui ex II. alijs Tribubus, ſub Ezechiâ rege, ab ijſdem hoſtibus, graviter, & paullo-pòſt, eſſent adfligendi.

Vbi Aſſyrios viciſſim, everſâ Ninive, à Chaldæo rege ſub iugum mittendos, & blaſphemum, acceptâque clade infamem, SENNACHERIBVM, in Templo Dei ſui, paricidiali filiorum manu, brevi occaſurum eſſe intelligerent.

SAMARIA captâ, coloniæ ex captivis in Aſſyriam, Colchidem, Iberiam, & Mediam, deductæ ſunt. Et eodem ſimul impetu, multi ex Moabitide, Palæſtinâ, Ægypto, & Æthiopiâ conterminâ, abrepti. prout triennio antè Eſai. prædixerat, c. 16. & 20.

Quùm autem in vacua Iſraëlitarum, quos Salman-aſſar abduxerat, loca, novas è Babylone, è Cuthâ (interiore Perſidis regione, à fluvio cognomine) ex Auah (al. Abaioth) ex Emath, (qui eſt terminus Chaldæorum à Sidone. alijs, Ituræâ) ex Sepharvain. ceu quinque Gentium, colonias, deduxiſſet. Et hi, quòd Dei Hebræorum colendi, & indigenitalium cerimoniarum ignari, aut contemtores eſſent; (Ioſ. Idque oraculo commonerentur) immiſſis divinitùs leonibus (Ioſ. populante peſtilentiâ) evaſtarentur:

Rex Aſſyrius eâ de re certior, unum ex captivis ſacerdotibus illuc remiſit; qui rituum patriorum, & cultûs divini rationem novos colonos edoceret.

A quo nihilo minus gentes illæ, in Bethelis, ritè inſtitutæ; quòd ſingulis terris peculiareis præſidére Deos, ex inveterato errore, perſuaſum haberent; præter verum, & ſpectatum Hebræorum Deum, quem timere & venerari iam didicerant; priſtinos etiam ſuarum quiſque regionum Deos, fabricati ſunt, & adorandos ſibi, in veteribus Samaritarum Fanis & Excelſis, collocârunt.

BABYLONII quidem, Socoth-benothum: CVTHÆI, Nergelum: EMATHIDÆ, Aſimam: EVÆI, Nebahazum & Tharthacum: SEPHARVÆI verò, Adramelechum & Anamelechum. quibus liberos ſuos, feralibus uſtulandos flammis, litabant.

Et omnes generatim iſtiuſmodi ſacris, lectos è ſuâ gente, & ignobileis ſacerdotes præfecérunt. unà cum novo, licet non ſatis ſincero, Domini cultu, veterum, in Dijs patrijs colendis, rituum non obliti, aut negligentes.

Quæ ſemi-Iudæa & pagana, Chutæorum ſeu Samaritarum, à Moſaicæ legis puritate degenerum, religio, in multa ſæcula ibidem propagata, & in poſteros fuit tranſmiſſa. Vt non modò V. libros Moyſei, quibus ſolis, ex hagiographis, auctoritatem tribuebant; perperàm interpretarentur: ſed pro re natâ, & præſente temporum ſtatu, mutabiles; modò rebus ſecundis, Iudæorum ſe cognatos, repetitâ ab Ioſepho origine; iactarent: modò adverſis, ſeſe nihil cum ipſis commune habere; & è Babylone, & regionibus longè remotis, eò deveniſſe, confirmarent.

Sever. vult hoſce Aſſyrios in hoſtili ſolo, ad cuſtodiam, poſitos. unde Samaría ſit dicta. quòd linguâ Aſſyriâ cuſtodes, Samaritas vocent. (Sed refellitur ex 3. Reg. 36. e.) Et ex ijs pleroſque, divinas cerimonias admiſiſſe: reliquos in errore ethniciſmi perſeverâſſe.

Hebr. Chron. nominat; Dinéos, Apharſathéos, Tarphaleos, Archunéos, Apharſaréos, Babylonios, Suſéos, Dyæos, Elamitas. & cęteros de gentibus, quas tranſtulit Aſennaphar.

Anno

3267. | Anno XII. MERODACHVS, Baladani F. aut successio-|ne, aut usurpatione, fit rex Babyloniæ. | 683.

Hunc Ptolem. Mardokempadum vocat: dicitque apud Babylonios annis prius XII. regnásse; & deinde Assyriam cum Ninive occupasse. & universè .II. ann. regnum tenuisse.

Putárunt alij, Nepotem fuisse SALMAN-ASSAR'S; & Nabuchodonosorem eum, cuius meminit Iudithæ historia.

Capell. putat Baladanum potuisse esse filium Nabonassari; patrem duorum Merodachorum: unius, Merodac-kempad; alterius, Merodac-baladan. ut prior ad summum triennio regnárit.

SENNACHERIBVS (quem Esaias, cap. 20. SARGON vocat) intereà, operâ Tarthani ducis, Azotum expugnabat: & per biennium, Moabitas cum Ammonitis, (licet eorum auxilijs, in Samariæ expugnatione, anteà usus fuisset) graviter adfligebat. At dum alienis occupandis inhiat, sua amittere vix persensit.

Biennio pòst, quùm ipse tot victorijs, quas de propinquis gentibus, & Samariâ. reportárat, elatus; & nuperâ Ezechiæ rebellione irritatus; instructissimo exercitu in eius fineis ingressus esset: atque omnes munitas Iudææ civitates cepisset; totumque belli impetum in Hierosolymam conversurus videretur:

Vt impendentem cladem à se, suorumque cervicibus, averteret EZECHIAS; Legatos ad eū, obsidioni vicinæ Lachis intentum; amandavit. qui & crimen defectionis deprecarentur; & imperata quævis facturum pollicerentur.

Et quamvis ipse, ex compecto, ut ab omni iniuriâ temperaretur. CCC. argenti, & XXX. auri talenta, (ex Regiæ Templique thesauris, & cimelijs) victori adpendisset; haud eò secius tamen perfidus Assyrius, treis militiæ Principes, & inter alios RABSACEN, è castris, cum manu validâ, qui deditionem interim postularent, animosque civium tentarent; Hierosolymam ablegavit.

Rex intereà. ut hosti. quà posset, incommodaret; cumque aquationis difficultate procul averteret; fonteis rivosque. (Hebr. Gihon) quibus propinqua urbi loca irrigantur, obturat. Vrbem eantè præmunit: vallum, aggeres, loricamque, cum muris, instaurat: novas turrium moles educit: & stationem delectis præsidio, omniq; armaturæ genere, firmat.

Civesdenique, cum bellatoribus, piâ & cordatâ oratione ad rem benè gerendam, cohortatur.

„*Assyrium, cum universis militum copijs, & belli adparatu, non esse formidandum, ijs, qui se maioribus, certioribusq; præsidijs, munitos esse confidant.*

Illos brachio carneo, sive viribus merè humanis, niti: se, præsente summi rerum omnium rectoris & Domini, numine atque ope, tutos esse.

Quum nihilo minus ipse, ab Assyrij legatis, qui iam propè, portis urbanis adsultabant; ad colloquium evocaretur: & pro se, III. Viros, primarios; ELIACIMVM, præfectum prætorio; SOBNAM, scribam actuarium; & IOACHVM, à commentarijs, ex urbe emisisset: Rabsaces (quem Hebr. Esaiæ Vatis fil. perfugam: alij Samariten, fuisse, opinati sunt; ideoque linguæ Hebrææ gnarum) hæc, Ezechiæ, renuntiari iussit.

„*Quæ fiducia,* inquiebat ille, *regi vestro, tàm impotenti, tantos facit animos; ut rebellare potentissimo Assyrior. regi præsidat; & ab eo defendendum sese comparare! Quùm Pharaon, rex Ægypti,* omnibus ijs, qui in eius spe [illegible] iique umquàm requieverunt; *bacilli arundinei instar, ne-dum utilis, sed perniciosus etiam, usq; exstiterit.*

Tum Deus vester, qui tandem bonus illi, ac propitius esse possit, aut velit! qui eius Excelsa, altariáve, temerè sit demolitus! Et unis Templi Hierosolymitani angustijs, cultum illius & adorationem concluserit!

Quid hic exaggerem virium vestratium imbecillitatem; & bellandi imperitiam! Qui, si bina tantùm equorum millia, sponsione factâ, à nobis usu accipiatis; totidem ex vobis, equitandi gubernandique gnaros sessores, non reperiatis.

At forte-an equestre curulequè Ægyptiæ militiæ robur, cum spectato vestri Dei studio coniunctum, nobis obijciatis. Hì. scire vos velim; *Non sine Dei nutu & voluntate, & ex certis Vatum vestratium præsagijs; hanc à nobis expeditionem esse susceptam. Et quemadmodum, pauculis antè annis, Israelitæ victi in ius nostrum concessérunt; sic pro tempore Ezechiam, cum Iudæis, sub Assyrij regis potestatem,* non sine incolarum cæde, & agrorum vastitate; *si resistatur, esse subigendum.*

Hic regis Ezechiæ legati, veriti ne hisce auditis populus, qui pro muris stabat, pavore consternaretur, animumque despondéret; oratorem interpellant: & ut Syrico ad se sermone utatur, tantummodo obtestantur.

Ille, ut metum, quem ipsi ultrò prodebant, magis magisque augeret; orationem, contentâ & Iudaicâ, ut prius, voce, ad populum convertit.

„*Se à rege suo, non ad Ezechiam, eiusve consiliarios, in præsentiâ, missum esse; sed ad Civeis istos, quorum vicem miseretur.* Qui si à pertinacia non desistant; suumque regem, cum muris, tueri pergant: eò extremæ demùm necessitatis sint adducendi, ut fame sitique enecti, fœdis alvorum suarum excrementis, præ cibi potusque inopiâ, sustentare, aut trahere potiùs vitam, cogerentur.

Non esse itaq;, cur vanâ vel humani, vel divini auxilij fiduciâ, passi se ulterius ab Ezechiâ patiantur. E re Civium fore, ut sponte suâ sese Assyrijs dedant; & maturâ deditione sibimet consulant. Quibus libera fortunarum possessio, & liberalis vitæ copia hic sit futura; dum in terram, longinquam quidem, sed ubertate agrorum, fructuumque omnium abundantiâ, patriæ non imparem. (Mediam, fortè) transferantur. *Quùm victis contrà, & cunctantibus, extrema omnia debeantur; & certa calamitas universè impendeat.*

Et frustrà profectò esse Ezechiam, qui vel fingat

T ipse,

ipsē, vel suos iubeat spem ullam, Hierosolymæ liberandæ, in Domino collocare. *Quùm nemo ex tot victarum gentium Dijs, Cœlo-syriæ, Damasci, Assyriæ, ipsiusq́, adeò consanguineæ Samariæ, suam quisque regionem tueri, aut ex Assyrij regis manibus eripere, valuerit.*

Quum ad hæc populus, uti à rege imperatum fuerat; qui vocum, & minarum, quæ à superbo & procaci hoste foris iactabantur, impietati, modum poni vellet; obticuisset: tum primores illi, quos pro se rex emiserat, verba oratoris, quæ audierant: quæque partim ad eius ignominiam, partim ad Dei, quasi opem suis ferre non possit, dedecus, pertinere iudicabant; non sine mœsto & miserabili scissarum vestium habitu, renuntiârunt.

Rex verò non tàm cladis metu, quàm impiarum in Deum vocum indignitate, commotus, vestem quoque scidit: & sacco amictus, in Templū, Deo supplicaturn, ingressus est.

Eosdemque nuntios, cum aliquot magno natu sacerdotibus, pari habitu, ad ESAIAM Vatem, Amosi F. amandavit; cui ipsius nomine eadem exponerent.

Res Hierosolymitarum, pro tempore, in angusto esse positas: haud secus, quàm cum mulier gravida, præ virium imbecillitate, & languore, partum maturum eniti non valeat. *Deum iratum videri gravi furoris flagello, scelera ipsius, & populi castigare velle.* Id quod omnium acerbissimum est; *A profano & superbo hoste divinum nomen probris & maledictis impune proscindi.* Rogare itaque regem, *ut Deum ipse suum deprecetur*, pro exiguis populi Hebræi, qui iam unis Hierosolymæ urbis mœnibus concludatur. reliquijs: *neque exsecrationes Rabsacis inultas sinat.*

Vates autem oraculo monitus, regem, eiusque amicos, bono esse animo iubet: neque maledicis Assyriorum vocibus, aut minis terreri. *Nihil ab hoste tàm feroci fore periculi.*

Sennacheribum namque, arcano Dei spiritu; & inopinato, hinc, de auxiliaribus Ægyptiorum, & sociorum Æthiopum, copijs; indè, de sui, ad obsessam urbem, exercitûs internecione, nuntio attonitum, mòx in patriam recursurum; atque ibi gladio paricidali occasurum esse.

Intereà itaque dum Rabsaces à legatione, ad Assyrium, qui cap. à Lachi, iam-tum Lobnam oppugnabat, redijsset. Et rex, de-improviso, qui copias bipertitas habebat: & (ut tradit Ioseph.) Pelusij, in Ægypto, oppugnationi erat intentus: Tharacam (Ios. Tharsicen, Sever. Tirchac.) Æthiopum regem, Ægyptio suppetias venire; & copias, per deserta, in Assyriam ducere, inaudisset.

(Hunc Hebr. tradunt muneribus, per Sobnam, regium scribam, inductum fuisse, ad opem suis ferendam.)

Herodot. l. 2. Sanacharibum, Arabum Assyriorumque regem, adversum Vulcani Sacerdotem, Sethonem, (qui idem & rex Ægypti esset, & ob mutuum contemtum, à suis desertus) eum copijs in Ægyptum invasisse commemorat: & hâc caussâ Pelusij obsidionem solvisse.

Dum namque rex Ægyptius, Sethon, consilij inops, opem sui Numinis implorâsset; & benè spe-rare iussus, obviamque Arabibus ire; castra haud procul Pelusio posuisset. unâ nocte tantam murium agrestium vim enatam esse, ut hostium arcus armaque ambederentur: & exarmatus postridie exercitus, subitâ inde se fugâ, nec sine clade, subduceret.

(Hæc ille, adludens procul dubio, licet obscuriùs, ad ipsius Hierosolymæ obsidionem & liberationem: & ad regis Ezechiæ preces; & meram auxilij militaris solitudinem; & cladem castris Assyriorum mòx divinitùs invectam.)

Hoc nuntio, inquam, Sennacheribus (Demetr. apud Clem. 1. Stromat. Senacherim vocat.) ad sua ab Æthiopibus tuenda conversus, tremens, & clamitans, victori sibi præmium fructumque expromtæ victoriæ eripi, bellum, quod animo informatum habebat, in Hierosolymitas, omisit; & aliò, quò pro re natâ vocabatur, transtulit.

Sed antè quàm ad hostem propulsandum abiret; litteris iterùm nuntijsque Ezechiam terret, & solicitat; & cum summâ verborum contumeliâ denûtiat. (Sever.) *Se paullo-post, rebus domi & peregrè compositis, ad exscidium Iudææ quam-maturrimè rediturum. Dementem esse regem, qui in Deo maiorum suorum, fiduciam collocârit: & è manu Assyrij regis, cui universa in propinquo regna, cum Dijs suis, cesserint; se solum, ope sui numinis, liberatum iri præsidat.*

Has litteras rex Hebræus & publicè recitavit; & coràm Deo (cuius maiestas tàm superbis impij regis convicijs, in primis, & quidem gravissimè, lædebatur) non sine precibus, expandit.

Ab ipso, qui solus omnium in orbe-terra regum rex & dominus esset, mundique totius procreator & rector; *Opem se exposcere. ne tantam hominis nefarij insolentiam sinat impunitam.*

Reliquarum quidem gentium Deos victori Assyrio cessisse, & ignominiosè fuisse tractatos. quòd non Dij re-vera essent; sed simulacra è lapide aut ligno ab hominibus fabricata. Ipsi verò præstādum esse; *ut suæ potentiæ virtutē apud omneis mortaleis, nova vindictæ genere, contestatam relinquat.*

His precibus adductus Deus, per Esaiam regi protinùs significandum curavit; *Impia Assyrij regis*, tàm in Hierosolymitas, quàm in ipsum Deum *convicia: eiusq́, fastum, & vanam* de viribus, crebrisque gentium victorijs, *iactationem, haud quaquam impunita fore. Et civitatem, Deo dilectam, cum civibus, tàm præsenti periculo*, ob Davidis memoriam, *liberatum iri*; non sine in-opinatâ hostium internecione.

Cuius quidem à Deo promissi hæc futura sint prodigia. Ipsos nimirum Civeis, Assyrio peregrè ad pugnandum digresso, & relictis tantùm in vicino præsidijs; laxiùs obsessos, hoc anno, qui in præcipiti esset; (Tradunt Hebr. Sennacheribum anno XI. Iubilæi, & anno IV. hebdomadæ (ex Esaiâ) adscendisse, in benedictione Paschæ, quam vocant. ut seminare anno illo non potuerint, &c. itaque de hebdomade unum duntaxat superfuisse annum) fruge caducâ, & in agris, quos hostilis exercitus nō modò demessuisset, sed conculcâsset etiam: repertâ, vitam uteumque sustentaturos.

Alteri anno, segetem restibilem, & ceu quasdam hornotini seminis reliquias, (al. Poma, sive arbo-

reos

tuos fuerus) fatis eundem in usum fore.

Tertio demùm anno (quo ineunte, ab Æthiopicâ expeditione, ad cæptam urbis sacræ obsidionem, Assyrius esset rediturus) plenam sementi & messi, frugibusque omnis generis percipiendis, datum iri copiam, & libertatem.

Ad quæ omnia accederet florentissimus rerum, regnique status; & singulare divini, in conservandis & propugnandis Hebræi populi reliquijs, studij argumentum.

Eadem namque nocte, (quæ regis Assyrij ab expeditione, reditum, & propiorem ad urbis muros accessum, consecuta est. Hebr. ex Esaiâ colligunt; Sennacheribum eodem die stationes x. emensum esse: AIATH, MAGRON, ET MACHMAS.)

Angelus Domini, castra Assyriorum adortus, CLXXXV. bellatorum, Tribunorum & Principum, (partim qui sub Rabsacis imperio fuerant relicti; partim qui ex vicinis præsidijs undique recèns advenerant) Millia, cecidit. sive (Ioseph.) peste divinitùs immissâ delevit.

Quumque ij, qui in comitatu erant regis, diluculò, ad speculandum, locúmve castris regijs capiendum, prægressi, tàm promiscuos cadaverum recentium acervos, non sine horrore, prospexissent; rex subitæ cladis nuntio confusus, & de reliquis copijs solicitus, quam-maximis potuit itineribus, in regnū suum, & Niniven, regiam, confugit.

Vbi XLV. pòst die, dum Deo suo Nesrocho, in fano, supplex de victorijs gratias agit: & in Deum Hebræorum, (Angelom.) tàm ignominiosæ cladis ac fugæ auctorem, in-vehit, (Tobiæ primo præ indignatione rei malè in Iudæâ gestæ, multos, ex Israelitis captivis, occidisse, & facultatibus exuisse traditur. atque adeò insepultos abiecisse.) A maioribus natu filijs, Adramelecho & Salasare, (Iof. Selenaro) per insidias obtruncatus, dignum se exitum tulit.

Illis autem, ob paricidium, in exsilium actis; & in Ararathen, uberem Armeniæ regionem, Araxi fluminis conterminam, ad Tauri radices, confugientibus; Minor filius ASAR-HADDON, (Ioseph. Assarachoddas) regnum avitum, popularium studio, capessivit, VI. Assyrior. rex, qui annis x. in Ninive tantùm, regnávit.

Posthunc, in sacrâ historiâ, nullius mentionem regis Assyrij, saltim Monarchæ, fieri, plerique putârunt.

Riber. (in Nahum. c. 2.) Metasthenes, inquit, post Sardanapalum; & bipertitam, in Medos & Babylonios, Monarchiam Assyriorum, usque ad finem regni Sennacheribi, Salman-assaris Filij, annos numerat XCVII.

Ab initio autem regni Oziæ, usque ad XIV. Ezechiæ, quo Sennacheribus adscēdit in Iudæam (quo etiam tēpore Nahumus Propheta floruit.) LXXXII. annos sacra historia recenset. (4. reg. cap. 15. usque ad 19.)

(Sed huius Metasthenis, Pseudonymi, errores à varijs carpuntur. verus namque rerum Persicarū scriptor, Megasthenes est. Cuius exstant historiæ fragmenta, apud Iof. ex Beroso.)

Multis itaque annis, post Sardanapalum, imperium Assyriorum stetisse censeatur. LXXX. namque ann. ab excessu Ezechiæ, hoc est, sub finem regni Iosiæ, NECHAOS, rex Ægypti (quem Necum vocat Herodot.) 4. reg. 23. adscendit adversus Assyrium. (falsò, ut videtur, Ioseph. Adversus Medos & Babylonios, qui Assyriorum imperium everterant.)

Nabuchodonozor posteà cepit Niniven, & transtulit imperium ad Chaldæos.

Falsum etiam, Belesem illum, Babyloniorum ducem, qui cum Arbace Medo, Sardanapalum vicit; esse Baladanum, regem Babylonis, qui munera miserit Ezechiæ.

Et longè graviùs alucinatur Genebr. qui côtendit Assar-haddonem, Sennacheribi F. fuisse illum Sardanapalū, Græcis etiam & Latinis memoratū.

Melius idem, à clade Sennacheribi, ad initium victoriarum Nabuchodonozoris, ann. putat CVII. quot reperiuntur à XIV. Ezechiæ, quo clades illa contigit; usque ad III. Ioachimi, qui fuit primus Nabuchodonosori annus.

Quùm laxâ itaque quiete iàm fruerentur Iudæi, & quidem multi; ipsi, tum Deum, tanti boni auctorem, frequentibus in Templo hostijs & sacrificijs; tum regem suum, vicinis omnibus formidabilem, muneribus honestabant.

(Ioseph. Rex, ità liberatus, vota Deo pro incolumitate persolvit.)

Hebr. in Chron. tradunt, ex Esaiâ; ab Ezechiâ, milites Sennacheribi, qui se vinctos dediderant, & religionem regnumque Dei suâ sponte amplexi fuerant; liberos esse dimissos. Atque adeò eos illinc egressos, Altare ædificâsse, super quo holocausta Deo cœli obtulerint. Et conversis ad Hierosolymā vultibus, Numen eius adorâsse, & deprecatos fuisse.

3268. | Anno eodem (qui fuit XIV. regni Ezech., quo primum adscenderat Sennacheribus; & obsessi caducis frugibus vesci fuerant coacti. | 682.

(Hebr. volunt, triduo antè stragem castrorum Sennacheribi, quæ in tertium morbi regij diem inciderit; Solem stetisse, quemadmodum sub Patre Achazo, anteà steterat.)

Incidit rex in morbum gravem & perniciale, qui vitam peteret, (sive ex animi mærore, sive ex metu hostis tàm propinqui, & cladis publicis sceleribus debitæ. Hebr. quod Epinicia rex Deo non cecinisset.)

Esaias verò, à Deo iussus, eumdem statim commonuit; ut sibi, regno, rebusque domesticis (conditis extremæ voluntatis tabulis) consuleret. Propterea quòd ex eo morbo, qui ope humana sit incurabilis, esset moriturus.

Et quùm ille quidem (quem non tàm vitæ periculum angebat; quàm quòd prole, ex quâ MESSIAS, ex veterum oraculorum fide, aliquandò esset oriturus; careret) ore ad interiorem lecti spondam, atque ità adTemplum, reflexo; remotis quasi arbitris. Deum non sine lacrymis deprecatus; & suæ hactenus vitæ integritatem, ac constantem piumque Numinis cultum, esset contestatus:

Tum verò huic, mortis nuntio, qui nondum ex atrio egressus; sive dimidium montis Sionis, in quo Civitas sita; transgressus esset; ut de-subito reverteretur & ægro regi renuntiaret; à Deo imperatum est. - *Preces eius exauditas esse, & lacrymas benignè inspectas. Eumq́, è gravi isto morbo recreatum, intrà triduum, ad sacram Dei Ædem vota & sostra esse persoluturum.*

Eamque ob caussam, x v. prætereà annos, vitæ eius adiectum iri. & non sine germano Principatûs sui successore, atque herede relicto, è vità decessurum. *Ipsumque*, cum Civitate, *præsenti periculo, & è manu Assyrij*, pro Dei pietate, & gratà Davidis memorià, *mox liberandum.*

Et huius præsignificationis veritas, signo, uti rex (non incredulus, sed amplificandæ divini nominis gloriæ cupidus) petierat; extemplo a Vate comprobata est.

Quùm namq́ue in horologio sciaterico, quo horarum interstitia è Solis umbrà dignosci solent; quodq́ue in editissimâ Turris regiæ parte, Achazus olim collocandum curárat; gnomon, pro tempore, iam x. lineam, sive horam, umbræ proiectu designaret; umbra, x. retrorsùm gradibus, unà cum Sole, per Austrinam plagam, revoluta est. diesque ille, xx. amplius horis (al. x.) quàm solet, fuit productior.

(Genebr. ait Herod. l. 2. meminisse huius Phænomeni - Nescio an hisce ex verbis. ,. *Intrà hoc tempus* (undecies mille, c c c x l. annos (si credere fas. Ægyptijs) *quater solem, præter consuetudinem, fuisse ortum. bis quidem illinc exortum, ubi nunc occidit. bis autem, undè nunc oritur.* (Vid. & Ecclesiast. c. 48.)

Rex Ezechias artium Mathematicarum, quæ tunc apud Chaldæos vigebant, studiosus fuisse traditur. Atque hinc, fortasse-an, signum de Solis retrocessione, ipsius ingenio accommodatum.

Rex deinde, simul-atque emplastrum è caricis, sive ficubus passis, ad hulcus, mali fontem, à Vate admotum est; convaluit. Et in laudes Dei, egregio carmine (quod Esaias, uti cætera, memoriæ prodidit; & Ecclesia etiam-num frequentat) haud ingratus, erupit; & sostra, cum epinicijs, Deo persolvit.

(Hebr. per. τὸ ἕλκος, morbum regium intelligi volunt. Cui dulcia omnia, sive admota, sive sumta, adversentur. atque ità regis sanitatem, non naturæ, sed prodigio fuisse adtinem.

Alij, Apostema. in quo, ex arte, Caricis contusis, sanies corporis interior ad cutem provocari eliciq́ue naturaliter possit.)

Intereà nihilo minus, rex non satis ergà Deum tàm beneficum gratus, modò ineptâ rerum feliciter gestarum recordatione, suprà se extolli; modò, iratum propterea Deum sibi suisque subiectis expertus; animo ad humilitatem conformato, infrà omnes demitti, visus est.

Et quùm in laxissimà regni ab hostibus quiete; præq́ue singulari Dei liberalitate, omni rerum pretiosarum copià regificè abundaret: & oppida munita impunè exstrueret, easq́ue omnifario armorum genere instrueret & firmaret. Cuncta denique ipsi ad voluntatem fluerent:

BERODACHVS (al. Merodachus) Baladani F. rex Babyloniorum (al. & Chaldæorum) Legatos ad eum, cum litteris, & regalis opulentiæ donis, transmisit; qui & ei de valetudine congratularentur: & de nupero commutati atque insoliti in Sole cursûs portento, curiosiùs percunctarentur. (Astronomi fortè, cuimodi sapientum Chaldæa ferax, regem suum ad hanc curam impulisse censeantur) & ad amicam secum societatem, invitarent.

Ezechias verò, tàm honorificâ magni regis legatione, suprà modum exhilaratus, sibiq́ue ineptè gaudens; non modò portentum, quod in Sole contigerat; caussamq́ue eius, Babylonijs exposuit: sed omnia etiam, quæ eximia in regiæ suæ (& fortean etiam Templi) thesauris cimelia habebat, cominùs et & prolixè ostentavit, & explicavit.

Super quâ re aditus ab Esaiâ Vate, & increpitus, quùm ea, quæ cum Legatis egerat, vaniùs etiam commemoraret; & de facto arrogantiæ pleno, Deoq́ue ingrato, gloriaretur:

Et ille vicissim ei prædiceret; propterea quòd hoc ipsum fecisset, fore; ut aliquandò ea omnia, quæ domi haberet; quæq́ue maiores eius tot iam annis comparassent, & in ærarium recondidissent; Babylonem à victoribus asportarentur:

Eiusq́ue posteri, filij & Nepotes, per vim è patrià abrepti, servilibus Eunuchorum ministerijs, in externo regis Babylonij Palatio, mancipare ntur. Nihil aliud respondit, quàm, *Æquam honestamq́, Dei esse orationem*: & præclarè secum agi putare; si dum viveret, suus & paci, in tranquillo regni statu; & veritati, in prole promissâ, sit locus.

3279. Anno regni eius x x v. Merodachus ille, occupat Asiam, & Niniven. regnatq́ue ibi x l. ann. post Assar-haddonem; novamque inchoat Monarchiam. 671.
Anno antegresso, Tullus Hostilius, i i i. Romanor. rex, Numæ successerat, regnavitque x x x i i. ann.

3283. EZECHIAS verò, annis l i v. ætatis, & regni sui x x i x. exactis, è vità excessit. 667.

Eximio Tumuli, suprà cæteros Davidicæ stirpis reges, eminentis, honore; & publicâ exsequiarum celebritate, totiusq́ue regni luctu, honoratus.

Eiusque res piè, & Deo semper propitio feliciter gestas, & sumtuosi operis aquæductus, ESAIAS, partim Vaticinijs suis, partim peculiari, de Iudæo-

… Iudæorum & Israelitarum regibus, commentario (qui intercidit) complexus est.

Sub hoc rege (1. Paralip. 4.) Simeonidæ, relictis suis sedibus (metu fort. Assyrior. novas quæsisse traduntur. Et partim, cæsis Nomadibus, in Æthiopiam (for. Madianitidem) partim in montem Seirum, sive Idumæam: partim in Amalecitidem, Arabiæ regionem, migrasse.

Initium, pij huius regis (Scalig. lib. 5. de Em. Temp. incidit necessariò in annum Sabbaticum. Annus namque illius x v. fuit Sabbaticus. Quod sic probetur:

Anno eius x i v. Senacherib minitatus est ruinam, incendium, & internecionem Hierosolymitanis. Quos metu consternatos, cum rege, Prophetæ adloquens, hæc dicit:

,,Horno, proventum frugum vetustum percipite. Anno proximo, ijs, quæ sponte nascentur, vescimini. Tertio annos serite, metite, & eorum proventu fruimini. Latinus sermo, Hebræi elegantiam consequi non potuit. Græcè planiùs. τῦτες τῦς πρεσβύ… τῶν καρπῶν φάγεσθε. ὡς ὕστατα τῶν ἀσπάρτων καὶ ἀγεωργήτων πρίτῳ ἔτει σπείρετε, καὶ ἀμήσατε: ἀμπελῶνας φυτεύσατε, καὶ τῶν καρπῶν αὐτῶν φάγεσθε.

Si x i v. anno, quo Senacherib imminebat excidio Hierosolymorum; iubentur Hebræi fructus suos colligere; severant ergo, & agros ac vinea coluerant.

Rursus; si sine satione & agricolatione, præcipiuntur, illis, quæ sponte nata essent, vesci: ut sunt fructus arborum, (αἱ ὀπῶραι καὶ τὰ ἀκρόδρυα) manifestò fuit annus Sabbaticus, qui erat x v. regni Ezekiæ.

Quare collatis intervallis antecedentibus, à fundamentis Templi, & subsequentibus à capto Sedekiâ; Annus primus Ezekiæ incurrit in periodi Iulianæ ann. 3984. Ab auctumno, undè incipit annus Sabbaticus; & pertinet atque continuatur ad sequentem 3985. Is autem est periodi Iudaicæ, 3031.

Collige nunc annos Regum Iudæ, à fundamentis Templi, ad 1. ann. Ezekiæ; invenies intervallum, 288. ann. qui ab Epochâ fundamentorum Templi, continuati, desinunt in annum Iudaicum, 3031. Qui annus planè Sabbaticus est; & ex divisione, per Septem, constat. (Vid. quæ sup. de Iubilæo.)

MANASSES, IVDÆ REX.

3284. | ——— | 666.

MANASSES, annos Iam natus x i i. matre Haph… (Ioseph. Achibâ) Hierosolymitide: Patri suffectus, & ab eo degenerans, in omne impietatis genus se præceps dedit.

Vt vel gentium ipsarum, quas olim Deus indidem & fundìtùs delérat, exsecranda propudia, & impuros cultus, superaret.

Excelsa, quæ Pater dissipárat, instauravit. Avumque Achazum, aris Baali restitutis; & Lucis, & Cœlestis militiæ (Solis, Lunæ, & Siderum) cultu; non sine ipsius Templi, per Idola, profanatione, æmulatus.

Et ut quovis modo Deum irritaret; filios suos igne expiavit, in Valle Ben-ennomiâ. (Gehennom: & integrè, Ge-ben-hennom) Quæ Vallis est, Hierosf. lymæ, ad Orrum, vicina; Cedronis aquis (al. Siloæ fontibus) irrigua. Ab Hennomo quodam Iebusæo, cuius filiis locum illum coluerat & instruxerat, sic fortè dicta. Sic Ioseph.

In eâ, cultores Molochi, ignibus soliti liberos suos, ceu holocausta quædam, adolere.

Posteà, nequis ampliùs proles suas per ignem Dæmonijs sacrificaret; Deus quidem, aggestis occisorum illic magna multitudine cadaveribus, locum contaminavit. (Ierem. 7.)

Iosias verò, pius rex, mortuorum hominum ossibus, & iumentorum excrementis, & sordibus, quas è vivia Hierosolymorum urbe eò comportari iusserat; spurcum reddidit, atque abominandum.

Alter quoque ibidem locus, vel certè idem; Topheth; dirâ puellorum carnificinâ nobilis. De quo inf. in Iosiâ.

Idem præstereà Manasses, vanâ somniorum observatione, augurijs & maleficis artibus: domestica quoque Magorum, veneficorum & Pythonicorum consuetudine, se totum infamavit.

Neque tot privatim propudijs; neque iustâ Dei in se exacerbatione contentus; ipsum quoque populum, offendiculo atque exemplo suo præiens, ad ea perpetranda, quibus gentes ipsas Amorrhæorum, &c. In quorum vacuas sedes ipsi olim à Deo fuerant introducti, longè exsuperarent; incitavit.

Neque solum Vatibus, ab ipso Deo subinde missis, qui vastitatem & vincula, extremaque omnia, tàm ipsi regi, quàm populo comminarentur; fidem non tribuit; sed in iustos etiam, ex Hebræis, homines quosque, assiduis cædibus ità grassatus est; ut nec à Prophetis, Dei ministris, manus abstineret: & largissimo innocentium virorum sanguine Hierosolymorum compita redundarent.

Et, inter cæteros, Esaiam Prophetam, eadem increpantem, & exitium divinique Numinis iram, denuntiantem, (Epiph. teste) ligneâ serrâ dissecandum imperárit.

Hunc Vatem, regio ortum sanguine, Amaziæ regis è fratre Nepotem; atque adeò ipsius Manassis socerum fuisse, Hebr. commemorant: & subter Quercum Rogelis, haud procul ab urbe, sepultum.

Qui certè de nostræ religionis mysterijs, de CHRISTO, eiusque vitâ & morte, tàm planè dixit; ut non ea futura prædixisse, sed quasi præsentia narrasse: Et non tàm Vatis, quàm Euangelistæ, munere defungi, visus sit.

HABACVCVS PROPHETA.

HOc itidem rege Habacucus (quem Epiphan. tradit ex agro tinfile Bexzocherremio, Tribus Simeoniæ) vaticinia sua effatus est. Eodem pænè tempore, quo Nabumus, de quo sup.

Neque enim post exscidium Hierosolymæ, per Nabuchodonosorem; sive post 11. Tribuum ἀλωσιν, & in Babylona migrationem, (uti BB. Hieron. & Epiph. aliique velle videntur) vaticinatus ea dici potuit, aut debuit.

His namque verbis; *Ecce ego suscitabo Chaldaeos, &c.* prædicit futuram Nabu hodonosoris & Chaldæorum potentiam, quâ Assyrios, omnium tum potentissimos, aliasque nationes; & Iudæos deni que, erant debellaturi. *Suscitari* namque *dicuntur Chaldæi, quùm ad aliena regna sibi subiuganda à Deo instigantur.*

At ei tempestate florebat toto orbe Chaldæorum imperium, & nulla prope gens ijs non aut focia erat, aut parebat. Et Vates certè de rebus iampridem peractis, quasi de futuris, vaticinari ineptè iudicaretur.

Itaque hic longè alius est ab illo Habacuco, qui prandium Danieli, in Lacum coniecto, adtulisse traditur, sub Cyro iam Babyloniorum potente. Alioqui LXXX. suprà c. ætatis annū, idem excessisset: quod intervallum est inter Ezechiæ & Cyri regna.

Vaticinatur autem suo libro, adversus imperium Chaldæorum; idque 11. Tribuum solatio datum.

Non quod iam captæ essent. verùm ut postquàm sub iugum servile Babyloniorum recidissent; tum id solatio sibi ducerent; conspicantes sibi accidisse, quod per Vatem Deus prædixerat. & bono in posterum animo essent, cum pari spe futuri etiā Chaldæorum exscidij; (quod idem Vates hic præsignificat) & suę ex eodem iugo libertatis. per Cyrū.

Multa prætereà de CHRISTI Servatoris adventu, de proborum liberatione, & malorum condemnatione, prænuntiat.

Quùm autem rex MANASSES, cum Civibus, eosdem impij cultus & sacrilegij mores perseverarent; Deus illis hostem immisit. Et qui Patrem Ezechia, pietate erga se spectatum, ab Assyrij regis impetu conservârat; filium, à se aversum, in regis Babylonij. paterni amici, & recèns Assyrio regno aucti, potestatem, arbitriumque proiecit.

(Hæc prima est Iudæ in Babylonem transmigratio.)

Istum autem regem, quem S. historia, Assyriorum dicit; Ioseph. nominat Chaldæorum & Babyloniorum. Et ipse Manasses Babylonem, non Niniven, abductus esse proditur.

Vnde colligunt quidam proximis annis regnum Assyrior. quod erat in Ninive, ad Tigrim, collocatum; à Babylonijs & Chaldæis fuisse deletum; Imperijque sedem, ad Babylonem & Euphratē, fuisse translatam.

Quod & Ioseph. indicat, qui scribit; per Medos (fort. Babylonijs auxiliareis) Assyriorum Imperium per idem tempus dissolutum.

Rex verò, qui Niniven delevit; fuit Merodacus Baladan, Babyloniæ rex, de quo sup. qui (Suidâ & Glycâ testibus) Assar-haddonem, post x. regni annum oppresserat, regnoque exuerat.

Idem itaque misso, cum Principibus, in Iudæam exercitu, & totam regionem late populatus est; (Ioseph.) & Manassem, dolo interceptum, & catenis vinctum, in Babylonem ad se perducendum curavit. Quod quidem XXII. regni eius anno accidisse tradunt Hebræi;

Et simul ab ijsdem Babylonijs Idolum Michæ ablatū. ex illâ prædictione; *posuerunt sibi filij Dan sculptile, &c. usq; ad diē captivitatis suæ.* Iudic. 18.

Circa id temp. ris, Demaratus Corinthius, fugiens Cypseli, qui Corinthi tunc regnabat, tyrannidem, in Italiam traiecit; & Tarquinijs, Etruriæ, urbe, consedit. (Vide Tract. de regib. Romm.)

IVDITHA, HOLOPHERNES.

3306. | Hoc autem Interregno, vel paullo anteriùs, quæ Historia IVDITHÆ prodidit, (c. 1. *Ann. 1. regni sui Nabuchodonosor,* &c.) evenisse; omnium maxime probabile est. | 644.

(Sulpit. ad OCHI, qui Artaxerxi II. successit. Rib t. ad XERXIS, Darij Hystaspidæ Filij:

Alij, ad Cambysis, Cyri Filij. Genebrard. partim ad Artaxerxis, III. in compendio) parùm ad Nabuchodonosoris eius qui Hierosolymam evertit (lib. 2. Chronol) tempora; rettulerunt.)

Isti autem tempori, quod hic notamus, omnia pænè ijs, quæ illic narrantur, consentanea videntur. Pontificatus scilicet Eliachimi, (al. Ioachimi.) Et pax diuturna, quæ MANASSIS è Babyloniâ reditum consecuta est. Et sub eodem rege, filioque eius, & Nepote; hoc est; ad ipsa pænè Babylonicæ captivitatis initia, perduravit.

Atque ad hanc opinionem magis stabiliendam, non parùm posteà adiumenti adtulerit maturus regis reditus, rebus eum Babylonio prosperè compositis. Et forte-an adiectis ad ipsius ditionem aliquot Manassēæ Tribus opidis; inter quæ BETHVLIA, (urbs Galilææ, haud procul à Tiberiade, in Tribu Zabulonitâ. Ioseph. Et alij, ex Betoul, Betuliam statuunt in Tribu Simeonitâ: idque historiæ convenientius.)

Hùc item facit, de Rege Iudæ, silentium; uti absente & peregrè abducto.

Deinde, eâ tempestate DEIOCES Medis imperabat. qui (teste Herodoto) Ecbatana ædificavit.

ficavit. Et idem ARPHAXAD nominati censetur, Iudith. 1. c.)

Serrar. Ab Arbace, sive Arbaxe, primo illo Medo, qui de Sardanapalo triumphavit, ARPHAXAD commune regum nomen, deducit.)

(Quem quidem Arphaxadum Medum, NABVCHODONOSOR, rex Assyriorum, tum in Ninive regnans, anno regni sui XII. (forte ab expugnata eadem Ninive) debellárit. Is ipse, MERODACVS BALADAN; usitato tum regum cognomento NABVCHODONOSOR dictus.

(Sulpit. ob impotentiam animi, & parcis in crudelitate exercendâ conatus, quicumque ille rex fuerit, ab Hebræis ità appellatus.)

Postquam itaque eius, quem dixi, Nabuchodonosoris iussu, HOLOPHERNES, dux militiæ primanus, CXX. peditum, & XII. (al. XXII.) equitum Millib. instructus, Ciliciam, & Mesopotamiam & Arabiam, bello vastâsset: multas urbeis aut vi cepisset, aut metu ad deditionem compulisset: & admotis ad Damascum copijs, Iudæos ingenti terrore percuilisset.

Hi quidem ad resistendum impares, & à præsidijs bellis imparati; ad Templum frequentes concurrunt: ibique communi gemitu, permistoque ululatu, divinum auxilium implorant. *Regno desolato, & reliquijs populi*, servitio Babylonico (sub quo rex eorum ipse captivus etiamnum ingemiscat nuper exemtis), *parceret*.

Dux verò ille, Moabitis & Ammonitis in deditionem acceptis; atque adversus Iudæos, suprà vetustum vicinitatis odium, in belli societatem, adscitis: quùm ex eorum Principibus inquireret; *Quibusnam viribus freti Hebræi, sibi deditionem, uti cæteri, non properarent!* ACHIOR, Sulpit. Achias, comperta sibi palàm edisserit.

Iudæos, Dei veri cultores, pie ab atavis usque ritu institutos, olim quidem in Ægypto longinquum pependisse servitium: Dei autem ope inde eductos, & siccato fundo, Mare Erythræum pedibus impunè emensos evasisse.

Postremo omnibus terræ Chananææ gentibus mira virtute debellatis; delibatas, & maioribus quondam suis promissas, terras, quasi quodam postliminij iure recuperâsse, & manu inietâ sibi vindicâsse.

Exin, vario rerum statu floruisse, aut concidisse, atque iterùm è malis emersisse. *Et pro meritis iratum, aut placatum Deum, quâdam veluti vicissitudine, expertos: & propitio numine semper invictos.*

Cæterùm, si nullius in præsentiâ culpa sint obnoxij; nullo eos modo superari posse. sin aliter se habeant; facilè vincendos.

Ad hæc HOLOPHERNES, multis ferox victorijs; nihilque sibi invictum aut difficile ratus; NABVCHODONOSOREM, Deum terræ subinde ingeminans, atque implacabili irâ exardescens; cur *ex peccato potissimùm Iudæorum, pendère illius victoria putaretur*; Achiorem in Hebræorum castra (in obsessam urbem) propelli iubet. ut cum hisdem brevi simul periret, quos vinci non posse adfirmaverat.

Ità ij, quibus id negotij datum; quòd à funditoribus ex urbe egressis, propiùs accedere vetarentur; Achiorem ad arborem restibus vinctum, in montis latere; inque urbis conspectu, reliquérunt.

Quod ubi ab incolis animadversum; vinculis exemtum in collem perducunt. Isique caussam rei suscitantibus, rem gestam ipse exponit: & receptus, parem cum cæteris belli exitum opperiri constituit. (Is post victoriam, circumcisus, & Iudæis ex religione adcensus esse traditur.)

HOLOPHERNES autem, compertâ loci difficultate, quòd adiri præcelsa non possent: Et qui angusta montium, tramitumque fauceis insidebant: haud facilè pelli. Milites suos in apicem, per cautium crepidines, evadere iubet: & summâ curâ Hebræos aquationibus prohibere. fonteis custodiâ munire, & aquæ ductus incidere. quo maturiùs obsidionem eiusve incommoda sentiant.

Cives itaque aquæ penuriâ victi, ad OZIAM & CHARMIN, civitatis Principes, non sine querelis, ac penè convicijs, concurrunt, proni omnes ad deditionem. Illi verò opperiendum paullisper, & Dei auxilium exspectandum respondent: & quinctò demum die deditioni tempus constituunt.

Quod ubi IVDITHA, Meraris F. ex Tribu Rubenide (quæ viro Manasse aliquot iam annis vidua, prædives opibus, insignis specie; sed moribus, pietate, vitæque austeritate, quàm vultûs venustate, illustrior; in eâ tum urbe sedem habebat) intellexisset: & acriter factum Oziæ, qui divinæ commiserationi, pro suo arbitratu, quasi diem præscripserat, coram Senatoribus, increpâsset.

Ipsaque vicissim, ut tàm artis suorum patriæque rebus succurreret, & apud Deum intercederet; publicè rogata, audendum aliquid certo etiam sibi exitio; & viriliter, pro communi salute, tentandum, constituisset:

Post preces ad Deum demissè effusas, omni mundo muliebri comta; & ornamentis, ad venustatem, quam Deus auxerat, expolita; comite ancillatum unà, ex urbe, in castra hostium ingreditur.

Et à speculatoribus, in quos, de-industriâ, inciderat; ad Holophernem in tabernaculum deducta, perditas res suorum commemorat. Eamque ob caussam, transfugio, vitæ se suæ consulere voluisse.

Deinde, quùm illa in fidem accepta, à Duce liberam, extrà castra, ultrò citroque, noctu & antè lucem, commeandi facultatem (precandi caussâ) impetrâsset: & istiusmodi, per triduum, egrediendi liberiùs consuetudine, Barbaris constantiæ fidem fecisset:

Holophernes, per speciem cœnæ, nactum se putans explendæ in dedititiâ, (quæ eum illecebrosâ formæ & sermonis elegantiâ captum permoverat) libidinis occasionem; BAGOÆ (al. Vagao) Eunucho negotium dedit, ut eam volentem, in tentorium, ad se perducat.

Ille, quùm initio convivij multo se vino obruisset & priùs quàm mulierem de stupro compellaret, gravi somno captus esset: sola, foribus occlusis, & arbitris remotis, IVDITHA in cubiculo relicta, insidiarum cædisque tempus, non sine pijs ad Deum votis precibusque, aucupatur. Et barbarum, alto iā sopore oppressum, suâ ipsius sicâ, capite truncat: illudque pedisequæ in perâ recondendum gestandumque tradit.

Quùque, pro more, è castris ead precés egredi crederetur: incolumis ad suos in urbem regressa est.

Postero die Bethulini quidem, ut illa suaserat, caput Persæ ducis ex edito muro suspensum ostentantes, eruptione factâ, ad castra hostium conferti pergunt:

Barbari verò, qui signum pugnæ, ad tabernaculum Principis frequentes, expolcebant; ubi truncum capite eius cadaver iacére nuntiatum est; fœdâ formidine in fugam versi, terga hostibus præbuérunt.

Hebræi vicissim, undique è vicino collecti, fugientem trepidè hostem persecuti sunt: & permultis passim cæsis, prædâ & castris potiti.

IVDITHA, summis omnium laudibus celebrata, non pudicè tantùm, sed gloriosè etiam, CV. annos vixisse: & mortua, publico totius gentis luctu honorata fuisse traditur. Liber eius, ab Elachimo, magno-rum Sacerdote, scriptus putatur.

Lesmor. sic colligit. Anno O. C. 3307. occisus est Olophernes: qui fuit annus ætatis Iudithæ 58. Vixit illa, post victoriam 47. annis, ultrà VII. Iosiæ annum. Pax illa, ab obitu Iudithæ, annis 20. durat, ad captivitatem usque. Atque ita annus ab O. C. 3374. primus est Babylonicæ captivitatis.

Rex autem MANASSES, malo coactus, & in carceris externi angustijs, à sensibus ad mentem revolutus, suisque quasi ærumnis expergefactus; errorem culpamque suam agnovit. Et animo ad Deū cum precibus converso, veterum flagitiorum pænituit, veniāmque expoposcit.

Hebr. tradunt, anno XXXIII. antè obitum suum, egisse pœnitentiam, ut vix captivitatis annus verteret. Sed obstat historia Iudithæ, quæ pluscuIum intervalli requirit.

Neque Deus supplicem regem aversatus est; sed ut hostis ipse, humanitatis memor, captivuum in patriam, pristinumque Principatum, restitueret, effecit.

(Exstat precatio Manassæ, separatim edita, cuius mentio 2. Paralip. 33. Vbi & HOSAI, qui al. Osias, res eius gestas litteris prodidisse scribitur.)

Ille autem hocce suæ liberationis beneficium, DEO, uti rerum omnium Creatori & rectori, acceptum retulit: & vanum alienorum Deorum cultum penitùs abolevit.

Simulacro, quod anteà in ipso Templi adyto collocárat; & aris, quas in Monte Moriâ, & in compitis urbis Hierosolymæ, erexerat, dissipatis. & sordibus sacrilegiorum, extrà muros, nec sine exsecratione, protectis. hoc est, ut ait. Ioseph. Vrbem lustravit: & Templum, quod profanárat, iterùm consecravit. Et super Altari, quod ibi recèns ædificandum curárat; munera pro reciperatâ libertate, obtulit.

Populo denique, quem suo exemplo, ad perversæ superstitionis studia, ab avitis sacrorum ritibus abduxerat; auctor vicissim fuit, ut toto se pectore ad Deum maiorum suorum, sincenùs colendum, traduceret.

Atque ità religione in veterem statum restitutâ (præter, quod populus ab Excelsis, in quibus Deo soli immolabatur, avocari nequedum posset) ad muniendæ urbis curam, se convertit.

Eamque muro editissimo, ab Occidentali porta Fontis, sive Vallis; ad Aquilonarem usque Piscium portam, & ad Turrim Opheliam, circumdedit. Et limitanea Iudææ opida, copijs militaribus, ducibusque peritis, non sine commeatu, munivit.

3317.	(Anno regni eius XXXIII. Ancus Marcius, IV. Romanor. rex, Numæ regis ex filiâ Nepos, ann. XXIV. Triennio post, Ben-merodacus, II. à Monarchiâ, Assyriæ, Babyloniæ, & Chaldæorum rex, annis XXI.)	633.

MANASSES autem, quùm nihil, præter ea, quæ commemoravimus, magno rege, tàmque diuturno regno, dignum, aut memorabile, per LV. annos, gessisset; & LVII. universè vixisset; decessit. Et sepultus est, in hortis domesticis. (Al. in horto Ozæ) uti Maiorum & piorum Iudæ regum, tumulis etiam-dum indignus.

GYGES (teste Euseb.) in eadem tempora incidisse putatur. Is intimus Candauli, Lydorum regi, ex Heraclidis ultimo, affecla fuisse dicitur. ab eoque coactus, ut nudæ reginæ speciem clàm contemplaretur, Redeinde patefacta, reginæ iussu, regem obtruncâsse; & ipse regnum invasisse. *Tantò, regi stetit, prostitutus uxoris pudor.*

AMON, IVDÆ REX.

3339.		611.

AMON F XXII. an. natus, matre Messamelethâ, filiâ Harusi, de Ietebâ (Iof. Matre Emalsemâ, oriūdâ ex Iabate opido. Heb. Mesullemeth, filia Charus de Iotbâ. quæ fort. Iotape, vel Iotapata Galilææ.)

Iuvenilia Patris sui facinora, & impietatem emulatus; & Domini Dei planè negligens; omni se Idolorū cultui, (quem Pater antè, quam malo edoctus suo resipuisset, excogitárat) se prostituit. vel ipsis

Cuthæis,

Cuthæis, Samariæ incolis, flagitiosiores qui suum, Vero DEO, inter Patria idola, locum saltim relinquerent.

Hebr. tradunt, ab eo LEGEM ex Israelitis incendio consumtam. Atque hinc morte inhonesta, & brevis vitæ regnique infelicitate, mulctatus est, anno ætatis XXIV. & imperij altero; suorum familiarium coniuratione & insidijs domi interfectus. - Hebr. ijdem, teste Bedâ, illi attribuunt XI. aut XII. Principatûs annos.

Et quamvis populus in regiæ cædis auctores animadverterit; illum tamen non maiorum regum, Dei olim reverentium, tumulis; sed paterno & domestico sepulcro, in hortu eiusdem Ozæ, intulit.

3340. | Hoc II. regni Amonis anno, L. TARQVINIVS PRISCVS, V. Romanor. rex, regn. XXXIIX. ann. | 610.

Et NABVCHODONOSOR primus Babylon. & Assyrior. rex, ann. XXXV.

Hic alijs est Nabohassarus II. sive Nabopolassarus. Cui attribuunt, ex Beroso apud Ioseph. ann. XXIX. vel XXIIX. saltim expletos.

Ab alijs refertur in VI. Iosiæ annum, (qui Lesmor. est annus O. C. MMMCCCXLVI.)

Sub idem tempus, Artines, al. Phraortes, VII. Medorum rex, ann. XXI.

3341. | ———————— | 609.

IOSIAS, IVDÆ REX.

IOSIAS, F. Amonis, ex matre Ididâ, filiâ Hadaiæ, de Besecathâ (Hebr. Bozcath. - Ioseph. Iodâ, ex oppido Bosecthâ) puero licet, octuenni, concordibus populi procerumque suffragijs, regnum delatum est. quòd & optimâ indole præstaret; & ad virtutem pietatemque natus esse videretur.

Hic namque idem à DEO, per Prophetam IADVM, iampridem erat promissus; (3. Reg. 13.) & ad expiandas sacrilegæ idololatriæ, in Iudæâ, & Israele, labes, datus.

VIII. regni sui anno, licet impubes, certa eximiæ in Deum pietatis indicia prodidit; & in Davidis, progenitoris sui vestigia constanter institit, Patris & avi flagitia detestatus.

3353. | Anno XII. (2. Paral. c. 4.) postquam regnare cœperat. (Ioseph. vult eum annum XII. ætatis, fuisse.) | 597.

Ipse impuris avitæ superstitionis sordibus, & reliquijs Excelsis nimirum, Lucis, & Deorum simulacris, Iudæam omnem, urbemque Hierosolymam, obiens passim, expurgavit.

Auctoremque se popularibus, ad ea perpetranda, præbuit; ut aras Baali, & super-impositas-ijs effigies, demolirentur. Lucos, & sculptilia Deorum externorum simulacra, succenderent, aut comminuerent. Et tumulos eorum, qui illis olim immolassent, talibus fragmentis, ignominiæ vicem, conspergerent. Ossa denique impurorum Sacerdotum in ipsis altaribus, flammis consumerent.

(In his tamen ὑστερολογία esse videatur, nisi terra bis eiusdem regis iussu expurgata fuisse dicatur.)

Neque istiusmodi, vehemens certè, instaurandæ religionis & pristini cultûs, voluntas, regem, intrà provinciarum, sibi parentium & obnoxiarum, limites continuit; quin & in urbibus cæterarum Tribuum, regno suo propinquis; in Manasside, Ephraimitide, & Simeonide, ad Nephthalitas usque, paria perversæ impietatis vestigia passim deleret. Et quasi triumpho de Israelitis, ità lustratis, acto, Hierosolymam reverteretur.

SOPHONIAS PROPHETA.

SVB idem tempus SOPHONIAS, Chusi F. ex tribu Simeonitâ, vaticinari cœpit: quo & Hieremias, & Holda Prophetria.

(Illum Hebr. & Prophetam; & Prophetarum filium; Nepotem, pro- & ab-nepotem, fuisse putant. - CHVSI, nimirum, & GODOLIÆ, AMARIÆ, EZECHIÆ. quòd eosdem, qui in ipso titulo, à Sophoniâ nominantur, Prophetas etiam fuisse arbitrentur.)

Id autem contigisse antè XIIX. regis Iosiæ annum; hinc clarum est. quòd ipse invehatur in II. Tribuum, superstitum, idolomaniam. Et eo, quem dixi, anno, rex IOSIAS populum cohortatus, ut abiectis erroribus, Deum maiorum suorum colerent ac sequerentur; haud difficiliter obtinuerit. atque adeò populus, in pacto regio acquiescens, idola omnia diffregerit.

Vates verò, hominum atque animantium internecionem à Domino futuram comminatus; & scelera cum omnium, tum maximè Principum Iudicumque commemorans, quibus Dei furorem provocárint; mox universos, ad præcipiendum animis Dei metum, vitæque in melius mutandæ sanitatem, cohortatur. Quibus horroris plena impendeat captivitas;

quam

quam nemo, nisi quem veterum uoxarum pœniteat, effugere possit.

Deinde multarum nationum, quæ infestis in Iudæos, adflictos, odijs usque exarserant; & Hierosolymorum ruinæ, publicisque calamitatibus, insultárant: Palæstinorum, Moabitarum, Ammonitarum, Æthiopum, Assyriorum; ipsiusque adeò Niuives, excidia cladésque prædicit.

Postremò de CHRISTI Servatoris Adventu & Resurrectioue: de Ecclesiæ felicitates de Gentium vocatione: de duplici Iudæorum, & CHRISTI ipsius, ætate; & futurâ illorum, præcipitibus Mundi sæculis, conversione, disserit.

HIEREMIAS PROPHETA,

HIEREMIAS autem, Helchiâ Patre, sacerdote Anatothitâ, uatus, ex Tribu Beniamitide; in ipsis uteri materni recessibus, Deo gratus; &, ut quibusdam placet, sanctus: & ad eximium vaticinandi munus delectus. A XIII. regis IOSIÆ anno, (al. XI.) usque ad XI. Sedechiæ filij, (qui duobus fratribus; & ex altero, Nepoti, in regnum posteà successit) hoc est; Ad eum annum, quo iu Babylonem ille, captâ Hierosolymorum urbe, cum reliquijs regni Iudaici, abductus est, (quod futurum Vates, Dei iussu, constanter sæpiusque prædixerat) per annos, plus minus, XL. cum dimidio, ab ipsâ propè puerinâ, vaticinatus est.

Ab hoc itaque XIII. Iosiæ anno, quo vaticinia sua auspicatum diximus Hieremiam, quidam inchoant celebrem illam Servitutem LXX. Annor.

Alij; ut Ribera, à IV. an. Ioachimi. - Alij ab Iechonia. - Alij verò à Sedechiâ, & Templo desolato.

Hinc illa, in temporibus deinceps putandis, opinionum apud Chronogr. varietas.

Quum reverâ anni Desolationis; ab Vrbe & Templo funditùs eversis; ab Annis Captivitatis, (quæ cæperit IV. ann. regis Ioachimi, & primo Nabuchodonosoris) sint inter se distincti. Quod quidem ex Hieremiâ & Zachariâ, vatibus, (capp. illius, XXV. & huius, I.) inter se conciliatis, posteriùs patebit.

(Hoc XIV. Iosiæ anno, PHRAORTES Medus, ad Niniveu, cum exercitu, interijt. Euseb.)

3359. | Anno verò XIIX. Lustratione Terræ, & Templi iam peractâ, | 595.

IOSIAS de sartis-tectis Templi (quod priorum aliquot regum malignitate, an incuriâ! rimis & ruinis fuerat deformatum) instaurandis, solicitus; ad Helciam Pontificem, (Hunc. Clem. Alex. vocat Hieremiæ Prophetæ Patrem; aitque, lecto Legis libro obijsse) primarios Palatij ministros misit: qui pecuniam, eâ fini, â Levitis & Templi custodibus, non modo ex Iudæâ, sed ex reliquijs etiam Israelitarum, anteà collectam, & in sacros thesauros illatam; Templo sarciendo & restituendo, materiæque coemendæ, & artificum operarumque mercedi, fideliter impénderent.

Ibi HELCHIAS, summus sacrorum Antistes, inter cætera, Librum legis (DEUTERONOMIUM) à se in Templi ruinis repertum, (quem per MOYSEN olim populo Deus tradiderat: quique aliquot iam annis, vigente proximorum regum tyrannide & superstitione, secretiorem iu locum fuerat reconditus) Saphani, scribæ regio, in manus tradidit. Qui regi, cum cætera, quæ ad redivivam Templi, ex ære collatitio, exædificationem pertinerent; tum hoc sacri Voluminis in-ventum renuntiarent.

Rex verò, qui Librum eum corâm, sibi, recitari iussisset; & præ divinarum minarum terrore, cohorruisset; vestem suam discidit.

Et Helciæ Pontifici, Scribæ Saphani, alijsque præcepit; ut e-vestigio, pro se, populoque universo, Deum deprecatum abirent. deque ijs consultum, quæ Liber ille portenderet.

Deum namque in se, & in ipsos, populumque, vehementi & iusto furore concitatum esse; propterea quòd maiores sui minimè eà seruássent, quæ Libro illo comprehensa præscribebentur.

Habitabat autem, tum Hierosolymis, in secundâ opidi parte, (Hebr. Masenâ. Et 2. Paralip. 32. - *Qui* (Ezechias) *ædificavit omnem murum, qui fuerat dissipatus: exstruxitq́, turreis desuper, & forinsecus alterum murum.*

Hierosolymam enim triplici muro cinctam fuisse, tradit Ioseph. l. & c. 6. bell. Iud.

Ex quibus, primus, qui & extimus, omniumque maximus & vetustissimus, in occiduam Templi porticum desinebat. ex alterâ autem parte, cum Eoâ eiusdem Templi porticu committebatur.

Secundus, à portâ Geuathiâ incipiens, quæ olim prioris muri fuerat; & Septemtrionalem urbis tractum solùm ambiens, ad Arcem, Templo contiguam, (quæ pòst Antonia est dicta) adscendebat. Atque hi duo muri exstabant, quùm urbs à Chaldæis capta est.

Tertius verò, aliquot pòst sæculis, à rege Agrippâ additus est: eoque partem urbis, quæ Bezetha, hoc est, nova Civitas dicta est; cinxit & communivit.)

In eâ, inquam, opidi parte, HOLDA Prophetria habitabat. uxor Sellumi, Thecuæ Filij qui Araam, (al. Hasram) vestium (sacerdotalium, an regiarum!) custodem, Patrem habuit.

Ad eam, uti quæ tum maximâ sanctitatis & sapientiæ existimatione polleret; illi, oraculum

culum, scitaturi, quùm accessissent: hoc responsum viro, à quo missi essent, renuntiare iussit.

Deum, ijs omnibus malis, quæ eo Libro, quem regi recitássent, præscripta sint; Hierosolymam, eiusque incolas, mactaturam esse; propterea quòd, ipso contemtim deserto, Dijs peregrinis sacra fecissent: & sceleratis factis iram eius in se, suasque sedeis, concitássent. quæ nunc sedari minimè possit.

Regem verò, quod verba Legis reverenter audisset: & religioso animi adfectu, ad Dei minas cohorruisset, seque in eiusdem conspectu, veste lacerâ, & profusis lacrymis, submisse gessisset: *placidè ex hâc mortalium vitâ demigraturum; & honorificâ sepulturâ potiturum esse. Ne mala illa omnia*, quæ præ[...] sunt, & Civitati impendent, *oculis, cum summo dolore, usurpet.*

Sanctus autem rex, quantumvis à muliere, divinitùs instigatâ, Dei, de Vrbis populíque excidio, sententiam, ratam & confirmatam esse audijsset; non destitit tamen, quidquid eidem placando facere posset, quantum in se esset, præstare; & maiore in dies curâ cultum Dei exercére & augére.

Ipse namque convocatis totius Iudææ, & urbis Hierosolymæ, natu maioribus; & unà cum eis, omníque populo, in Templum ingressus:

Palàm, omnia illius Voluminis verba, (quibus, in extremo Deuteronomii, fedus, inter Deum & populum, pactum, comprehenditur) recitavit. idemque fedus, in Tribunali suo considens, cum Deo pepigit, & renovavit. *Se omnibus eius præceptis obsemperaturum pollicitus: omniáque, quæ perscripta essent, perfecturum.*

Quinetiam omneis, qui aderant, pari iurisiurandi religione obstrinxit, se eadem esse facturos.

Deinde vasa omnia, Baalo, & militiæ cœli, & Luco, olim à regibus dedicata: per Sacerdotes, foràs è Templo proijci, & comburi: eorumque pulverem, in Bethelam usque, urbem tam diuturno Israelitarum sacrilegio, & Vitulorum cultu infamem; asportari præcepit.

Aruspices; & sacrifici[...]rum in Excelsis, oppidatim, præfectos: eosque, qui externis, quæ dixi, numinibus, tura adolebant; funditùs exterminavit. (Hebr. à munere isto supersedére coegit.)

Lucum quoque è Templo exportatum, & in pulverem flammis redactum, sepulcris eorum, qui se idolis consecrarant, imposuit.

Lustra etiam Cinædorum, sive meritoriorum puerorum, in Templo, evertit; cum peplis textilibus, luci ad-instar, operâ muliebri efformatis.

Atque immò ipsa Excelsa, in quibus, ob locorum amœnitatem, vel ipsi Domino, qui interdixerat, Sacerdotes hostias immolabant; à Gabaâ (70. à Dan) ad Bersabéen usque, concidit & deformavit. Et Aras, in portis publicis, & pro privatis Principum foribus, erectas, disturbavit.

Sacerdotes autem eos, qui illegitimis, per Excelsa, sacris se polluerant; hâc multâ adfecit: ut à ministerio Altaris Hierosolymitani arcerentur; & solis Azymis cum cæteris participarent.

Tophetum quoque (qui locus in Valle Ennomiâ (seu Ben-ennom) haud procul à Piscinâ Fullonis, & agro Achel-dema, monti Sioni ad Austrum obiectus; & amœnitate erat notabilis) importatis undique sordibus inquinavit. ne in posterum quis liberos suos, ignibus nefarijs, ibidem, Deo Molocho, ceu holocausta, consecraret.

Equos præthereà, quos velut eximios & iugaleis, curruque succidaneos, Reges priores Soli donárant, inde abstulit.

(Hos Caietanus naturaleis fuisse contendit, non arte factos. quod currus quidem exustus fuisse; equi verò ablati tantùm prodantur. Deinde, quòd stabulum eorumdem describi videatur; *Ab introitu Templi, ad aulam Eunuchi*, &c.)

Angelomus autem; vult, Iudæos, cuivis superstitionum generi eâ tempestate quasi mancipatos; & more profanarum gentium, Solem, uti Deum, veneratos; Simulacro eius, quod in Templi vestibulo collocárant, currus equosque, (haud-dubiè simulatos) subdidisse. quasi cursu in sublime elatos.

Vt autem eidem (inquit ille, ex Chrysostomo & Sedulio) currus & equos tribuerent; ex Heliæ Vatis miraculo, qui curru & equis igneis in cœlum raptus fuerat; sumtum esse putatur. Quia namque Sol Græcè, ἥλιος, dicitur; cui voci, Helias, adludit; Græci quùm audirent ab Hebræis, quibus proprium divinarum litterarum usum sensumque fama tribuebat; prædicari Heliam, quadrigis igneis in cœlestia subvectum: vel id ipsum picturâ expressum vidissent: crediderunt, vocis adfinitate decepti, hic transitum per cœlos esse designatum. Et miraculum divinitùs factum, Deo mutárunt in argumentum erroris, humanâ stultitiâ adauctum. Quod & ipsi Iudæi imitari fategerint.

(Quid igitur, Angelome. An non Homerus, Heliæ aut æqualis, aut prior, equos & currum Soli attribuit? Pyroentem, Æthonem, &c. Quarum similitudinum, & Orphei, longè vetustioris, Hymni meminerint!)

Iosias, inquam, equos Solis abstulit: currus autem igne absumsit.

Altaria, quorum partim Reges priores, in ipsis regij Palatij cœnaculis: partim Manasses, in Templi Atrijs, erexerant, dissipavit: & in profluentem Cedrontis, cineres, curriculò dispersit.

Excelsa, à monte Oliveti, urbi propinquo, quæ ipse olim Salomon uxorius, cum fanis, exædificárat: & Astarotho (al. Astarthæ) Sidoniorum: & Chamoso, Moabitarum: & Melechomo (al. Molocho) Ammonitarum, Dæmonijs, in veri Dei offendiculum, & peregrinarum Coniugum gratiam; consecrárat: statuis comminutis, & lucis succisis, ossibusque cadaverum eò importatis, ritè profanavit.

Hinc

Hinc peregrè profectus, in propinquas Israëlitarum olim provincias, regi tunc Assyrio parenteis, Excelsum illud, & Altare, quod in Bethelis Hieroboamus Nabathides, totius sacrilegij Princeps, & immutatæ religionis auctor; exstruxerat: flammis, cum Luco ipso, succendit, & in pulvisculum comminuit.

Et quùm ossa veterum sacerdotum, è montanis illic sepulcris eruta, & flammis exusta, (Vti olim Vates quidam, qui alijs Ioas, al. Iadon; Hieroboamo, primo regi, futurum; & à quodam, ex posteris Davidis, rege IOSIA (3. reg. 13.) effectū iri, prædixerat) altari imposuisset, atque eo pacto illud polluisset: tum eius, quem dixi, Vatis, cui monimentum singulari titulo fuerat insignitum; & Cives Bethelitæ, spectatæ fidei ac probitatis testimonium tribuerant; ossa immota intactaque reliquit, cum eius fallacis Prophetæ ossibus; quem supra memoravimus, in idem monimentum ut mortuus inferretur, curásse. quo communem cæterorum pœnam, istiusmodi utrorumque ossium confusione, in posterum effugeret.

Quem quidem veteris præsagij eventum, colligit Ioseph. LX. suprà ter-centum, pòst annus. (Mass. 352. Veriùs 358.) fuisse consecutum.

Præterea quùm rex Bethelitas, aliosque ex Israëlitis, qui vel communem captivitatis Assyriæ cladem evaserant; vel indè in patriam redierant, & cum novis se colonis coniunxerant; satis sibi in propagando veri Dei cultu obsequiosos nactus esset: ad Samariæ etiam civitates pia animi sui conata convertit.

(Qui non ægrè laturi viderentur, cultus, summo Deo, quem suæ terræ propinum habere percuperent, adversarios, passim à religioso rege, tolli aut perpurgari.)

Omnia itaque Excelsorum fana, opidatim, nec sine patrij Dei contemtu, ab antiquis Israëlitarum regibus, Hieroboami successoribus, educta, (salvis ijs, uti probabile est, quæ profanæ gentes, novi ex Assyria coloni, recens exædificarant) funditùs sustulit. Et sacerdotum, eorum, qui in propinquo ibi sepulti, ossa, super ipsis altaribus, concremavit. Idque non sine promiscuâ (uti videtur) cæde Hebræorum, qui profano adhuc sacerdotio fungi illic obstinatè pergerent.

His ità peractis, non sine gloriâ, & quâdam triumphi specie, rex Hierosolymam reversus est.

Inde etiam Pythones & Ariolos; & Teraphim (efformata idola) aliasque eius generis impuritates, penitiùs sustulisse eū meritò censeatur; ne quid sanctis, reperti nuper Libri, sive Divinæ Legis, institutis, adversaretur; aut publicam pacem turbaret.

(Hebr. Lapsi iam erant CCXIIX. anni, ex quo rex Ioas Templum instauràrat.)

3359. | | 595.

Regno ad eum, quem dixi, modum universè lustrato, & cultu summi Dei passim stabilito; ad AZYMA, (quod Phase, sive Pascha, dicimus) solenni ritu; & maiore, cum pietate, tum magnificentiâ, Hierosolymæ celebranda, se accinxit.

Quâ fini, primùm Sacerdotes classibus suis, certisque ministerijs distinxit: Et Levitas, quorum doctrinâ populus in omnem pietatem instituerentur; cum, ut Arcam Dei, (quam impij & sacrilegi reges, metu gravioris divinitùs supplicij; quod Philisthæi, Bethsamitæ, Oza, & alij, olim erant experti; violare aut profanare non ausi; extrà Templum tamen, quò nescio eduxisse, & alibi collocásse, in eum usque diem, meritò existimentur.) ipsi in Templum restituerent, & certo loco reconderent. Neque posthàc idem onus humeris subirent, aut loco suo motam circumgestarent.

Tum, ut sacris tantùm muneribus, in cultu Dei, & populi doctrinâ, vacarent. Vtque in turmas Leviticæ cognationis, ex veteri præscripto, distributi, & se ipsi castos exhiberent: & fratres suos, ad PASCHA ritè immolandum, præcolerent; grauissimâ oratione est cohortatus.

Deinde ipse de suis facultatibus, enim magno eximiæ liberalitatis argumento, populo, cuius incredibilis multitudo, ad Ferias, in urbem confluxerat; suprà infinitam minuti pecoris, oviū, agnorum & hœdorum, vim; tria millia boum, ad epulum, ipsi Paschæ de more succidaneum, est elargitus.

Cuius exemplo, Principes viri, victimas omneis, quarum ipsi ex voto damnates essent, tàm populo, quàm Sacerdotibus & Levitis, quantum vellent, cessérunt: & munificam, festivæque celebritati cōgruentem, largitionem fecére.

Omnibus itaque ad sacrum ministerium adparatis, & victimis ad aram, admotis, SACERDOTES ad munia sua accincti; & LEVITÆ, in turmas, ex regis præscripto, distributi, PHASE immolárunt.

Et illi quidem loca, Altari proxima, sanguine conspersérunt, (populo tum, uti casto, manus victimis admovente.) Hi verò tergora votivorum pecorum costis diripuérunt.

Et plebi universæ, quæ per domos & familias dispertita, suam quæque vicem, litabat; suam etiam singulis portionem secernebant, quæ Domino offerretur: Adipe, holocausti in morem, flammis adolendo. Quod non modò in ovibus & capris: sed in bobus etiam servatum,

Sic ut PHASE, hoc est, Agni assarij, sive igne tosti: & hostiæ pacificæ, in lebetibus elixæ, evestigio, ceu rectæ epuli publici sportulæ, præberentur.

Et quùm Sacerdotes in munere suo ad noctem usque perseverássent: & Cantores cum Ianitoribus, ne ad punctum quidem tēporis, à ministerio quisque suo, decessissent: cibi ipsis, sero vespere à Levitis, novissimè, & ad Sacri anniversarij ritum, & ad epulum, sunt adparati.

Sic ut non modò dies illa legitimo & omnifario Dei cultu, ritè atque imperturbatè, exigeretur: sed Azyma etiam Septem-dialia, ab universis Israëlitis, qui in Vrbem undique confluxerant, deinceps, ut lætissimè, ità religiosissimè, concelebrarentur.

Neque

Neque pari umquam populi celebritate, PHASE ullu ; neque iudicum, (quorum postremus Samuel) neque Regum (qui vel universo Israeli, vel soli Iudæ dominati sunt) ætate ac memoriâ; nec religiosiùs, ex veterum legum præscripto, peractum fuisse, commemoretur.

(Circiter annum IOSIÆ XXVII. ARTABANUS, Phraortis F. Deiocis Nep. (qui & Astybares, & Cyaxares Herod. lib. 2.) Medorum rex, per ann. XL. dum adversus Assyrios certans, urbem Ninum obsidet, ad quam anteà Pater perierat; Scythæ, Cimmeriorum hostes, invadunt imperium Asiæ; regnantque XXIIX. ann. Sed ijs expulsis, iterum ille in Mediâ & Asiâ, aliq ot saltem annis regnavit.

Scythas illos, Asiæ, Medis iùm victis, potenteis, & per Syriam Palæstinam in Ægyptum r.c.à tendenteis, PSAMMITICHVS, Ægypti rex, muneribus & precibus avertit.

Medi demùm Ninum expugnâsse ; & Assyrios, præter quampiam Babyloniæ partem , subegisse traduntur. De his plura sub Nabuchodonosore magno.)

Quamvis autem hæc ,quæ commemoravimus, omnia singulari cum pietate atque industriâ , rex IOSIAS administrâsset,& in Deo placando totus esset; ut nulli regum priorum, hâc certè ex parte, fuerit secundus. Et aliquot,à Templo instaurato, annis.pace,divitijs & gloriâ floruisse , non immeritò existimetur ; Deus tamen ab irâ, quâ cum priorum regum , & Avi potissimum Manassæ, impietas irritârat ; non discedens: & Iudæos pari cum Israelitis calamitate involvere atque exterminare obstrmatus: pium regem , non quidem ob sua, sed ob populi & maiorum commissa , in errorem, si fas dicere, fatalem, sive interitum præcipitari; atque adeò è medio tolli antè ,quàm suprema Hierosolymis obsidionis , exscidijque labes, cum publicâ populi calamitate , impenderet : hâc occasione passus est.

Eâ tempestate, PHARAOH NECHAOS, rex Ægypti (quem Herod. Necum appellat) PSAMMITICHI eius, qui unus fuerat ex XII. Ducibus, qui post Sethonem regnum administrârunt: & qui longissimâ XXIX. annor. obsidione , Azoton, magnam Syriæ urbem, expugnârat, F. Fossam è Nilo, ad Rubrum-mare, sive ad Arabicum Sinum; ducere primus adgressus est. idque centies & vicies mille Ægyptiorum iacturâ atque interitu;& irritâ ,ex oraculo,operâ.

Qui & navalibus, & terrestribus copijs abundans ; partim cum Syris , in Magdolo (fort. Mageddo. nisi Synonyma sint) congressus, victor evasit: & à prœlio, Cadyti , vastâ Syriæ urbe , potitus est.

Partim à Phœnicibus Africam circumnavigari iussit , & Terræ ambitum magnitudinemque explorari.

Hos alij, transitis Herculis Columnis , ad Septêtrionale usque mare penetrâsse ; atque inde ad Ægyptû,per extimas Africę oras,remeâsse. Alij,solutis è Rubro-mari navibus , versus mare Austrinum abijsse; & intra biennium,aut minus triennio, quâ dictum est , per Herculeum fretum , in Ægyptum redijsse, tradunt.

Quùm itaque NECHAOS ille, instructis adversus regem Assyriorum(al. Chaldæorum & Babyloniorum. Sig.n. Nabulassarem (f. Nabopolassarem) qui & Nabuchodonosor Primus & Priscus.(Iosep. Medos & Babylonios, qui Assyriorum imperium everterant..veriùs,evertere contendebant) (Vt Assyriam Scythis eripuit Cyaxares ; sic eamdem Medis ereptam à Nabopolassare probabile est. Atque ita Babylonij , etiam Assyrij dicti. ex quo scilicet Ninum , caput Assyriæ , subegit rex Babylonius.

Promotis,inquam,ad Euphratem usque,in Charcamin copijs , prœlium cum hostibus conferere , & Asiæ propinquæ dominatum sibi parare avidus : (Sic Iosep.) sed cui iter per Iudææ regionis confinia necessariò faciendum esset; ad opidum Menden,IOSIÆ regi obnoxium, (fort. idem cum Charcami) processisset ; IOSIAS, vel veteri societate cum Babylonio,seu Chaldæo rege,qui armis ab æmulo Ægyptio petebatur ; coniunctus: vel communi regum omnium metu,& suspicione,ne hostis,vicinorum regnorum expugnatione,aut accessione, invalescat;& sibi deinde perniciem cum servitute importet, commotus. infesto cum exercitu occurrit.

Atque adeò, quùm alter , misso caduceatore, & tutò transeundi copiam petere ; & vim omnem deprecaretur. qui minimè hostili adversus Iudæos, eorumque regem,animo in præsens eò venisset; sed iusso Dei,ad alium regem, sibi inimicum,expeditis copijs,& accelerato itinere,debellandum,licet cum aliquanto populorum stupore properaret.

Nihil invito Deo , qui secum faciat,esse tentandum. neque præter institutum. imponendam sibi. dimicandi cum remorante necessitatem. quæ ipsi fraudi & perniciei vertere posit.

Ille nihilo minus monenti acquiescere noluit (Iosep. fato opinor , isthuc arrogantiæ hominem urguente. Sic ille,more suo inflatiùs) neque divini oraculi sciscitatione; minas ab profano Ægyptio sibi intentatas , avertere satagit. sed extremam belli aleam experiri decrevit: & procinctam , in latè patentibus Mageddonis campis.(Zachar. 12. Vrbs eò loci sita Adrademmon , seu Hadad, dicitur , haud procul ab Iesrahele) aciem instruxit.

Vbi dum cornua naviter pernice curru obiret: ictus hostili sagittâ,& vulnere eo,uti letali,consternatus, se per assi duos clienteis è prœlio subducendum curavit.(Vel, ut Caietan. quasi de subito ægrum , ne suis moriens terrorem incuteret, de curru in currum transferendum) iusso interim(ut Iosep.)deflectere exercitu.

Ipsum itaque,Hierosolyma devectum, vita obiter defecit. atque illic cum incredibili universæ gentis luctu, & magnifico funere, in maiorum suorum mausoleum illatus est. (uti ab Holdâ illâ præsignificatum.) Anno regni XXXI. & ętatis XXXIX.

Hunc tam commemorabili pietate præstantem : tamque infelici mortis casu (ut iudicij quidem humani captus ferebat) indignum, principem , HIEREMIAS Vates immortalibus suis Threnis , sive lamentis , prosecutus est. (Iosephus Epicedium lugubri carmine , appellat)

...ze h. tamen c. 19. videtur innuere, non sine magno gentium concursu; nec sine sanguine & vulneribus, captum esse, & regi Ægyptio traditum.

Hic regiam ei dignitatem, ad quam illum Hierosolymitani præcipiti consilio extulerant, abrogavit. Atque adeò à populo ipso suæ temeritatis pœnas ut exigeret; annui census multam, Centena argenti, & unum auri, talenta, regioni impofuit.

ELIACIMVS, QVI ET IOAKIMVS, REX IVDÆ.

Fratrem autem eius ELIACIMVM, siue IOACIMVM biennio maiorem, matre Zebidâ, filiâ Phadaiæ de Rumâ, vico Galilææ, (Iof. Zibudâ, ex opido Abumâ.) qui, uti prudentiori, rebus ita, per cædem patris, turbantibus, præter regis victoris, penes quem camporum esset dominatus, voluntatem, in regnum vacuum succedere, & ad præcipitia populi studia sese accommodare defugisset:

Pro suo arbitrio, & usitato gentium iure, tegem Iudæis dedit. Et ut eum, veterum quasi calamitatum oblitum, novi beneficij nomine & memoria sibi arctiùs obstringeret; IOAKIMVM (quod, inter cætera, VINDICIAS DOMINI, sonat) appellari voluit.

IOACHAZVM verò secum, catenis vinctum, in Ægyptum abduxit. Vbi & paullo-pòst, præ mærore, ut verisimile, contabuit. postquàm supra trimestre, dierum decadem, Hierosolymæ regnásset (sic Iosep. & Clem. Alexan.)

Scalig. adversus eos disputans, qui hîc biennale Interregnum imaginantur, ex duorum, quos dixi, fratrum ętate; vult NECHAON, adventantis Chaldæorum exercitûs rumore audito, fugâ, è Reblâ, sibi consuluisse: & & unà cum Ioachazo, iam captivo, in Ægyptum properè se recepisse.

Intereà nihilo minus IOACIMVS, imperatâ subiectis, pro ratâ facultatum cuiusque portione, pecuniâ; ad PHARAONIS, etiam tum, ut quibusdam placet, præsentis, nutum, multæ, auri argentique, sibi impositæ, summam, exigere & conflare, atque adeò péndere coactus est.

Neque propterea tamen, aut ab usitatâ maioribus suis in Deum impietate; aut ab iniquiore in suos imperio; aut à perfidiâ in regem beneficum, abstinuit. Fratri, quàm patri, propior: & ob sacrilegia, Deo invisus. Huius quoque facinora, ab Ezechiele, eodem, quod dixi cap. depinguntur.

LYDORVM REGES.

Sub id tempus, ALYATTES IV. Lydorum rex, SADYATTIS F. ARDYIS Nep. GYGIS Pronep. ex genere Mermnadarum. (Qui GYGES, satelles, herum & regem, Candaulem, Græcis, Myrsilum; Sardium tyrannum, postremum ex Heraclidis, ab Alcæo, Herculis F. ex Iardane ancillâ, oriundis: quique per annos fere DV. post ATYOS Lydi siue Mæonis posteros, regnárant; interfecerat. & regnum, ope atque indignatione uxoris regiæ usurparat.)

Postquam ille, quem dico, ALYATTES, CROESI postremi pater, Cimmerios, (qui sub Ardye Avo, à Scythis Nomadibus, è suis sedibus eiecti, in Asiam transierant; & Sardeis, præter arcem ceperant) ex Asiâ exegisset: & primarias aliquot eiusdem Asiç urbeis expugnâsset; Miletum tentâsset &c. ob Scythas quosdam, qui à Medis, barbarâ puerorum suorum cæde offensis, ad se supplices confugerant, eosque repetentibus ipse dedere recusárat: quinquennale, cum CYAXARE, Medorum rege, DEIOCIS Nepote, bellum gessit. & tandem traditâ in matrimonium Astyagi, Cyaxatis F. Ariene filiâ, componi passus est.

Sub eodem Alyatte, ARION Methymnæus musicus, Delphino ex Italiâ Corinthum devectus proditur: Periandro, Cypseli F. tunc tyranno. Qui de nautis, à quibus ille in mare desilire fuerat coactus, supplicium sumsit.

Tunc & PHALARIS, Agrigenti in Siciliâ tyrannus: & ZALEVCVS, Locrorum legislator, floruére. Alij hunc Pythagoræ supparem faciunt.

NABVCHODONOSOR REX CHALDÆORVM.

Subinde quùm tota Syria, & potentissimi in eâ Dynastæ, & inter alios, Satrapa, quem Cœle-Syriæ & Phœnicæ ipse præfecerat; à Nabopol-Assare patre, (instigante haud-dubiè Ægyptio) defecissent; (Iof. ex Beroso) NABVCHODONOSOR F. Acceptis à patre copijs, rebellem defectorem, signis collatis congressus, devicit: & regiones, ab Ægyptiâ factione occupatas, sub pristinæ ditionis iugum redegit.

Ita ut tributa, quæ Ioacimus Nechao regi pendere erat iussus, per solidum pænè triennium, sibi, victori, dependere coegerit.

Qui in expeditione, quùm pater intereà, apud Babylonem, morbo exstinctus esset; ipse ad regnum, Chaldæis in fide præstantibus, capessendum, properavit.

3375. Quod fuit initium IV. anni regni Ioacimi. ut vult Hieremias. sive III. ut Daniel. Ille de inchoato; hic de expleto anno loquens. 575.

Hebr. tamen III. illum annum, apud Daniel. interpretantur, III. rebellantis Ioacimi; quo venerit iterùm Nabuchodonosor, & abduxerit eum interficiendum.

Riber. ait finem III. anni Ioacimi. & initium IV. incidisse in primum Annum Nabuchodonosoris. Quod in Chronologiâ deinceps obseruandum.

Capell. censet, annum hunc tertium, esse hebdomadis, qui ad autumnum usque excurreret. qui revera Ioakimi regnantis esset quinctus. Et ob multos deportatos; neque exiguam Iudææ vastitatem, multis locis cæpisse Sabbathismum ἑβδομηκονταετη hoc est, Septuagenatium.

Quo eodem anno vaticinatus esse dicit Hieremias (c. 46.) adversus exercitum Nechaô Pharaonis, regis Ægyptij; *qui erat iuxta fluvium Euphratem, in Chareamis. quemq; percussit Nabuchodonosor* (Heb. Nebo-cad-nezar *rex Babylonis*.

Idem Vates c. 25. *A XIII. anno Iosiæ, filij Ammon, regis Iuda, usque ad diem hanc; iste XXIII. annus.* hæc iuoiungit. *Pro eo. &c.*

INITIVM CAPTIVITAT. BABYLONICÆ, Lxx. ANNOR.

.. *Pro eo quod non audistis verba mea, missam & assumam universas cognationes Aquilonis, & Nabuchodonosor regem Babylonis, servum meum. Servient omnes gentes istæ regi Babylonis, LXX. annis. Accepi calicem de manu Domini, & propinavi cunctis gentibus; Ierusalem & civitatibus Iudá, & regibus eius.*

Pharaoni regi Ægypti. cunctis regibus terræ Ausitidis, & terræ Philisthym; Ascaloni, Gazæ, & reliquijs Azoti. Idumææ & Moab & filijs Ammon.

Regibus Tyri & Sidonis. & regibus terræ Insularum transmarinis. Dedan, Thema, & Buz.

Regibus Arabiæ, & Occidentis in deserto. Regibus Zambri, & Elam (Persarum) & Medorum *propinquis*, (hoc est, regibus Assyriorum, qui vicini sunt Medis & Babylonijs *& longinquis, regibus Aquilonis. Et omnibus regnis terræ.*

Rex Sesach (id est, Babylonis) *bibet post eos.*

Et c. 27. *Dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, servi mei. Et servient ei omnes gentes, & filio filij eius. donec veniat tempus terræ eius, & ipsius:* (hoc est, Babylon, unà cum rege, capiatur a Persis & Medis)

Hæc quasi summa est rerum gerendarum; & Gentium, quas Nabuchodonosor varijs passim prœlijs, & aliquanto temporis tractu, in ditionem suam redacturus sit. & alteram quodam modo, secundum Assyrios, Chaldæorum monarchiam constiturus.

Vt non vanè omninò MEGASTENES Persa, (Ios. l. 10. c. 11. & Euseb. l. 9. c. 4. Regem hunc virtute & rerum gestarum magnitudine, Hercule superiorem fuisse contendat: qui & bonam Africæ partem, & Hispaniam subiugárit. Et in dexteris Ponti lateribus, colonos, inde traductos, collocárit; ubi nunc Iberia. Et tunc demum maior *τῆς οἰκουμένης* pars, uni parére didicerit: quùm anteà Babylonij, cum Assyrijs & Ægyptijs, æquo Marte, Orientem & Libyam possedissent.

Paullulò tamen anteriùs Hieremias, qui Deo iterùm iubente, in Tophetum & Vallem Ben-ennom: & inde in urbem ingressus; stansque in Templi Atrio, liberè mala omnia urbi contumaci, & incolis divinitùs eventura nuntiásset; cæsus fuisse, & illiberaliùs percussus, à Phassure, Emmeri F. Pontifice maximo; & in nervum coniectus videtur.

Et postridie dimissus, pari libertate non modò universam Iudæ Tribum, in Babylonij regis manus traditum; sed Phassurem etiam ipsum, cum amicis, insolito pavore consternatum; omnique cum familia captivum, longè à patriâ abductum iri, prædixisse.

Quumque rursus in Templo, palam omnibus, qui ex urbibus Iudæ, Hierosolyma ad Deum adorandum venerant; denuntiaret: *Nisi legem Domini observarent; fore ut & Templo idem, quod Silo acciderat, eveniret.*

(Sub Iosuâ duce, Ædes Tabernaculo lecta, & in Silo sita, steterat 369. ann. sed ea demum pænè in solitudinem redacta est) *Et urbem ipsam nationes omnes essent detestatura.*

Atque ipse præterea à sacerdotibus, & falsis prophetis, & à populo comprehensus. & tantumnon morte multandus esset; principes Iudæ, populariumque optimates, & inter cæteros, AHIKAMUS, Saphani F. intercesserunt. & ex accuratiore iudicij formulâ; & prætento MICHÆÆ Morasthitæ exemplo, (cui olim, sub Ezéchiâ, impunita fuisset, par, in Dei iussis promulgandis, populique flagitijs carpendis, libertas) liberum dimisêrunt.

Haud pari in VRIAM Prophetam, Semei F. è Cariath-iarimo (cuius multis antè annis Esaias c. 8. meminerat) clementia usi. Qui gemina pænè, cum Hieremiâ, palam adversus regem & civitatem, eventa pronuntiárat: & metu mortis, iam certò destinatæ, in Ægyptum anteà profugerat.

Illum namque inde retractum, rex, & ense truncari,

truncari; & in ignobile sepulcretum eius cadaver proijci imperavit. *Cuius quidem facti rex pœnas luit, asininâ sepulturâ ignobilis.*

Euseb. Præp. Euang. l. 9. c. 4. ex Alexand. Polyhist. Temporibus, inquit, Ioachimi, HIEREMIAS, Vates à Deo missus, quùm Iudæos aureo simulacro (Ezechiel. cap. 8. & Hierem. 32.) cui numen erat Baálus, sacra facere comperisset; futuram eis propter id calamitatem prædixit. Quare IOACHIMVS vivum eum iusserat cremari.

Illum autem subiecisse: *Iisdem lignis, quæ eâ fini ad pyrum comportárant, ipsosmet, póst, quàm ab Assyrio rege capti essent, tum cibaria Babylonijs heris adparaturos; tum ad Tigrim & Euphratem, alveorum fossas esse ducturos.*

Quo audito, Nabuchodonosorem, Babylonior. regem, ASTYBARE, (qui & Cyaxares, & Artabanus) Medorum rege, in auxilium adscito, expeditionem, de quà mòx, suscepisse.

Rebus namque ille novi regni probè compositis; & copijs Ægyptij regis, (quæ ad Charcamin, Iosep. Carchabesam: urbem Euphrati impositam, in præsidijs, aut castris erant collocatæ, & toti Syriæ imminebant) profligatis, & in Ægyptum usque ignobili fugâ, cum rege, compulsis; non modò Syriam universam (præter Iudæam) ad Pelusium usque subegit. sive (ut ibidem Euseb. ex Polybist.) exercitu CLXXX. mill. peditum, & CXX. mill. equitum, primùm omneis Samariæ urbeis; Galilæam, Scythopolim, & Galaadinn, evertit; sed Hierosolymam etiam obsidione cinctam, cepit & diripuit. regemque Ioacimum, vel captum in Babylonem abduxit: quem tamen tribus pòst annis restituerit. vel in ordinem redactum, iterum sibi tributarium fecit.

Massæ. (nescio an ex Hebræis) tradit NECHAON, copijs Ægyptiorum, Æthiopum & Lydorum, instructum, venisse ultum iniuriam sibi factam; ob Assyrios, vel socios sibi, vel vectigaleis, regno exutos, & in Babylonem abactos. Et anno IV. Ioakimi, in captivitate detenti, prœlium apud Carchamin commissum. quo uterque rex ceciderit. (Chaldęos tamen victores, loca ab Ægyptio præoccupata reciperásse. & tunc Ioacimum regno restitutum.)

Vt tum quidem, & PSAMMETICHO, PIAMMYN: (quem annis VI. in Æthiopiâ bellum gessisse tradit) & Nabopol-Assari, Nabuchodonosorem successisse, sit probabile.

Hierem. certè, (c. 46.) eiusdem prœlij meminit; & Ægyptijs ibi auxiliareis, Æthiopas, & Libyas scutatos, & Lydos sagittarios, commemorat.

Et ex ijs prophetæ verbis: *Fortis impegit in fortem, & ambo pariter conciderunt, &c.* utriusque regis occasus, eo in prœlio, haud abs re colligatur; & memorabilis tum fuisse Ægyptiorum clades.

NABVCHODONOSOR (qui XLIII. deinceps solidis annis regnavit) Ioacimum regem cum parte Vasorum Templi asportavit: eaque Babylone, in patrij Dei fano, collocavit.

Ac permultos regiæ stirpis proceres, ceu obsides, (inter quos DANIEL, ANANIAS &c.) & ad III, hominum, è Iudæâ & Beniaminià Tribubus; eoque amplius millia, plerosque ex Hierosolymitanà nobilitate delectos: & è reliquâ Israëlitarum gente, ad septies mille, secum abripuit.

Intereà dum Palæstini & Syri barbarorum armis evastantur; GRÆCIA Sapientum institutis, & cultu politico efflorescit.

SEPTEM enim, qui vulgò celebrantur, SAPIENTES, hinc ad Crœsi usque tempora floruerunt. eorumque ætati paullo-pòst ubertrimus Lyricorum poëtarum fœtus successit,

Hoc autem I. anno, Nabuchodonosorem non potuisse capere aut evertere Niniven (quod Hebr. c. 24. Chron. & Genebr. alijque adfirmant) sic evincit Ribera. 1. Quùm illum, I. anno Hierosolymam, cum rege, cepisse, certum sit; eàque in re multum temporis insumtum esse: tum certè urbem Niniven, tot regnorum dominam, capere; aut imperium, tum etiam florens, evertere, eodem anno non potuit.

2. Idem (teste Iosep. contra Appion.) VII. regni sui anno, Tyrum, obsidione, in XIII. annos protractâ, vix tandem expugnavit.

3. Ninive non antè capta aut vastata est, quàm Alexandria Ægypti metropolis. (Nahum cap. 3. *Numquid melior est Alexandriâ populorum? Sed & ipsa ducta est in captivitatem, &c.*) Cepit autem ille Alexandriam anno regni XXIII. (Ioseph. l. 10. c. 11.)

Itaque NINIVES expugnatio, quam Herod. tribuit Cyaxari; eadem esse cum hâc, quæ Nabuchodonosori tribuitur, meritò videatur. quùm tempora utriusque pænè conveniant. Eâ de re inf.

Et suprà diximus. ASTYBAREM, Medorum regem, (qui & Cyaxares) à Nabuchodonosore, in huius belli societatem fuisse adscitum.

Hic item alij volunt, Ioacimo in Babylonem abducto, regnum triennio vacâsse. Alij regem in regno relictum, tributa sibi imperata, Babylonio victori, per triennium, dependisse. Quæ ubi posteà solvere detrectat; & apertâ rebellione à Babylonio ad Ægyptium descicit; extremis se, regnumque suum, calamitatibus involuit.

DANIEL PROPHETA.

Intereà DANIEL, ex Tribu Iudęâ, vico Betbebero, haud procul Hierosolymis, natus, (Alij eum duo, Alij, quin-decennem, fuisse tradunt, quùm abductus est.) quem nuper à Nabuchodunosore, unà cum alijs obsidibus, in Babylonem transductum esse, memoravimus. & inter cæteros, claro genere, & ingenuâ facie pueros, ANANIAM, MISAELEM, & AZARIAM, è stirpe & cognatione regiâ. quos, mutatis nominibus, Babylonij: BALTAZAREM, SIDRACVM, MISACVM, & ABDENAGONEM, dixére. disciplinis & litteris Chaldaicis sedulò in Aulâ instituebatur; & per Spadones liberaliter curabatur.

Quùm verò rex eum, unà cum Sodalibus, cibis delicijsque regijs curandos præcepisset; idque negotij Asphanę Eunucho dedisset; Ille. patriarum traditionum memor, ne ex mensâ regiâ cibis profanis, aut vino participaret; ab Eunu. ho poposcit: V *leguminibus & palmulis, & aquâ tantùm vesci sinerentur.*

Excusante id Asphane, ne dissimulatum regis imperium consecutura macies proderet: *Daniel,* Deo fretus, polliceri ausus est: *maiorem in vultu & ore ipsorum venustatem, ex leguminum esu, quàm ex cibi regij delicijs, enascituram.*

Fidelque dictis post decem dies adfuit. ut aliorum, qui principali ciborum adparatu fuerant procurati, & vino, atque epularum varietate suffarti; vultus, minimè cum ipsis essent comparandi.

Illi igitur in honore & gratiâ habiti, prudentiâ etiam & disciplinâ, reliquis regiæ aulæ ministris, ante-lati sunt.

(Iosep. putat eos exsectos fuisse. quemadmodum aliarum gentium captivis, formosis præsertim adolescentibus, fieri tum soleret.)

DANIELI autem. præter sapientiam, omniumque disciplinarum scientiam, quæ illi cum tribus Socijs suis communis; Deus etiam arcanam, certamque somniorum & visorum interpretandi, facultatem impertitus est,

(Anno Ioachimi circiter VII. SERVIVS TVLLVS, VI. Roman. rex, XLIV. ann.)

Idem DANIEL (cui Sulpit. annos ætat. XII. tantùm adsignat, cum huic, quod commemoro, iudicio intercessit) SVSANNAM, Helciæ filiam; Ioacimi, viri inter Hebræos, apud Babylonem captivos, primarij, coniugem; quam Iudices duo, è Senioribus, de stupro compellârant, & à matronâ pudicâ repulsi, capitali adulterij crimine, malignè & falsò, condemnârant; ipse intercedens, innocentem, pœnâ in Iudices, flagitij & falsi convictos, reiectâ, liberavit.

Deferebant illi senes; Adolescentem quemdam, cum nuptâ, remotiore horti angulo deprehensum à se, qui iuvenili agilitate imbecilliorum manus effugisset. Illis fides habita, & Susanna populari mox iudicio damnata est.

Quæ quùm ex legis publicæ præscripto ad supplicium duceretur; DANIEL, etiam-dum puer, increpitis Hebræis, quòd innocentem temerè capitis damnâssent; reduci eam in iudicium, caussamque denuò audiri, postulavit.

Multitudo, quæ tum aderat, non sine Dei nutu existimans, contemtæ ætatulæ puellum, in eam intercessionis constantiam prorupisse; studio voluntatum accommodato, in concilium revertitur.

Et repetito iterum iudicio, Danieli, ut inter maiores natu resideret, sententiamque diceret, delatum est. Separari accusatores iubentur. Et ex ijs unum, deinde alterum interrogans, sub cuius generis arbore adulterium deprehendissent; ex responsi disconvenientiâ, ipse falsitatem deprehendit.

Reâ absolutâ, Actores senes, quod innocenti periculum creaverant; capite, (veriùs, saxis, aut flammis,) luérunt. (Vid. inf. ex Hieremiâ.)

Rex verò IOACIMVS, sive gravissimæ servitutis onere depressus; & nuperæ iniuriæ indignitate, odioque, in Babylonium irritatus. (qui ipsum tamen, vel datis obsidibus & pignore, tributarium in patriâ reliquerat; vel triennio pòst, è captivitate, in regnum restituerat)

Sive Ægyptio regi, à quo fratri Ioachazo initiò in regnum, uti maior natu, fuerat sobrogatus; addictior. quùm iam rebellionem animo captaret, non modò Babylonium regem, eiusque Satrapas, vicinarum provinciarum Præfectos, inimicos capit; sed Deum etiam ipsum. cui ut temeraria fidei, hosti datæ, violatio, & perfida obsidum pro se traditorum neglectio; ita magis, obfirmati ad impietatem, & ad Vates susque deque habendos, animi, in adflicto & deserto rege, contumacia, displiceret; gravissimè in se irritavit.

Nam modò Chaldæi & Syrij modò Moabitæ & Ammonitę, ecu quasdam prædatoriæ manûs turmas, in Iudæam immiserunt. Et Deus istiusmodi calamitatum præludijs, universam gentem sibi, ob impia veterum regum. & Manassæ potissimùm, facinora, invisam, extremæ noxę dedere decrevit.

Sic Hierem. c. 22. *Hac Dominus ad Ioakim: Non plangent eum. Sepulturâ asini sepelietur. Dixisti: Non audiam. hac est via tua ab adolescentiâ tuâ. quia non audisti vocem meam.*

Quùm sub idem tempus HIEREMIAS, ex Dei præcepto, RECHABITIS; hoc est, Rechabi illius (de quo 4. Reg. 10.) posteris & nepotibus (qui metu belli, ex agris in urbem confugerant. Sic enim de ijsdem Hierem. c. 35 *Cum Nabuchodonosor adscendisset ad terram;* Diximus: *Venite, & ingrediamur Hierusalem à facie exercitûs Chaldaeorum; & à facie exercitûs Syria. & mansimus in Hierusalem.*)

Quùm ijs, inquam, in Templum introductis, vinum plenis scyphis bibendum prębuisset: & illi, aviti præcepti, quo à vino abstinere iussi erant, memores, à tali potu abhorrerent; & in præsentiâ, præfractè piéque abstinerent: DEVS hoc illorum, tam abstemiorum, exemplo, depravatos Iudæorum aliorum mores patefacere voluit. quòd cum illi patris sui mandata tam constanter servarent: ipsi contrà, tot Vatibus, à Deo missis, obtemperare; & à facinorosâ vitâ atque impietate desistere, obstinatè defugissent.

Idem tum Vates, à Deo iussus, omnes calamitates, quibus Israëlis & Iudæ regna, aliasque genteis, oppressurum esse multo-antè præsignificarat, in Codice describere. ut ex terribili earum rerum recitatione, vel tum denique & vitam in melius commutarent, & Deum sibi propitium redderent.

Ipse, ex vinculis, BARVCHO, Neriæ F. primùm eadem scribenda dictavit. Deinde, ut indicto antè ieiunio, ad populum universum in Templo, palàm recitaret; præcepit.

3376. | Quod factum v. regis Ioacimi anno, mense IX. | 574.

Hic autem arcessitus à primoribus Aulæ regiæ, dum eadem ex codice, quem adferre iussus erat, recitaret; plerosque in stuporem dedit.

Et antè quàm res ad regem deferretur, illi, ut & Hieremias, qui dictârat; & ipse BARVCHVS, qui exceperat; sese aliquò abderent; amicè commonefecêrunt.

Vix namque pagellæ aliquot, per Scribam, eo ex libro, regi erant perlectæ; quùm ille arreptum cultello conscidit: & obtestantibus contrà primatibus, in medium hibernæ arulæ ignem coniecit.

Neque hoc tam gravi scelere contentus, Vatem, cum Scribâ, comprehendi iussit. Sed illi, uti dictum est, latentes, principis iram effugêrunt.

Et BARVCHO (Hiere. c. 45.) ob molestias cum Vate exanclatas, DEVS incolumitatem, passim & in medijs patriæ tribuliumque cladibus, ultrò spopondit. Atque istud regis factum tam molestè tulit; ut non modò Hieremiam, alterum eiusdem argumenti & sententię codicem dictare, & additis permultis, describere iusserit; sed regi etiam ex se nuntiare: *Non superfuturum ex ipsius posteris, qui regiâ posthàc cum potestate populo præsit. Quin etiam proiectum & sub dio expositum iri eius cadaver. Ipsumq́, cum liberis & domesticis, gravissimas tot antè scelerum daturum pœnas. Eaq́, mala ipsis eventura esse, quæ cum prædicta essent, pro nihilo tamen putâssent.*

3379. | VIII. regni anno, (is IV. erat Nabuchodonosoris. | 571.

(Iosep.) Babylonij, iustis cum copijs, Iudææ bellum inferunt. & dira regi Ioacimo minantur, nisi tributa, more cęterarum Syriæ gentium, pendere sibi perseveret.

Ille metu perculsus, & ab Ægyptijs desertus, pacem pecuniâ redimit, & imperata facit. (Sulpit. vult, determinatis inter Ægyptium & Assyrium Imperij finibus, convenisse, ut Iudæi ad Babylonem pertinerent.)

3382. | Verùm, labente iam XI. regni anno. | 568.

Ille, Ægyptiæ advuersus Babylonios expeditionis rumoribus, ad vanas spes inductus, tributum detrectat. contrà, quàm ab Hieremiâ quotidianis pænè ominicijs moneretur, ne ullam in præsidio Ægyptiorum spem poneret.

Tunc demum Nabuchodonosor, misso è Babylone exercitu, Ioachimum, iam manifesto perfidię crimine obstrictũ, ob fœdus cum Ægyptio, hoste suo, ictum; captâ mòx vrbe (quam Hieremiæ monitis territus, tueri non ausus, ultrò ipse dedideratt) comprehendit, & catenis vinxit. Et primùm Babylonem in compedibus abduci; deinde ex itinere retractum, interfici iussit, & extra urbis Hierosolymæ mœnia proijci cadaver, bestijsq́ue ceu pabulum obiectari. Sic Hebræi.

Alij, in ipso Babylonis campo. Alij, in ipsâ urbe, Babylone, id factum putant.

Iosep. scribit, Nabuchodonosorem, amicè ab incolis receptum, fidem non servâsse: sed unà cum rege deditito, florem Hierosolymitanæ iuventutis interfecisse.

Scal. Post Iosiam, nullum regem Iudæ, in avitis sepulcris repositum fuisse: neque ex quattuor successoribus ullum in patria obijsse.

Idem tamen IOACIMVS (4. Reg. 24.) cum patribus suis dormijsse traditur; (quod quidem ijs, qui in patriâ moriuntur, & in patrita monimenta inferuntur, congruit) Vel simpliciter, commune cum maioribus naturę debitum exsolvisse: vel post tam ignominiosam & suburbanam cadaveris sepulturam, an iacturam! ossa eius, cum reliquijs. collecta, in profanum, idemque cum avo & proavo sepulcrum, (de quo sup.) in tantâ regiæ propinquitate, & caritate, etiam clanculùm importata fuisse; intelligi posit. (Hierem. 36. c. de eodem: *Cadaver proijcietur ad æstum per diem, & ad gelu per noctem.)*

Atque hunc quidem Vatis Hieremię, de eodem rege, prædictio, habuit exitum, qui XXXVI. ann. vixerit, & XI. serie licèt interruptâ, regnârit. De eodem, Ezechiel, c. 19. *Leonem appellans.*

Iosep. Eo tempore à Nabuchodonosore, III. ex Iudæis millia, qui genere aut dignitate inter suos præstabant, in captivitatem abducta: & in his puerum EZECHIELEM, commemorat. Et Hebr. Chronicon, longè maiora addit. Quæ tamen paullo-pòst evenisse, longè est probabilius, magisque Sacræ historię consentaneum.

Hierem. (c. 52.) *Iste est populus, quem transtulit Nabuchodonosor in anno VII.* (Hebr. post subactum Ioacimum) *Iudæos ter mille, vigintitres.*

At Euseb. ex Polyhist. Alexand. A victore, aurum & argentum, & cætera, quæ in Templo fuerant; asportata esse. præter Arcam, & Tabulas; quæ ab Hieremiâ, ceu depósita, custodiebantur.

Sed quoniam idem Iosep. l. I. cont. Apion. refert, ex Phœnicum scriptis, Nabuchodonosorem VII. regni sui anno, (hoc est, X. Ioacimi) Tyri obsidionem cæptâsse, ITHOBALO tum Tyriorum rege. quę in treis & decem annos fuerit protracta: (sive ad XX. eius regni annum, sive ad alterum à capto SEDECHIA) Vero-simile est; Istiusmodi rerum gerendarum, & vindicandæ libertatis opportunitate adductum, IOACIMVM rebellâsse. & Babylonium, relictâ ad Tyrum copiarum parte, gessisse ea in Iudæâ, quæ extremo eiusdem Ioacimi anno, & initio filij Ioachini, commemorantur.

IOACHINVS, QVI ET IECHONIAS, REX IVDÆ.

3383. Intereà, ex victoris, uti videtur, arbitrio, (Genebr. A populo constitutum vult. Mass. A patre ipso Ioacimo, in regni societatem adscitum, anno 2.) regnum capessit, 567.

Ioachinvs F. matre Nohestâ, Heb. Nechustâ) Elnathani filiá, Hierosolymitide.

Anni ætatis, (4. Reg. 24.) ei tum attribuuntur, xiix. At 2. Paral. 36. Anni viii. Puer certè octuennis vix capax est doli aut iniquitatis, quæ tamen Ioachino imputantur.

Heb. itaque, & Mass. hæc ita conciliant: Ipsum, puerum octuennem, unà cum patre per decennium regni res gerere cæpisse: & iam duodevicennem statim à patris calamitate, regnum vel ab Assyrio, vel à populo delatum, adijsse. quod iii. mens. supra x. dies, tenuerit.

Atque hinc fortasse Fregevilla xi. regni annos illi attribuat. Genebr. annos quidem ætatis xiix. habuisse, cum regnare cæpit; sed iix. à captivitate; sive à i. Nabuchodonosoris, cuius beneficio regnum inibat.

Ioachimi deportati loco, frater eius Sallvm, Iosiæ F. Iechoniæ infantis patruus, nomine tutoris vel proregis, regia munia obiens (Hierem. cap. 22. & 36.) rex esse, & paterno solio insidere dicitur. Capell. verò; Quia xiix. Iubilæi anno regnare cæperit; totidem ætatis annos ei tribui.

Cæterùm, neque ipse Ioachinvs à paternis sceleribus, & manifestâ in Deum impietate, abstinuit. Et Deo agente; (cui constitutum erat, Iudæam gentem captivitati, & quasi internecioni dare) regis Babylonij iram in se concitavit.

De hoc rege, inter cætera, Hierem. c. 22. *Dicit Dominus; Quia si fuerit Iechonias, F. Ioacimi, annulus in manu dextrâ meâ, inde evellam eum. Dabo te in manu Nabuchodonosoris & Chaldaeorum. Mittam te, & matrem tuam, in terram alienam, ibiq; moriemini. Nec erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Davidis.*

Hunc esse *Leunculum* illum, *qui rugitu suo Iudaeæ monteis exterrefecerit*; de quo Ezech. 19. putat Mass. quùm potiùs id de patre dictum videatur.

Et quæ ibidem c. 17. de *Medullâ cedri sublimis, & de plantato super montem excelsum &c.* dicuntur: de hoc Iechoniâ (ex cuius semine omnes deinceps familiæ Iudææ principes, ad Christvm usque, exorti sunt. licet sine regiæ dignitatis fastigio) interpretari possimus.

Nabvchodonosor autem, quem regni Ioachino delati mox pœnituerat; & è pravo cane probum catulum progenerari non posse, (sic Hebr.) coniectabat. (Ezech. *Catulus inter leunculos enutritus*) & in suspicionem venerat; ne patris quandoque sui necem ulcisceretur: & inito cum Ægyptijs fœdere, populareis ad defectionem impelleret: Duces suos cum copijs ad Hierosolyma transmisit, qui urbem suspectam vallis, aggeribusque circumcingerent.

Intereà ipse cum alteris copijs, quidquid vel nuper, vel antiquitùs, à Pelusio, ianuâ & arce Ægypti; ad flumen usque Euphratem, Ægyptiæ ditionis censebatur; victo hosti extorserat. Vt ille pedem è terrâ suâ efferre, nedum alijs opitulatum ire; deinceps non præsideret. (Hierem. 46.)

Rex itaque Ioachinvs, naturali bonitate præditus, (sic Iosep.) & æqui etiamnum retinens; ne Civitas suâ caussâ graviùs periclitaretur; traditis obsidibus, inter quos mater & cognati; cum ducibus Babylonij exercitûs, fœdus in castris icit; eâ lege: *Vt ne vis ulla civitati, aut incolis, hostiliter inferatur.*

Quas conditiones quùm Nabuchodonosor non acciperet; vel (ut Ioseph.) fidem à suis ministris datam servare nollet; ipse maiore cum manu ad civitatem, quæ vallo fossâque iam septa tenebatur, oppugnandam accessit. vertente iam anno à patris Ioacimi cæde.

(Caietan. interregnum hîc fuisse putat, ob cladem in Hierosolymis à Nabuchodonosore exercitam.)

Rex Ioachinvs, monente sic Hieremiâ, qui, Deo instigante *urbem* quidem *pro tempore vastandam, & populum abducendum* prædixerat: sed fore, *ut non penitùs interiret; & is quandoque reversus, Hierusalem cum Templo readificaret.*)

Ne civitas cum Templo ab irato hoste, flammis funditùs concremaretur, ultro ex urbe egressus, sese, unà cum matre, Palatinis & principibus, Babylonij potestati, iii. regni mense, permisit, & dedidit.

Quibus ille quasi in fidem acceptis (anno iix. regni sui: qui Hierem. c. 52. Septimus est, à priore scilicet Ioacimi captivitate) universos Templi & Regiæ thesauros ad se adportari; & Vasa aurea, quę tot antè sæculis à rege Salomone adfabrefacta, sacris Templi ministerijs fuerant consecrata; concídi conflaríque iussit.

Neque regem modò cum matre & uxoribus, atque Eunuchis & optimatibus; sed decies etiam mille ex Hierosolymitanæ iuventutis flore delectos: (quorum alij regionum principes, & Iudices; aut ordinum militarium ductores. Alij varijs artificiorum generibus exercitati, & periti quovis in opere architecti; gemmarij, & annularij. (Clusores, qui gemmas auro concluderent. Claudere enim & Includere, fabrilis artis verba, operi λιθοκολλήταις conveniunt. Hieronym. in 24. c. Hierem. *Fabros & inclusores.* Vel legis interpretes atque doctores: vel artifices, inclusoresque auri & gemmarum, accipi vult.

cipi vult. Quæ ars apud barbaras nationes pretioſiſſima fuit)

Quorum ſcilicet, uti nimis pretioſorum opificum, operæ tenuibus terræ vacuæ colonis, & reliquijs, minimè futura erat neceſſaria; ita peregrè uſui eſſet victori us.

Quidquid denique vel militari robòre præſtans, & vindicandæ libertati idoneum, & locuples: Rex Babylonius, captivorum in ſpeciem, Babylonem traduxit. Relictis (Sever.) ijs, quorum imbecillitas aut ætas faſtidio victoribus fuit. ut turba, ſervitio inutilis, exercendis ſaltim agris, ne incultum maneret ſolum, deputaretur.

Hebr. tradunt III. millia ex Tribubus, Iudæâ & Beniaminde: VII. reliqua mill. ex cæteris Iſraëlitis fuiſſe.

At in minore Chron. recenſent, Centena & octena captivorum mill. Ibique, Forteis, interpretantur; In legis doctrinâ, & defenſione conſtanteis.

Ioſep. ſupra myriadem captivorum, addit octingentos Triginta duos. Id verò, Hierem. c. 52. refertur ad annum Nabuchodonoſoris XIIX. Migràſſe autem Ioachinum, anno IV. hebdomadæ, medio Iubilæi, & (ut Scal.) id accident, diebus circiter LI. ante neomeniam Tiſri.

EZECHIEL PROPHETA.

Quumque rex unà cum proceribus Babylonem traduceretur; EZECHIEL, cum plebe, rum captivus, amandatur in parteis Chaburræ fluvij. Qui Ezech. I. CHOBAR dicitur. quemque Strabo χαβώρραν; Ptolem. Aboran, dixére. nec tamen hunc à navio Regio diſtinguunt. Quod nihilo minus Caſaub. Notis in Strab. adverſus Scalig. tuetur. (Eâ de re inf.)

Tunc & MARDOCHÆVM abductum volunt, Eſther, 2. c. Sed nobis hic alius eſt: vel potiùs Cis, atavus Mardochæi, inter captivos unus. Hinc Genebrado & alij initium ducitur *Captivitatis*, ſive *Tranſmigrationis* & Dominationis in Iudæos Babylonicæ. quam LXX. ann. duraturam prædixit Hierem. c. 25.

Quamvis Hebræi eam ordiantur ab XI. Sedechiæ. vel à IV. Ioacimi, unde Hiſtoriam ſuam auſpicatur Daniel, qui fuit I. Nabuchodonoſori. Vt & Iechonias, & Sedechias Babylonicæ aliquanto Tranſmigrationis temppre regnâſſe cenſeantur.

Huc ſpectat c. 17. Ezechiel. de *Aquilâ grandi, qua venit ad Libanum, & tulit medullam cedri. & tranſportavit in terram Chanaan, &c.* Hoc eſt; Venit rex Babylonis in Hieruſalem, & adſumſit regem & principes eius; & adduxit eos ad ſemetipſum. Babylonem, Chananææ propinquam.

Et ſuſtulit de ſemine regni, MATHANIAM, F. Ioſiæ regis; patruum Ioachini. (qui & SEDECHIAS). *percuſſitque cum eo fedus, & ab eo accepit iusiurandum.* Sed *& forteis terra ſuſtulit: ut ſit regnum humile, & non elevetur.*

SEDECHIAS, IVDÆ REX POSTREMVS.

3383. | ———————— | 567.

NABVCHODONOSOR ademtis ita viribus, exhauſtum, & quaſi inane, atque adeò precarium regnum reliquit Mathaniæ (al. Matathiç) regis Ioachini patruo, Ioſiæ filio, nomenque ei Zedechiç impoſuit, (quod ſonat *Iuſtitia mea Deus.*) Vt vel iuſtitiæ in rebus adminiſtrandis commoneretur; vel fidei ſibi ſervandæ; quam iureiurando, & implorato ſummi Dei numine, dederat. Vel, ſi perfidiæ crimine, ſeſe obſtringere pergeret; pareis cum fratre Ioacimo violati federis pœnas exſpectaret. Qui nihil ſe rerum novarum in regno tentaturum; neque ſocietatem aut fedus cum Ægyptio initurum, ſpopondiſſet.

Hic germanus & uterinus fuit regi Ioachazo, ex matre Amitalâ; Hieremiæ, è Lobnâ, filiâ. Fallitur Ioſep. qui Ioachino regi ὁμομήτριον ſtatuat)

Cæterùm, quùm annos natus XXI. regnum iniſſe tradatur, annis poſt Ioachazum, ſive Sellumum, XI. & ipſe tum IOACHAZVS, quùm regno inauguratus eſt. annor. fuiſſe XXIII. conſectarium ſit, eumdem anno vitæ Ioachazi XXIII. ſive regni eius initio, annorum tantum fuiſſe X. ſeu tredecennio minorem, quàm Ioachazum; & quindecennio, quàm Ioacimum.

At quo pacto (I. Chron. 3.) iſte Zedechias, ponitur, ordine ortûs ſui, ante Sellum, ſive Ioachazum? An fortè, quod breviſſimi temporis, quo regnavit ille, ratio non habeatur! At Ioacimus & Sedecias, undenis uterque annis regnârunt. Quæratur à curioſis. & Vide quæ ſup.

Ipſe autem, qui captivitatem, ob delicta populi, & priorum regum, ceu cladem illatam, ſuſque deque æſtimaret: atque immò flagitijs etiam ſuis, & impietate, deceſſorem Ioacimum exæquans, Deum graviter offendere perſeverabat. & poſtremis denique malis debiins, infido ingenio, regis Chaldæi iram in ſe concitavit: ut ſponte ſibi ſuâ perniciem arceſſiſſe cenſeatur. ſive potiùs, iuſtitia Dei, tam longinquæ in ſuo populo obſtinationis impatiens: homini ut impio, ita perfido, regnum commiſiſſe: quod Dei eiuſdem ope deſertum, barbarus, victor, & Iuſtitiæ divinę adminiſter, funditùs tandem exſcinderet.

Neque enim rex tantùm in omnia flagitia & ſacrilegia pręceps ferebatur. & univerſi Sacerdotum principes, eorumque exemplo populus, Dei planè immemores, impuris profanarum gentium ſacris ipſum Templum, quod uti eximium Deus ſibi

Hiero-

Hierosolymis legerat & consecrárat) impunè contaminabant: Sed nuntij etiam, & prophetæ, quos DEVS, de publicâ dilectæ sibi hactenus gentis salute, Templique sui incolumitate, sollicitus, submittebat; irrisi sunt, & indignis modis tractati.

Vt morbo insanabili extrema tandem divini furoris canteria deberentur.

Verba illa Hieremiæ. *Væ tibi ædificanti domum iniustè:* huic Sedechiæ adsignant; quem Sallumum esse putent. qui in tantâ Iudææ clade, morti delicias faceret; victorias somniaret; & Iudæos ad idolomaniam magis magisque induceret.

Sub id tempus, post translatum nuper, in Babylonem, Iechoniam, viso duorum calathorum ficariorum; quorum unus præcocibus sive maturis ficubus; alter grossis, sive mariscis, erat complectus: divinitùs, pro foribus Templi ostentato; HIEREMIAS fit certior;

Voluntarios quidem illos, cum rege suo, exsules, Deo curæ fore, & optati in patriam reditûs compotes. Sedechiam autem, cum reliquis, qui vel Hierosolymis remansissent; vel in Ægyptum commigrássent; omni calamitatum genere oppressum, & exterminatum iri.

Idem Hieremias, c. 49. sub initium regni Sedechiæ, Ælamitis (qui Persæ sunt & Medi) cladem prædicit; quâ per vim è sedibus suis exacti, & regibus orbati, in varias genteis dissipentur; & denuò restituantur.

Idem multo-ante vincula, & è ligno catenas, collo suo inijcere à Deo iussus; nunc tandem, Sedechiâ regni potiente, easdem, ad Reges; Idumæum, Moabiten, & Ammoniten, Tyrium & Sidonium, per legatos eorumdem, (qui vel salutandi novi regis; vel federis, adversus communem hostem, Babylonium, iungendi, caussâ, Hierosolymam advenerant) hisce cum minis, transmisit.

Deum, in cuius manu omnis terrarum sit potestas, velle; ut gentes omnes, earumq́ reges, colla sua Nabuchodonosori regi, eiusq́ posteris, ad statum usque tempus, subijciant. Rebelleis, gravi clade prostratum iri: obsequiosos, tutò patrijs in sedibus commoraturos.

Eadem iussa, apud Sedechiam regem, & sacerdotes ac populum, non sine commiseratione, ingeminat. ut servitutem hanc sub Nabuchodonosore, patienter ferant, potiùs, quam gladio ac fame, vel peste, rebelles ipsi, profligentur: & civitas, cum Templo ad exitium & vastitatem redigatur.

Alioqui, si vanis Vatibus aureis præbere pergant; Vasa, quæ victor adhuc reliqua fecit Templo & Regiæ, ab eodem, brevi asportanda.

Deinde, usus, uti videtur, opportunitate legatorum, Elusæ & Gamariæ, (quorum ille Saphani; hic Helciæ FF.) quos, pro re natâ, SEDECHIAS ad Nabuchodonosorem, in Babylonem, amandabat: iussu Dei, ad eos, qui in peregrinam servitutem, cum Iechoniâ, Ex-rege, fuerant abducti, epistolam ex Hierosolymis misit.

Quâ primùm eos cohortatus est, aut potiùs imperavit: *Vt ibi domicilia, longinquioris exsilij sedes, ædificarent: hortos & viteis sererent: acciperent uxores & darent, prolique procreandæ vacarent.* Omniaque facerent, quæ pacati locorum incolæ solerent.

Deindæ commonefecit; *ne falsis prophetis, quos ipse Deus non misisset, fidem tribuerent.*

Postremò prædixit; simul-atque LXX. annorum numerus esset expletus; *fore*, ut ipsi quidem, *qui Deo eiusq́ Vatibus paruissent, & pacatè pieq́ vixissent; ab exsilio in patriam, ceu postliminiò, reducerentur. Illi autem, qui cum rege Sedechiâ, ibi remansissent, & transmigrare renuissent; fame, gladio ac peste, interirent.*

Et quoniam duo ex Iudæis captivis, falsi Vates, ACHABVS Coliæ, & SEDECHIAS Maasiæ, Filij: usurpato Dei nomine, tribuleis suos mendacijs in errorem inducebant; scripsit; Eosdem in Nabuchodonosoris potestatem mox venturos. & non modò mendaciloquij, sed gravissimorum etiam flagitiorum & stuprorum, quibus vel ipsas Sodalium suorum ac civium Coniuges corrupissent; pœnas lentis flammis, Deo iudice & teste, daturos.

(Hos duos Masæ. putat esse senes illos, qui SVSANNAM de stupro compellárant: (Daniel. 13.) & repulsi, falsò accusárant. Quos quùm Hebræi lapidibus, ex lege patriâ, obruere vellent; Rex incendio tradere maluit.)

Et quùm SEMEIAS Nehelamites epistolam è Babylone ad Sophoniam Maasiæ F. Sacerdotem, inter cæteros, transmisisset; quâ eum Sacerdotem à Deo designatum, Templi principem, & Ioiadæ succidaneum falsò iactabat:

Et datam ei potestatem, viros eos, qui furore quasi entheo instigati, isthic vaticinarentur, in vincula nervumque conijciendi.

Non tolerandam Hieremiæ Anathothitæ audaciam, qui suis ad captivos nuper litteris, omnem maturi in patriam reditûs spem præcidisset.

HIEREMIAS verò, hâc de re & calumniâ, per Sophoniam ipsum factus certior, rescripsit ad captivos: Hanc cladem Semeię & posteris eius impendére divinitùs; Vt *citâ ibi morte deleantur omnes; neque exspectatissimo illo præceleris in patriam reditûs beneficio umquam participent.*

Misit alteram ad captivos epistolam, (Baruch c. 6.) quâ significaret & præmitteret; *Annis ad ætates VII. in exsilio exactis, certum in patrios lareis reditum.* Eosque vehementissimè absterreret à cultu idolorum, quæ in Babyloniâ ipsis ob oculos erant quotidie obversatura.

Ibique totus est in eorumdem, ex auro & argento, ex lapide & ligno, Deastrorum vanitate, graphicè depingendâ, & despicatui ducendâ.

3387. Hebr. tradunt Sedechiam anno regni IV. ſuis comitatum principibus in Babylonem deſcendiſſe; ut bonam à rege Babylonio gratiam iniret. 563.

Vt vel aliquanto tributorum onere levaretur; vel captivi, manu-mitterentur. Et re ſorte au inſectâ, in regnum reverſiſſe. Niſi ad legationem, de quâ ſup. adludant.

Hierem. ſub extremum capitis 51. ait ſe ſcripſiſſe clades Babyloni eventuras; (capitibus 50. & 51. comprehenſas) & tradidiſſe librum SARAIÆ, Neriæ F. Maalię Nepot. ceu principi prophetiæ. qui tum unà cum Sedechiâ rege in Babylonem, hoc IV. anno, fortè erat profecturus.

Eique imperâſſe, ut poſtquàm Babylonem veniſſet, & vaticinia libro comprehenſa legiſſet; cum atteſtatione: *Locum illum ita à Deo diſſipatum iri, ut in perpetuam ſolitudinem abiret.* eumdem librum, ſaxo adligatum, in medium Euphratis alveum abijceret. & adderet: *Ita Babylonem eſſe ſubmergendam, ut è clade numquam in poſterum caput attolleret.*

Eodem anno IV. (quod Hierem. cap. 28. dicit principium regni Sedechiæ. quòd tum merum forſitan imperium ipſe à Nabuchodonoſore, qui Iechoniam Nepotem & pupillum, regni dignitate exutum, perpetuis apud ſe vinculis detinere conſtituerat; accepiſſet.) Et quidem menſe V. quùm unus è falſis prophetis, qui Hieremiam in invidiam & odium Sedechię adducere contendebant; Ananias Azuri F. Gabaonita, in Templo, & in Sacerdotum totiuſque populi conſpectu, Deum hæc prædicere confirmaret:

„*Se iugum Regis Babylonij confregiſſe: atque intra biennium effecturum, ut vaſa Templi, quæ Nabuchodonoſor inde ablata in Babylonem tranſtuliſſet; huc reportentur. & Iechonias, Ioacimi F. cum reliquis captivis, in regnum reducatur.*

Atque adeò Hieremias, qui aderat; & hanc Ananiæ vaticinationem falſam eſſe ſciebat; principiò dixiſſet: *Optare ſe ex animo tam proſperum rerum eventum.* qualem ille preſagiret.

Deinde addidiſſet: *Tunc denique intelligi, ex ijs prophetis, ſive recentibus, ſive vetuſtioribus; qui impendenteis regnis calamitates præſignificare ſoliti ſunt; illum, qui pacem ominetur aut vaticinetur, verè à Deo miſſum eſſe, cum id evenerit, quod prædixerat.*

Tum ANANIAS quidem, detractâ de Hieremiæ cervice catenâ, eâque confractâ; Deum hoc præterea dicere, palam adfirmavit:

Eumdem in modum, à ſe, poſt biennium, Babylonij regis iugum confractum iri.

HIEREMIAS verò, quùm priùs inde præ indignitate diſceſſiſſet, & Deo monente, mòx rediiſſet; nunciavit fore: *ut non tantùm pro ligneis catenis, quas ille diffregerat; ferrea, à Nabuchodonoſore, cunctis gentibus, ad LXX. uſque annos, inderentur; verum-etiam Ananiam illo ipſo anno, quòd Deo-mendacium dixiſſet, eſſe moriturum.* Quod quidem bimeſtri pòſt, evénit.

3388. Anno V. Sedechię, ſive poſt abductum Iechoniam, (Quem ipſe Vates XXX. dicit, ab anno videlicet Ioſię regis XIIX. ſive à Libro legis & federis, in Templo, per Helciam Pontificem, reperto. Aut, ut alijs placet; ætatis ſuę & natalium XXX. anno. At Scalig. refert ad epocham Nabopollaſſari.) V. die, menſis IV. 562.

EZECHIEL, Buzi F. Sacerdos, quem ſuprà diximus, unà cum Iechoniâ tranſmigrâſſe, (Ioſ. adhuc puerum. B. Hieronym. annos tum XXV. natum,) & ad flumen Chobar, ſive Chaborram. (Tradunt namque, inquit Plinius, Euphratem, Chobaris, al. Gobaris, pręfecti; opere, & iuſſu règis Babylonici, extra alveum, diductum, ubi finditur; ne pręcipiti curſu Babyloniam infeſtaret. ab Aſſyrijs appellatum Armalchar (Scalig. Neharmalcha) quod ſignificat Regium-Flumen. Vide ſup. ibi cum plebeiâ multitudine, in Chaldęâ, conſediſſe) vaticinandi initium fecit.

Et ijs, quos Hieremiæ dicto audienteis fuiſſe; ſeſeque ultrò in adverſariorum manus tradidiſſe; amarè pœniteret; propterea quòd urbs Hieroſolyma, quam ille paullulo-pòſt caſuram eſſe prædixerat; & iam-num incolumis ſtaret. Alteram totius populi captivitatem, longè acerbiorem, & ſupremum civitatis Templique exſcidium, (quod mòx ob regis Sedechiæ & civium ipſorum, vetera & nova ſcelera, eventurum eſſet) longo ſermone prędixit.

Cuius quidem vaticinij principium ac finis, tot myſterijs, tamque perplexis ſenſis ſunt referta; ut Hebræi tirones ab eorum lectione arcerentur.

Nam præter oraculum ingens, de *præpotente* DEO, *cui thronus, ſuprà Firmamentum, quod* IV. *animantium figuris & rotis imminebat, erat collocatus.* (Quo præter impendentem ab Aquilone cladem, vel IV. Evangeliſtę, vel IV. monarchię, ſignificabantur) iam demandato ſibi concionandi munere; *Iudicij divini arcana, & ſupplicia,* tam inveteratis Iudæorum flagitijs debita, mòxque obventura: *obſidionem & famem Hieroſolymæ: captivitatem populi, in varias orbis-terræ regiones diſpergendi: agrorum, & urbium, vaſtitatem comminatus eſt.*

Huc facit, *Eſus voluminis*, utrâque paginâ exarati, & futurarum calamitatum indicis. Huc, vinculorum

culorum *sibi iniectio : Obsidionis in lamellâ coctili adumbratio.*

Huc continens , de nocte , per CCCXC. dies, priùs in latus sinistrum, decubatio. (Quot quidem annis Israelitæ , ab IIX. Hieroboami anno , quo prædictum fuerat ab Abiâ prophetâ , Israëlem, ob regis tam impij flagitia, è terrâ suâ avulsum iri; ad XV. Desolationis annum; qui fuit Nabuchodonosori XXIII. quùm reliquiæ penitùs à Nabuzardane fuerunt exterminatę ; Deum sacrilegâ iniquitate offendissent.)

Deinde *in dextrum latus , per XL. dies.* (Quot vicissim annis Iudęi. ab anno Iosiæ XIIX. quo Deus irrevocabili sententiâ superiores minas , de Iudâ ob regis Manassæ peccata , pariter eijciendo, confirmarat. ad eum, quem dixi, civitatis desolatæ , sive Nabuchodonosoris, annum , in consimili adversus Deum pervicaciâ perstitissent)

Vt istiusmodi portento eorū crimina in se transferre , & quasi repræsentare ; diemque obsidionis atque exscidij fatalem certò prædicere , ab omnibus intelligeretur.

Hîc Genebr. In Sedechiæ, inquit, captivitate, desinit iniquitas populi Israël: quam Deus portandam imponit Ezechieli. (c. 4.) Duravit enim ann. 390. usque ad 20. Nabuchodonosoris. quo reliquiæ Israëlis & Iudæ in Babylonem abductæ sunt. (Hierem. 52.)

Hos 390. annos reperies à 30. Salomonis anno, quando ille à mulieribus alienigenis corruptus, idolomaniam amplecti cæpit ; ad Sedechiæ XI. sive Nabuchodonosoris XX. (Vid. Paraphrasim nostrā.)

Huc præthereà facit; *Panis*, ex omni penè granorum & leguminum genere, *miscelli; & fimo bubulo obliti; & aqua pauxilla, parca in singules dies admensio.* quâ fames in obsidione extrema portenderetur.

Huc. *capitis & barbæ detonsio: & tripertita capillitij resecti, igne, ferro, & vento , dissipatio.* Quæ partim peste & fame, partim hostili gladio , partim exsilio & servitute, civeis funditùs evertendos esse, ostenderet.

3389. Anno VI. & quincto VI. mensis die, (Hunc annum Hebr. volunt indicari Intercalarem, & XIII. mensibus constantem) Eidem Vati Deus, non sine inusitato glorię splendore, ostensus est. Et ipse per inane , vertice suspenso, è Chaldæâ, in Hierosolymam, abripi visus , & in Templum introduci. 561.

Vbi, inter cætera , intoleranda impurissimi sacrilegij propudia, SIMVLACRVM BAALI ab oppidanis colebatur ; & ipse Deus tanto scelere indidem expelli censebatur.

Deinde , OMNIGENVM ANIMANTIVM EFFIGIES, quæ in parietibus undique depictæ exstabant, IEZONIAS sacerdos, Saphani F. & LXX. è maioribus natu, circumstantes, ture accenso, devenerabantur.

Tum mulieres Hebrææ, solenni Ægyptiorum ululatu & lesso, ADONIDEM , Veneris olim delicias, delimentabantur.

Postremò , Viri , circiter XXV. tergis ad Templum obversis , *Solem Orientem , sive* MITHRAM, Persarum more, cultu & honore dignabantur.

Quæ cum omnia ab ipsis perficerentur, ut Deum tam immani ausu in se concitarent atque exasperarent; eum idem fore prædixit; Vt *furore* ipse & *irâ vicissim concitatus , parceret mox nemini ;* neque misericordiâ commoveretur.

Cuius quidem rei, mox eventuræ , indicia, hoc Viso patefacta. Visi namque VI. *viri* à portâ Aquilonari erumpere . *manus ferro armati.* Et *medius* inter eos, quidam , *veste linteâ accinctus,* cui in manu PVGILLAR esset; & de *zonâ Theca Atramentaria* dependeret. Ex quibus hic per mediam urbem transgredi ; & *fronteis* eorum , qui publicis sacrilegi populi flagitijs , piè, & non sine horrore, ingemiscerent , *notâ* THAV, (litteræ cruciariæ) *insignire.*

Illi verò eumdem præeuntem sequi ; & nullo sexûs ætatisve aut loci, discrimine , *cæteros omneis, alios à signatis , occisione occidere,* iussi sunt.

Et quùm iterùm inexplicabilis *Divinæ maiestatis* GLORIA , IV. *Cherubis , totidemq́ rotis innixa* (quale Visum ad Chobarem anteà conspexerat) sese Vati obtulisset , Vir ille , quem lino amictum fuisse diximus , ignem è medijs rotis rapere iussus, & in mediam urbem eiaculari.

Nec multo-post , Spiritus Dei , Vatem , sublimè elatum, in Orientalem Templi portam introduxit. In cuius vestibulo XXV. viri, IEZONIAM Asuri, & PHELTIAM, Banaiæ FF. populi principes , circumstabant.

Qui cum nefaria scelera mente tractarent; & facinorosa inirent adversus Deum consilia. & vulgò iactarent : *falsa esse Hieremiæ vaticinia.* quòd civitas , quam ille mox casuram prædixerat , recentibus ædificijs & incolis, magnisque quotidie incrementis, magis magisq́ue efflorescerent. *Eam* itaque, *lebetis : se* autem , *carnium instar esse.*

De illis contrà, & divinitùs, hæc prædicere iubetur.

Quoniam plurimos ipsi , eâ in urbe innocenteis & sanctos homines interfecissent ; eiusq́, vias cadaveribus complevissent. eorum , qui interfecti essent , cadavera, esse carneis. & hanc lanienam , quæ insontium sanguine innundârit, lebetem.

Vindicem Babylonij regis manum , illos perfidos, uti reformidâsse ; ita Ægyptijs auxilijs usos, arcére, & à se depellere voluisse : sed *ex urbe* mòx *omneis suâ eiectum iri , & in violentam hostium potestatem esse venturos. quod Dei præceptis non obtemperârint; sed gentium profanarum instituta vitamq́, sint imitati.*

Quùm interea PHELTIAS, quem dixi, de-subitò animam efflâsset ; eiusq́ue morte Vates consternatus , reliquorum mortem è-vestigio secuturam esse existimaret : Deus illum lugentem ac clamantem consolatus est ; promissâ eorum , qui ultrò unà

cum

sem re le om in exilium procul abierant, in im al an tion.

ult , DEI GLORIA, *Cheruborum alis & rot sa vecta;* am decimum *ab Æde sacra, & tandem ab urbe, recedens;* *super monte* (Oliveti) qui urbem ab Ortu despicit, *constitisse visa.*

Et ipse Vates ab eodem Spiritu in Chaldæam, ad captivos contribuleis, reportatus; iisdem omnia, quæ ipsi Deus ostenderat, commemoravit.

3390. | An v i i. videtur cæpta, licet lentius & interrupte, obsidert H rosolyma. quòd quidam quinquennè, sub Sedechiâ, idi nem constituant. Quamvis ex Hierem. cap. 39. Et 4 reg. 25. præsens ipse & impersonatus Nabuchodonosor, à i x. Sede iæ, ad x i. per biennium ferè interfuisse, tradatur. | 560.

Reliqui tres anni, antegressi, ad Duces ipsius pertinere cen ntur. qui captam tamen obsidionem solvere & haraoni obviàm procedere sunt coacti. 4 reg. c.

He minore, tradunt, anno v. Sedechiæ H ly am ab exercitu Babylonior. obsiden ; tam. extructis hinc inde munitionibus; & protractam obsidionem ad xi. usque regnantis Sedechiæ annum.

I l & c. 10. triennem eam facere videtur. Ait i a q i x. anno Sedechiam, novo cum Ægypt cedere c ntilium, adversùs Babylonium rebella Hierem. verò, c. 39. Duode-viginti mensium dioncin, iacit cui ipsemet Nabuchodonosor præfuerit.

te Ezechiel, suis Babylonicæ ad Chobarè cap is consortibus redditus, multis portentis, nius, & debitas pridem, Hierosolym j regique Sedechiæ, atque adeò univ l ex calamitates; modò *Collectis vasis, & sm a sv noctem transmigratione ac fugâ:* n *tibi potiùsq; sentient.* modò *falsorum vaticiniorum refutatione.* Et elegantissimis de V *Sponsâ deformi & ingratâ; Aquilis grandibus;* acerba, *Leanâ & Leunculis; Salsu & vento concremando. Gladio ad limam acuto; scoria st nni, ferri, & ærs; Geminis unius mulieris filiabus; ollâ æneâ & opimis carnibus;* aliarumque rerum *parabolis*, haud obscure præsignificat.

Inter cætera vero, hoc eodem anno v i i. mensis v. die x. quùm ad Vatem, maiores natu ex captivis, quasi l eum consulturi, & oraculum scitaturi, iterum accessissent. (Quòd vel de suis civibus, Hierosolymitanis, felicitos se esse fingerent: vel ipsos magis præproperæ è patria decessionis, & exsilij, quàm s lerum suorum, pœniteret) prius quidem ille elpo derat, Deo iubente, & intimos animi in con us sensus patefaciente.

Quotiescumq; homines, iniquis & impuris cogitationibus fœdi; & qui nihil aliud quàm simulacrorum cultum suis in pectoribus coquunt; sive Israelitæ cives, sive peregrini Israelitis adcensi; *Deum, interpretè Prophetâ, consultum venirent: nisi in viam properè reduxissent; seque ab omnibus flagitijs & vano in primis Deorum cultu, abstraxissent: Deum ipsum eis, per se, responsa redditurum esse.*

Effecturumque, ut eiusmodi consultores, sint exemplo in posterum cæteris; ac tandem pessimè intereant, unà cum Vatibus, qui in errorem illos induxerint.

Adeò, ut sive Deus, *Terræ*, quæ tantis sceleribus; *Famem, aut immaneis belluas; gladium, aut luem pestilentem, immiserit; ne sanctissimorum quidem*, & sibi olim atque in præsens carissimorum virorum, *Noai, Danielis, & Iobi, intercessione, placari possit*, quin ad internecionem deleantur.

Mitiùs tamen aliquantò sese cum Hierosolymitanis, *quadruplici illo divini furoris flagrorum genere* exercitis, acturum. Ex quibus pauca, quasi genti propagandæ reservati; & incolumes, unà cum liberis, in easdem exsilij, & captivitatis sedes, mòx essent adducendi. Nec minimo ipsis solatio futuri: Ex quibus & *scelera antegressa, & ærumnosos* longinquæ obsidionis *labores, iustissimamq; Dei ultionem*, intelligerent.

Deinde, responsi vicem, Ipse, uti Iudex ab eis delectus; primùm, suorum ipsis Maiorum scelera, & impia in Deum facinora, ducto iam indè, ab Ægyptiæ servitutis liberatione, initio, commemorare. Tùm sua ipsorum, qui in paria pravitæ impietatis vestigia etiamnum insisterent: atque adeò de Deo penitus deserendo, & ritibus Gentium amplectendis, cogitarent; ab oculos sibijcere iussus est. Non sine insigni divinæ in eosdem misericordiæ, & prosperioris in posterum status, post resipiscentiam, pollicitatione.

Sic & Hierem. c. 30. *Ecce, ego salvabo te de terrâ longinquâ; & semen tuum de terra captivitatis eorum. Iacob revertetur*, & cunctis adfluet bonis, &c.

Sub idem tempus, uti videtur, Hieremias, missis ad se à rege Sedechiâ; Phassuri Melchiæ, & Sophoniæ sacerdotis Maasiæ, Filijs rogatum; *An fortè Deus, pro pristinâ & admirabili suâ bonitate ac potentiâ, Nabuchodonosorem*, qui aperto bello iam Hierosolymis immineret, *esset à se depulsurus*; præcepit, vt regi renuntiarent, Deum hæc dicere.

Se tela bellica, quibus sese armarent; & cum rege Babylonio, ac Chaldæis obsessoribus, *pugnare præsiderent; retusurum, & in ipsorum capita conversurum. Iisdemque*, armis intra ipsa urbis viscera, enixè, & ingenti cum furore, *incolas debellaturum: & unà cum animantibus, peste omneis esse confecturum.*

Regem denique Sedechiam, & eius clienteis, & è populo reliquos, quibus pestis, fames & gladius pepercissent; *Babylonij regis lubidini tradíturum. à quo* sine misericordiâ, aut discrimine, *trucidarentur.*

Infimam verò multitudinem, propositâ mortis vitæve optione, maturè sibi ut consuleret sedulò admonuit. Civitate namque in manus Babyloniorum traditâ, & flammis exustâ, qui obstinatis animi in urbe remanserint *gladio, fame, peste*, universe *enecandos*. Qui in h dæ rum castrâ antè transfugerint; *vita incolumitatem in lucro positaros*.

3391. Anno IIX. (ut vult Ioseph.) quùm iàm rupto fœdere Sedechias apertè ad Ægyptium defecisset; inque eius fidem & tutelam se tradidisset. 559.

Atque, uti Hieremias cap. 34. innuere videtur, (in cuius Vaticinio, quoad historiam & temporis seriem, crebra est ὑστερολογία) NABVCHODONOSOR, rex Babylonis, cum omnibus copijs suis & regum sociorum auxilijs, ac gentibus, quas in ditionem suam paullo antè redegerat; ob regis Hebræi perfidiam, aperto iam Marte regionem Iudæam vastaret; & viam sibi ad Hierosolyma oppugnanda muniret. urbibus circum-circà captis, ut solæ, LACHIA ad occasum, & AZECHA ad ortum, superarent, & in pristinâ fide perstarent. Iussus est Hieremias regi Sedechiæ hæc Dei verbis renuntiare.

Vrbe in manus regis Babylonij traditâ, & flammis incensâ ipsum e fugâ clandestinâ comprehensum, in eiusdem regis potestatem venturam. Conspectu eius & colloquio coràm usurum, sed in Babylonem abducendum. Neque gladio interficiendum, verùm in pace moriturum: & solenni maiorum suorum pyrâ, non sine planctu, amburendum.

Ioseph. certè lib. 10. c. 11. tradit; hunc multo pòst mortuum, regiâ funeris pompâ elatum; & sepultum à rege in Babylone.

Atque adeò quùm ipse Hieremias, (cap. 52.) commemoret, regem victorem effodisse oculos Sedechiæ; vinxisse eum catenis; Babylonem abduxisse, & in carcerem coniecisse, usque ad ultimum vitæ suæ diem. In dubium meritò venniat; quod hi de pacatâ morte, &c. dicitur.

Eâ de re infr. Vbi de eius morte; quæ (iuxtà Hebr.) incidisse putatur in id tempus, quo in pristinum pænè honorem Iechonias, ab EVILMERODACHO, est restitutus.

Quùm verò EZECHIEL (cap. 12.) inter cætera, portento quodam prælignificâsset, Eumdem SEDECHIAM, rebus iam desperatis, *fugam moliturum*, ex obsessâ quidem urbe, humeris suorum clientum, *obscurâ nocte, & perfossâ muri macerie, capite velato, exportatum iri*. Sed custodijs hostium, ceu reti quodam, *andique coarctatum, & captivum, in Babylonem*, Chaldæorum regiam, *abducendum Neque tamen oculis suis eamdem ex[?]ly sedem usurpaturam*.

Quòd diversa dicere, & ab Hieremiâ dissentire videretur; factum est, ut rex Sedechias eiusmodi vatiemiorum veritatem elevaret. quæ eventus tamen vera esse comprobavit.

Hùc quoque pertinere censeatur, quod Ezechiel, cap. 21. divinitùs sibi ostensum prædicat. Nabuchodonosorem ex urbe Chaldæorum regiâ cum copijs, egredientem, ancipiti distractum cogitatione, & sententiâ, quasi in aquâ hæsisse; & utrò se verteret priùs. ad Rabbathæne Ammonitarum: an ad Hierosolymæ Iudæorum, regiæ; oppugnationem, arma ultricia adverteret; ambiguum habuisse.

Omni denique *ariolationis, extispicij, & vane, sive per manuum inspectum; sive per somnia, coniecturæ genere. & duaram sagittarum*, quæ vicem sortis essent, *commistione*, usum: Ad dextram tandem, cui obiaceret Hierosolyma, iter convertisse.

In quam omnifariâ bellici terroris machinatione vim hostilem exereret & regiæ perfidiæ, ac plebeiorum è muris in se ludibriorum, pœnas expeteret.

Et paullo-post Ammonitas, qui suarum urbium propugnaculis & firmitate aversum, Babylonium aliò reflexisse, vanè triumpharent, pari clade involveret.

3392. Anno itaque IX. decimo mense & die, artissimâ obsidione, fossis & vallis septam Hierosolymam circumsidebat NABVCHODONOSOR. 558.

Quo die & anno, Ioseph. putat illum, profligato iam Ægyptio, qui suppetias Sedechiæ venerat, iterum, obsidendæ Hierosolymæ, venisse.

Ezechiel vero c. 24. eumdem diem memoriæ mandare, & ad posteros transmittere iussus, quùm uxore tunc [?]rtè repentino fato amisisset, *planctu ea[?] aut lacrymis, aut ullo lugentis habitu, prosequi, prohibitus est. sed tacitis tantùm suspirijs tam cari capitis desiderium proderet*.

Fore enim mox, ut & *Templum profanari*; & imperij Persici decus everti: & *liberos suos*, quos ipsi non inviti Hierosolymis, uti loco tuto deposito reliquissent, *immaniter trucidari*, vel proculo intelligant. Neque tamen *in eâ rerum sibi carissimarum amissione ulla doloris indicia edant*: sed ipsa rei indignissimæ acerbitate oppressi, quasi dedoleant aut obrigescant. Quæ omnia brevi, ex uno eorum, qui è patriæ incendijs ruinísque elapsi, profugissent, essent planè cognituri.

Sub idem tempus, uti videtur, transmisit Sedechias Iuchabum, Selemiæ F. & Sophoniam eumdem, de quo suprà: ad Hieremiam, adhuc liberum, & à carcerali custodiâ immunem. *Vt suis apud Deum precibus, pro regis populiq́; salute, intercederet*.

Quùm iam commodùm Pharaon, Ægypti rex, certior de socij regis, & Hierosolymitanorum periculo, Gazâ obiter expugnatâ, cù copijs, obsidionis dispellendæ

dispellendæ, in Iudæam penetráſſet. Et Chaldæi contrà, vaſis quaſi conclamatis, & caſtris ad urbem deſertis, obviàm hoſti, manus conſertum, proceſſiſſent:

Hierem. c. 47. vaticinari iuſſus fuerat adverſùm Palæſtinos, antè, quàm percuteret Pharao Gazam. Hebr. Chron. tradit, exercitum Pharaonis, vaſtatâ Gazâ, rediiſſe in Ægyptum.

Vates itaque hæc regi, per conſultores, renunciari iubet.

PHARAONEM quidem, qui ſuppetias obſeſſis venerat; *re infectâ*, & vix tentatâ Martis aleâ. (Ioſeph. uno prælio victum, & totâ Syriâ depulſum) *eſſe ad ſuos dedecorosè receſſurum. Chaldæos* verò, ad cæptam obſidionem *reverſuros*, *qui urbem oppugnarent, caperent, atque incenderent.*

Ne rex itaque vanâ ſe ſpe induci, & in fraudem impelli pateretur, ab iis, qui Babylonios miſſam facturos eſſe obſidionem iactarent.

Quod tantùm abeſt, ut eveniat; ut etiamſi totus Chaldæorum exercitus, qui bello in præſens eos premeret, promiſcuâ cæde deleatur: & perpauci tantùm ex iis, vulneribus etiam confecti, ſint reliqui; ab iis, vel ſingulis, Civitas capi incendique debeat.

Quùm autem SEDECHIAS, gratiæ forte-an popularis cupidior, quàm Dei reverentior, anno iam 7. (quod erat Sabbatum Terræ CXXIV.) appetente: quo ex antiquâ Dei lege (*Deuteron. 15. & Exod. 21.*) ſervitia, aut nexi, ex Hebræo genere, ab heris manumitti ſolvique iuberentur; percuſſo, cum univerſo populo, Hieroſolymis in Templo fœdere.

(Quod quidem fœdus, cæſo in duas parteis vitulo; & tactâ, per medium, paciſcentium tranſitione, quàdam veluti utrimque imprecatione, firmabatur. Hierem. 34.)

LIBERTATEM, inquam, ille pronuntiâſſet: & ex pacto omnes, tàm Principes, quàm plebeii, ſervos ſuos, ex herili in poſterum poteſtate liberos eſſe iuſſiſſent, ac dimiſiſſent: Factum eſt, quâ neſcio voluntatum cōmutatione, (quùm, digreſſis Chaldæis, metu iam liberati ſibi eſſe viderentur. Sic Maſſ.) ut quos libertate donârant; in priſtinam ſervitutem iterùm abſtraherent.

Quâ de cauſâ, verbis Dei graviter ab Hieremiâ ſunt increpiti. Quòd quùm rem Deo gratam, libertate ſervis denuntiatâ; & ex communi pacto, atque adeò ſolenni, in Templo, fœdere, datâ; fecissent: nunc præproperâ perfidiâ, & inconſultâ levitate, DEVM, *libertatis ſeptennalis, an Quinquagenariæ! auctorem*, offendiſſent.

Ipſum itaque vicem repenſurum. Et, *pro ademtâ fratribus libertate, eos qui fœdus violâſſent, gladio, peſti & famei, tamquam immitiſſimis dominis, addicturum: & miſerabili omneis, per remotas genteis, exſilio diſperſurum. Eorumq́ cadavera*, qui cæſi bipertiti vituli cerimonias & iusiurandum neglexiſſent; *pabuli vicem, feris volucribusq́; obiecturum.*

Regem, cum Principibus, in manus Babylonii; urbem in flammas; agros univerſa regionis, in vaſtitatem traditurum.

Hâc autem liberatæ obſidione, urbis, & hoſtium aliò, uti diximus, digreſſorum, opportunitate uſus Vates, quùm ex urbe exire; & in Patriam, Anathotum, certi negotii cauſâ, familiæ, ex more, & in rem præſentem, hercifcundæ, ab agnatis poſtulatus, proficiſci cogitaret: in Ieriam quemdam, Selemiæ F. qui tùm fortè ad Beniamitidis portæ cuſtodiam excubabat, incidit.

Et ab eo, ceu perfugii ad hoſteis ſuſpectus, & comprehenſus, ad regios Principes adducitur. Qui iam antè infeſti, cum Ionathæ commentarienſi in ergaſtulum tradidêrunt.

Vbi quùm diu in ſqualore fuiſſet, à rege Sedechiâ eductus, & arceſſitus, & clàm domi rogatus; *Nūc ea omnia, quæ de captivitate, & urbis exſcidio, hactenus prædixiſſet, à Deo accepiſſet: Verè illa à Deo profecta eſſe*, reſpondit. *Ipſumque adeò in Babylonii regis manus ac poteſtatem eſſe venturum.*

Nam ipsâ eventorum fide, falſi convictos iàm eſſe Vates iſtos, qui temerè & impudenter negaſſent, Babylonium umquàm infeſtis armis ad urbem, hanc eſſe venturum. Se tantùm, qui nihil de rep. malè prometitus ſit, deprecari, ne in eumdem Ionathæ carcerem, moriturus, traderetur.

Rex autem ſupplicis precibus adductus, in carceris veſtibulo, (Hierem. 32. Clauſus in atrio carceris, qui erat in domo regis Iuda) captivum adſervari præcepit: Et aliquantulum panis, quoad in urbe is reliquus eſſet, cum pulmento, præberi.

3393. | Anno autem X. qui erat XIIX. Nabuchodonoſori. | 557.

Quùm iis, quas dixi, de cauſſis, in atrio carceris regii detineretur; venit ad Vatem, iàm divinitùs anteà præmonitum, Hanameëlus, Patruelis, Sellumi F. qui avitum in patrio ſolo, Anathoti, agrum venalem haberet. Et ei, uti propinquo heredi, mancupio daret.

Quem ille adpenſo, uti convenerat, argento, non ſine ſcripturâ & teſtibus, mercatus eſt. Tabulas præterea contractûs Barucho tradidit, in vaſe fictili, ad poſteritatis memoriam, deponendas.

Quæ emtio quùm præpoſtera & intempeſtiva Hieremiæ ipſi videretur; impendente univerſè iam regni naufragio, & externæ ſervitutis iugo: audivit ex Domino;

Populum, qui in præſens, ob inveterata flagitia, exterminandus eſſet: poſt aliquam-multorum annorum captivitatem, in gratiam cum Deo rediturum eſſe. Et eo quodam poſtliminii iure, in priſtinam avitorum agrorum poſſeſſionem, & Templi cultum, reſtituendum.

Sic cap. 31. inter cætera proſperrimi ſtatûs bona, pollicetur Deus; *Vrbem readificatum iri, à Turre Ananeëlis, uſque ad portam Anguli. Et ultrà normâ menſura, ſuper collem Garebi. Et circumituram Goatha, & omnem Vallem cadaverum. &c. uſque ad Vallem Cedrontis, & uſque ad Angulum Portæ Equorū Orientalis. Sanctum Domini:* quod neque evellendum ſit, neque ultrà, in *perpetuum, deſtituendum.*

Principes verò, Sedechiæ familiares, SAPHATIAS Mathani,

Mathani; Gedelias Phassuri; Iuchalus Selemiæ, & Phassurus Melchiæ, FFFF. concitati odio in Hieremiam, qui tot tamque graveis calamitates, tū regi, tum Vrbi adflictæ, quotidie & passim obnuntiaret; ad regem adierunt; & rogarunt: *Vt ille tàm infestus, & male ominatus Patriæ hostis, morte multaretur.* Quòd Civeis benè armatos, & per se alacreis, ab urbe defendendâ, serendis istiusmodi sermonibus, veluti de-industriâ, absterréret.

Rex, qui in tantâ rerum perturbatione; tantoque & urbis & sui discrimine, suorum procerum à se animos alienare nollet. neque fas sibi esse, quidquam eis negare, duceret: illum potestati eorum permisit.

Quem illi protinùs arreptum, & funibus demissum, in lacum Melchiæ, Amelechi F. cœno plenū; sive in foricam, quæ erat in carceris vestibulo; proiecérunt.

Ibì Devs exteri hominis misericordiam in captivum commovisse visus. Erat in regiâ Spado, Abdemelochus nomine, gēte Æthiops. Qui quùm id, quod inimicorum invidiâ Hieremiæ acciderat, inaudisset; ad regem, tum forte pro portà Beniamitidæ considentem, accessit: & cum eodem, de iniuriâ Vati factâ expostulavit. quòd suprà exitialem cœni pædorem, fame ibi contabescere, in publicâ panis inopiâ, necesse esset.

Rex eius sive precibus, sive consilio adductus, negotium eidem dedit; adscitis etiam in subsidium xxx viris; Hieremiæ, quam-commodissimè possit. demissis funibus, è lacu extrahendi; & in eodē, ut priùs. carceris vestibulo collocandi.

Vndè hand ità multo-pòst, ipsum ad se rex in Templum arcessitum. iussit sibi planè ac bonâ fide; *Quisnam foret rerum pro tēpore eventus*, exponere.

Tunc ipse primùm vereri se dixit; Ne, si id quod res erat, narrâsset, se interficeret: nec monitis eius obsequeretur. Deinde, acceptâ liberè dicendi potestate, sine ullo mortis periculo; interpositâ etiam clanculùm iuris-iurandi religione; hæc regi exposuit.

Si egrederetur ipse ad vicarios regis Babylonij in castris duces; salvum fore, cum omni familiâ; & urbem ab incendio immunem. Sin detrectaret; & ipsum, cum familia, in hostium potestatem esse venturum; sic ut numquàm ex eorum manibus elabatur: *& urbem funditùs deflagraturam.*

Quùm verò rex vereri se diceret; ne Iudæis, qui ad Chaldæos iam transfugerant, si se ipse dederet, ab ipso rege traderetur, ab ijsque illuderetur;

Et contrà, Hieremias confirmaret; nequaquam ità fore sed quemadmodum iam ipse, verbis non suis, sed Dei prædixisset. Atque iterum illum cohortaretur ad sese ultrò dedendum; Alioqui eam in rege obstinationem, non ipsi tantùm, sed uxoribus & liberis, atque adeò toti civitati, fraudi noxæque esse versuram.

Ille tamen fidem ei non habuit: sed solùm imperavit; Ne quis ex Principibus illa ipsa, quæ inter se fuerant collocuti, resciret.

Quòd si fortè Duces & Principes Regiæ, promissâ immunitate, exquirerent, quibus de rebus cū rege verba fecisset. diceret; Se ad ipsius pedes supplicem abiecisse, ac rogâsse; ne in carcerem Ionathæ moriturus, reduceretur.

Exeuntem itaque quùm interrogâssent Principes, quosnam cum ipso rege sermones, ac quibus de rebus rex habuisset: & ipse, id quod à rege præscriptum fuerat, subiecisset; eorum quidem ira deferbuit: nihilo minus in carceris vestibulo, sive atrio, ad eum usque diem mansit, quo urbs ab hoste capta est.

Eodem an. x. & duodecimo die mensis x. iussus est Ezechiel vaticinari adversus Pharaonem, Ægypti regem; ipsamque adeò Ægyptum. quòd vanâ auxiliorum spe Iudæos lactâssent, & in Babylonium concitâssent.

Hunc regem, superbissimū, Apryem fuisse. (qui Psammyi Patri successisse; & 35. annis, (al. 30. Herodot. 25.) regnâsse; Sidonem excidisse; & Cypro potitus esse, traditur) patet ex cap. 44. Hierem. Vbi, *Pharaon Ephree in manus hostium tradendus prædicitur; haud secùs, quàm traditus paullo-ante fuerat Sedechias in manus Nabuchodonosoris, regis Babylonij.*

Illum & Vaphrem, & Ophrem, alij nominârūt. Herod. l. 2. Eâ animi præfidentiâ fuisse scribit; ut neque à Deorum, neque ab hominum ullo, eripi sibi posse regnum, tàm stabile, iactaret.

Priùs tamen à Cyrenæis; deinde à suis, duce Amasi, victus, & demum strangulatus est. (Vide inf. ad Ann. Nabuchodonos. xxv.)

Illum Vates *Ezechiel, Draconi, sive Ceto*; & mòx, *Lento ex arundine bacillo*, adsimilat. Qui tū in regni sui firmitate, ac fluminis patrij opportunitate, omnem spem superbè collocâsset: tum Iudæos, ostentatâ vani auxilij fiduciâ, sibi innixos, decepisset, & adflixisset.

Fore, ut ipse è nidulo extractus, & minutatim concisus, bestijs avibusque obijceretur. Et Ægyptus à Syene, ad Æthiopiæ usque terminos, excisa, in meram solitudinem per annos xl. abiret. Et rebus deinde utcumque restitutis; exigui, humilisque tantùm regni speciem præferret.

Sub idem tempus, vel paullo-antè. idem Vates acerba exscidia, quæ Ammonitis & Moabitis. Idumæis & Palæstinis, perpetuis Hebræorum hostibus, divinitùs impendèrent; sine legatione, præsignificavit. Quòd in miserabili vicinorum suorum, & quidem consanguineorum, Hebræorum, exscidio, & captivitate, malignè exsultâssent. (Ezech. 25. Hierem. 47.

3394. | Anno autem xi. Primo mensis die. | 556.

Tyrum quoque, quæ sui splendorem immodicâ gloriâ efferebat; sibique ex occasu Hierosolymorum, opimiora Emporij commoda præcipiebat; *à Nabuchodonosore funditùs eversum iri*, non sine lamento, & incredibili divitiarum externarum commemoratione, & iacturâ, prædixit.

Eiusque Principem, qui divinitatis, & sapientiæ, plus-quam humanæ; supraque Danielem, opinione, sese impleverat; *Miserandum in*

modum hostili manu esse interiturum.

Neque Sidonios, quod amarè Hebræos lacessissent, iisque ægrè fecissent; *à calamitate immuneis fore:* sed cum peste intestina, & ferro externo, esse conflictaturos.

Eodem anno, VII. Mensis primi die, eidem Vati significavit Deus; *Brachium regis Babylonij corroboratum iri*. Et à se vicissim, *Pharaonis Ægypti brachium ità esse confractum; ut omni robore destitutus, ne gladium quidem*, quo se suosque tueatur, *stringere, manùve tenere possit. Et Ægyptij universè* partim promiscuâ cæde; partim longinquo exilio, *mactentur, & exterminentur.*

Eodem anno primo die mensis III. eumdem Ægyptium, qui se potentiâ Assyrio parem semper existimarat; & celsissimæ se, Libani, sive paradisi, Cedro exæquârat: pari etiam calamitate involvendum; Et ab eodem hoste, qui Assyrium, vetusti regni gloriâ spoliasset, (veriùs, mox spoliaturus esset) regnum eius evertendum esse; ex Deo cognovit.

Intereà, cum Babylonius, Hierosolymam aggeribus, murorum altitudini æquatis, & turribus circumquaque eductis, acriter oppugnabat: tum Cives, licet duobus gravissimis malis, fame ac peste, intùs adflictarentur; animis adversùs præsentia obduratis, haud segniter urbem defendebant.

Quod certamen, alternis utrimque non tàm viribus, quàm machinarum artibus, quùm per duode-viginti menseis durâsset; factum est tandem, ut Cives, partim extremâ inediâ fracti; partim telis superne oppressi, succumberent.

Et eodem anno, IX. die mensis IV. (Hierem. cap. 39. & 52. Ioseph. lib. 10. cap. 11. Massæo, Tertius Iulij dicitur. Et Caietan. hunc mensem, non XI. anno Sedechiæ vult adscribendum; sed anno, ut loquitur, currenti. Et quia III. primi menses anni Iudaici, ver efficiunt; hic mensis quartus, fuerit ineuntis æstatis.)

In tantâ panis, rerumque necessariarum inopiâ (ut, Hieron. teste, matres coctis liberûm suorum carnibus vesci sint coactæ) quùm vel Cives ipsi, arctè undequaque obsessi, & rebus suis diffisi, muri partem perrupissent, quà egredi, & de deditione cum hostibus agere possint. Vel rex ipse, cum assiduis, in extremo discrimine positus, & fugam circumspectans, dividendam occultè murorum parietem curâsset:

Atque intereà Chaldæi, urbem, desertis passim stationibus indefensam, nocte intempestâ, impune cepissent.

(Mass. tradit, quatriduum à Chaldæis consumtum, à quincto, ad nonum diem, in muri exterioris excisione: & Sedechiam interim fugisse.)

Absente tum quidem in Reblathis Nabuchodonosore; sed primarijs exercitus ducibus (quorum nomina, variè, Hierem. cap. 39. & Ioseph. lib. 10. cap. 11. & apud LXX. leguntur) in mediâ iam civitatis portâ considentibus. &, ut vult Ioseph. in Templum ipsum ingressis.

Id conspicati rex SEDECHIAS, eiusque Comites; & nocturnâ fugâ castrensem hostium custodiam fallere rati; per viam Horti regij; & deinde per portam, quæ inter duos muros sita erat, (Hierem. 52. *Per viam portæ, quæ est inter duos muros; & ducit ad hortum regis.*

Ioseph. per angustas fauceis) conferto bellatorum agmine, erupérunt: & iter in desertam Campi planitiem intenderunt.

Sed exercitus Chaldæorum, (transfugarum indicio factus certior, Ioseph.) regem fugacem celeriter insecutus, in campis Hierichuntinis comprehendit.

Atque ità, comitatu eius, quò quemque spes tulerat effugij, dispalato; ipse pænè desertus, cum uxoribus & liberis, & fidissimis amicorum, in hostium potestatem pervenit. Et ad regem Nabuchodonosorem, in Reblatha, regionis Emathiæ urbem, (quæ pòst Antiochia Syriæ fuit) perductus est.

Quem ille, simul in conspectum venit, impium & fedifragum increpitans; qui se deserto, ad Ægyptiorum amicitiam fidemque se contulisset: Quique regnum, Nepoti Ioachimo debitum, adeptus, acceptâ à se potestate, in beneficij auctorem, non sine gravissimo ingrati animi crimine, esset abusus; DEVM ipsum testatus est, ob morum improbitatem, *in manus suas tradidisse; qui iustas tot scelerum & perfidiæ pœnas ab eodem exigeret.*

Nec morâ; interfectis coràm Patre, eius liberis, non sine promiscuâ nobiliorum Aulæ olim Principum cæde; ipsi Sedechiæ oculos effodi iussit: & vinculis constringendum, Babylonemque abducendum curavit. Vbi ad extremum usque vitæ diem in custodiâ degeret.

Et eum quidem in modum, utriusque Vatis, HIEREMIÆ ET EZECHIELIS, prædictioni sua constitit fides. Ex quibus ille, regem coràm Nabuchodonosore captivum sistendum, & mutuo cum eo colloquio conspectuque usurum: Hic, præter illa, eum Babylonem, quò captivus perduci iuberetur, oculis suis non esse usurpaturum, præsignificârat.

Memorabile certè, & divinæ providentiæ; & humanæ in calamitatibus declinandis imprudentiæ, an cæcitatis! exemplum.

Atque hic fuit Davidicæ stirpis Regum exitus: qui Vnus & Viginti, continenter regnârunt. Idque temporis intervallum (si XX. annos Saülis, primi, è Beniamitide Tribu, regis, adnumeres) DXV. annos, mens. VI. cum diebus X. comprehendit. (Ios.)

Nos CDXCIII. plus minus, annos putamus. Genebr. CDLXXV. præter Saulem; alioqui rotundè D. ann. ut Saüli dentur XXV.

Hic observatione dignum, post totidem ferè annos, à Liberatione captivitatis Babylonicæ, CDLXXI. & mens. III. ARISTOBVLVM, Io. Hyrcani F. regium nomen, cum diademate, inter Iudæos, iterum usurpâsse.

Lesinor. Ab inchoato, inquit, Templo, qui fuit IV. Salomonis, usque ad idem eversum, in tertiâ Captivitate, anni sunt 430.

Si subducantur VII. anni, quibus idem Templum

fuit absolutum; erunt CDXXIII. à Templo Condito, ad tertiam illam Captivitatem.

Anni autem omnium regum Iudæ, (initio facto ab Principatu Saulis, ad III. captivitatem) efficiunt, CDXCIV.

Rursus, si præter XX. Saulis, subducas XL. Davidis, & IV. Salomonis, antè inchoatum Templum; restabunt ab inchoato Templo, ad ultimam usque captivitatem, illi, quos dixi, CDXXX. anni.

Observant hic Hebr. in ISRAELE, sive X. Tribubus; & in IUDA, sive II. cæteris: hæc reperiri paria.

Illos, societatem cum Ægyptijs regibus coijsse. sup. in Oseâ, postremo eorum rege. Hos idem fecisse, sub Ioacimo & Sedechiâ, regibus suis.

Illos III. diversis exsilijs, è patriâ exterminatos: hostoties in alienam regionem trãsmigrâsse.

Illos triennio [Ass]yriorum obsidionem sustinuisse: hos totidem annis à Babylonijs circumsessos, dum civitas expugnaretur.

(Adde, Reges utrimque in captivitatem abductos, & in vincula conjectos.)

Illos carnem liberûm suorum inter obsidendum, esitâsse: hos pari, tenuique nefando cibi genere, famem explére coactos.

Hoc illud est quod Ezech el prædixerat (c.23.) *In viâ sororis tuæ ambulâsti; & dabo calicem eius in manu tuâ.*

Venit itaque tum Hierosolymam, regis sui missu, NABUZARDANES, Princeps militiæ. (sive Laniorum, aut militum, qui ab hominum laniená, ad terrorem, sic audirent: quasi Fl [illegible]) præfectus. quemque LXX. Interp. Ἀρχιμάγειρον nominant.

(Vel rerũ capitaliũ Prætor & Quæsitor regius.)

Cum mandatis, ut Templum prius Vasis aureis argenteisque, & ornamentis nudaret; deinde incenderet. Et Regiâ crematâ, Palatijs domibusque univ. rsè exustis; & disiectis murorum, quàm longè latéque patebant, molibus; totam à sedibus urbem everteret. Reliquum denique populi multitudinem in Babyloniam traduceret.

Quod ille, ut iussum, gnaviter perfecit: & incredibilem ex auro, argento, ære Vasorum, & ornamentorum. quibus Salomon, posterique reges liberaliter Templum locupletârant; vim secum asportavit.

Atque urbe iàm funditùs dirutâ, civeis, eum Patriæ superstites; tum eos, qui anteà in castra Babyloniorum transfugerant; cum promiscuo incolarum volgo, Babylonem traduxit.

Itâ, ut quos residuos, vel belli conditio, vel prædæ fastidium, fecisset; & hostis, impunè in Patriæ ruinis residére permisisset; in subterraneis cisternarum lacubus habitarent; & vectigali agrorum vineatúmve culturâ, victum sibi quæritarent.

Neque hic victoris furor quievit: sed Nabuzardanes Viros ex sacro, & profano quemque ordine, primarios; SARAIAM ET SOPHONIAM, Sacerdorum Antistites; cum tribus Æditimis, sive Hierodulis; & ex Eunuchis unum, bellatorũ, sive prætorianæ cohortis, præfectum: (Ioseph. cubiculariorum) & V. Aulæ Principalis Palatinos. Et Scribam militarem, Tironum Tribunum & gymnasten: & alios, è fece vulgi, (Ioseph. Principes viros.) LX. mediâ in urbe deprehensos, ad regem suum, unà cum pretiosissimis Templi spolijs, in Reblatha Syriæ, perduxit.

Ex quibus ille Pontificem quidem, & Principes capite plecti iussit: reliquam verò captivorum multitudinem; & in his SEDECHIAM regem, (Ioseph. addit, Iosadocum, Saréæ Pontif. Filium) Babylonem transportari.

At contrà, paullulò anteriùs, HIEREMIAS, dum carcere adhuc concluderetur, à Deo iussus est ire nuntiatum Abdelen ecdo Æthiopi, cuius operâ & intercessione, ex infami fœtidum lacu fuerat nuper extractus, fore, ut omnia civitati, quæ prædixerat, mala evenirent: neque tamen ipse in potestatem eorum veniret, quos tantoperè reformidâsset. Verùm, quòd in Deo spem suam collocâsset; impunè evaderet.

Et NABUZARDANES, cui Rex Nabuchodonos. captis iam Hierosolymis, negotium dederat, ut eximiâ curâ Hieremiam, tamâ & meritis iam sibi notum, complecteretur. & liberum potestati suæ relinqueret: neque iniuriosius tractati pateretur: sed prout vellet, ità tum haberet. Non sine communi optimatium adsensu, è carcere educendum curavit. Et GODOLIÆ, Ahicami F. Saphanis Nepoti, tradidit, ut liberè in publicum prodire posset.

(Ioseph. addit, Hieremiam ab eodem duce gratiam impetrâsse BARUCHO, Neriæ Filio: ut secum è carcere exemtus, dimitteretur.)

Hunc autem GODOLIAM, reliquæ tenuiorum & transfugarum turbæ: vinitoribus & agricolis; quibus liberam in vastis Iudææ urbibus & campis remanendi potestatem rex permiserat; & pro agris, quos ad culturam acceperent, certum tributum pendere iusserat: Dux regius, cum potestate præfecit.

Et quùm idem Hieremiæ, quem licet liberum, Ramam usque cum catenis perduxerat; & captivis, qui Babylonem abstrahebantur, ostentârat; palàm contestatus, eam calamitatem Iudæis, *irato ob flagitia Deo*, evenisse: commemorato privatæ liberationis beneficio, optionem dedisset; vel *secum in Babylonem eundi; vel in Iudeâ, ubicumque vellet, manendi.* Et ipse postenùs male dixisset. suppeditatis ijs, quæ ad victum pertinent, datisque muneribus, & vale-dicto, eum à se dimisit.

Ipse autem ad GODOLIAM, cui fuerat commendatus, profectus est: & cum eo in Masphatâ, constituto inter laceras patriæ & popularium reliquias domicilio, habitavit.

Eodem anno, quo capta est Hierosolyma; sedente ad Reblatha; & quasi de propinquo, longinquæ utrimque obsidionis eventum spectante, Nabuchodonosore;

Tyrũ, quæ & interfluente mari inaccessa, Ezech. 27. *In corde maris posita:* & arcibus murisque ardua, sui expugnandæ spem penè omnẽ censebatur ademisse,

[illegible] Quamquam tandem, iactis in altum molibus, [illegible] in pæninsula congerant, & inter fluctus [illegible] fuerant. (Ezech. 26. & Habac. 1.) [illegible] non sine [illegible] incolarum, & immani vicinarum urbium, Sidonis, Bibli, &c. excidio: & [illegible] militaris, in oppugnando, servitutis & [illegible] molestijs. (de quibus Ezech. 29. *Sic ut omne caput decalvatum, & omnis humerus esset depilatus*) per vim expugnarunt, captamque diripuerunt.

Ioseph. l. 1. contra Apion. ait; Philostratum, in historia, Tyriæ obsidionis meminisse: & ex Phœnicum historijs; Nabuchodonosorem, XIII. ann. obsedisse Tyrum, sub rege Ithobalo; quam ipse, VII. regni anno cœperit.

Quod Cives tamen, opulenti quique, res antè carbasis in Cyprum, propinquam & amicam insulam avexissent; & urbem pænè opibus vacuam reliquissent: Vrbis, divitiarum famâ nobilissimæ, spolijs & direptione, miles victor ditari non potuit.

(Huius urbis vastitatem LXX. posteà annis duraturam, cecinerunt, Isai. c. 23. & Ezechiel, 27. 28 &c.)

Et tunc demùm tot victorijs ovans, NABVCHODONOSOR Babylonem reversus est. Ibique SEDECIAM, ad extremum usque vitæ suæ diem in vinculis habuit: mortuumque regiâ funeris pompâ extulit, ac sepulturæ tradidit.

Ipse sacra Templi Hierosolymitani Vasa, Dijs Patrijs consecravit: captivos certis in Chaldæâ sedibus collocavit; & Pontificem IOSEDECVM, Saraiæ F. è vinculis exemit, liberumque esse iussit.

Hâc regiæ in reliquias popularium suorum, (quos captivitatis exsorteis esse voluerat) benignitatis, & GODOLIÆ, ijsdem cum principali auctoritate præfecti, fama, exciti Principes quidam & duces, (qui partim ex obsessâ urbe antè effugerant, partim Sedechiam, indè erumpentem, secuti & variè fuerant dispersi) ISMAHEL Nathaniæ; IOHANAN, & IONATHAN, Careæ; SAREAS, Thanehumethi; & filij, Ophi Nethophathitæ. & IEZONIAS Maachati; cum militibus, sibi auctoratis, undique collecti, ad Godoliam accesserunt.

Eosque ille bono esse animo iussit, & securè secum habitare; modò obsequium regi Babylonio, fidemque præstent. Se cætera cum rege, eiusque Legatis, negotia, in Masphatis, curaturum. Ipsi, dum anni tempestas sinit, messem, vindemiam & oleum percipiant, & in hiemem recondant; & quietè in urbibus, quas nacti, commorentur.

Hos subsecuti mòx Iudæi quamplurimi, ex Moabitide & Ammonitide; ex Idumæâ, vicinisque regionibus, quò in tuta confugerant. Et pari cum humanitate à præfecto accepti, agros vineasque colere cœperunt, & fruges colligere.

Intereà, quùm Iohanan Careæ, alijque Principes ad Godoliam, (quem ob pacati ingenij dotes, regiamque gratiam, eximiâ iam caritate complectebantur; deque privatâ eius salute, ex quâ resp. penderet, erant soliciti) in Masphata profecti, de insidijs, quas BAHALES, Ammonitarum rex, submisso ISMAHELE, illo Nathaniæ F. vitæ eius molitetur; officiosè commonefecissent.

Illum namque, uti regio genere ortum, Principatum inter Israelitas aucupari. (Sic Sulpit. Ægrè ferebant Iudæi, Principem sibi ex stirpe, non regia, pro arbitrio victoris datum.)

Neque ille fidem ijs adiungeret: nedum pateretur à Iohanne, qui facinus in se susceperat: & periculum, ex cæde præfecti universis Iudæorum reliquijs impendens, antevertere velle demonstrarat; insidiatorem clanculum interfici. Sed falsò etiam crimine traduci existimaret; idque adeò exprobraret. *Emori se malle; quàm hominem, qui ipsius fidei se commisisset, violenter opprimi sinat.*

Mense itaque VII. (Caietan. à præfecturâ, Godoliæ delegatâ. Ioseph. pòst dies XXX.) Venit Ismahel ad Godoliam in Masphata, cum aliquot regis, (Ammonitæne, an Sedechiæ?) optimatibus, & viris X.

Quumque ab illo comiter, cum suis, esset acceptus; inter hospitaleis epulas, hospitem. (Ioseph. mero & somno gravem) cum cæteris convivis, immaniter obtruncavit. Et nocturni temporis opportunitate; expromtâque sicariorum suorum operâ, usus, promiscuis per urbem cædibus, tàm in Iudæos, quàm in Chaldæos præsidiarios, grassatus est.

Quumque postero die, LXXX. circiter viri, ex Sichimis, Silo, & Samariâ, rasis barbis, & scissis vestibus squalidi, & rei gestæ ignari, cum muneribus & ture, quæ in Templo Deo offerrent; instituto ad salutandum Godoliam itinere, advenissent:

Eosque Ismahel, non sine planctu obviàm progressus ad præfectum in urbem perducturum simularet; in Palatium admissos omneis, (præter X. qui defossos in agris suis, vel frumentum & frugum thesauros, et indicare polliciti fuerant) ad unum interfecit. Eorumque cadavera, cum reliquis, in Lacum (quem rex Asa olim Baasæ Israelis regi foderat) proiecit.

Plebem verò Masphatensem, cum filiabus regis Sedechiæ; & reliquis, quos Nabuzardanes Godoliæ commendaverat; ceu iure captivos, in Ammanitidem traducere iam parabat; quùm Iohannes Careæ, cæterique duces, istâ Masphatensium Clade, & Godoliæ cæde, graviter perturbati; collectâ militum manu, Ismahelem hostiliter sunt persecuti.

Eumque nacti, ad Aquas Gabaonias, (Ioseph. Fontem Hebronensem) turbam quidem captivorum, factâ ultrò ad se transitione, liberârunt; Sicarium verò, IIX. tantùm comitibus stipatum, & ad Ammanitas perfugientem, elapsumque, desiderârunt.

Duces autem, & bellatores, cum mulieribus, pueris, Eunuchis, alijsque, quos ex impijs perduellium manibus, & præsenti servitute eripuerant; novas sedes quærere, & in Ægyptum se recipere,

se recipere, parati. Quòd Chaldæorum in se sævitiem, ob regij præfecti, præsidiariorumque cædem; & popularium suorum facinus, exhorrérent. (Sever. populum metus pervaserat, ne paucorum scelus, omnium exitio rex Babylonius ultum iret.) Eo die in Chamaane. (Ioseph. loco, qui Mandra dicitur) quæ Bethle-hemo propinqua est; consederunt.

Intereà, ex Ducibus militum primarij, Iohanes Careæ, & Iezonias Olaiæ, (An idem, qui sup. Maachati?) Fil j.

Tota denique vulgi multitudo, ad Hieremiam accesserunt. & ut Deum ipse, pro exiguis populi Hebræi reliquijs, deprecaretur; & de itinere à se instituto consuleret; obnixè rogárunt.

Quumque & ipse vicissim, utrumque ex fide facturum, spopondisset: & illi, Deum testati, se eius responsis omninò audienteis fore recepissent: decimo demùm die, hanc Dei voluntatem ex ore Vatis accepérunt.

Si quietè, eâ in terrâ, commorati essent; Deum iam pacatiorem, omnibus eos commoditatibus esse cumulaturum; & illo, quem fingerent, Babylonij regis metu liberaturum. Sin obstinatè & terram patriam odissent, & Dei super eâ re præceptum neglexissent; rati se fixis in Ægypto sedibus, à bellicâ clade & fame vacuos, aut tutiores, fores *Omnia ijs contrà eventura. Ut ibi & gladio*, quem metuerent, interficiantur: *& fame*, de qua tàm essent solliciti, *consumantur. Miserandum denique in modum universè intereant.*

Viros, huius in Ægyptum profectionis, & novæ coloniæ auctores; vel ferro, vel fame, vel peste, omneis generatim exstinctum iri.

Nec minore ira Deum incensum, & infensum, in istos esse sæviturum; quàm nuper Hierosolymitanos funditùs excidisset: ut vel Ægyptij ipsi obstupescant, eosque exsecrentur. Neque ullum ex ijs, patriæ aut veterum penatium in posterum compotem fore.

Meminissent fidei promissa, quâ se Deo & Vati morigeraturos obstrinxissent. Sibique benè consultum putarent; si ea, quæ Deo visa essent, perfecissent. *Alioqui scienteis & volenteis certam sibi perniciem arcessire.*

Hac Vatis oratione, tantùm abest, ut illi ad morem DEO gerendum inducerentur; ut etiam AZARIAS Osaiæ, & IOHANNES Careæ, FF. alijque, fastidio & contumaciâ elati, mendacij notam Vati impingerent: ipsumque à Deo missum esse negarent. qui ipsos in Ægyptum, salutis caussâ, vetaret proficisci.

Vnum esse BARVCHVM, Neriæ F. qui illum adversus ipsos concitaret: ut in potestatem Chaldæorum traditi, vel ab ijs interficiantur, vel in Babylonem captivi traducantur.

Illi itaque in proposito perstantes, neglecto Dei responso, universam reliquiarum multitudinem, qui paullò antè ex omnibus in vicino regionibus (ad quas, belli fortuna, & patriæ cladis fuga, variè eos disiecerat) ad genitalis soli sedem & culturam, reduces fuerant, & collecti; in Ægyptum, ad Taphnim usque, secum pertraxérunt: & eodem Hieremiam, cum Barucho, se sequi coegerunt.

Neque hic ille propterea à vaticinando supersedit. Sed iussus à Deo manu suâ apprehendere saxa grandia; eaque in Crypta, sub muro lateritio, haud procul portâ Palatij regij, Pharaonis, eâdem in urbe, Iudæis inspectantibus, recondere;

Ecce, inquit *rex Nabuchodonosor, Iustitiæ divinæ administer, Dei missu huc usque venturus, super saxis istis, quæ à me recondi vidistis; thronum suum collocabit. Ægyptum omnem morte, captivitate & ferro, vastabit. Deorum Ægyptiorum delubra, iniectis flammis exuret. Eosq., ceu sub iugum missos, & captivos, in triumphum abducet. Et statuas Soli consecratas* (in Heliopoli) *concidet.*

Et quemadmodum pastor pallium suum à pediculorum examine solet expurgare; ita ille cunctam Ægyptum scrutabitur. Sive; Ita se conquisitis Ægypti opibus vestiet, ut solet quis pallio, aliquò abiturus.

(Fort. Splendidum immoderatumque, patriæ in vestitu vanitatis, luxum; Ægyptij, pediculari pastoritij amiculi vilitate, in tantâ rerum omnium egestate, commutabunt.)

De hac Ægypti clade, inf. ad XXIII. Nabuchodonosoris annum; sive ad V. ab Vrbis Templique exscidio.

τῷ Θεῷ ἀριστομεγίστῳ δόξα.

TERTIA

BIBLIOPEGO

Hæc pertinent ad finem paginæ 245. col. 2. Tom. 1. Ponantur ante initium 111. partis, eiusdem Tom. pag. 249.

PETAV. post Iudices (de quibus, pag. 146. Tom. 1.) hanc regni & religionis utriusque, Hebræorum, regum seriem, sic concinnat ex Histor. sacrâ.

REGES Iudæ.	Anni, regn.
Salomon, à Templi conditu,	36.
Roboam	17.
Abiam	3.
Asa	40.
Iosaphat	25.
Ioram	8.
Ochozias	1.
Athalia	6.
Ioas	40.
Amasias	29.
Azarias, sive Ozias	52.
Ioathan	16.
Achaz	16.
Ezechias	29.
Manasses	55.
Amon	2.
Iosias	31.
Ioachaz	mens. 3.
Eliakim	11.
Ioachin	mens. 3.
Sedechias	11.

Anni à V.° Salomon. ad Sedechiam, 429. mens. 6.

A Davide, ad eumd. 467. Chronologicè colliguntur.

REGES Israël.	Anni, regn.
Ieroboam	22.
Nadab	2.
Baasa	24.
Ela	2.
Zamri.	di. 7.
Amri	12.
Achab	22.
Ochozias	2.
Ioram	12.
Iehu	28.
Ioachaz	17.
Ioas	16.
Hieroboam	41.
Zacharias	mens. 6.
Sellum	mens. 1.
Manahen	10.
Phaceia	2.
Phaceë	20.
Oseë	9.

Colliguntur anni 241. (veriùs 231. mens. 7. dies. 7½)

Idem Chronologicè eosdem regni Israëlit. ann. colligit 255. mens. 7. & dies totidem.

Quæ pro tẽpore non satis cõcilio. Expendat Lector.

TERTIA PARS TOMI PRIMI, HISTORIÆ VNIVERSÆ, SACRÆ ET PROFANÆ;

AVCTORE ANDREA HOIO BRVGENSI.

QVINTA ÆTAS; (Annorum plus minus, DLVI.) BIPERTITA.

Cuius prior pars, A Transmigratione Sedechiæ, Regis Judæorum, in Babylonem; ad Alexandri Magni Monarchiam:
Posterior, Ab eiusdem Monarchiæ initio; ad DOMINI CHRISTI *Natalem, deducitur. qui erit huius Historiæ Tomus II.*

ISTA consectaria, ad salutarem DOMINI CHRISTI ortum usque, Tempora, perdifficilem habent annorum rationem. quòd ex sacris literis parùm, aut nihil ferè certitudo iuvet; & auctores alij perplexissimè inter se dissentiant.

DRVSEDO; Ab hac captivitate, ad CHRISTVM, numerat ann. 596.

E... qui supponit hanc captivitatem inchoatam anno 2. Olymp. 47. annos, 585.

B...AS, & quidam recentiores, an. 560.

MASSÆ. hanc ætatem præcisè duràsse 600. annis ... tatione factâ, ab an. 2. Olymp. 44. in quem ... Hierosolymæ Excidium inciderit; usque ad an. 3. Olymp. 194. quo CHRISTVS carnem ad...um erit.

...REGEV... ponit transmigratum Sedechiam, anno ab O. C. 3407.

Verùm & ipsa LXX. Annor. captivitas, ex Hieremiâ, Daniele, alijsque, suis involuta est difficultatibus.

Quùm namque ex III. quas suprà diximus, Captivitatibus, Iudæorum dico, & quidem Babylonicis; unam constet LXX. ann. duràsse. (2. Paral. 36. Danielis 9. Hierem. 25. & 27. &c.) Quæri meritò possit, quænam ex III. illa sit: quod eius initium; quis finis.

A quibusdã, (quos sequimur) huius Septuagenariæ Captivitatis anni, numerantur à XIII. IOSIÆ regis (Al. XVI. Al. XIIX.) ob verba Hieremiæ, cap. 25. v. 3. Quùm tamen alij negent ullam tunc temporis cœpisse, aut fuisse captivitatem. & IOSIAS dicatur, *collectus fuisse cum patribus suis, ne eam videret.* (4. Reg. 22.) Vt notetur ibi annus tantùm, quo Hieremias vaticinari cœperit.

Alijs initium ducitur à I. Ioachimi. sic ut utriusque, & captivitatis, & LXX. annor. initium, incidat in III. eiusdem Ioachimi: & finis, in I. annum Cyri.

Alijs initium est ipsa II. Transmigratio, anno I. deportati Iechoniæ.

Alijs, III. sub Sedechiâ; eversoriam Templo. quam etiam finitam volunt annò I. eiusdem Cyri.

Ac proinde necesse est aliter ab alijs numerari annos Chaldaici Imperij, quàm à prioribus.

Sunt & alij, qui duas fuisse Captivitates opinentur; utramque LXX. annor. Vnam Hieremiæ dictam, à Ioachimo ad CYRVM. Alteram Zachariæ, ab everso Templo, ad II. ann DARII, Hystaspis filij.

Et certè B. Hieronymus distinguit LXX. annos Captivitatis, à LXX. annis Desolationis. Illos opinatur, cum alijs, compleri in Cyro; hos vero anno II. Darij.

Probabilis visa est quibusdam Iosephi senten-

 tia; qui

tia, qui annos LXX. numerat, ab Excidio Vrbis & Templi, usque ad annum I. Cyri. sub quo expugnata Babylone, Chaldæorum imperium desijt, & Persicum incepit.

Sed ut hæc ratio constet, dicendum erit: EVILMERODACHVM & BALTHAZAREM regnâsse coniunctè, & minimùm XLIV. ann. qui cum reliquis illis NABVCHODONOSORIS, ab illo captivitatis initio, perficiant LXX. annos. Aut alij reges interijciendi; uti duos aut plures à Beroso, apud Iosep. l. I. contra Apionem, addi videmus.

Quùm tamen Hieremias (c. 25. & 27.) trium tantùm meminerit Regum, sive Monarcharum Chaldæorum; Patris, Filij, & Nepotis. Et Daniel (cap. 5.) Balthazarem ultimum Chaldæorum regem ponat: cui, in ipsâ Babylonis expugnatione interfecto, statim DARIVS successerit.

Altera opinio probabilior, eorum, qui volunt Babylonicum Imperium LXX. stetisse; & captivitatem ab eiusdem Imperij initio inchoatam. Ab anno scilicet III. aut IV. Ioacimi, qui primus est Nabuchodonosoris. eandemque, captâ iam à Cyro Babylone, & redditâ Iudæis libertate, cum eodem imperio, desijsse.

Quod quidem sic colligunt.

A prima illa Ioacimi captivitate, ad Desolationem, anni sunt XIIX. (reliqui scilicet, VII. Ioacimi; & XI. Sedechiæ)

Inde verò ad CYRVM, Babylonis potentem, LII. hoc est, XXVI. Nabuchodonosoris; XXIII. Evilmerodachi; & III. anni Balthasaris) qui universè sunt, LXX.

De quibus annis, Hierem. c. 25. & 27. *Quùm impleti fuerint LXX. anni; visitabo super regna Babylonis.* Quod perinde est, ac: Evertam illud Imperium. quod quidem accidit, Balthazare interfecto.

Suprà, ad annum IOSIÆ XIII. observavimus, alios esse annos LXX. Servitutis; alios Captivitatis; alios Desolationis. Quâ de re hic clariùs disserendum: ut Hieremias & Zacharias prophetæ, (quorum uterque LXX. istorum annorum meminit; & diversos fines constituit) inter se ratione temporum concilientur.

Daniel quoque, c. 9 *Anno I. Darij, filij Assueri, intellexisse ait in libris, numerum annorum, de quo factus est Sermo Domini ad Hieremiam prophetam: ut complerentur Desolationis Hierusalem LXX. anni, &c.*

At quoniam prophetæ de re aliâ, atque alijs annis loquantur; inter se pugnare non sunt censendi. Quùm prior, uti diximus, à primo Nabuchodonosoris anno, usque ad I. Cyri annum, LXX. annos computet. Alter, à Desolatione Vrbis & Templi, (qui fuit Nabuchodonosori XIX.) usque ad II. Darij annum (quo ea vaticinatus est) totidem annos interfluxisse, dicere videatur.

In primis, Nabuchodonosor XLV. annis regnâsse, ab omnibus pænè Hebræis, Græcis, Latinis, proditur. (Iosephus quidem & Berosus XLIII. annos attribuunt. sed hi annos integros numerâsse; illi, imperfectorum etiam, sive mutilorum, rationem habuisse, censendi sunt.)

Et certum est, (ex 4. Regum ultimo) anno eiusdem regis XIX. Vrbem & Templum incendio fuisse eversa.

Et, anno XXXVII. Transmigrationis Ioachimi, mense XII. die mensis XXVII. ab Evilmerodacho, rege Babylonis, (qui eo anno, patri suo succedens, regnare cœperat) eumdem Ioachinum, è carcere, ad pristinam quasi dignitatem, evectum esse.

Hinc patet Nabuchodonosorem mortuum esse XXXII. anno Transmigrationis, sive deportati Ioachini. quod quidem XI. annis ante Desolationem (4. Reg. 24.) contigerit.

His XI. annis deductis, supererunt omninò à Desolatione, usque ad annum transmigrati Ioachini, quo mortuum esse diximus Nabuchodonosorem; XXVI. anni. qui additi XIX. regni eius annis, (siquidem anno eius XIX. desolata est civitas) evadent XLV.

Beros. verò, & Ioseph. uti dictum est; annum eius XIX. qui in Desolatione Vrbis integer non esset; & annum regni extremum pariter mutilum; prætermisisse censeantur. atque ita XLIII. tantùm annos eidem tribuisse.

EVIL-MERODACHO plerique XXIII. dant annos. BALTHAZARI III. anni, ex Daniel. 8. cap. adsignantur.

Cyrum, qui Balthazare occiso regnum occupavit, XXX. annos regnâsse, ferè certum. Nam Herodotus lib. I. sub finem. XXIX. annos tradit. quod ultimus, seu tricesimus, integer non fuisset.

Hebræi verò, & quidam alij, Cyrum III. dumtaxat ann. regnâsse volunt. Hoc fortè sensu: XXVII. regnâsse antè, quàm universè Chaldæorum Monarchiæ potitus esset. posteà verò, III. Idque ex Dan. 10.

Anno Cyri regis Persarum, Verbum revelatum est Danieli.

Sic Herodot. Cyrum, ubi continentem universè suæ ditionis fecisset; Assyrijs bellum intulisse. Inter Assyriæ autem opida, celeberrimum & validissimum esse Babylonem. &c. Et paullo post. Tunc Cyrum occubuisse, cum XXIX. regnâsset annos. De universo eius regni & Imperij tempore, proculdubiò loquens.

Idem ferè Iustin. lib. I. Domitis plerisque, demum cum adversùs Babylonios bellum gereret, &c.

Et Beros. l. 3. teste Iosep. l. I. contra Apionem: Egressus Cyrus ex Perside, universâ Asia subactâ, impetum fecit in Babyloniam urbem.

Atque adeò ex verbis Herodoti l. I. *Cyro, post Babylonios subactos, incessit cupido, Massagetas in suam potestatem redigendi, &c.* Colligi potest statim ab expugnatâ Babylone, hominem dominandi cupidum, bellum, quo perijt, in Scythas suscepisse. Et Iosep. l. XI. Antiquitatum cap. 2. convenienter scribere. *II. anno Cyri, Iudæos à Cuthais, in Templi ædificatione, fuisse impeditos, Cyro ignaro, qui in bella videlicet longinqua esset distractus.* Et c. 3 *Cambysem, qui in principatum paternum successerat, hostibus Iudæorum, à quibus interpellatus fuerat, ut Templi ædificationem prohiberet, annuisse. atque ita opus per IX. annos dilatum, ad II. usque Darij regis annum.* De hisce infrà fusiùs.

Genebr. autem sic ratiocinatur: 4. Esdræ c. 7.

Christus dicitur revelandus, sive nasciturus post annos CD.

Hic si addas XXXIII. vitæ Christi annos; ex LXIX. Danielis Hebdomadibus, (quæ annos CDLXXXIII. constituunt) tantùm L. desiderentur. quot annis Esdras Daniele fuit posterior. Itaque à LXX. illo Captivitatis anno, ad Dominum usque Christum, sunt DLIII.

Hos autem annos dicit reperiri, ab VIII. regni Nabuchodon. an. unde scilicet incipiunt LXX. Captivitatis anni. ad XIIX. usque Tiber. Cæsaris annum, qui idem est Perpessionis Dominicæ.

Monarchia Babylonica, ab illo VIII. Nabuchodonosoris anno, duravit præterea LXX. annis. Persica CXLVII. Ab Alexandro Magno ad Cleopatram Antonij, CCLXXVI. Hinc ad Tiberii, XIIX. anni LX. Summ. DLIV. ann. Sic ille.

Sulpit. verò, teste Sigon. sic putat illos LXX. Captivitatis annos.

Post Sedechiam abductum, Nabuchodonosor regnat XXVI. Evilmerodachus, XII. Balthazar, XIV. Darius, rex Medorum & Babyloniorum, XXIX. Cyrus, rex Persarum, Iudæos liberat.

Circa hanc Babylonicam Iudæorum Captivitatem nova quædam veteris Ecclesiæ facies & conditio cœpisse meritò censeatur. Et cum populus Domini eâ clade ità adflictus iacuit, ut ad Christi usque ortum numquam pristinum regni statum, & politiciæ potentiæ splendorem, reciperare potuerit: tum Gentium præcipua fama, & celebritas, atque adeò Historia, initium sumsit. Vt non abs re dici possit. *Vbi Historia sacra desinit; ibi profanam exordium capere.*

Historia namque ab hac Captivitate consequens, ad Christum usque, solâ ferè profanarum literarum auctoritate & monimentis nititur. paucorum modò annorum seriem, è Daniele, Esdra, Nehemia, Machabæis, &c. colligere licet, vel augurari. Hi autem Quinctę ætatis anni, 556. quos nos ponimus, aliter atque aliter à Chronologis subdividi solent.

I. A Captivitate, ad Libertatem; usque ad reges Persarum.

A Libertate, sive à Cyro; ad Alexandri Magni mortem.

Ab eo, per reges Ægypti, ad pugnam Actiacam; sive ad Cleopatram.

Deinde ad Christum.

II. A Regibus Persarum; usque ad annos Græcorum, per reges Syriæ & Asiæ, ad devictum usque à Pompeio Tigranem.

Deinde ad Augustum Cæsarem, & Christi Domini Natalem.

III. ab annis Græcorum, ad Machabæos.

Ab ijsdem, ad annos Iulianos. Et ab ijs, ad Christum.

IV. A Libertate, ad Hebdomadas Danielis.

Ab eisdem, ad finem; spatio CDXC. annorum.

SERIES V. ÆTATIS.

Decurret itaque nobis hæc V. Ætas, per treis Babyloniorum Reges. Sub quibus Servitus Iudęorum, in Babyloniâ; eâ, quam suprà diximus, putandi ratione; per LXX. annos, transacta est.

Per reges Persarum, Cyrum, Darium, &c. Sub quibus in patriam reducti illi Vrbem Templumque refecerunt.

Per reges Ægypti & Syriæ Alexandro Magno succidaneos.

Sub quorum uno, Antiocho Epiphane, durissime habiti, admirabili Assamonæorum principum, sive Machabæorum, fortitudine, non modò libertatem: sed regni etiam dignitatem, viri recipeŕasse.

Per eosdem Principes. donec intestinis seditionibus inter se conflictari, Romanis, ad se subiugandos, viam aperuérunt.

Per ipsos Romanos, prius Coss. deinde Imperatores. Sub quorum uno, & quidem secundo, Augusto. Christus, Dei filius, ex *matre Virgine Homo* natus, exoptatam mortalibus salutem, & Orbi-terræ pacem importavit.

Reges autem sive Monarchæ, Imperij Babylonici, ab Hebræis, uti suprà attigimus, tres tantùm ponuntur, Nabuchodonosor, Evilmerodach, & Balthazar; seu, ut quidam volunt, aliter dictus, Laborosardachus, aut Labynitus. Pater scilicet, filius. & nepos. De quibus III. solis, in sacris literis fiat mentio.

Samerius, à Captivitate, ad Libertatem sub Cyro, XXIX. solùm annos interfluxisse (quòd I. Cyri annus, sub ultimo anno Captivitatis, LXX. comprehendatur) sic colligit.

Cap. ultimo. 2. Paralip. v. 21. *Vt compleretur sermo Domini ex ore Hieremiæ.* (c. 25. v. 11. *Quùm impleti fuerint LXX. anni*) Illi LXX. anni inchoari debent à XIII. Iosiæ anno, ut eodem c. v. 3. designat Hieremias. Sed XXX. anni Desolationis inchoantur ab Exscidio Templi, (teste Euseb.) Quod sic probari possit.

Nabuchodonosor captivum abduxit Sedechiam, anno regni sui XIX. mense V. Cœperat autem regnare initio IV. anni regis Ioacimi. (Hieremiæ cap. 25. v. 1.) Idem anno XI. Sedechiæ, mense V. expugnavit Hierosolymam. (4. Reg. 25.) Priùs itaque regnaverat XIX. annis. à III. Ioacimi: & universè, XIIX. ann. & V. mensibus.

A XIIX. ad XLV. restant XXVII. anni, VII. mens. minus VII. diebus, (4. Reg. 25. v. 8.) His supervixit Nabuchodonosor à captâ Hierosolymâ. Et post eum regnávit Balthazar, annis III. qui explent annum XXX. Captivitatis.

Qui autem 4. Regum c. 25. vocatur Evilmerodach: & dicitur sublevâsse, anno quo regnare cœpit, caput Ioacimi regis, anno XXXVII. suæ Transmigrationis, mense XII. & XXVII. die mensis. (quibus patet annos fuisse completos) Eum putat, Samerius, vel non regnâsse, vel ini-

CYRI INITIA.

3396. Circiter annum III. Captivitatis (qui erat XXXII. Nabuchodonoſoris) iam-tum CYRVS rerum apud Perſas, gentem ſibi popularem & hereditariam, potiri cœpe-rat. 554.

Hunc quùm ASTYAGES, Medorum rex, ex filiâ Mandane, quam ille ex conſilio Ariolorum; qui ex ſomnij, de Vite è naturalibus filiæ enatâ, & omnem Aſiam obumbrante; coniecturâ, Nepotem ſibi inde naſciturum eſſe reſpondiſſent, qui totius Aſiæ potens evaderet: CAMBYSI, Cyri, unius ex Achæmenidis, filio, mediocri inter Perſas viro, in matrimonium elocaverat) recèns genitum, Harpago quidem, arcanorum omnium participi, occidendum: Hic verò, præ metu maternæ in poſterum ultionis, regij pecoris paſtori exponendum tradiſſet. Paſtor, cui eodem fortè tempore filius natus (& mox denatus, Herodot.) eſſet: uxoris precibus, & miſericordiâ motus, quâ canem ubera parvulo, in ſaltum proiecto, præbere, & à feris alitibuſque defendere, deprehenderat: induci paſſus eſt, ut permutatâ ſorte parvulorum, alienus partus, pro filio domeſtico educaretur: (proprius, pro regio nepote, exponeretur.

(...etus, quod nutrici Spacos, hoc eſt, Cyno Græcè, nomen eſſet: à Cane nutritum fuiſſe fabulantur. Cyri namque nomen eſt avitum: quod illi tamen inter paſtores accepiſſe volunt. Herodot. negat.)

Hic puer iam decennis, forte, ut fit, inter æquales colludenteis, rex delectus, quùm per laſciviam, dicto perſonati regis, ex ijs minùs audienteis flagellis cecidiſſet: & querelâ à puerorum ingenuorum parentibus, adverſus ſervum regiùm, delatâ, arceſſitus à rege ASTYAGE, & interrogatus, nihil mutato vultu, ſe, uti regem, pro iure ſuo, ea feciſſe reſpondiſſet: Avo, qui conſtantiam in puero admiraretur; memoriam ſomnij priſtini, reſponſique, renovavit. Atque ita ille, quùm & vultûs ſimilitudo, & expoſitionis tempora, & paſtoris confeſſio, convenirent, nepotem agnovit. Et ob agitatum ab illo, inter paſtores, regnum, ſomnio ſibi ſuo defunctum ratus, animum minacem dumtaxat in illo fregit; & in Perſidem, cum comitatu ad parenteis ſuos dimiſit.

Sed quod Harpago, in ultionem ſervati nepotis, filium eius epulandum, in cœnâ, non ſine inſultatione, adpoſuiſſet; cum illi, vindictæ in regem barbarum audendæ: tum Cyro, in avitum regnum redeundi & invadendi, occaſionem poſteà præbuit.

3397. Anno IV. Captivitatis, aliàs III. (qui eſt Nabuchodonoſori XXIII. alias XXII.) Hierem. c. LII. 553.

NABUZARDANES, militiæ magiſter, cæteras Iudæorum reliquias, numero DCCXLV. animas (ex ijs, qui genere & dignitate præſtabant) in Babylonem tranſtulit.

Hos Hebr. putant apud Tyrum; apud Ammonitas, & Moabitas, & in vicino exſulâſſe: & quaſdam veluti communis cladis inundatione inde abreptos. Alij, quod per fraudem Chaldæorum præſidia occidiſſent.

BARVCH PROPHETA.

3398. Anno V. Captivitatis, qui XXIV. Nabuchodonoſoris. 552.

BARVCHVS, Neriæ F. Hieremiæ miniſter & ſcriba, (de quo ſup. ad annum IV. regis Ioacimi) poſt cædem heri ſui. quem populus, longâ illâ, de Ægypti clade, quæ Iudæos, eò transfugas, maneret, & complexura eſſet; vaticinatione concitatus, (teſte Epiphan.) lapidibus ad Taphnim obruerat: in Babyloniam ex Ægypto transfugiſſe cenſeatur, & ibidem Vatis munus obijſſe. Librumque peculiarem, (à priore, qui Hieremiæ eſſe potiùs cenſendus eſt, diverſum) ſcripſiſſe. cumque coram IECHONIA, Ioacimi regis Filio & universâ exſulum multitudine, qui in Babyloniam abducti fuerant, & ad flumen Sodi, ſedem fixerant; VII. menſis die, legendo pronunciâſſe.

Traduntquidam Hieremiam antè, quàm lapidaretur, in Ægypto philoſophiæ incunabula poſuiſſe; & arcaniore ſapientiâ Hierophantas illic imbuiſſe. Cuius rei famâ, excitati Græci, peregrinationes, terrâ marique crebras in Ægyptum ſuſceperint: & annis fere LXX. pòſt, philoſophiæ gloriam ad ſe derivârint.

Hieremias Vatis munere functus eſt XLI. annos. à XIX. Ioſiæ, ad XI. Sedechiæ, & ulteriùs. Produnt Hebræi ab eodem, II. poſteriores Regum Libros eſſe conſcriptos. Eiuſque Librum Comminationum, (capitibus 36. & 45.) non exſtare.

stare. Eumque non lapidibus obrutum; sed in Sedarâ, ex Ægypto, unà cum Barucho, an. XXVII. Nabuchodonosor. salvum & incolumem rediisse.

Hunc autem, quem dixi, librum, quùm Vates BARVCHVS perlegeret; omnes, qui aderant, flen[t]u ieiunio & precibus, Deum placare satagebant. Et collatum argentum, quantum quisque pro ratâ facultatum portione posset, misêrunt Hierosolymam, ad Ioacimum, Helciæ F. Salomi Nep. sacerdotem, & ad eos, qui ibi remanserant. Quique Vasa aliquot sacra, ex ijs præsertim, quę Sedechias, post Iechoniæ captivitatem, & Templi exspoliationem, conflanda ex argento curaverat; à Chaldæis redemta acceperant. Vt hostias coëmerent, easque pro peccatis omniũ offerrent: Deumque precarentur; ut Nabuchodonosori, filioque eius Balthasari, omnia in vitâ prosperè evenire vellet: subque eorum tutelâ, & bonâ eorum gratiâ, quietè vivere possent. Pro se denique Deum rogarent, in quem hactenus peccâssent, & cuius nondum ira placata esset.

Eos etiam sunt cohortati; ut eumdẽ, quem misissẽt Librum, diebus festis in Templo, corã Altari (quod in Templi ruinis excitârant) recitandum curarent.

Reliqua Vatis oratio ferè in detestatione peccatorum ac scelerum, quæ admisissent; & malorum, quibus iure oppressi essent, enumeratione consumitur. Extremo autem Libro, ea est Hieremiæ Epistola, de quâ suprà diximus. quâ Captivi monentur, ne Deos, quos in Babylone adspecturi essent, Deo maiorum neglecto, venerarentur; aut peregrino cultu offenderentur.

Hoc eodem anno, iam fortè præcipitante (alijs VI. post captum Sedechiam. Hebræis, Seder, XXVII. regni Nabuchodonosoris. propterea quod hoc Ægyptium bellum probabiliter in multos annos fuerit protractum)

NABVCHODONOSOR expeditionem suscepit in Coelen-Syriam. eâque subactâ, bello persecutus est Moabitas & Ammonitas.

Quâ de re, Hierem. c. 49. *Confusa est Emath, & Arphad. Dissoluta est Damascus, versa est in fugam. succendam ignem in muro Damasci, & devorabit mœnia Benadab. Ad Cedar, & ad regna Asor; quæ percussit Nabuchodonosor, rex Babylonis.*

Cap. 48. *Væ super Nabo. capta est Cariathaim. contrita est Moab. Ignis egressus est de Hesebon, &c.*

Cap. 49. *Auditum faciam super Rabbath filiorum Ammon, fremitum prœlij.* Vid. & Sophon. cap. 2.

Eâdem de re Ezechiel. c. 25. *Dabo Rabbath in habitaculum camelorum; & filios Ammon, in cubile pecorum. Aperiam humerum Moab de civitatibus.* Inclytas terræ BETH-IESIMOTH, & BEELMEON, & CARIATHAIM, &c.

Vnde cladium, (de quibus nemo historicus meminit) quibus populi illi à Babylonio rege tunc adfecti sunt, magnitudo colligi possit.

Illis denique perdomitis, ipse in Ægyptum, infesto cum exercitu, est ingressus. Quod quidem post II. aut III. huius, quam memoro, expeditionis annum, contigisse censeamus.

Nam Ezechiel c. 29. extremo, ait sibi divinitùs patefactum; anno XXVIII. haud dubiè regni ipsius Nabuchodonosoris, qui fuerit VII. aut VIII. captivitatis postremæ primo die mensis primi.

Nabuchodonosori; (quòd ipse, ceu divinæ Iustitiæ administer, exercitum suum, ad Tyri obsidionem, servilibus operis exhausisset: neque ullum ex urbe incensâ & vacuâ (qua de re sup.) opera præmium, aut spolia retulisset) mercedis vicem, intactæ & opulentæ regionis, Ægypti, manubias esse cessuras.

Atque ita regnum Ægyptiorum, quod multis sæculis, Pharaones, potentissimum tenuerant; prorsùs ab eo est eversum.

Postremus ex eâ Pharaonum familiâ, APRYES fuit; PSAMMIDIS, qui VI. tantùm annis regnavit, F. PSAMMITICHI; Nep. Secundum quem, & fortunatissimus omnium, ad eam ætatem, regum exstitisse: & tam dementi prændentiâ elatus fuisse proditur; ut regnum, quod prçclarè stabilijsse sibi visus esset; neque à Dijs, neque ab hominibus, adimi sibi posse, persuasum haberet.

Nihilo minus, ob cladem exercitûs sui, à Cyreneis, in Africâ Græcis, acceptam; populariter ab eo descessum est. & regnum Amasi, qui coercendæ seditioni ab eo submissus fuerat, delatum. Ipseque prœlio tandem victus, captus, & mox strangulatus est. postquam XXV. ann. regni potitus esset. Vid. infr. sub Cambyse: & sup.

De eod. in Hierem. c. 45 *Ecce ego tradam Pharaonem Ephreë, (al. Ophre)* quem APRYES ipsi vocant, *regem Ægypti, in manus inimicorum eius; & in manus quærentium animam illius.* sicut tradidi Sedechiam regem Iudæ, in manus Nabuchodonosor, regis Babylonis, inimici sui, & quęrentis animam eius.

Et Ezechiel. c. 29 *Pharao, rex Ægypti, draco magne, &c. Dabo terram Ægypti, in solitudines gladio dissipatam, à Turre Syenes, usque ad terminos Æthiopiæ. Inter cætera regna erit humillima; & non elevabitur ultrà super nationes. & imminuam eos, ne imperent gentibus &c.*

Ista namque clade ita a Babylonijs accisi sunt Ægyptij; ut deinceps nullam regem ex suâ gente habuerint: neque ditionem in vicinas genteis tenuerint, ante PTOLEMÆOS.

AMASIS ille, qui Apryæ successit, Nabuchodonosoris cliens fuisse censeatur fiduciarius.

Hinc Iosep. lib. 10. c. 11. regem eum, qui tunc regnabat, occisum; & alterum, à Nabuchodonosore victore, subrogatum tradit. Vt quidquid Herodotus de rebellione Ægyptiorum commemorat; id omne, auspicijs Nabuchodonosoris, ab Amasi gestum esse, sit verosimile.

Idem Ezech. cap. 30. *Veniet gladius in Ægyptum. Erit pavor in Æthiopiâ. Æthiopia, & Libya, & Lydij cum eis gladio cadent.*

(Cui convenienter Herodot. habuisse APRYEN auxiliariorum circa se ex Iönibus, & Caribus (Lydorum vicinis) XXX. millia.)

Cessare faciam multitudinem Ægypti in manu Nabuchodonosor, &c. Dux de terrâ Ægypti non erit ampliùs. Quasi parturiens dolebit Pelusium, & Alexandria erit dissipata; & in

Memphis,

Memphis, angustia quotidiana. Iuvenes Heliopoleos, & Pubasti, gladio cadent. & ipsa captiva ducentur. In Taphnis nigrescet dies, cum contrivero ibi sceptra Ægypti.

Idem, capitibus 31. & 32. In superbum regem, APRYEN, acriter invehitur. gladium regis Babylonij comminatur: & terræ vastitatem graphicè depingit.

Hæc autem Ægyptiorum calamitas; etiam, ex Iudæis, eos involvit, qui nuper eodem, tamquam in tutum, reclamantibus Vatibus, profugerant. *Qui in Magdalo, in Taphnis, in Memphi, & in terrâ Phathureâ, sedem fixerant.* (de quibus Hierem. cap. 44) Atque adeò iam externis Deorum sacris adsueverant, in flagitijs indurati. Quos idem victor, rursùm captivos, Babylonem abduxit. & una cum ijs, ut quidam volunt, BARVCHVM.

Intereà dum NABVCHODONOSOR, bello adversus Moabitas & Syros distineretur: tradunt quidam CYAXAREM, Medorum regem, ALYATTI Lydo, bellum quinquennale facessisse. (Quo tempore, in ipsâ pugnâ, dies in noctem mutavit: quæ fuit Solis eclipsis, quam Thales prædixisse dicitur) Totamque, supra Halyn fluvium, Asiam, sibi conciliavisse. Genebr. ex Herodoto. Sed hæc nobis longè sunt vetustiora.

Idem addit, pacem inter eos firmatam operâ Labyneti Babylonij; qui Evilmerodach in sacris literis dicatur: & tempore paternæ deiectionis, an insaniæ, Palatio regio, reique summæ præfuerit.

At verius Labynetus ille, est ipse Nabuchodonosor; qui reges illos, inter se belligeranteis, conciliárit.

Reliquum adhuc erat Assyriorum, in regiâ Ninive, Imperium. Multarum quidem anteà gentium defectione debilitatum; & ab ipsis Medis, defectionis auctoribus, qui Persas sibi subiecerant; (Duce primùm Phraorte, Deiocis regis filio, qui ibi cum pleràque exercitûs parte perijt. (Vid. sup. ad an. XIV. Iosiæ).

Deinde Cyaxare, Phraortis filio, qui paternæ cædis ulciscendæ cupidus, ad ipsam etiam Ninum, obsidionem admoverat.) bis tentatum: & tantum non, (absque Scythis fuisset, qui factâ in Mediam irruptione, non modò Medos ab obsidione abstraxêrunt; sed ipsis etiã prælio victis, Asię sibi imperium, per XIIX. annos vindicárunt) in extremum penè discrimen adductum. inveteratæ tamen potentiæ maiestate etiam-tum pollens ac potens.

Auctus igitur NABVCHODONOSOR tot regnorum accessione; & Medorum. (quos, ex Hierem. c. 25. priùs expugnatos à Babylonio fuisse, colligitur. & deinde in societatem adscitos. Vide supr. ann. Orb. Cond. 3375. de Astybare Medo; qui idem Artabanus & Cyaxares, auxiliareis copias Nabuchodonosori, ad expeditionem Hierosolymitanam, præbuerit.) societate & viribus confirmatus; hoc demum anno, ad Ninives expugnationem, & debellandos Assyrios, conatus suos convertit. Sic ferè Ribera.

Putat Genebrardus hunc esse eumdem Nabuchodonosorem, qui XII. regni anno pugnavit contra Arphaxadum, regem Medorum, Ecbatanæ conditorem: & vicerit in campo Ragau, circa Euphratem & Tigrim. (ex Iudithæ cap. 1. ubi vocetur rex Assyriorum) & Niniven Medis ademtam, & ab illo subactam.

Quique anno XIII. miserit Holophernem adversus Cilicas, Syros Iudæos, & cæteros Orientaleis, usque ad Æthiopiam.

Et ob Holofernis cædem, cladem que exercitûs; contra Sedechiam, (cuius annum VI. vult esse XII. Nabuchodonosoris) quo auctore ea contigisse putaret; præmisso, in locum Holophernis, Nabuzardan, celeriùs movisse.

Ribera hanc opinionem refellit cap. 2. Nahum. Vid. supr. Regnum MANASSÆ regis, sub quo IVDITHAM floruisse putamus.

Huc accedit Esaias c. 10. *Et erit, quùm impleverit Dominus omnia opera sua in monte Sion, & in Hierusalem*, (hoc est, postquam urbem everterit: & pœnas exegerit.) *visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur.*

Sophon. c. 2. multa prafatus de futuris Gentium, quæ in Hierosolymæ exscidio lætatæ fuerant, cladibus: hæc de Ninive prædicit.

Et extendet manum suam super Aquilonem; & perdet Assur; & ponet speciosam in solitudinem, &c.

Id autem quod suprà dicere cęperamus, Herodot. ipse innuere videtur. CYAXAREM, pulsis Scythis; & recuperato post XXIIX annos imperio, Ninum expugnásse.

Quod quomodo factum sit, alibi se indicaturum promittit. Id autem vel intercidit è libris Historiarum; vel silentio est prætermissum, & molestè desideratur.

Hanc autem Ninives expugnationem, quam Cyaxari Medo tribuit Herodot. eamdem esse censemus, cum eâ, quę Nabuchodonosori Babylonio tribuitur, c. 2. Nahum.

CYAXARES namque, teste Eusebio, regnum iniję XV. anno IOSIÆ. & per XL. annos auctore Herodoto, partim per se, partim cum Scythis regnavit.

Deductis itaque, è regno Iosię, (qui XXXI. annis regnásse traditur 4. Reg. 22.) annis XVII. Et additis XI. Ioacimi, totidemque Sedechiæ; (quorum extremo, excisa est à Nabuchodonosore Hierosolyma) colligantur anni XXXIX. regni ipsius Cyaxaris. Et VI. annis posteà, aut circiter, ab eodem Nabuchodonosore vastata fuerit Ninive. Vt vix IV. aut V. annorum sit dissensio. quę profanæ forte-an historiæ errori adscribenda sit.

Si verus igitur Herodotus: nos Cyaxarem, Medorum regẽ. Nabuchodonosori, adversus Assyrios, auxiliarem, sociumque fuisse, dicemus. Atque ita Medos Niniven expugnásse, sub primario expeditionis duce, NABVCHODONOSORE: qui eorum, quos anteà vicerat, auxilio operáque usus sit.

Quùm præterea Euseb. lib. 9. cap. 4. Pręp. Euang. ex Polyhistore Alexandro, tradat, ab eodem Nabuchodonosore, Astybaren, (qui al. Cyaxares) multo antè in auxilium adscitum, dum in

Iudæos & Sedecbiam, eorum regem, expeditionem susciperet.

Ioseph. quidem (lib. 10. c. 3. & 6.) sub ætatem Iosiæ regis (haud satis gnarus unde accepisset.) à Medis & Chaldæis dissolutum fuisse tradit Assyriorum imperium. sive, ut B. Hieronymus, Ninivem expugnatam. Sed nulla fuisse videtur Chaldæorum, cum Medis, societas; ante Nabuchodonosorem.

Quidquid tamen huius est; Ab hâc ex Ægyptijs, in ordinem redactis, victoriâ; & ditione longè latéque amplificatâ; primùm ipse Monarchiæ titulum adeptus est.

Quantumvis enim à priscis iam sæculis; atque adeò à Nimrodo, eius conditore, Imperium Babylonicum in orbe viguerit; quia tamen cum Assyrio, cuius fundator ASSVR; & Ægyptio, quod primus Pharaonum OSIRIS erexit, (circiter Abrahami ætatem) æquo marte Orientem & Libyam, suam velut quisque vicem, possideret; non priùs Monarchiæ nomen receptum est, quàm ista, quę dixi, omnia Chaldæis accessissent: & potissima τῆς οἰκουμένης portio, vni parére didicisset.

Et quum hactenus Historia sacra annos Nabuchodonosoris numerárit à die, sive anno, quo regnare cœpisset; hoc est, à quarto Ioacimi, regis Iudæ: DANIEL. post translata ad ipsum magna Ægyptiorum & Assyriorum imperia, ab initio Monarchiæ, apud Chaldæos constitutæ, ceu quâdam Æ rà, vaticinij sui annos computat. Sic c. 2.

In anno II. regni, vidit Nabuchodonosor somnium, &c. Vt ex ijs, quæ antecedunt, nemini non liquęat; Vatem non de annis regni eius, (qui se, unà cum socijs, anno I. regni, ex Hierosolymis, ab eodem Nabuchodonosore (qui III. sive IV. Ioacimi) abductum, confessus sit. Neque priùs in conspectum regis venisse; quàm per triennium omni Chaldęorum sapientia fuisset institutus) sed de secundo anno eiusdem Monarchiæ, loqui.

Huic convenienter & Iosephus lib. 10. cap. 11. & 12. Post annum, inquit, II. Ægyptiæ vastitatis, vidit NABVCHODONOSOR somnium, &c.

Quam quidem vastitatem tradiderat ibidem contigisse anno V. post Hierosolymitanum exscidium; sive XXIII. regni ipsius Nabuchodonosoris. Vel, ut nos colligimus; XXVII. aut circiter; ob longinquiorem belli Ægyptij moram, & Niniveæ succidaneam cladem. Vt I. eius monarchiæ annus, sit XXVII. aut XXIIX. ab regno inchoato.

3400. | Anno itaque II. ab Exscidio Hierosolymæ; sive à SEDECHIÆ, & II. Tribuum Captivitate, (quem primum, aut alterum Monarchiæ NABVCHODONOSORIS constituimus. sive XXVII. regni) vaticinari cępit DANIEL, | 550.

Iosep. lib. 10. cap. ult. Libri, inquit, Danielis, quos scriptos reliquit, certam nobis fidem faciunt, Deum cum eo colloquia miscuisse. qui non solùm futura, ut alij Vates, prædixerit; sed tempus etiam, quo eventura essent, definivit.

Cumque alij calamitates prænuntiarent; & malam ideo gratiam apud reges & vulgus inirent; hic prosperarum rerum Vates fuit. Vt propter fausta omina, benivolentiam sibi apud omneis conciliárit; & propter certa eventa, fidem apud homines comparárit.

Alij verò Hebræi, illum non prophetis, sed Hagiographis adcensuêrunt. Quum tamen res futuras, & prænovisse, & prædixisse comperiatur.

Vt ea namque, quæ de CHRISTO, prætereantur; de Babyloniorum, de Persarum, de Macedonum sive Græcorum, de Romanorum regnis, quàm multa prædicuntur? Quę Babylonio regi eventura. quemadmodum Persæ regnum eius essent occupaturi.

Ex X. autem eius VISIONIBVS, quas in librum suum retulit: III. sub ipso Nabuchodonosore: Totidem sub Balthasare. VII. & IIX. sub Dario Medo: & IX. postremæ, sub Cyro contigerunt.

Prædicit autem XII. capitib. futurum Ecclesiæ statum, à suo tempore, ad extremum mundi terminum.

Interque alia, V. regna, quâdam serie consectaria, fore. à quibus populus Dei graviter interim oppugnetur: BABYLONIVM, PERSICVM, GRÆCVM, & ROMANORVM, GOG, & MAGOG, hoc est, Saracenorum, & Turcarum. qui postremi obscuro & Ignobili cornu denotantur. Geneb. per eosdem intelligi possunt omneis, qui cum Antichristo Ecclesiam essent oppugnaturi.

Eo autem pacto pios Dei cultores consolatur; quòd Ecclesiam, inter regnorum istorum vicissitudines, constanter perseveratusam; & CHRISTVM, post LXX. Hebdomadas, patefaciendum, & in medio inimicorum suorum regnaturum esse prædicat. Qui Imperijs illis suâ potestate contritis; regnum suis cultoribus, nullâ umquam ætate frangendum, sed à beatâ immortalitate intercipiendum; impertiturus sit.

Eâ itaque tempestate, anno regni, sive veriùs Monarchię suę, II. (Ioseph. Biennio, post Ægyptiam vastitatem) rex Nabuchodonosor somnium vidit, mysterio rerum futurarum admirabile.

Quo vehementer perterritus, (Iosep. cuius etiam eventum Deus ei in somnis indicárat) in mentem, semel iam elapsum, revocare numquam evaluit.

(Sulpit. tradit eum Visa suppressisse: veritum, ne, more hominum, non vera, sed placita regi, Divini & Magi ex somnio coniectarent. quorum interpretationi non antè fidem habiturus esset, quàm enuntiando ipsum somnium artis suæ periculum fecissent. quòd eos falsâ divinandi professione, hominum erroribus quibusdam ludificari existimaret.)

Convo-

Convocatis itaque Chaldęis Magis, & univerſis è toto regno divinis, (Sulpit. qui magicis artibus, extiſque hoſtiarum, ſcire occulta, & futura præcinere credebantur) iubebat eos ſomnium, quod ex animo effugiſſet, primùm enarrare; deinde idem interpretari.

Illi contrà, regem rogabant, ut ſomnium ipſe ſuum exponeret; quod ſe ex arte ſuâ interpretaturos promitterent. Quos quùm rex urgueret, conditione propoſitâ; niſi & ſomnium, ſibi oblatum, enarrâſſent; & idem ex fide interpretati eſſent; fore, ut & ipſi perirent; & domus eorum publicarentur. Secùs verò, ſi quod poſtulabantur, præſtitiſſent; præmijs & magnis honoribus adficerentur.

Illi nihilo minus à rege, quod priùs, contendebant. alioqui non eſſe id in humanâ ope ſitum; ſed in ſolis Dijs; quibus cum hominibus nullus intercedat uſus.

Ille autem irâ & furore incitatus, latâ tamquam in impoſtores ſententiâ, negotium dat ARIOCHO, militiæ principi (Ioſep. ſatellitij regij præfecto) ut Divinos omnes, & coniectores Babylonios morte multaret.

Quod ubi Danieli (qui unà cum Sodalibus ad parem pœnam quæri videretur) compertum, & ad regem aditus datus. ab eo breve rei inquirendæ ſpatium (al. triduum) popoſcit & impetravit. enunciationem ſomnij, eiuſque interpretationem, quà fas, quà pote, pollicitus.

Conſtituto itaque tempore, ipſe in Domûs ſuæ cubiculum ingreſſus; & re tribus Conſanguineis, ſocijs, expoſitâ, & ſalute Sapientûm commendatâ; Deum, cum ijs, in commune rogavit; ut ſibi atque illis myſterium ſomnij enuntiaret, ne pari cum Chaldæis clade interirent.

Deus itaque precibus piorum exoratus, rem totam Danieli de nocte patefecit. Tum ille, actis Deo gratijs, Ariochum rogat, ut ab imperatâ Magorum cæde ſuperſedeat; ſeque ad regem introducat, cui ſomnium eius & narrare, & interpretari ſit paratus. Quùm autem rex à Daniele quæreret; poſſetne id, quod promiſerat, præſtare! tum Magos quidem, ille, & coniectores, myſterium, quod ipſe in præſens ſciſcitaretur; enuntiare potuiſſe, negavit. Deum verò cœleſtem myſteria ſibi patefacere; & res extremis mundi temporibus eventuras aperire, voluiſſe; profeſſus eſt.

Somnium autem, quod rex vidiſſet, eſſe tale.

Ei ſcilicet, de futuris, ab exceſſu ſuo, temporibus, regniſque, anxiè cogitanti, à Deo iſtiuſmo. di rerum imaginem, & geminum rebus Viſum, in quiete eſſe oblatum. Quod non pro ſuâ peritiâ, aut ingenij dexteritate, ſed Deo ita edocente, interpretari in præſens pater.

Viſus es, inquit, ô rex, ingentem videre ſtatuam, quæ horribili cum adſpectu ante ſe ſtaret. Cuius caput, purè putè aureum: pectus & brachia, argentea: alvus & femora, ærea: tibiæ, fuerint ferreæ. Pedum autem, partim ferreum, partim fictile.

Eam autem ſic tum fixis quaſi oculis intuebare; quo-ad Lapis de monte, ſuâ ſponte, abruptus, ſtatuæ pedes, è ferro & teſtâ, obtriviſſet. iiſq; obtritis, reliquum pariter corpus imminutum ſit & deiectum. omniáque in pulverem redacta; &, ceu venti ludibria, difflata evanuerint.

Lapis autem, qui ſtatuam diffregerat, vertere tibi viſus in montem excelſum; qui, quantum eſt terrarum, ſuâ mole obrueret.

Propoſiti deinde, narratique ita ſomnij, hanc ille regi interpretationem ſubiecit. *Ipſum, qui regibus cæteris Imperij amplitudine præſtaret; & cuius ditioni, Deus cœli, omnia ſubieciſſet; Caput eſſe illud Aureum.* (Sulpit. Imago viſa, figuram mundi gerit. Caput aureum, Chaldæorum Imperium eſt: ſiquidem id primum & opulentiſſimum fuiſſe accepimus. Ioſep. Caput illud, ô rex, te ſignificat, & alios ante te reges Babylonios.)

Regnum alterum, quod poſteà, illo inferius, ſit exoriturum; *pectus eſſe & brachia argentea.* (Sulpit. Cyrus enim, victis Chaldæis atque Medis, Imperium ad Perſas tranſtulit.

Ioſep. Duę manus, & humeri duo, portendunt à duobus regibus Imperium veſtrum iri deletum.)

Alvum & femora, tertium eſſe regem, qui univerſo orbi imperaturus ſit.

(Sulpit. Tertium regnum portendi pronuntiatur. Idque impletum videmus. ALEXANDER namque ereptum Perſis Imperium Macedoniæ vindicavit. Ioſeph. Illorum quoque regum, Imperium alius ab Occidente veniens, & amictus armis æreis, è medio ſuſtollet.)

Quartum regem, qui, *ferri inſtar*, domaret ſubiugaretque omnia; *Tibijs Ferreis* deſignari.

Sulp. Idque regnum Romanum intelligitur, omnium antè regnorum validiſſimū. Ioſ. Huius, tertij, vireis debellatum iri ab alio, qui ferro adſimilis ſit. cuique ob naturam metalli; quod auro, argento, ære validius eſt, nihil poſſit obſiſtere.)

· *Pedes* verò partim *Ferrei*, partim *Fictiles*, Imperium ſignificant, quod poſteà factionibus diſciſſum & labefactatum, dividi & corruere fuit neceſſe. (Sulpit. Romanum regnum dividendum eſſe, ita ut numquam inter ſe coëat.

Quod æquè impletum eſt. Siquidem iam non ab uno Imperatore, ſed etiam à pluribus, armis aut ſtudijs diſſentientibus, res Romana adminiſtratur.)

Digiti etiam *pedum, partim è ferro, partim è luto figlino*; regni illius tum ſoliditatem, tam imbecillitatem demonſtrant.

Et admiſtio materiæ, numquam inter ſe coëuntis ferri & luti, fore ſignificat: ut coniugijs & propagandæ prolis cupidine inter ſe homines commiſceantur, non tamen vel ullis amicitiæ, vel ſocietatis legibus cohæreant.

(Sulpit. Siquidem Romanum ſolum ab exteris gentibus, aut rebellibus, Vandalis, Gothis, & c. occupatum: aut dedentibus ſe per pacis ſpeciem, civibus traditum eſſe conſtat. Exercitibuſque noſtris, urbibus atque provincijs, permiſtas, barbarorum nationes, & præcipuè Iudæos inter nos degere, nec tamen in mores noſtros tranſire, videmus.)

Lapis autem ille, qui *viſus omnia obterere*, Rex erit, quem illis temporibus Deus cœli excitaturus

eſt. cuius regnum, nec diſſipandum umquam; nec ex eo ipſe deijciendus.

Qui mundum iſtum, in quo ſunt regna terrarum, in nihilum redigat: atque omnibus deſtructis, ſempiternum ipſe in cœlo Imperium obtineat atque exerceat. (Sulpit. in Lapide iſto &c. CHRISTI figuram eſſe ait. Is enim non conditione humanâ editus (non ex voluntate viri, ſed ex Deo natus) regnum aliud incorruptum & perpetuum ; hoc eſt, futurum ſæculum, quod ſanctis ab omni æternitate paratum eſt, confirmabit.)

Rex Nabuchodonoſor, qui haud ſecùs ſomnium ſuum, atque per quietem viderat, enarratum, & verè explicatum intelligeret; quùm ſe ad pedes DANIELIS pronum abiecìſſet, eumq́ue veneratus, ut hoſtiæ cum thure immolarentur, imperâſſet: ipſe Deum Danielis, Deorum omnium Deum eſſe, profeſſus eſt; regum denique omnium Dominum: qui myſteria per fidos ſui cultores, ſolus enuntiare ſciret.

Dehinc ipſe Vatem in ſublimi dignitatis loco collocavit: & Dei patrij nomine, & magnis multiſq́ue muneribus donatū, nō modò univerſis Babyloniæ provincijs, earumq; Satrapis; ſed Divinis etiā, magicæ Sapientiæ Cādidatis, præpoſuit. Eiuſdemq́ue rogatu, & ſuffragatione, tribus eius contubernalibus, SIDRACHO, MISACHO, & ABDENAGO, procurāda totius regni negocia, operaq́ue commiſit. Et ipſe præcipuis intereà honoribus, inter totius Aulæ palatinos, habitus eſt, atque excultus.

Verùm ijdem, pro tempore tam gratioſi, in præſentaneum vitę periculum, offenſo ex cauſſâ, quam memorabo, rege, haud multo-poſt, inciderunt. NABVCHODONOSOR namque, non tā rebus ſecūdis, & gentium variarum victorijs, elatus; quàm ſuperioris ſomnij interpretatione, (ex quâ, ſe Caput Aureum, in obiectâ per quietem ſtatuâ, eſſe; hoc eſt, cæteris, qui ſe in poſterum conſecuturi eſſent, regibus excellentiorem, intellexerat) ſupra humanæ ſortis conditionem poſitum ſe ratus, divinos honores appetere cæpit. Et ſtatuam ſibi auream, immenſæ magnitudinis, quę cubitis LX. alta, & VI. lata eſſet; fabricandam; & in Campo Babylonis, cui nomen Dura, erigendam. (Lapid. ex Chaldæorum ſuggeſtione; ad calumniam Danieli ſtruendam.) curavit. Eamq́ue, uti Effigiem, vel Deo Beli, vel ſibi ſimul, ſacram, ab omnibus Satrapis, Optimatibus, provinciarumq́ue principibus, quos edicto undique evocârat, adorari, non ſine acerbiſſimâ mortis; & certi in refractarios incendij, comminatione, præcepit.

Quod cum ab omnibus, ad concentûs muſici & tubæ ſonum, depravatis a[…]latione animis, certatim factum eſſet; & tres Danielis, quos dixi, conſanguinei, (qui honorem illum, ſoli Deo debitum non ignorarent) tam profano officio abſtinuiſſent: Ipſi, rei, ex edicto regis, ab æmulis Chaldęis poſtulantur, & mox ſiſtuntur. Quibus quùm à rege propoſita eſſet pœnæ conditio, Ardens coràm caminus; ut vel præſentis ſupplicij metu ſtatuam adorare cogerentur; tum ipſi *ignibus ſe devorari malle, quàm piaculum committere*, reſpondiſſent. *Deum* interim *ſuum, ipſos & è manu regis, & è camino; ſi velit, poſſe ſalvos eripere.* ab irato rege, vincti & veſtiti, in medias fornacis, ſeptuplù ampliùs, quàm conſuérat, ſuccenſæ, flammas, per robuſtiſſimos viros, coniecti ſunt.

Verùm hoſce tam infandi operis miniſtros, dum promtiùs & propiùs damnatos reos propelluntt ipſa flamma abſorbuit. Pueri verò Hebræi, & *in medijs flammis ambulare, & Deum laudibus Pſalmiſq; celeberare*, conſpecti ſunt.

Et ex ijs primùm AZARIAS, ſubmiſſâ precatione iuſta Dei iudicia, & ſua, univerſæq́ue Iudęorum genus peccata, quibus clementiſſimum Dominum irritâſſent: & tot mala, cum extremâ regni Templiq́ue clade, ſibi ultrò arceſſiſſent; proteſtatus. ſeſe, unà cum ſocijs holocauſti & piacularis victimæ inſtar, in præſens devovit & obtulit. Et cum Dei erga ſuos pacem; tum adverſus regem flagitioſiſſimum, & alios patriæ religionis hoſteis, vindictam deprecatus eſt.

Deinde, quùm miniſtri regij quidquid alendæ in flāmas materiæ faceret, ſuggerere non ceſſarent: Et ab ipſâ flammâ, ad XLIX. cubitos, ſupra caminum, alte effuſa, omnes è Chaldæis propinquiores, haurirentur. Atque Angelus in fornacem delapſus, ita omnem flammæ vim inde excuſſiſſet, ut fornax media, ceu vento roſcido, perflari videretur. nedum ignis Iuvenes attingeret, aut ullum in eos impetum exſereret. Tres illi vincti, alacri & animorum & vocum conſenſu, in laudes iſtas, & gratiarum actionem, prorupérunu; quæ in hunc uſque diem, ſub Trium Puerorum nomine, Chriſtiana frequentat Eccleſiá.

Eo miraculo obſtupefactus rex, quùm treis tantùm in caminum coniectos fuiſſe meminiſſet; IV. ſe viros, vinculis iam ſolutos, & omni ex parte illæſos; & quartum, ſpecie Angeli, ceu FILIVM DEI, unà deambulantem, videre ſe, palam confeſſus eſt. Et propiùs ad præfurnium accedens; nominatimq́ue illos, uti modò perſpectos Dei excelſi miniſtros, compellans, ut à fornace egrediantur; quùm toto corpore, & veſtitu intactos deprehendiſſet; haud-dubius divinam in re præſenti exſtitiſſe virtutem, miſſis per omne regnum edictis, & tanni prodigij teſtimonijs, DEI, quem Hebræi peculiariter colerent, laudes cultumq́ue promulgavit. cui ſoli, uti potenti & excelſo Deo, honor eſſet tribuendus. Et ipſe viros probos & Deo caros, in maximâ deinceps apud ſe gratiâ pollere; & ſummis per provincias dignitatibus honeſtari voluit.

Verùm dum idem rex, regno & quiete florens, haud ita diu in veri Dei agnitione & cultu perſiſteret; (Pererius, hoc ſomnium eveniſſe, conijcit, circa trigeſimum quintum regni: ſive nono ante regis obitum anno.) alterum ſomnium vidit. quo æquè exterritus, ac ſuperiore, quùm fuiſſet; formam tamen & rationem eius memoriâ tenuit.

Viſus fuerat ſibi videre ARBOREM excelſiſſimam. cuius & cacumen in cœlum pertingeret; & ipſa, ad remotiſſimos uſque terræ terminos, conſpiciendam ſe daret. Frondes autem amœniſſimæ eſſent; fructuſq́ue uberrimi, ex quibus omnia viverent: Subter quâ habitarent animantia, & in ramis aves

conſi-

confideren[illegible]. Visus [illegible]iam eodem ferè temporis [illegible] quemdam & sanctum [illegible]um [illegible] qui [illegible]lo delapsus magnâ [illegible]t, ut A[illegible] [illegible]la cum [illegible]ndibus, [illegible], [illegible]aque ex[illegible]uterentur, & fructus [illegible]. Atque ita bestiæ, quæ subter eâ [illegible] diffugere, & aues è ramis avolare [illegible]. Sic tamen, ut stirps, sive radicum e[illegible]s germen, in terrâ remaneret; & vincul[illegible] æneoque in herbis deligatum, ac [illegible]is rore [illegible] pergeretur: ac feratum instar fœnum depasceret [illegible] septennium. & humanus habitus ac [illegible]us [illegible] pe[illegible]num verteretur.

H[illegible] enuntiasse; h[illegible]c Sanctos postulasse, ut mo[illegible] in[illegible]ant esse excelsum Deum, qui regn[illegible]nu[illegible] d[illegible]minetur; & cuicumque velit, ea [illegible]at[illegible]r.

[illegible]um ita enarratum, quùm acciti è totâ B[illegible] Magi interpretari non possent; Da[illegible] Ba[illegible]) sententiam rogatus, pri[illegible]ra se rem cœpit cogitare atten[illegible]g[illegible] â animi conturbatione, propter ip[illegible] rei, quæ portendebatur, eventum.

De[illegible]q[illegible]um rex non obscura consternationis [illegible] verteret; & somnij interpreta[illegible]to liberéque animo & ore, proferre [illegible]ple sun[illegible] precatus, ut somnium [illegible] ulis, & interpretatio illius hostibus eveniret: ita interpret[illegible]xorsus est.

Arborem [illegible]lam procerem, Regem ipsum esse, qui [illegible] us esset ac potens, ut magnitudo eius [illegible] cœ[illegible] potentia, ad fineis orbis-terræ pertineret. [illegible]p[illegible]um autem, qui talis ac tantus esset, tempor[illegible] quod Deus constituisset, è regno atque hominum societate expulsum iri, & cum fens[illegible] versaturum. fœnum bovis ad instar, depastu[illegible]um; & rore in agris perfundendum esse, ad[illegible]te[illegible]mum. dum intelligeret, excelsum in[illegible] esse Deum, qui regna hominum in[illegible] administret; & cuicumque velit, ea [illegible]d[illegible]. Regnum tamen non omninò [illegible]m; [illegible] redditum iri, simul atque Dei ag[illegible] pote[illegible]am.

[illegible]ne p[illegible]ns atque utile consilium regi dedit. [illegible] f[illegible]a c[illegible], mala, quæ sibi ex his eventura in[illegible]et, vitare posse. Suasit enim, ut egentibus [illegible]ter subveniret, eoque pacto sua in Deum peccata redimeret. Deum fortasse propitium, peccatorum veniam ei esse condonaturum.

Hæc autem omnia Nabuchodonosori evenérunt XII. mense post, (prolatatâ, haud dubiè ob regis in pauperes beneficentiam, pœnâ) quum Babylonem à se uno ædificatam esse; se unum robore & gloriâ regni, inter mortaleis, pollentem, summâ cum vanitate iactasset.

Huc facit, quod ex Beros. l. 3. Chaldaicorum, refert Iosep. de eodem rege. Reducem è Syriâ & Ægypto victorem, præter Beli Templum, auxisse & instaurâsse vetusta urbis mœnia & ædificia. alveum fluminis munijsse, ne hostis urbi incommodare posset. treis murorum ambitus intra urbem construxisse, & totidem foris circumdedisse, è coctili omneis laterculo. memorabilibus eamdem operibus exornasse; & portis, templorum in modum, communiuisse. regiam alteram, paternæ contiguam, amplam, ac superbam, intra XV. dies, absolvisse: in quâ moles saxeas fornicibus suspenderit, quę montium & silvarum speciem referrent, & varijs supernè plantarum generibus essent consitæ.

Idem l. 1. contra Apion. tradit culpari à Beroso Græcos, quasi vanè arbitratos à Semiramide Babylonem ædificatam, & opera admiranda ab illa ibidem constructa. Quorum tamen operum gloriam, Herodotus, Reginæ Nitocridi (quam Labyniti matrem, hoc est, Nabuchodonosoris coniugem, facit. alij, filiam) l. 1. attribuere videtur. Nisi duas Nitocridas, matrem & filiam, sive neptim, statuamus cognomines.

Eus. lib. 9. c. 4. ex Abydeno, ferè eadem de Nabuchodonosore, qui pensileis in regiâ hortos plantârit. Vid. & Diod. Sic. l. 3.

Eâdem itaque horâ, voce iterum, quæ pareis minas homini ita glorianti ingeminaret de cœlo delapsâ, rex NABVCHODONOSOR de subito attonitus, & in furorem actus, ab omni hominum cœtu remotus, (Tertullianus, & ab humanâ formâ exsulans) sub dio, aeris iniurijs expositus; bovisque in morem, ceu quadrupedes & humi pronus, fœno herbisque pascebatur. donec capilli eius præ incuriâ & illuvie, toto corpore, leonis instar, inhorrescerent: & ungues aquilinâ aduncitate efferarentur.

Septennio autem expleto, & agnito demum Deo; & sensus cum formâ ei redditus est, & regnum, non sine optimatum principumque studio & adplausu, atque adeò ampliore quam prius magnificentiâ restitutum.

Neque verò tum ingratus fuit; sed multis præclarisque verbis Deo gratias egit: eiusque se potentiam agnoscere professus est. Neque eum puduit epistolam cunctis gentibus scribere, quâ & somnium suum, & illius à Daniele solo editam interpretationem, eiusque fideliter explicati eventum; & regni ad extremum restitutionem, commemoravit.

3406. | Intereà anno XIV. eversæ Sub SEDECHIA civitatis, qui erat XXV. migrati, unà cum rege IECHONIA, Ezechielis. & XXXIV. regni (sive IIX. monarchiæ Nabuchodonosoris) mensis I. die X. (Massæ. Nonis Aprilibus. Alijs, circiter Nonas Octob.) | 544.

Visus est sibi EZECHIEL per visum adduci divinitùs in Iudæam, ibique commonstrari Exemplar Ædis, sive Templi in posterum ædificandi. hoc est, sacrosancta Ecclesiæ Christianę mysteria, sub figurâ Civitatis, & Templi, super excelso monte construendi. Quę omnia consequentibus capi-

capitibus,ut fuse, ita obscure pertexit.

Sub id tempus PISISTRATVS Athenis tyrannidem adfectat. Euerant Athenis factiones duæ: Quarum duces MEGACLES, Alcmæonis,& LYCVRGVS, Aristolaidæ, filij. Tertiam tum excitat PISISTRATVS,Harpocratis F. quasi ὑπερακρίων, caussam tutaturus. Addit commentum.

Ipse sibi ac iumentis suis, vulnera infligit; & ut erat cruore respersus, in forum prodit, in hostes debacchatur,fidemque popularium implorat. Eius tutelæ custodes aliquot κορυνηφόρους populus attribuit, quorum opera tyrannidem invadit. moderatè quidem rempub. gerens, & ornans; sed tyranni nomine invisus.

Nec multò pòst à Megaclis & Lycurgi factione deiectus, in Italiam se recipit, vireis collecturus. MEGACLES ille,quem dixi, quirante 14. ann. cum Lycurgo in gratiam redierat, ut Pisistratum opprimeret: eo depulso, & gratia mox rescissâ, cum Pisistrato concordat, ut filiam,cum dote tyrannidis,à se ducat.

Ille, postquam è Tribu Pæanicâ mulier,Phryna, procera & armata, curruî commuru imposita, ipsum,ceu Minerva, in arcem reduxisset: Et populus credulus benignè acceperit; Megaclis filiam uidigue habuit: quòd Alcmæonidæ ἐναγεῖς pridem censerentur. Vnde eiusdem Megaclis opera iterùm eiectus est.

Ipse, bis pulsus, bis restitutus, annis universè XXXIII. regnavit; successitque ei HIPPIAS Filius. Vid. inf.

Hoc pæne tractu temporum, SOLON, Atheniensium Legislator,ob PISISTRATI fortè in patriâ tyrannidem,in Cyprum, in Ægyptum ad Amasim;in Asiam,sive Sardeis,ad CROESVM regem, divitijs & opibus eâ tempestate florentissimum, peregrinatus est. & colloquium de Vitâ beatâ, eodem cum rege, instituit.

ONOMACRITVS Atheniensis sub Pisistratidis vixit, circa Olymp. 55. Cuius putantur esse ea, quæ Orphei & Musæi nomine celebrantur.

Rex autem CROESVS, primus è Barbaris, Græcos transmarinos, sive Asiæ incolas, partim subegit,partim amicâ societate sibi devinxit. aliosque populos, citra Halyn fluvium, qui Lydos à Medis dispernit; Phrygas, Moesos, Paphlagonas, Thraces,Bithynos, Pamphylios, & Cares, ditioni suæ adiecit. Quæ omnia paullo-post Cyro,Persæ victori accessere.

Hunc namque, iam adultum, HARPAGVS ille, de quo sup. dolore orbitatis, & iniuriæ ab Astyage rege, Avo Cyri, ob servatum nepotem, olim acceptæ, instigatus: ut parato exercitu, pronam sibi, ad aviti regni usurpationem, viam ingrediatur; literis ad eum scriptis, & lepori exenterato, ob arctam itinerum custodiam, insertis, cohortatus erat. Et Medorum, sævi regis osorum, transitionem à se pollicitus.

Neque difficile fuit, Persas, & Medis parére pridem indignanteis; & propositâ libertatis vitæque lautioris spe incitatos,ad audendum impellere

ASTYAGES de nepotis rebellione certior factus,suos armat: &sui in Harpagum meriti oblitus, summam belli eidem committit. Qui exercitum ita acceptum, partim per dedit nem Cyro tradidit; partim impune ex acie fugere, & hosti cedere, permisit. Ithiusmodi perfidiâ regis crudelitatem ulus. Rex autem tantâ sui exercitus clade minimè turbatus; effusâ in Magos, qui nunpe dimittendi à se Cyri olim sibi suasores fuerant, indignatione; ijsque in crucem actis: cumpit undique auxilia. adeò ut nullo ætatis discrimine, armatis in urbe reliquis, certamen alacriùs repeteret. & positâ à tergo, exercitûs parte, tergiversanteis ferro agi in hostem iuberet.

At contrà,quùm Persæ hâc violentâ Medorum obstinatione pulsi paullatim cederent, acribâ pariter, & insolitâ matrum uxorumque subiatis vestibus, in uterósne suos refugere velint,reganrium, castigatione repressi: & in prœlium, renovatâ impressione, regressi, quos paullo-ante fugiebant,fugere compulerunt.

Eo in prœlio ASTYAGES captus est: eique CYRVS victor nihil aliud,quàm regnum abstulit. Et quùm in Medos ipse reverti nollet, maximè genti Hyrcanorum, cum regiæ dignitatis insignibus, eum præposuit.

Atque ita Medi, qui CCCL. (ut vult Iustin. Alij, CCLX. Alij CCXXXIX. ut Herod.) annis,omni supra Halyn fluvium, Asiæ fuerant dominati, sub Persarum potestatem fuere redacti.

Hinc initium regni PERSICI, & principatûs in Cyro. anno I. Olympiadis LV. auctore Eusebio, qui Vrbis Romæ Cond. fuit CXCIII.

Inde itaque numerandi anni XXX. sive XXIX. qui Cyro universè ab Historicis plerisque tribuuntur. Ex quibus, ante captam Babylonem, XXIII. reliquos posteà,iam novæ Monarchiæ potens,regnârit.

Ctesias tamen Cyrum, non Astyagis ex filiâ nepotem, sed tantùm adfinem vult fuisse, qui illius filiam, Amytin, iam victor, uxorem duxerit.

Megasthenis fragmentum, dat Astyagi illi victo filium cognominem, qui Iunior sit dictus: Xenophonti, Cyaxares: al js Darius. Quem præstantissimi quique auctores putant illum Darium Medum, Cyri μητράδελφον; quicum ipse, post victoriam, concorditer vixerit: & idem, biennium plus sexagenarius, in expugnandâ Babylone, Cyro adiutor sociusque adfuerit. & cui postremùm morienti (quem Daniel c. 13. Astyagen vocare censeatur) successerit Cyrus. Cui opinioni nos adsentimur.

Intereà CROESVS, Halyattis F. Gygis atnepos, Astyagis illius Medi, per Arienim sororem, adfinis: quem à Cyro victum captumque doleret, de Persis,antequàm invalescerent,in ordinem redigendis; aut saltim à se suoque regno avertendis, cogitans; oracula passim, de ipso moliendæ in Persas expeditionis eventu, consulenda; & societatem, cum Græcorum eâ tempestate potentissimis, Lacedæmonijs & Atheniensibus, coëundam, curavit.

Et iam dubijs, de futuro magni imperij exscidio, Deorum responsis delusus; licet SANDANES, è domesticis unus, prudenter dissuaderet, ne fortè inopes, asperique victu Persæ, Lydicarum opum & lautitiarum dulcedine adlecti, ultrò Lydiam regemque

gemque invaderent; in Cappadoces, qui Græcis Syri dicuntur, quique Medicæ antea ditioni obnoxij, Cyro tunc victori parebant; cum exercitu [illegible] tur. Et copijs, Halyn, sive ponte; sive va[do] (Thaletis Milesij industria) reperto, transmissis [illegible] er serie & agere omnia cœpit.

C[illegible] ò castra castris, in regione Pteria, opponen[s]; ac tandem, post leveis velitationes, pugna committitur. quam nox, ancipiti partium victoria, dir[imit].

Iustin. vult, Crœsum quidem Babylonijs, quos Cyrus bello infestabat, in auxilium venisse: & victum, de [illegible] in regnum refugisse. Cyrum autem [illegible] post victoriam in Babylo[nios] [illegible], bellum [illegible] in Lydiam transtulisse. [illegible] prioris prœlij fortuna perculsum iam Crœsi exercitum, nullo negotio fudisse, regemque cepisse.

Quum Cyrus autem Crœsum, è prœlio Sardeis iam regressum, novi belli agitare consilia: & hinc Amasim Ægyptiorum; inde Labynetum Babyloniorum, [illegible] tates su[a]s reges: atque adeò Lacedæmonios, ut ad diem condictum, ineunte vere, sibi adessent, sollicitare. Et militi interim mercenario temerè de Cyro, qui æquo secum Marte pugnasse [illegible] curum, missionem dedisse, intellexisset, [illegible] cum suis consilio, quam-celerrimè posset, ad Sardeis exercitum promovit. & hostem, priusquam novas iterum Lydorum, sociorumque copias conflaret, occupavit.

Crœsus verò, quamtumvis re tàm inopinata in magnam sollicitudinem adductus; Lydos tamen, gentem id temporis, præ cæteris Asiæ populis, strenuam, & equestris militiæ peritissimam, in prœlium produxit.

Cuius quum equitatûs vim reformidaret Cyrus; hâc arte hostem eludificatus est. Camelis, iumentis in exercitu sagmarijs, viros equestri stola indutos imponit: & [illegible] cæteris copijs, adversùs Lydos equites, præcunt, imperat. Iussoque hos subsequi peditatu, suum equitatum à tergo collocat.

Simul atque igitur collato pede ad manus ventum est; equi Lydi, quùm Camelorum nec adspectum, nec odorem sustinere possent; & seipsi retrò; & omnem Crœsi spem, in præsentia, avertêrunt. Quamvis enim Lydi, non protinus eo casu exterriti, ex equis desilirent; & pedites cū Persis confligerent; multa tamē strage utrimque edita, penitùs in fugam versi, & in urbē è prœlio iniquiore compulsi sunt; & arte à Persis obsideri cœpti.

Quam obsidionem. ob loci firmitatem, in longius trahendam ratus Crœsus, ad socios auxilia quam-celerrimè imploratum dimittit. Quæ quantumvis ex Græcia præsertim, & à Lacedæmonijs (qui sub id tempus Argivos, ad Thyréas, singulari trec. utrimque militum conflictu, vicerant) velut ad commune exstinguendum incendium, confluerent; Sardeis nihilo minus, XIV. quàm obsideri cœptæ erant, die, Persis per Arcem irrumpentibus, expugnatæ sunt.

Capta autem iam Vrbe, quùm è Persis unus, ignarus viri. stricto in cædem Crœsi gladio, & concito fertetur impetu; filius eius minor, loquendi usu ad id tempus defectus, ad protegendā Patris, licet imperterriti & de morte præsentanea securi incolumitatem, se comparans; & ore diducto clamare nitens; nodum linguæ rupit: & articulatè; *Ne rex Crœsus à quoquam occideretur, proclamando, penè iam impressum iugulo paterno mucronem sistit, & revocavit.*

Qua voce proditus Pater, & servatus, ad Cyrum perducitur. Atque ità ille, XIV. iam annos, regni potitus, totidemque dies in urbe regia obsessus; magnum, & à maioribus partum & egregiè conservatum, imperium (uti ambiguè ei ex oraculis responsum fuerat) repentè amisit.

Ipse autem quùm compedibus vinctus; & bis-septem è Lyda iuventute captivis stipatus, ingenti lignorum strui, seu Pyræ, à Cyro superimponi, veluti piacularis & votiva quædā victima, iussus esset: Et ei, in extrema calamitate posito, venisset in mentem Solonis, (à quo olim audierat *Neminem, dum adhuc viveret, dici aut existimari beatum oportere. Et ad ultimam usque fati diem, ancipiti fortunæ subiectos esse omneis.*) Atque adeò, præ vehementi animi consternatione, flebili ipse cum eiulatu, ter eumdem Solonem nominasset; CYRVS, per interpretem, & cuius nomen ille ingeminasset; & quid ab eodem, tum de beatitudine, tum de rerum humanarum inconstantia, didicisset; percontatus: atque ex eo, sortis humanæ, omniumque communis, memor: vinctum è Pyra deposuit: & uti Principem sapientem, piumque, in honore habuit, consilijs eius in posterum usurus.

Quùm namque à Cyro rogaretur; qua caussa ipse bellum in se suscepisset; An Apollinis oraculo, quod antè consuluisset, fretus? respondit; Apollinem tecta consilia dedisse; *Si se ipse nosset; feliciter omnia esse eventura.* Se autem neque vireis suas satis expendisse; neque adulationem vicinorū Principum, Civitatumque, (à quibus ob potentiam, cum militaris rei gloria pertinaque coniunctam, ad bellum incitatus esset) contemnisse: atque ità *cæca sui admiratione deceptum.*

Tradit Iustin. non vitam modò, sed & patrimonij partem, & urbem Barcen (quæ Ctesiæ Barene est, haud procul Ecbatanis) concessam ei esse, ubi vitam, regiæ maiestati proximam, degeret. Tantumque Crœsi amorem apud omneis Græciæ, & viciniæ, urbeis fuisse; ut Cyrus grave à Græcis bellum passurus fuerit, siquid in Crœsum crudelius consuluisset.

Iones tamen, & Æoles, ista Crœsi & Lydorum clade perculsi (quos ipse Cyrus antè, per legatos, ad amicitiam, & à Crœso defectionem, invitârat) quùm missis vicissim legatis, imperata victoris facere; & se ijsdem cum Lydis conditionibus subijcere. paratos esse denunciarent; re infecta, (præter Milesios) dimissi sunt. Et pro tempore, à Cyro, qui tum Ecbatana, unà cum Crœso, proficiscens, potiorem in Babylonios & Bactrianos; in Sacas & Ægyptios; expeditionem animo agitabat, neglecti. Donec PACTYAS Lydus, regij thesauri & spoliorum custos, defecisset; & concitatis ad libertatem maritimis gentibus, Sardeis, & Tabalum in arce præfectum, obsessum teneret. Tunc enim,

ex itinere, Mazarem Medum, cum parte exercitûs, & mandatis, eodem destinavit. qui Lydis quidem iterùm victis arma & equos adimeret; cauponas, arteisque ludicras, & lenocinia exercere iuberet. *Vt quos invictos assidua antè bella, & militaris virtus, præstiterant; in luxuriam lapsos, & mollitie effeminatos, desidia atque otium superarent.* Cæteros autem Asiæ & Græciæ populos, qui unà cum Pactyâ & Lydis rebellassent, & Sardeis Tabalumque oppugnássent; sub coronâ venumdaret.

Quod Harpagus, & ipse Medus, de quo sup. in Mazaris demortui locum suffectus, leniùs exsecutus est. Plerisque Iönum & Æolum urbibus, aggerum obiectu, expugnatis; & Insulis ultrò ad obsequium inclinatis.

Neque Cares, aut Lycij, licet multa conati, camdem servitutis Persicæ pestem effugérunt. Atque adeò hinc infernatem Asiam Harpagus; indè Cyrus superuatem omnem, simul, sibi subegérunt.

Memorabile est Megasthenis Persæ, apud Euseb. lib. 9. fragmentum, de Nabuchodonosore, eiusque exitu, ex Chaldæorum narratione. Post ingenteis de remotissimis etiam populis, Libybus & Iberis, victorias; quùm in regnum sese ille reciperet; divino numine, aut furore, correptum, tandem in has voces palàm prorupisse: *Ille ego Nabuchodrosorus*, ô Babylonij, *impendentem vobis prænuntio calamitatem. quam neque Belus progenitor meus, neq; regina Beltis, avertere; neque fata ipsa valeant inflectere.*

Veniet Persa mulus, (Cyrus Medo-perses, bigeneris homo originis; qui duobus diversæ gentis parentibus prognatus sit; matre generosiore, quàm patre. De quo & Pythia apud Delphos, Crœso cõsulenti; An diuturnũ sibi foret imperium, respondit.

Regis apud Persas Mulo iam sceptra potito,

Corripe, Lyde. fugam, &c.) *Veniet*, inquit ille, *vestris dæmonibus, seu Dijs, utens commilitonibus; & servitutem vobis importabit. Cui adiutor, atque adeò auctor erit Medes, Assyriorum spes & gloria. Quem utinam, ante-quam Civeis prodat; aut Charybdis aliqua, aut Mare accipiens funditùs evertat & deleat. Aut ipse in alias conversus vias, per solitudinem, ubi neque oppida, neque ulla hominum vestigia; sed feræ pascuntur, & volucres vagantur; inter cauteis & vallium abrupta, solus oberret. Egò verò priusquam hæc pati in animum induxerim; exitu paullò mitiore defungar.*

Hæc ille divinitùs profatus, è-vestigio disparuit. Et Evil-madarochus filius regnavit. Quem Nerigllissares adfinis, seu sororis maritus, interfecit; & filium Labassöarascum reliquit.

Quo violentâ morte exstincto, Nabonnidochũ, qui nullo cognationis vinculo illum attingebat; regem designárunt. Cui Cyrus, Babylone iam potitus, Carmaniæ Principatum est elargitus. Hæc ille. Cuius auctoritati innitens Scalig. ea de Nabonido prodidit, de quibus infrà.

EWIL-MERODACHVS, BABYLON. REX.

3418. Alijs 3417. 3419.	Anno XXXVII. migrati Iechoniæ, XXVII. die mensis XII.	532.

(Hierem. verò cap. 52. XXV. die mensis. Quæ sic conciliantur ab Hebræis. XXV. die mensis XII. Nabuchodonosorem, eius (Iechoniæ) hostem, è vivis quidem excessisse, & sepultum fuisse; quem XXVI. die è sepulcro extraxerit Evil-merodach F. & palàm raptaverit, quò ipsius decreta aboleret. Sic Esai. c. 14. de eodem. *Tu proiectus es de sepulcro tuo, quasi stirps inutilis, pollutus: & quasi cadaver putre. Non habebis consortium, neque cum eis, in sepulturâ.* Sic Hieron. ex Hebr. Lapidan. fabulam pùtat. Die verò XXVII. Iechoniam è carcere eduxerit.)

Anno, inquam, illo, mense & die, (qui regni Nabuchodonosoris XLIV. aut XLIII. Monarchiæ verò XX. & ab everso Templo XXVI.) videtur decessisse Nabuchodonosor; & F. eius Evil-merodachus regnum confestim adijsse. Quem constet (4. reg. c. 25.) eodem, quo regnare cæperat, anno, IOACIMVM, olim regem Iudæ, tot iam annis captivum, è carcere liberatum, benignissimè habuisse: & præ cæteris regibus, qui in Babylone erant, longè celsiore in honoris & dignitatis loco collocasse; & mensæ regiæ consortem, præbitis abundè necessarijs, adhibuisse.

Tunc impletum illud Ezech. cap. 29. *In die illo pullulabit cornu domui Israel.* Et cap. 17. *Humiliavi lignum sublime; & exaltavi lignum humile*, &c.

Eodem quoque temporis articulo interijsse censetur Sedechias. de quo planctus; *Heu quia mortuus est Sedechias, & omnium ætatum feces bibit.*

Illi Evil-merodacho, Sulpit. XII. imperij annos attribuit. Alij, XXIII. al. XXV. Ioseph. XIIX.

Fregevilla, hunc facit Nabuchodonosorem illum, qui septennio in brutum delirium datus fuerit; & regno deiectus cum bestijs degerit. quique ab istiusmodi insaniâ, Evil-merodachi, hoc est, Fatui nomen traxerit. Cæterùm, communi Regum Babyloniorum cognomine, Nabuchodonosorem appellari. Eique adsignat successores, treis Assares: qui toto illo regiæ Metamorphoseos septennio, regnum administrárint.

Nos illi nullum in Chronologiâ annum damus: sed vel eundem esse cum Balthasare, postremo rege, ponimus; vel exiguo, ab adito post Patris decessum, regno, tempore, superstitem fuisse. Aut siqui anni ei attribuendi; eos cum Patre, in furorem dato, & déin restituto; vel etiam anteriùs, communeis fuisse.

Ios. l. 10. c. 12. vult eidem Abilamarodacho, Niglisarem F. & huic, post XL. (leg. IV.) regni annũ, Labosordachum itidem Fil. successisse. A quo, post novimestre, exstincto, regnum ad BALTHASAREM, qui Babylonijs Naboandel dictus, sit devolutum.

Idem

Idem lib. 1. cont. Apion. ex Beros. Nabuchodonosorem, magnificis, quæ dixi, operibus intentum, è languore de vitâ decessisse, anno XLIII. regni sui. F. Evelmarodochum, præ iniquitate & libidinibus odiosum, à marito sororis suæ, Niriglissoroöre, esse peremtum; postea-quam II. regnâsset annis.

Huius autem, qui quadriennium ipse regnârit, F. Laborosardochum, ob pravam morum indolem, post Principatum novimestri gestum, & etiamdum puerum, per insidias, ab amicorum intimis, peremtum. Et tum denique consentientibus insidiatorum suffragijs, regnû traditum Nabonido cuidam, qui ex eâdem gente Babylone agebat.

BALTHAZAR BABYLON. REX.

Nos eodé itaq; an. Balthasarem, vel Patri Nabuchodonosori, vel fratri Evil-merodacho, qui haud diu Patri & [illegible] superstes fuerit; successisse statuimus; & pæne quadriennium imperâsse. Qui hunc Nabonidum faciunt, ei alij X. alij XVII. annos attribuunt.

Eman. Sá, Quidam, ait, hunc putant Nepotem Nabuchodonosoris, ex Evil-merodacho F. Alibi Filius dicitur, apud Daniel. & Baruch. cap. 1.

Iosep. Pronepotem ipsius Evil-merodachi facit. quasi Nabuchodonosor alium habuerit filium, qui Balthasar etiam diceretur. de quo, Baruch. 1. Vel fortè ipse Evil-merodachus quoque, Balthasar sit vocatus.

3419. | Commemorat autem Daniel, cap. 7. anno huius Balsasaris primo. | 531.

(Perer. hoc tempus putat incidisse in LIV. annum ultimæ Iudæorum captivitatis: sive XVI. antè Liberationem. Ab Vrb. Cond. CLXXVI. Quo tempore Tarquinius Priscus regnârit: & apud Græcos Olympias L. ageretur. qui annus ipsius Danielis fuerit LXXX.)

Somnium sibi nocturnum, sive in quiete Visum, obtigisse istiusmodi.

Visi ei IV. ex ad-versis cœli regionibus, Venti, in Mari Magno inter se decertare. Et IV. Miræ immanitatis figuræque inter se dissimilis, Bestiæ, è Mari emergere.

E quibus 1a. Leænâ referret; & alis tamē aquilinis esse prædita. Quibus paullo-post evulsis, è terrâ se sustulerit, in pedes, hominis instar, erecta. Et [illegible] rdis humani prudentiam prætulerit.

ALTERA, VRSO adsimilis, seorsùm (εἰς καιρὸς, 70. quasi, occasioni intenta) steterit. (In parte autem stetisse, dicitur. Persæ namque in cæteros sævi; ergà Hebræos non modò, crudelitatem cohibuérunt; sed & benignos se præbuérunt. Vel, quòd licet ab Alexandro eversum diu iacuerit eorum imperium; posteà tamen, aliquantam partem, sub Impp. Romanis recuperârint. Et solas, ex tàm amplo Imperio Persidem, Mediam, Assyriam, & pauca finitima, regno suo sint complexi.) In cuius ore ternæ essent dentium series. Quæque ab alijs incitaretur, ut exsurgeret, & quam-plurimorum hominum carnibus vesceretur. Hoc est, genteis quam-plurimas libidini suæ subijceret.

TERTIA, ceu PARDVS, quaternas supernè alas gestare, & ipsa quadriceps esse visa est; cui vis quædam potestatis divinitus esset concessa.

Quarta denique, admirabili *terrore & robore præstabilis*, magnos è ferro dentes (unguesque ex ære) ostentabat: quibus omnia mandere & comminuere; & reliqua pedibus suis proculcare, videretur. Et tota ab cæteris, quas viderat, bestijs, alia & dispar; dena Cornua in fronte gerebat.

In quæ dum oculorum acie Vates defixus esset; aliud Cornieulum, è medio eorum, exoriri visum est: & ad eius conspectum, tria, è prioribus cornibus, evelli. Oculi autem in eodem, humanæ sagacitatis instar præ se ferre: & os, in voces superbiæ plenas, sese erumpere.

Tum vidit Thronos, suo quemque ordine, collocari. Et ANTIQVVM DIERVM, (Æternum Patrem, initij & finis expertem. Cuius annorum numerus (Iob. 36.) inæstimabilis: totius antiquitatis auctorem & possessorem. Theodoret. ait legi, antiquans dies; hoc est, cuius comparatione ipsa tempora senescere & antiquari dicantur.)

Cuius vestis, nivis in morem (quæ Divinæ Naturæ puritatem) candida.

Capilli, lanæ mundæ & clautæ (quæ divini Iudicij integritatem, notet) pares essent. In throno, inquam, excelso, cum Maiestate & tranquillitate consedisse.

Qui quidem Thronus, meram ignis flammam; (clarissimam rerum omnium cognitionem, & adfectuum in iudicando vacuitatem.)

Rotæ autem eius, ignem tam accensum præferrent. (Potentiæ & voluntati Dei obsisti nequaquam posse.)

Fluvius verò igneus, & torrens è facie eius emanare visus, (Vox Iudicis. improbos absorbebit: & ipsi à diabolis quam-celerrimè in Tartarum præcipites rapientur.)

Et innumerabilis Ministrorum multitudo, ad solum nutumque eius adparere.

Iudex denique (CHRISTVS) adsidére. Et Libri (intimorum sensorum, actionumque, benè an secus! indices) ultrò aperiri.

Et dum hic mente suâ circumspectaret Vates, quò tandem evasura esset tàm insolens sermonum istorum, quos illud, in IV. Bestia, Corniculum iactabat; contumacia; vidit protinus Bestiam internecioni datam; & corpus eius flammis absumtum, evanuisse. Alijs denique Bestijs potestatem esse ademtam; & suum cuique durationis tempus præstitutum.

Vidit præterea, quasi filium hominis, nubibus vehentem, propiùs ad ÆTERNVM illum accedere, & magno cum comitatu se sistere. (Quod quidem factum eo tempore, quo nube subvectus in cœlum adscendit, Angelis, & Beatorum animis stipatus.) Cui ille potestatem, & regni honorem detulerit; & universæ orbis-terrarum gentes obtemperare iussæ sint. Cuiusque potestas æterna foret; & extrà omnem casuum vicissitudinumque aleam posita. Regnum denique immutabili æternitate continuetur.

Cohorruit verò in Vate, præ Visorum terrore, spiritus? graviterque conturbatus, ad unum ex ijs, qui adparebant, accessit; & veram ex eo Visorum illorum interpretationem edoctus est.

IV. istis immani figurâ Bestijs, IV. Regna, (Babylonium & Persicum, Græcum & Romanū) quæ de terrâ exoritura essent. (Neque tàm regna, ad Æterni Dei, rerumque omnium opificis & rectoris, normam conformata; quam publica impiorum tyrannorum, inter homines, in curisterrenis deditos; latrocinia, censeri debuerint) designari.

Ex quibus PRIMVM quidem, LEÆNÆ, ob roboris præstantiam, & effrenatæ lubidinis impetum, adsimiletur. Et Aquilinæ in eâ pennæ, admirabilem in patandis victorijs celeritatem demonstrent.

Reges autem eius, qui belluinâ antè sævitie grassati fuerant; humanæ tandem imbecillitatis, à Deo castigati, in memoriam redierint: & regnum, omni gloriâ spoliatum, externæ dominationi reliquerint.

ALTERVM, VRSO. Ob ferinam rapacitatis & cædium immoderationem. Sive potiùs, ob laborum tolerantiam, cibique parcimoniam, & originis Persicæ vilitatem.

In cuius ore, ternæ dentium series, III. regna, (Babylonis, Mediæ & Persiæ) Vel III. Mundi latera; Ortum, Septemtrionem & Meridiem, inter se commissa, & uni regi tandem obnoxia; significent.

(CYRVS namque, omnem Orientem, usque ad Helles-pontum: CAMBYSES, Ægyptum & Æthiopas: Darius Hystaspides, Scythas Nomadas; imperio suo, ad III. Mundi Latera, adiecérunt.)

TERTIVM, PARDO; ob morum in ALEXANDRO varietatem, & victoriarum subita. qui expromtâ suorum Ducum operâ, tamquam alis, sublatus, varias nationes commemorabili celeritate victor obiverit.

Ipse namque ab Illyrico, & Hadriatico Mari, usque ad Oceanum Indicum, & Gangem, victor percurrit. Et VI. annis magnâ Europæ parte; omni Ægypto, Syriâ & Palæstinâ, omnique Asiâ ad Indiam usque, potitus est.

Et IV. successores (PHILIPPVM, ANTIGONVM, PTOLEMÆVM & SELEVCVM) ceu Tetrarchas, reliquit.

Vel IV. Alæ Pardi, sint IV. præcipuæ in ALEXANDRO virtutes, quibus imperium peperit. Robur corporis, & laborum patientia: Audacia, & generosa animi magnitudo: Vigor animi, sive ingenium volucre: Liberalitas & clementia, vel disciplina militaris.

Alis iisdem illis designari possit, præceps adfectatæ divinitatis cupiditas; ut Iovis Ammonis filius audire, & adorari non desugeret.

QVARTVM, quod potentiâ reliquis longè antecelleret; & ob variam reip. formam, *sibi dissimile* esset; X. in fronte cornua gestare visum est. Hoc est; in compluria regna, quæ sub ditione antè complectebatur; dispartiendum esse. Et è medio eorum, Corniculum aliud, (Turcam, sive verius Anti-Christum) erupturum. Ad cuius conspectum, III. ex prioribus, (Æthiopiæ, sive Arabiæ; Ægypti, & Africæ) regna, evulsa corruerint.

Cæterùm, his omnibus, vel prorsus exstinctis, vel potestate imminutis; homines sanctitate præstanteis, & in Dei cœlesti cultu perseveranteis; Regnum aliud (CHRISTI) suscepturos: & in omnem æternitatem idem esse possessuros.

B. Hieronym. ait, hâcce Ventorum IV. similitudine, significari bonos Angelos, IV. Monarchijs præfectos. Qui reipsà inter se pugnare censeantur; quòd eorum, qui diversis præsunt regnis, & utilitati quisque suorum consultum volunt; postulata, apud Deum, inter se videantur esse contraria. Ex Daniel. c. 10.

Albert. Magn. Malos Angelos interpretatur; quique homines illarum Monarchiarum ad bella atrocissima, & mutuas cædeis incitârint.

Theodorit. adumbratos fuisse tumultus, qui in cuiusque Monarchiæ exortu exstiterint. Quod in Nino, Cyro, & Alexandro manifestum.

Quùm videret interim Vates, Cornu illud, de quo meminimus, oculis præditum; & ore in voces exsecrabileis profuso contumax; bello Sanctos lacessere; & tantum-non superius discedere; tum ex eodem Interprete cognovit; Anum illum, qui post X. reges, longè prioribus potentior, consurgeret; & III. è regibus debellaret; in Deum excelsum contumax, & in Sanctos iniurius; præ animi impotentiâ, & vano rerum secundarum successu, sibi in animum inducturum; non modò Christianæ pietatis ritus & leges immutare; sed spatia etiã divinitùs suæ dominationi præstituta, pro suo arbitratu, prorogare posse. Cui triennalis dumtaxat, sestante amplius, sævitiæ, in pios Dei cultores exercendæ, potestas esset permissa. (Apoc. 12. Diebus M.CCLX. Etc. 13. MENSIBVS XLII. Quæ utraque, per se, efficiunt III. Annos cum dimidio.)

Tunc enim Iudicem (CHRISTVM) laturum esse sententiam, quâ non tantùm impia (Anti-Christi) potestas tollatur: sed sempiternæ etiam oblivionis tenebris sepeliatur.

Et deinceps omnem potestatem, & Regnorum, quæ subter cœlo sunt, magnificentiam, ad excelsi Dei (CHRISTI) sanctos, translatum iri. Cuius regnum omni ævo duraturum sit: cuique Principatus omnes dicto audientes, morigerique sint futuri.

Anno

3420. | Anno autem eiusdem regis, Balthasaris, III. (Hebr. Seder. II. ut secundo iam adfecto, tertius inijsse censeatur.) | 530.

Quum idem Vates Susis, (quæ olim Memnonia Elymaidis, sive Susianæ regionis, (quæ tum Persidi & Babyloniæ erat confinis) Metropoli, & arce munitissimâ, degeret; visus est sibi per quietem, super portâ consistere, cui (ab Eulæo, præterfluente) Vlai nomen impositum: Et circum-volutis huc illuc oculis, istiusmodi sibi ostentum obijci.

ARIETEM unum, ex-adversum flumini stare. Cornibus quidem prælungis præditum; ex quibus tamen alterum celsius esset, & succresceret. (Regnum Medorum & Persarum, penes Darium & Cyrum, consociatis inter se viribus, Babyloniæ victores. Ex quibus hic, & rerum gestarum gloriâ, & imperij amplitudine, præ altero, ad extremum præpolleret.

(Theodorit. duas regum Persicorum familias, penes quas hoc imperium à Cyro ad Alexandrum usque steterit, vult significari. Ex quibus prior, ipsius Cyri fundatoris; quæ in Cambyse F. extincta est. Posterior, Darij Hystaspidę; cuius successores potentissimi ad Alexandrum ferè usque perdurarunt.

Pererii. II. præcipua huiusce imperij regna, Medicum & Persicum.)

Deinde alterum ARIETEM, cornibus obvios ferientem; & in Occidentis, Septemtrionis, & Meridiei plagas, populos, insultantem.

(A Persis nam que bello appetitæ & victæ; ad Austrum, Ægyptus, Æthiopia & Libya. ad Boream, Ponticæ gentes; ad Occasum, Maris Mediterranei Insulæ.)

DARIVM, inquam, Codomanum, Arsamis F. regni, per decessores tàm latè longeque porrecti, potitum; ut nullæ bestiæ eius impetum infringere, aut dominationis iugum, quod pro animi lubidine imponebat, effugere possent.

Vati autem hæc attentiùs consideranti, visus est HIRCVS, Capraium (filius; seu dux & maritus) primùs ab Occiduâ mundi plagâ; deinde ab Orbe, prosilire super totius terræ sola tantâ velocitate, ut terram ipsam pedibus contingere vix animadverteretur. (Cœlesti, seu divino semine procreatum se esse ratus, Alexander.)

Hircus ille (regnum Macedonum, sive Græcorum; in quibus præ barbaris cæteris, excellentius ingenij acumen refulsit) unum inter oculos cornu, ad-primè conspiciendum, (Alexandrum Magn. illum summæ solertiæ Principem) præferre. Qui ARIETEM illum cornigerum (regem Persarum) qui antè portam flumentaneam stare fuerat conspectus; vehementi coruscationis impetu, & efferato animo, (compluribus prœlijs) adortus; duobus cornibus (regno Babylonio, quod antes duo, Darius Medus, & Cyrus Persa, coniunctis copijs, sibi subegerant & parârant) ità imminuerit; ut iam mutilus, resistendo non esset. Humi denique deiectus, nemine auxilium ferre audente, proculcaretur.

DARIVS nempe, postea-quam tribus prœlijs ab Alexandro superatus esset; à cognatis, victori gratificari volentibus, inter fugam, in aureas compedes datus; & crebris deinde vulneribus pænè confossus; & in sordido vehiculo conclusus, ipsi Alexandro lacrymas coràm excussit; & regiæ sepulturæ honore dignatus est.)

HIRCVS autem ille, post-quam ad summum humanæ fortunæ fastigium, creberrimis victorijs & regni incrementis, elatus esse videretur; cornu illo ingenti, (subitaria imperij latissimi possessione) imminutus est. præproperâ morte; & quidem veneno, quasi violento telo; in flore ætatis, extinctus.

Subter illo item Cornu, quaterna Cornua alia, totidem cœli plagis obversa, enasci de-subito visa sunt.

(Regna scilicet, Asiæ & Ponti, ad Septemtriones, cui Antigonus. & Macedoniæ, ad Occasum, cui Philippus, al. Aridæus, Alexandri frater; imperârunt. Syriæ & Babyloniæ, ad Ortum; quod Seleuco Nicanori; & Ægypti, ad Notum, quod Ptolemæo Lagidæ, cessit.)

Ex uno iterum eorum, Cornu exiguum (LXX. ἰσχυρὸν, validum. Virtutis modicæ; arrogantiæ immensæ) exortum est.

(Is est Antiochus Epiphanes. àb Seleuco illo (à cuius regni exordio, quod contigit annis XII. post Alexandri mortem: & CCXXXVI. à Cyro. Scriptura Machabæorum, Regni Græcorum annos numerare incepit) octavus, Syrorum rex; radix peccati dictus.)

Quod quidem Cornu, suæ potentiæ terminos, ad Meridiem & Ortum; & ad Iudæam Occidenti obversam, (terrarum decus, & strenuam veri Dei cultricem) longè lateque extenderit.

(Antiochus nempe, ad avitum Syriæ regnum; Armeniam, & ipsam etiam Ægyptum, & interiorem Palæstinam, adijcere adnixus est.)

Eò denique impotentiæ & insaniæ provectus sit; ut non solùm illum Deo dilectum populum, hactenus in cœlesti doctrinâ constantem, à profanas suæ impietatis leges traducere conaretur. multosque ex fortibus illis & sanctis Dei cultoribus, qui stellarum instar cæteris prælucebant, de statu deijceret, aut morti dederet: sed in ipsum etiā postremò DVM, fortissimus illius populi Principem, sese efferre præsideret. (Iovis Olympij statuâ in eius Templo, quod ipse polluerat, collocatâ.) Et sacrarium (Hierosolymitanum) cum iugi & quotidiano illo sacrificio, demoliri.

(Hæc autem impio illi regi prosperrimè ad tēpus cedent, & ad voluntatem fluent, ob inveterata, & iam-tum matura, populi Hebræi flagitia.)

Intereà Vates Angelos, Dei ministros, inter se colloquenteis audire visus est, & alterum alteri dicenteis;

Quousque Visi istius eventa, & sempiterni sacrificy oblitteratio; & *Scelus*, quod istius modi calamitate & Templi clade *expiandum* foret; atque *ipsa Veritas* penè proculcata; *prorogarentur?*

Vnum autem respondisse. *Sacrarium à rege illo & Gentibus violatum, exactis* (ab initio calamitatis, ad finem) *Bis-mille & Trecentis diebus*; hoc est, annis VI. mensib. III. & diebus XX. (operâ Iudæ Machabæi, annis ab hoc Viso CDIIX.) *castè & ritè expiatum iri.*

Deinde Gabrieli datum esse ab altero, (Michaële, Hebr.) negotium, apertiùs explicandi, res omneis, quæ sub exitum immissæ divinitùs calamitatis, futuræ significarentur.

ARIETE nimirum illo, quem cornibus præditũ vidisset Vates; regem Medorum, atque Persarum, designari.

HIRCO verò caprarum; regem Græcorum. Et grandius illud inter oculos CORNV; regem præferre, qui novæ potentiæ face, cæteris suæ gentis regibus præluceret.

Quæ autem IV. Cornua subter illo, iam penitùs confracto, enata essent; IV. esse ex eadem gente Reges: qui illo sublato, & regnis inter se partitis; & impari proinde potentiâ, consurgerent.

Illis autem fato etiam suo functis: sed increbescentibus hominum flagitijs; regem esse exstiturum, ipso vultu inverecundum. (Antiochum, sive Anti-Christum) rerum arcanarum scientem, & astutum. Cuius nihilo minus potentia, non tàm suis ipsius viribus, quàm Deo ob hominum flagitia permittente, ita confirmetur; ut memorabili, suprà quàm credi possit prosperitate, universa vastet; & mala, quæ velit, perficiat. Qui multos ex Hebræis proceres; multos è populo, sanctitate & fide præstanteis, morti dedat.

Cuius doli, quos simplicioribus animis intentabit, successu non careant. Hinc ille spe atque animo, & plusquam regio spiritu inflatus, rerumque omnium copia adfluens; permultis certam perniciem machinetur.

At quùm postremò adversùs ipsum Principem Principum, insanabili contumaciâ elatus, insultare perget.

(Antiochus scilicet, re infectâ ex Elymaide, & arce Susorum, in quâ augustissimum Dianæ Templum spoliare erat adgressus; redux; & de rebus improsperè per suos duces in Iudæâ gestis, non sine incredibili animi mærore, peregrè ad Ecbatana, certior factus.)

Primùm diris viscerum torminibus tentatus; deinde de curru delapsus, & humi adflictus: ut tabo undique diffluente ventres è corpore erumpant; scelestissimam animam, in merâ pristini comitatus solitudine, in longinquis Mediæ montibus, Deo scelerum vindice, exhalabit. (LXX. Interpret. tamquam ovum, manu conteretur.)

Hoc temporum curriculo iam-tum impendebat Babyloni ea calamitas; & miserabilis tàm florentis paullo-antè regni Chaldæorum, exitus. Et Hebræis contrà populi, Liberatio: quæ Vates plerique multo-antè præsignificârant.

Hierem. quidem capp. 25 & 29. 50. & 51.

Servient omnes gentes istæ regi Babylonis LXX. ann. Cumq; impleti fuerint LXX. anni; visitabo super regem Babylonis, & super terram Chaldæorum. & ponam illam in solitudines sempiternas.

Et suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum, &c. *Capta est Babylon: confusus est Bel: victus est Merodach.*

Adscendit contrà eam gens ab Aquilone. sagitta eius quasi viri fortis interfectoris. Erit Chaldæa in prædam. Præparamini cõtra Babylonem, per circuitum, omnes qui tenditis arcum. Visitabo regem Babylonis, sicuti visitavi regem Assur. Et reducam Israel ad habitaculum suum. Ecce, ego ad te, superbe. Cadet superbus & corruet, siccitas super aquas eius erit. (Eufrates, in multos rivulos ab hoste diductus, arescet)

Reges multi consurgent à finibus terræ (Perside & Mediâ. *Audivit rex Babylonis famam eorum Angustia apprehendit eum; dolor quasi parturientis.*

Suscitavit Dominus spiritum regum Medorum; & contrà Babylonem mens eius est. Vada præoccupata sunt: & paludes incensa sunt igni. Inebriabo Principes eius. Murus ille latissimus Babylonis suffodietur.

Et Baruch. cap. 6. *Ingressi in Babylonem eritis ibi usq; ad generationes VII. post hoc educam vos cum pace.*

Et Esaias, cap. 13. *Onus Babylonis. Ecce ego suscitabo super eos, Medos; qui sagittis parvulos interficient.*

Erit Babylon illa, gloriosa in regnis, inclyta in superbiâ Chaldæorum; subversa, sicut subvertit Dominus Sodomam & Gomorrham.

Cap. 14. *Et erit in die illa, cum requiem dederit tibi Dominus à labore tuo. & à servitute durâ quâ antè servisti. Sumes parabolam contrà regem Babylonis. Quo modo cessavit exactor! Perdam Babylonis nomen.*

Cap. 21. *Onus deserti Maris. Adscende Ælam: Obside Mede. Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum*, (verba regis Balthasaris.)

Repone mensam: contemplare in speculâ. Vidit (speculator) *currum duorum equitum; adscensorem asini, & adscensorem Cameli. Ecce iste venit adscensor vir bigæ equitum*; & dixit: *Cecidit, cecidit Babylon.*

Cap. 44. 45. & 47. *Qui dico Cyro, Pastor meus es tu, & omnem voluntatem meam complebis. Dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram. ut subyciam antè faciem eius gentes, & dorsa regum vertam, & aperiam coràm eo ianuas, & portæ non claudentur. Ipse ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet; non in pretio, neque in muneribus. Non est solium ultrà filiæ Chaldæorum, Ecce ego super eos suscitabo Medos.*

Et Ezechiel. c. 21. *Mucro, mucro, revertere ad vaginam tuam, in locum, in quo creatus es. In igne furoris mei sufflabo in te, daboq; te in manus hominum insipientium. & fabricantium interitum.*

Paralip. 2. c. 36. *Siquis evaserat gladium; ductus in*

llus in Babylonem. servivit regi & filijs eius, donec imperaret rex Persarum. ut compleretur sermo Domini, ex ore Hieremiæ; Vsque dum complerentur, LXX anni.

Interim . usque Babylon à Cyro Persâ, & Dario Medo, arctè obsidebatur. Herod. lib. 1. tradit, Cyrum, postquàm continentem. Asiæ. universam ditioni suæ subiecisset ; Assyrijs (in quibus , celeberrimi nominis ac validissimum, inter cætera, oppidum Babylon) post eversam ab ipsis Ninum, bellum intulisse. NITOCRIDEM autem reginam, de quâ sup. quòm animadverteret imperium Medorum ingens ac pacatum ; & ab ijs , præter alia multa, etiam Ninum subactam ; se quacunque potuit maxime, ratione , multo-ante præmunisse . Et cum rectum Euphratis , qui medium priùs urbem interfluebat. cursum intervertisse ; tum omnem regionis ue aditum , qui Medis opportunus foret, intercepisse.

Adversus huius autem reginæ F. Labynitum, (quem suprà Crœso federatum fuisse commemoravimus qui & Patris nomen , & Assyriæ imperium gereret ; Cyrum, permagnum , & à rebus necessarijs instructum, duxisse exercitum.

Verùm, quòm Gyndis, amnis vorticosi, traiectione, ob navium penuriâ, prohiberetur: & unus ex regijs equis ibidé obmersus esset ; expeditionē intermittere & æstatem eam in alveis deducendis cōsumere, coactus est . Et altero demùm vere, Babylonios , qui eo adventante copias ex urbe produxerant , adortus ; in fugam vertit , & in oppidum compulit.

Cum interea obsessi, à commeatu abundè instructi Cyrum,multa molientem , contemnerent: tum ipse, t vocato in paludem , quam Nitocris ante effoderat, flumine, Persas, in hoc intentos, vadis pænè nudati ab imo & summo transire , & ita munitionum eius loca de-repente occupare , iussit. Vt, quòm u bis meditullio hostes iam victores , nisi nollent,versarentur: partim ob eius magnitudinem; partim, quòd eodem die, fortè festo , Choreis excercen is , alijsque oblectamentis, operam darent; Cives & remotiores & propinqui, captam esse urbem vix pe senserint. Hæc ille.

Xenophon verò lib. 7. Cyr. Pæd. Cyrus, inquit, quoniam audisset eiusmodi in Babylone festum instare, quo Babylonij omnes totâ nocte bibere & com ari. tripudijsve indulgere soleant. simulat ea nocte contenebrâsset, multis secum adscitis, as, quæ ad flumen pertinebant, dimotis obices, reseravit. Quod ubi factum, aquâ in fossas per noctem deductâ, alveus fluminis , per urbis loca dedivia, vadosus & pervius factus est. In quem à Cyro Persæ, pedites & equites, demissi , & urbe impunè potiti, ex obvijs alios cædere , alios in fugam agere. In vigiles, pro regiæ foribus collocatos, qui in multam usque lucem compotârant ; irruere, & hostiliter tractare.

Et quòm ad promiscui tumultus strepitum, quidam, rege iubente , speculatum missi , prodirent, portasque aperirent, Persæ, impetu in eos facto, & re in-exspectatâ perculsos ulteriùs persecuti, ad regem, qui destricto pro foribus inm-tum stabat acinace, perveniunt, captumque obtruncant.

Cyrus, qui se ducem suis præbuerat,dimisit per compita opidi equitibus, inter cætera, ijs , qui Syriacè callerent (sort. Hebræorum inquilinorum, aut captivorum: aliorumque Syrorum, quos salvos esse cuperet, causâ) & intrà domorum tecta quietem manerent; parci iussit. secus, morti dedi.

Duces autem eius primarij, r benè captâ, primùm Deos venerati sunt; ijsque, quod de scelerato rege ipsi pœnas expetissent , gratias egerunt. Deinde Cyri manus pedesque exosculati; & ei, lacrymis gaudio mistis, victoriam sunt cōgratulati.

Hæc de Cyri adversus Babylonios expeditione, scriptores profani , haud multum à sacris literis dissentanea.

De Dario autem Medo , eiusdem expeditionis socio & Comite. altum apud eosdem silentium.

Fr. Haræus, vult ; pauculis à Crœso victo annis . Darium Babyloniorum regem præsuisse; & Patrem eius, cognominis , quem Cyrus paullo-post regno Babylonico expulerit . Qui scilicet (ex Herodoti verbis perperàm intellectis . *Hoc sepulcrum immotum fuit,dum regnū ad Dariū perveniret* (sepulcrū Semiramidis (sort. Nitocridis) patefecerit, ingenteis , qui ibi recondici notabantur, thesauros animo ac spe præcipiens . Cuius anno primo Daniel (cap. 9. intellexerit, *in propinquo esse LXX. annor. Desolationis finem.*) Neque Darium istum ut vult Ioseph. lib. 1 . c. 12) Astyagis esse F. & Cyri avunculum . propterea quòd ex eodem Herodot. constet , Astyagem virili prole orbum fuisse.

Appellari quidem à Daniele Medum ; quòd non incredibile sit Darium istum, quicunque fuerit, Principem Medum , pro re natâ , à cæde Balthazaris , regnum Babylonis sibi vindicâsse. quemadmodum ab eodem Herodoto traditur Cyaxares, Astyagis Pater, Medus, Assyrios , exceptis Babylonijs , antè subiugasse.

Hæc ille. Nescio an adludens ad ea , quæ Ioseph. l. 1 cont. Apion. ex Beroso adfert, Laborosardocho (qui; alijs Balthasar) per amicorum insidias exstincto , communibus insidiatorum suffragijs, Nabonido eandam, qui erat Babylone, ex eadem gente, regnum esse traditum: sub quo muri Babylonis, circà fluvium Euphratem , ex coctili latere & bitumine , sint constructi . Cuiusque x v i i. regni anno, Cyrus ex Perside in Babyloniam armis, insultârit . Et ipse , qui in obviàm hosti cum copijs processisset ; prælio victus , in Borsippo se contulerit . Cyro intereà ad Babylonis , urbis munitissimæ, obsidionem frustrà desidente. Sed dum hic maturè à cæpto desistens , ad Borsippum expugnandum adcurreret ; Nabonidus , non exspectatâ vi , supplex , & in fidem à Cyro acceptus; Babylone cedere , & in attributam à clemente hoste Carmaniam se recipere, coactus sit.

Scalig. lib. 6. Em. Temp. vult Laborosoardochum , fuisse Nerglissaris , (qui intersecto Evilmerodacho, regni, ex p rricidio patri, infessor fuerit) & Nitocridis , Nabuchodonosore progenitæ, Filium . Et falso Herodotum scribere ; ultimum regem Labynitum , Labynithi magni F. quòm Labynitus ultimus, fuerit advena . Labynithum autem magnum, pro Nabuchodonosore accipiendum,

dum, apud Herodot. cuius rei testis, defectio illa solaris, quam prædixerit Thales: quæque incident in tempus prœlij, quod inter Lydos & Medos commissum est: quos idem ille Labynitus tum reconciliárit. hoc est, circiter XXVI. regni Nabuchodonosorici annum.

Quùm igitur Laborosardach, uti dictum est, nepos sit Nabuchodon. ex filiâ Nitocride; quis dubitet, quin Laborosardach idem sit cum Balsatzare? Omnes enim Babyloniæ reges, quùm ad imperium accederent, nomen mutare soliti. Sic Bel-adan privato nomine: in imperio Nabonassar dictus est.

Quod verò Berosus tradit, IX. dumtaxat mens. regnasse Laborosardochum: & quidem eumdem puerum regnásse: & quòd improbis moribus esse videretur, à suis interfectum; (quod in Balthazarem non expetit; qui XII. annos regnárit, & uxores iam-tum habuerit) sic accipere oportet;

Tot solùm menses à morte Patris regnásse; Patrem verò nomine filij regnum administrásse, donec is ad pubertatem pervenisset. Quia namque ille externus; filius verò ex stirpe esset regiâ: potiùs filio, quàm illi regnum deberi videbatur. Eo interfecto, Nabonidus, consensu omnium procerum Babyloniæ in regem delectus, annos XVII. regnavit. teste Beros. donec Cyrus eum, regno Babyloniæ exutum, Carmaniæ regionis finibus relegavit.

Si Nabonidus successit Beltschatzaro; profectò Nabonidus idem est cum Dario Medo; quem illi successisse tradit Daniel. Darius itaque in illo interregno, quod cædem Beltschatzari secutum est, creatus est rex, sive populi suffragijs; sive procerum factione. quùm regiæ stirpis nihil reliquum esset: & ipse domi nobilis, nempe ex Medorum regum stirpe: & propter ætatem; qui tunc, biennio ampliùs, sexagenarius esset, rerum experientiâ præditus.

Hic Darius Medus, sive Nabonidus, octogenarius, regno exutus à Cyro, reliquum vitæ tempus in præfecturâ Carmaniæ privatus egit.

Hæc ille. quæ ab alijs solidè refutantur.

Genebr. vult hunc Darium, qui Babyloniæ imperium evertit, anno ætatis suæ LXII. eo die antè natum fuisse, quo Nabuchodonosor in Templum Hierosolymitanum ingressus est: de quo, pœnas tanto dignas crimine posteà sumeret.

Et Salathielem F. Iechoniæ, hoc Balthazaris anno III. in Babylone mortuum esse; post quem Zorobabel F. steterit. *Idque Seder-olam.*

Prætereà Darium illum vult esse, qui nostris, Hystaspis, al. Hydaspis; & Danieli, Assueri F. dicitur, ex genere Medorum. Idque ex eo liquére, quòd elementa Hebraica monstrent; Assuerum III. posteà regem fuisse, quem Græci appellárunt Xerxem. Neque se adsentiri posse Lyrano, & cæteris; quibus Assuerus est Darius ipse Hydaspis F. quoniam, qui Assuero successit, Darius est Longimanus: cuius antecessorem fuisse Xerxem cuncti fateantur.

Hunc denique esse, qui Babylonem, (rebellantem) Zopyri operâ, ceperit. quantumvis Cyro præponatur. Ex scripturâ apparére, in evertendâ Babylone, Medos fuisse Principes; qui Persas, socios tantum & adiutores adsciverint, (quod & Xenophon tradidit.)

Videri postremò, hunc esse DARIVM, qui ducibus Dati & Arbazo, Medis; Asiam, Macedoniamque sit adgressus; & Ionas superárit. victus tandem à Miltiade Atheniensi, in campis Marathonijs: Quod quidem bellum Græci etiam Medicum dixerint: & gestum fuisse videatur, Cyro alibi res gerente, &c.

Huic tandem Dario Medo, successisse Cyrum Persam: & unum è duobus imperium, iure successionis; constituisse. Hæc ferè Genebr. perperàm & παραδόξως.

Sententiam veritati propiorem paullò inf. explicabimus.

Nunc ad extremum regis Balthazaris, & regni Chaldaici exitum, delabamur.

3421. (al. 23. al. 24.) | 539.

Commemorat Daniel, Ballasari, intereà dum à Medis & Persis, uti dictum, intrà Babylonem, obsideretur; (qui ei annus regni III. præceps, aut IV. iniens. Severo, malè, XIV.) mirabile & prodigiosum obtigisse spectrum.

Quùm namque præbito publicè, Chiliarchis, sive primarijs regni sui viris, epulo, (diei festi, & comissationis anniversariæ, commeminérunt, sup. profani. Herodot. & Xenophon) iam vinolentus & ebrius, pocula aurea argenteaque; quæ Pater (Avus) Nabuchodonosor ex Templo Hierosolymitano asportárat. Ioseph. In suum usum vertere veritus, in Dei sui fano reposuerat. Sever. in thesauris reposita habebantur) proferri in medium, & mensæ regiæ adhiberi, ut ex eis biberent convivæ omnes; imperásset. Etiam-tum tam ipse, quàm Optimates, & Vxores concubinæque eius: hilariter ex eis potarent. atque inter pocula, Deos suos ex auro & argento, ex ære aliáve materiâ fabricatos, (Ioseph. non sine contumeliosis in Deum Hebræorum vocibus) concelebrarent.

Tum, ecce, de subitò conspicatur prominenteis digitos, similes manuum hominis. qui in pariete ipsius palatij, coortis iam tenebris, e-regione candelabri, seu lampadis; litteras duceret, & quidpiam exararet.

Cuius rei tàm novæ atque inusitatæ spectaculo, rex conterritus; & corpore animoque ceu sideratus; Magos & Aruspices introduci, cum clamore, iubet.

(Isaias, CC. pænè annis, antè vaticinatus fuerat (cap. 21.) Babylonem, captum & eversum iri, dum Principes eius convivijs indulgerent, *Emarcuit cor meum. tenebræ stupefecérunt me* (Balthazarem) *Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum. Pone mensam. Contemplare in speculâ. Comedentes & bibentes surgite, surgite Principes.*

Arripite

Arripite Clypeum, &c. Tradunt (inquit Bedas, ex B. Hieron. in Daniel.) Hebræi, huiuscemodi commentum. Vsque ad LXX. annum, quo Hieremias captivitatem populi Iudæorum dixerat esse solvendam (de quo & Zachar. initio libri sui) irritam putans Dei pollicitationem Balthazar, versus in gaudium, fecit hoc convivium; insultans quodam modo spei Iudæorum, & sacris Templi Deique vasis. Sed ultio statim insecuta est.

(Euseb. interpretatur XXX. an ab exscidio Hierosolymorum, ad initium Cyri Persæ. Quod nostræ sententiæ satis consentaneum.)

Magi itaque, iussu regis, evocati, & præmio à rege proposito, eiusmodi; *Vt quicumque legisset & interpretatus esset: purpurâ indueretur, & torquem auream in collo gestaret; tertiumq́, in regno locum obtineret*; (τρίτος esset) liberaliter invitati. quùm neque legere, quod scriptum erat, (peregrinis fort. litteris) neque interpretari possent. Atque ea propter non modò rex, verum Principes etiam, maiorem animo dolorem caperent; Regina (mater, an avia?) de eo quod acciderat & de regis optimatiumque perturbatione, certior facta, & in cœnationem ingressa: regem, ut bono lætoque animo esset: & Danielem (qui à Patre ipsius, Nabuchodonosore, quòd divinandi, & rerum arcanarum intelligentia, excelleret; & maiore in negotio præstantem eius artem ipse fuisset expertus, omnibus olim Magis præpositus, & regio nomine Baltassaris fuerat donatus) intrò ut ad se arcessiret, commonuit.

Ille autem, rege ità iubente, introductus, & de statu rogatus: & iisdem præmiis, quæ Magis pt posita fuisse diximus, ad enarrandam spectri istius interpretationem, invitatus. Cætera quidem pollicitus est: sed munera, quæ potiùs vel rex sibi reservaret, vel alteri, donaret, generosè recusavit. Ibique re altiùs, usque à Nabuchodonosore, eius Patre, repetitâ, narrare cœpit.

Quemadmodum ille à Deo tantam regni potentiam accepisset, ut ex eo omnes illum cum tremore revererentur. qui, quem-vellet-cumque aut eveheret, aut adfligeret.

Sed eumdem, propterea quod sibi illa ipse omnia, non Deo, tribuisset: nutu eiusdem Dei, regno suo expulsum esse: & ex hominum cœtu eiectum, ac cum belluis figurâ feræ versatum, dum Dei, in dandis auferendisque regnis, potentiam maiestatemque agnosceret, & celebraret.

Tu quoque, inquit, Balsasar rex, eius, quem dixi, filius; neque rei gestæ ignarus; propterea quòd, quasi domestici exempli oblitus, non deiecisti animum tuum; sed adversus Deum, cœli rerumque omnium moderatorem, spiritu contumaci sublatus es. In sacris eius vasis, cum Convivis tuis, ex provocatione, potásti. Deos autem aureos & argenteos, aliâve materiâ factos: Inania, & vitæ sensúsque expertia, simulacra, laudibus votisque concelebrásti: & in Deum, in cuius manu vita tua, & tui imperij status sita sunt, non sine impijs vocibus, invectus es.

Idcircò, ab eo huc missus est, qui digitis ista, quę vides & obstupescis, in pariete illo, exararet. MANE, THECEL, ET PHARES.

Quorum III. Verborum, hanc scito esse sententiam. Deum numerásse, & explésse, regni vitæque tuæ annos. Teque ab eo, quasi in aginâ lancis, esse adpensum: & minus ponderis (probitatis) quàm par sit, habere, repertum. Ideoque à te regnum, factionibus suis discissum, ablatum iri, Medis atque Persis tradendum.

Etsi autem hæc vera Vatis interpretatio regi exitiosa esset: Mercedem tamen eodem temporis puncto, illi, uti promiserat, exsolvit: ut Tertius esset in regno: sive, à rege ipso, & reginâ, secundus.

Atque adeò, eâ ipsâ nocte, Balsasar, Chaldæorum regum postremus, interfectus est. (Ioseph. anno regni XVII. Nobis III.) Et Darius Medus, iam, biennio plus, Sexagenarius, in regnum successit.

Perer. ait, quod Alexander, Megasthenes, & Alphæus, apud Ioseph. de Nabonido commemorant, (quem obsessum Borsippi, & dedititium, Cyrus non modò servárit, sed provinciæ etiam Carmaniæ Principatu donarit) falsò in regem Babylonium transferri. Cuiusmodi beneficium Cyrum, ergà avum suum Astyagem, bello victum, exercuisse, Herodot. & Iustin. tradant.

Xenophon. verò Cyaxarem, Medorum regem & Cyri avunculum, principem, ait, & auctorem fuisse belli in Babylonios suscipiendi: atque in auxilium accivisse Cyrum, tunc Persis præfectum. Quo, magnâ cum exercitûs parte, ad expugnandam Babylonem, misso; ipse Cyaxares ad custodiam regni, cum alteris copijs, in Mediâ remanserit.

DARIVS MEDVS, BABYLONIS REX.

ET CYRVS, Regni Persici fundator.

3420. | ——— | 530.

Hactenus, ex Danielis Vaticinio, CAPITIS AVREI, sive LEÆNÆ, Imperium Hoc est, regnū Chaldæorum, steterat. Nunc illi succidaneū est, PECTVS ARGENTEVM; sive VRSVS, triplici dentium serie, In ore, armatus, (hoc est, Medorum, Persarum & Chaldæorum populis, in unum corpus commissis, unique Monarchæ iam parentibus.)

E II. Regibus, qui coniunctis copijs Babylonem obsederant & ceperant; solus Darius e-vestigio in regnum successisse dicitur. tribus, ut ait beatus Hieronymus de caussis. Quòd ætate prior: regni potentioris dominus; & avunculus Cyro esset.

Multa, multorumque opiniones, de hoc Dario Medo,

Medo, ſupra commemoravimus. Pro tempore, preſſiùs quædam.

Hunc alij, Avum Balthazaris, poſtremi regis, fuiſſe, uti ex eius filiâ procreati, volunt. Et quod Balthazar filijs careret; propterea maturâſſe Darium, ut regnum præoccuparet. Sulpit. Sever. ait hunc Darium XIIX. annis regnâſſe, quâ tempeſtate apud Medos Aſtyages regnabat. (At, qui fieri potuit, ut duo reges Medorum ſimul imperarint?)

Theodorit. cenſet, Darium Nepotem fuiſſe Nabuchodonoſoris, ex filiâ, quæ Medo cuidam enupſerit. undè Darius Medus, à Patre; non Chaldæus, à Matre, ſit dictus.

Alij (inter quos Genebr.) hunc confundunt cum Dario Hyſtaſpide. quùm hic non Medus, ſed Perſa fuerit. neque Aſſueri, ſive Achaz-weri, hoc eſt, Magni Principis, ſive regis, filius; ſed, licet Achæmenides, privatus. Neque antè Cyrum regnârit; ſed tertio loco poſt Cyrum: XL. penè annis, poſt huius Darij exceſſum.

Alij ineptius confundunt cum Cyro ipſo. Quùm apertè conſtet ex Daniele, cap. 6. aliud regnum Darij Medi fuiſſe; aliud Cyri Perſæ.

Alij opinantur eumdem fuiſſe, quem Græci Aſtyagem appellant, avum maternum Cyri. quem multi ultimum Medorum regem faciunt, cui proximè ſucceſſerit Cyrus. Et Daniel. cap. 13 *poſt mortem Aſtyagis Cyrus regnum ſuſcepiſſe* traditur. Quâ de re int.

Poſtremò, Hunc ipſius Aſtyagis eſſe filium, & Cyri ex Mandane ſorore avunculum; qui Xenophonti CYAXARES dicitur. Quique belli in Chaldæos gerendi cupidus, ſocium adiutoremque Cyrum adſciverit. Cui etiam, confecto bello, filiam unicam deſponderit, & dotis nomine regnum reliquerit.

Quæ ſententia profanæ & ſacræ hiſtoriæ ſatis conſentanea.

Quod autem ſpectat ad Cyri ſocietatem cum Dario; ſi rectè tradunt Græci, Aſtyagem, regno antè à Cyro exutum; & Darium eiuſdem Aſtyagis fuiſſe filium; neceſſe eſt, pactum inter Cyrum, & μητράδελφον Darium, interceſſiſſe: ut pulſo iamtum, aut in ordinem redacto, Patre Aſtyage, & Cyrus rex maneret; & Darius, quamdiu eſſet ſuperſtes, dignitate aviti tituli non penitùs imminueretur. Idque eventus comprobâſſe cenſeatur. quùm & ambo magnâ virium animorumque coniunctione ad oppugnandam Babylonem convenerint; eâque captâ, Darius quidem in Mediam, patrium regnum, redierit; (adſcito ſecum Daniele) & integram Babylonici regni poteſtatem Cyro reliquerit. Cyrus verò, paullo-poſt, etiam Darij, eodem anno mortui, hereditatem adierit.

Ut in eumdem annũ, Expugnatio Babylonis, & mors Darij, & Monarchiæ Perſicæ initium; atque adeò Captivitatis Iudaicæ relaxatio, inciderint.

Nugas agunt quidam Chronologi, qui ut ex Darijs, ità è Cyris duobus, unum Medum, alterum Perſam, commenti ſunt. Quos Ioſeph. Ptolem. & Græci, liquidè diſtinguant. Et Darium Medum eum eſſe tradant, qui unà cum Cyro Nepote, Babylonem cepit: qui Xenophonti, Cyaxares.

Daniel c. 5. 6. 9. *Darium Medum, Aſſueri*, regis, qui aliàs Aſtyages *filium*, appellat *de ſemine Medorum. qui imperavit ſuper regnum Chaldæorum*. Et cap. 13. Idem, Aſtyages vocari videtur, nomine paterno. Cui, poſtquam ad Patres ſuos adpoſitus eſt, Cyrus Perſes in regnum ſucceſſerit.

Huic ille, ut quidam volunt, & filiam in matrimonium tradidit; & ipſe, à maſculâ prole deſtitutus, dotale Medorum etiam regnum reliquit. At Darius Perſa, is eſt, qui Hyſtaſpis filius audijt: & rebellantem iterùm, ſed multo-poſt, Babylonem, Zopyri operâ cepit. De quo, poſt Cambyſem, & Magos.

Ioſeph. l. 10. c. ult. Ipſe, inquit, Balthazar, anno regni XVII. & urbs Babylon; in Cyri, Perſarum regis, poteſtatem venit. Darius autem quùm everteret Babyloniorum Imperium, adiutus à Cyro cognato; annum agebat LXII. Qui fuit Aſtyagis Fil. alio apud Græcos dictus nomine. LXX. Interpp. Artaxerxem etiam appellant.

HOC

HOC LOCO VISVM EST OPPORTVNVM,

Seriem παράλληλον, siue, συγχρονίαν, Regum Medorum, & Babyloniorum, subijcere; ut quæ superiùs sparsim, suis quodque locis, eâ de re dicta sunt, sub unum adspectũ dentur. Ex Geneb. ferè.

Sardanapalo, ultimo, ex Belidis, Assyriorum rege, ad mortem & ignem adacto, & Imperio eorum dilacerato.

Apud Medos quidem, qui ad Cyrum usque perpetuis semper regibus paruerunt. (Diodor. Sic. lib. 3. ex Ctesiâ.)

I. ARBACES, al. Arbactus; fort. Arphaxad, quod nomẽ transijt ad posteros, regn. an. 28.

SOSARMVS, MEDIDVS, CARDICEAS, qui interponuntur; non reges, sed præfecti Medorum. Herodot.

II. DEIOCES, al. Diocles, qui & Cyaxares, primus regem se appellat. Ecbatana condidit. (Iudith. 1.) an. 53.

III. PHRAORTES, cũ omnibus copijs suis, ab Assyrijs, i. Babylonijs, cæsus est. Persas, & deinde Asiam, suo imperio subiecerat. Obsidens Niniven moritur, anno regni XXII.

IV. CYA[illegible]S, an. 40. qui potiùs videtur Arphaxad, Iudith. 1. Hic bellum gessit contrà Halyatten Lydum: Nabuchodonosore occupato contrà Moabitas, Syros &c.

Is Scythas, qui ipso devicto, an. 28. Asiam tenuerant; & placati à Psammericho rege, Ægypto abstinuerant; astu trucidavit. Niniven cepit, CC. an. post Ionam Prophetam. quam posteà Nabuchodonosor, isto victo, (veriùs socio) reciperavit.

Tum NITOCRIS, quincto post Semiramidem sęculo, (sic Geneb. ex Herodot. ubi veriùs leg. XV. sæculo) Euphratem diducit, adversus Medos, qui Niniven ceperant.

V. ASTYAGES, avus matern. Cyri, sororius Crœsi, an. 35.

VI. DARIVS F. Assueri, de semine Medorum, an. 1. aut 2. Hunc putant esse Cyaxarem, Astyagis heredem. Cuius sororem Cyrus uxorẽ habuerit, ex Xenoph. Genebr. hunc verè ipsum Astyagem esse, qui Dan. 9. Assuerus dicitur, & à profanis Hydaspes. qui Balthasare interfecto, Babyloniorum & Assyrior. regna, Medico adiunxerit.

VII. CYRVS, qui victis Chaldęis, utrumq; imperiũ coniunxit. A quo Labynitus, ultimus Babylon. rex (Baltasar) Nitocridis F. interfectus est.

Annos colligit Genebr. 178.

Apud Babylonios verò,

I MERODAC, qui & BALADAN, an. 52. (Ezechiâ & Manasse, regg. Iudæ.) postquã XII. an. Babylone regnasset, magnam Assyriorum potentiam ad Chaldæos transtulit. post regnavit ann. 40. Ab eo, Babylonia, Merodac dicta est. Hierem. 1. & 50.

Is amico usus est Ezechiâ (4. reg. 21.)

II. Qui MERDOCEMPADVS Ptolemæo, dicitur; ut Nabuchodonosor, Nabopolassar; CXX. an. post Nabonassarem; hoc est, Salmanassarem; vel potius Phul, (5. Almag. c. 14.) Is est,

BEN-MERODAC. ann. 45. Manasse, Amone, Iosiâ, Ioachâ, per ordinem Iudæ regibus, (4. reg. 21.) Videtur & dictus Berodac, & rex Assyriorum: atque is esse, qui Manassen cepit & restituit. Pro eodem, Iosias pugnavit contrà Necaonem, Ægypti regem, & in acie cecidit.

III. Inter hunc & sequentem, quidam interponunt NABVCHODONOSOREM primum, Magni Patrem; contrà quem adscenderit Nechaos Pharaon; Qui Beroso, Nabulazar. quique VII. Iosiæ anno regnum inierit.

IV. NABVGDONOSOR, ann. 45. (cuius VIII. anno vult Genebr. VI. Ætatem cœpisse, anno Orb. C. 3568.) Init regnum, IV. Ioachimi. quem, victo Nechao, sibi tributarium fecit: & iterum urbem ingressus, cepit & interfecit.

Sub eo Ioakin, Iechonias, & Sedechias, Reges Iudæ succidanei.

V. EVIL-MERODAC,
ann. 23.

VI. BALTHAZAR,
ann. 10.

Colligit idem annos 173.

Nos hæc, suis quodque locis, accuratiùs expendisse censeamur. quæ vide.

DARIVS solus, Medorum Rex, &c. DANIEL.

DARIVS itaque Medus, vel recenti Chaldæorum iam regno potitus; vel in avitum Mediæ regnum, relicto apud Babylonios Cyro, indè reversus, (Ioseph. Is Danielem Prophetam, Comitem sibi in Mediam deduxit.) Vel utrique regno, solus, longè latèque, ad tempus, & ex pacto, imperitans. quò liberius in otio, & à molestijs tutius, viveret; CXX. (Ioseph. CCCL.) Satrapas, toti regno suo; Et ijs ipsis, III. Principes, quibus illi, gesti à se quisque negotij, rationem referrent; &, inter cæteros, DANIELEM præposuit.

Hunc prætereà, illustri eximiæ prudentiæ & sapientiæ opinione, præ reliquis, compertum; (quem & Nabuchodonosor, regiæ suæ antè præfecisset; & Balthazar, veste purpureà ac torque aureo donatum, tertium regni principem constituisset) totius regni præfecturà, uti maximè idoneum, amplificare iam cogitabat. quùm alij coëfellim Principes, qui unà cum eo rerum potentes erant; alienigenam, è captivà gente, hominem, ne-dum sibi æquari; sed se iam de gradu deijci, acerbe ferentes; & hinc invidià exagitati: curiosè in eum inquirere, & calumniam instruere, cœpérunt.

Sed quùm de eius fide, in imperio, quod dixi, obeundo, (qui pecuniarum & munerum contemtor esset, & omni suspicione, non modò crimine, vacaret) obijcere nihil possent: Neque eorum tamen invidia conquiesceret. Communicato inter se consilio, statuérunt eum, ob religionem, quà Deum suum colebat; in odium offensionemque adducere.

Ad regem itaque adeuntes, ei persuaserunt; Vt Edictum, iam in publico Principum regni, Persarum ac Medorum, concilio perscriptum, & proinde immutabile; promulgaret;

Si quis, ad XXX. dies, aliquid, ab ullo Deo aut homine, nisi ab ipso (Ioseph. nec quidem ab ipso) *peteret; in Lacum Leonum deijceretur.*

(Sever. Regem, adulatione depravatum, compellunt, ut sibi diebus proximis XXX. divini honores darentur. Neque cuiquam liceret Dominum, nisi regem, precari. Facilè id Dario persuasum. Stultitià regum pænè omnium, qui sibi divina vindicabant.)

Edictum itaque à Dario, (qui hoc commento DANIELEM peti minimè animadverteret) confirmatum; & Satrapatum rogatu, perscriptum est.

Neque tamen DANIEL, gnarus licet & legis perlatæ, & iniqui subdolique æmulorum instituti; proptereà Deum supplex, & de more, venerari aut precari, tribus quotidie horarum intervallis, apertis etiam fenestris, & vultu ad Hierosolymam obverso, destiterat. (Sever. non rudis, neque inscius, Deo preces, non homini deferendas.)

Quod quùm illi curiosè observantes comperissent, tempus exsatiandæ invidiæ nactos se esse rati, ad regem redeunt: eique edictum suum in memoriam redigunt.

Et postquàm illum, & legis latæ, & supplicij, quod in violatorem constituisset, memorem viderent; tum denique Danielem reum peragunt, qui edicto regis non paruisset; sed assiduà Dei sui imploratione, id palàm violásset.

Rex, qui Danielem plurimi faceret, ex eo nuntio & crimine, maximum animo primùm cepit dolorem; deinde omni ratione, ad Solem usque occasum, adnixus est, ut eum à constitutà pœna liberaret.

Sed illis patrium, Medorum & Persarum, morem, *ne ullum regis decretum immutari posset*, obtendentibus; frustrà fuit. Itaque iussu eius productum, in Lacum Leonum demisérunt.

Rex autem eum Deo suo, quem semper coluisset, commendavit; (Ioseph. & ut casum præsentem æquo animo ferret, cohortatus est) à quo liberatum iri confideret. Ac, nequid iniuriæ clam fieret; Saxum, quod & suo, & primórum regni annulo obsignárat; ori, Lacûs adposuit. Adeoque graviter tulit tàm indignum fidelissimi sibi clientis casum, ut in regiam reversus, nec cibum sumserit; nec, quùm præ mærore animi incœnatus cubitum ivisset, somnum capere potuerit.

Primà itaque luce surgens è lecto, properè ad Lacum se contulit; & Danielem, nomine suo, & lacrymabili cum voce, compellans, quærere cœpit; *Num eum Deus, suus, liberare potuisset?* Ille contrà è Lacu, rege solenniter salutato, salvum se & incolumem esse respondit. Submissum à Deo Angelum, qui ora Leonum ità obstruxisset, ut nihil ipsi nocuerint: qui neque in Deum, neque in regem peccásse, compertus esset.

DARIVS, Danielis salute vehementer gavisus, eum extemplò educi iussit. In eoque nullum mali, aut vulneris vestigium, cum summa regis & adstantium admiratione, deprehensum.

Accusatores autem eius, cum liberis & uxoribus, simul-atque iussu regis, & supplicij causà, (κατὰ τὸ τοῦ ἀντιπεπονθότος δίκαιον) in eundem Lacum fuissent proiecti; puncto temporis à Leonibus discerpti sunt, & devorati. (Sever. ferarum famem explevérunt. Ioseph. Adversarij eius, conspicati nihil illi adversi accidisse, quùm ne id quidem Dei providentiæ tribuerent; sed in Leonum saturitatem caussam referrent; à rege, quem tantà crudelis animi malignitate ipsi offenderant: quique adsatum carnium, ad satietatem, prius feris obijciendum, curárat; in Lacum conijci iussi; & sine mora dilaniati sunt. Vt earum rabiem non fames, quæ iam fuerat exemta; sed adversariorum malitia, acuisse censeretur.)

Hoc tàm admirabili evêtu adductus rex Darius, ad universas nationes epistolà perscripsit; *Se Edictum fecisse* (antiquato priore) *ut omnes sibi subiecti populi, metuant ac venerentur DEVM Danielis. Quippe, qui Deus unus sit & æternus: cuius & regnum numquam dissipetur, & potestas sit sempiterna. Qui salutem daret, & mirifica opera cœlo terrâq; ederet: qui Danielem denique ab immanibus Leonibus liberásset.*

Hinc Daniel, clarus antè, clarior haberi cœpit, &

maiore

maiore apud regem & Palatinos honore dignari.

A[illegible]t Ioseph. hâc opinione sanctitatis, & gratiæ regiæ, quùm esset illustrissimus; apud Echatana Med[illegible], Turrim exædificâsse, opere pulcerrimo, & maximè admirabili, quod in hodiernum usque diem, [illegible]t ille, durârit. & inspectantibus, quasi recens a structura; cuique temporis longinquitas nihil noxæ adtulisse, videretur. Morem in præsens tempus permanére, vt eâdem in turri, Mediæ Persidisque reges, tumulentur: eiusque custodia Sacerdoti, gente Hebræo, sit usque concredita.

Daniel ipse, in eiusmodi dignitatis prærogativâ perseverâsse adserit; quamdiu Darius ille Medus, & Cyrus Persa, regnârint.

LXX. HEBDOMADES DANIELIS.

Annus ille unus Darij (quem commeminit Daniel [illegible]ap. 9. [illegible]) explevit sive terminavit, Lxx. annos Des[illegible]. Nabuchodonosori namque, quo die invat[illegible] in Templum Domini, diebus Iechoniæ, natus [illegible], hic Darius. Ita Lxx. anni expleti sunt, ex quo N[illegible]buchodonosor imperare cæpit; & subiugatus [illegible] I[illegible]mus. sed veriùs vnde-septuaginta. Vnum autem [illegible] huc annum stetit in Babyloniâ Darius, & peregit. (Si[illegible] Seder-olam.)

B. Augustin. lib. 18. C. D. cap. 34. Vt illi, inquit, Lxx anni, Hieremiæ, populum è Babylonicâ capt[illegible]vitat[illegible] liberârunt[illegible] sic hæ, quæ consequuntur, Lxx. A[illegible]n Hebdomades; populum in veram [illegible]dicabunt. Nempe adversus tyrannide[illegible] Sat[illegible]anæ. quam Christi promissi Adventus, & Passio, labefactabit.

Anno igitur Darij illius primo (uno & ultimo) ex quo scil[illegible]cet Chaldæis imperare cæpit; quùm ex lection[illegible] [illegible]brorum V[illegible]tis Hieremiæ, (c. 25. & 29.) animo informare complectique iam cæpisset Daniel annorum illorum Lxx. numerum, quibus Hierosolymam desolatum iri, fuerat prædictum. Et ipse omni pietatis atque humillimæ abiectionis genere, Deum, iustum scelerum vindicem, pro populi, tot annos suo merito captivi, in patriam restitutione; T[illegible]pliqúe Hierosolymitani instaurarione, pro[illegible]lixè fuisset deprecatus: Ecce, Gabriel, quem ipse Daniel paullo-antè habuerat Spectri, de IV. Bestijs, Interpretem; celeri quasi volatu delatus; & pre[illegible]es eius, ob rerum, quæ petebantur, præstantiam, & precantis gratiam, pondus apud Dei aur[illegible]s habuisse; & se à conspectu Domini di[illegible]m eâ caussâ, ut futurarum rerum, quæ cert[illegible] ann[illegible]rum intervallis comprehenderentur; inte[illegible]a ip[illegible]um imbueret; advenisse, testatus est.

L[illegible] Angelus; (Annorum) Hebdomad[illegible]n[illegible]iunt, cdxc. annos. Beda, Afri[illegible] & [illegible] voce, Abbreviatæ, interpretantur, h[illegible]s [illegible] esse Lunareis, ut cdxc. anni Lunares, sint [illegible]v. Solares) *Determinatæ & con[illegible]Ibreviatæ sunt, super populo tuo*, (quem singulari caritate & [illegible]licitudine complecteris) *& Sanctâ civitate tuâ* (Hoc est. Tot annos stabit urbs Hierosolyma; & civilis sacraque, populi Iudaici, sub magi[illegible]ratibus, administratio.)

Quo tandem temporis decursu, *Labes illa primigenia peccati inveterascat & oblitteretur.*

Et exst[illegible]ctâ penitus mortalium iniquitate; & di[illegible]ssis pa[illegible]m Idololatriæ tenebris sempiterna Iustitia (C[illegible]risti) *Splendor toti orbi illucescat. E[illegible] Visa*, atque adeò *vaticinia* (de Christo venturo) *omnia, ad exitum perducantur.*

Et ipse, Sanctitatis omnis fons & auctor, (Messias) *humanâ carne iam amictus* (in Regem & sacerdotem, à Spiritu sancto) *inungatur.*

Ab exitu sermonis (ab Edicto Regio) *quo iussa sunt readificari Hierosolyma, usq; ad* Christum *ducem*, (veræ libertatis auctorem) *LXIX. intercedent Hebdomades.*

Interea, per quædam temporum Intervalla, *Vrbis vici & muri de-integro construentur. Duabus autem & Sexaginta*, (Al. scilicet, & Septem. Al. post septem priores,) *hebdomadibus peractis*, (Septuagesimâ & ultimâ hebdomade) *CHRISTVS morti dedetur.* (Græc. Destruetur Vnctio.) *Et iudicium non erit in eo.* (In Christi condemnatione & morte, nullum recti ius servabitur à Iudæis.)

Et populum illum à se alienum existimaturus est: qui, (coram Pilato) *eum negaturus sit:* quique legibus ipsius & doctrinæ fidem reverentiamque non tribuerit.

Hinc (post annos circiter XL.) *civitas cum Templo, à populo* (Romanis) *& duce* (Tito) non sine extremâ belli vastitate, *dissipabitur. Et post bellum, statuta* (perpetua & irrevocabilis à iusto Deo) *Desolatio. Vna ex ijs, quas dixi, hebdomade*, eâque postrema) *pactum* (Novi Testamenti gratiam, & Legis Euangelicæ doctrinam) *multis* (signis & operibus) *confirmabit: & cum plurimis* (per se, & per Apostolos) *communicabit.*

(Hi nempe, S. Spiritu cœlitùs accepto, per IV. annos consequenteis à morte Christi, in Iudæâ, Galilæâ, & Samariâ, acerrimo studio Euangelium prædicârunt; & prodigijs confirmârunt.)

Et in dimidio hebdomadis (quâ Christus morietur) *abrogabitur hostia* (omnia veteris Legis Sacra) & *Sacrificium* (cibarium, Hebr. Minchah) Al. Libatio.) *Templum*, non sine exsecratione, *desolabitur*, (à profano Romanorum obsidentium exercitu violabitur.) *Quæ* quidem desolatio (per Romanos perpetrata) *perfectissima erit* (extremâ pernicie terminabitur) *& perpetua.*

In hâc celeberrimâ, maximeque arduâ, & ab omnibus vexatâ, de hisce Annorum Hebdomadibus, Quæstione, hic nonnihil nobis immorandum duximus. Et ex adlatis multorum, qui plerique omnes in suo sensu abundant, tum veterum, tum recentiorum opinionibus, ad veritatem, quà fas, quà pote, in tantâ rerum occultissimarum perplexitate; tantâque vicissim humani ingenij iudicijque

dicijque imbecillitate, indagandam aut emendam, facem prælucere.

Arduum, inquit PERERIVS (cuius hâc eâdem de re lucubrationes serius in manus meas venisse, doluimus) unius Monarchiæ aut regni historiam, sive Chronologiam, benè perspectam habere. Quantò operosius, totius historiæ & Chronologiæ, ad III. Primarias Monarchias pertinentis, & cum hâc Quæstione implicatæ; certam tenere, aut profiteri cognitionem?

IOS. SCAL. lib. 5. Em. T. præcisè, & nullâ ambage, inquit, Hebdomades desinunt in excidium Hierosolymorum, & Reip. Iudaicæ interitum.

C D, inquit DANIEL, & XC. annos, stabit urbs Hierosolyma, eiusque administratio. Sed unde istorum, CDXC. annorum capiendum exordium? Ab Edicto, inquit, de Hierosolymis instaurandis.

Neque frustrà caput Hebdomadum ad Hierosolymorum incolumitatem pertinet; cum eorum finis ad eiusdem urbis casum & deletionem pertineat.

Tres sunt Reges, quorum Edicto Templum, cum urbe, instaurari iussa, scribit Esdras. CYRVS scilicet, DARIVS & ARTAXERXES. (cap. 6. vers. 14.)

Sed Edictum Cyri irritum fuit, ipso etiam adhuc vivente. Ad Edicta igitur Darij, & Artaxerxis, pertinent Hebdomades.

Primùm, CDXC. annos stabit Templum. Totidem anni definiti sunt super Templo & urbe: quibus exactis, incipit βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως. Hæc DANIEL.

Ergò Hebdomades incipientes ab Edicto instaurandi Templi, desinunt in initium Abominationis, hoc est, circa initia belli Iudaici; quo primùm cædes in urbe patrari cœptæ, & Templũ pollui. Quod tempus incurrit in finem XI. & initium XII. anni Neronis, (uti auctor est Ioseph.) Anno Periodi Iulianæ 4781. Aufer CDXC. annos ab illis, 4781. remanet annus Periodi Iulianæ 4291. qui sine dubio est secundus Darij Nothi. En LXX. Hebdomades Danielis. Temporis τοῦ καθόλου, quod spectat ad statũ Hierosolymorum, hæc summa est, hoc caput, hic finis. Summa, anni CDXC. Caput, Edictum Darij, anno II. imperij eius. Finis, bellum Iudaicum, & initium βδελύγματος τῆς ἐρημώσεως. Nunc quo modo μερισμὸν illud tribuant, vide.

Ab Edicto Darij, ad Hierosolymorum platéas, & vicos directos, & absolutum opus ædificiorum, annos statuit XLIX. Iam verò Hierosolyma instauravit Nehemias anno XX. ARTAXERXIS Memoris: neque priùs inde pedem extulit, quàm omnia ædificata essent. Itaque directis platéis Vrbis, & vicis exædificatis, atque omnibus rebus compositis, reversus est in Persidem; anno Artaxerxis XXXII. Nehem. cap. 5. vers. 14. & 13. vers. 6.)

Post II. ann. Darij, relinquuntur XVII. anni, ad initium Artaxerxis Memoris. Quibus adijce XXXII. annos; Summa, Anni XLIX. Intervallum ab Edicto ad platéas directas. (Annus Periodi Iulianæ 4340. haud-dubiè est XXXII. Artaxerxis Memoris. Et deductis XLIX. remanet annus Periodi, 4291. quem II. Darij esse constat.) Sanè XVII. anni, absoluti post II. Darij Nothi. Item XXXII. absoluti Artaxerxis Memoris, consummant annos XLIX. absolutos.

Quod alij de Templo augurantur, ex capit. 2. Ioannis; prorsus hac interpretatione eluduntur. Deinde Propheta aliam Epocham statuit CHRISTI interfecti: A cuius morte retrò putat hebdomadas LXII. Annos nimirum DXXXIV.

Annus Passionis Dominicæ est 4747. Periodi. CDXXXIV. anni retrò putati, terminantur an. Periodi 4314. qui est V. Artaxerxis. Ergo V Artaxerxis Memoris, Edictum iterùm emissum à rege: cum quo, anno vertente, posteà Esdras cum reliquijs exsulum Hierosolyma profectus est. Nam ab eo Edicto, ad profectionem Esdræ, annus solidus interest. Quo intervallo opus fuit E[illegible], ad reliquias Iudæorum, quæ per Babyloniam, Mediam, ac Persidem sparsæ erant, colligendas.

Postremò unam septimanam adijcit: cuius partem prædicationi Messiæ &, ut ipse loquitur, *magnificando fœderi* (Evangelio) attribuit: partem bello Iudaico patrando. Non quòd eâdem hebdomade & CHRISTVS prædicârit, & bellum Iudaicum gestum sit: sed quia utriusque eventûs intervallum, annos VII. consummat. Nempe IV. annos cum dimidio, à baptismo Messiæ ad passionem eius: biennium verò cum dimidio, ab initio XII. Neronis, ad bellum Iudaicum patratum. Neque enim continuat ista Daniel. ut neque XLIX. cum CDXXXIV. Diversa enim capita, hæc intervalla, habent.

Ab Edicto scilicet Darij, ad initium belli Iudaici, putat annos CDXC.

Ab eodem Edicto, ad discessum Nehemiæ, annos XLIX.

Ab Edicto Artaxerxis, ad cædem CHRISTI, annos CDXXXIV.

A Baptismo CHRISTI, ad eius Passionem: Item ab initio XII. Neronis, ad initium anni II. Vespasiani, annos VII. divulsos tempore; coniunctos numero hebdomadico.

Una Septimana magnificabit fœdus cum multis. dimidium verò eiusdem Septimanæ, *abrogabit sacrificium* & oblationem. Manifestò eadem hebdomas data est, & prædicando Evangelio antè passionem, & bello Iudaico patrando.

(Hæc subtiliter, licet involutius, SCALIGER dixisse visus. Quæ tamen Pererius (cuius hâc in parte sententiæ adstipulamur) sic refutat. Neque Templum sub Dario Notho exædificatum esse: neque à rege MNEMONE, Esdram & Nehemiam missos.)

Pergit Scaliger. Intervallum miserrimi status Iudaici, sub Antiocho, & profanati Templi; Daniel definit, *diebus*, plus minus; *Bis mille Trecentis*; Intra quos, cædes Iudæorum, & sacrorum rituum intermissio, fieri debebat.

Cn. Popilius Lænas, Legatus pop. Rom. Antiochum Ægypto decedere iussit: eodem ipso tempore, quo Perseus rex Macedonum à Paullo Æmilio devictus est. Iam ex defectione Lunæ; quæ eodem tempore contigit, conijcitur illum annum

annum fuisse Cycli Lunaris IV. anno Seleucidarum 5.. testibb. libb. Machabæor. His namque illi consentanea scribunt. *Anno CXLIIX. expiatum Templum, anno V. exactè post Antiochi ingressum in urbem Hierosolym.* Biennium enim inter ... finter ingressum & pollutionem Templi; Item triennium, à pollutione illâ ad Encænia.

Quare quùm illud tempus quinquennio definiatur, DANIEL tantùm bis-mille Trecentorum dierum illud statuit. qui sunt anni Iuliani solidi VI. cum bis-sexto, & diebus præterea 110.

Nodus. Iudæi iam ab illis Temporibus in IX. diem mensis AB, hunc casum Templi & Urbis contulerunt. quo tempore, CDXXX. antè annis urbs capta & incensa à Nabuchodonosore. Eodem die eiusdem mensis, dirutum Templum à Tito. D...que eâdem die Bether opidum, in quod, uti munitum, Iudæi confugerant, ab Hadriano expugnatum. & extrema eius gentis deletio.

IOAN. CARION, Chron. LXIX. Hebdomades supputari debent ab anno II. Longimani. Tum nâque misit Deus ZACHARIAM & HAGGÆUM Prophetas, ut consolarentur populum; & certò confirmarent Hierosolyma reparãda esse in posterum, sine impedimento.

Præterea, eodem anno præceperat Longimanus publico Edicto, ne Iudæi impedirentur ab instituto opere urbis & Templi ædificandi. Hanc temporis moram B. Ioan. respexit, (cap. 2.) XLVI. annos exstruendo Templo esse absumtos. Qui annor. est numerus à Cyri anno II. usque ad VI. Longimani. quo opus Templi est absolutum.

Ex lib. Machabæor. & Ioseph. colliges, ab initio Alexandri, post Danj ultimi decessum, ad Natal. usque CHRISTI esse annos CCCX.

Et à CHRISTO Nato, ad Baptismum eiusdem, ann. XXX.

Summ. Ab Initio Alexandri ad CHRISTI baptism. anni CCCXL. Quibus adde spatium à II. anno Longimani, usque ad Alexand. sive cædem Danj (qui sunt ex Metasthene, CXLV. anni.)

Summa, à II. Longimani anno, ad Dn. CHRISTI baptisma, CDLXXXV. anni. Et sic LXIX. Hebdomades annuæ, cõstituent rectè annos CDLXXXIII, quæ CHRISTO baptizato completæ.

Hebdomada sequente, docuit CHRISTUS; & in eâdem dimidiatâ mortuus est. Sive anno IV. post baptisma crucifixus. Hâc igitur septimanâ adduâ ad LXIX. evadent LXX. Hebdomades. Post mortem CHRISTI, Iudæi, non amplius populus Dei: & Templum eorum posteà Abominatio.

Græci inter Alexandri obitum, & Augusti initium, annos ponunt CCLXXX.

Post Alexandrum ad Nat. CHRISTUM, CCCXXII. Addius XLII. Augusti; sub quo natus CHRISTUS: Et post Nat. CHRISTUM, usq; ad baptisma, XXX. an. Adde his Persarum numerum, à II. Longimani, CXXXII. Summ. erit CDLXXX.V.

Apud Græcos ratio annor. sic initur.

CXIV. Olymp. obijt Alexand. Magn.

Olymp. CLXXXIV. post mortem Iul. Cæsaris, regnat Augustus.

Summ. Circiter CCCXXX. annor.

Colligit ibidem CARION, ab O.C. ad Nat. CHRISTI. Ter mille Nongentos Quadraginta novem annos. Quâ in re nobiscum consentit.

LEMNOREUS, Chronologiâ. Quo anno, LXX. Danielis Hebdomadæ cæperint, quóve finierint; obscurum & controversum est. Res ita se habet. Danieli (c. 9.) à GABRIELE prædicuntur LXX. Hebdomadæ, ab Exitu sermonis, ut ædificetur Hierusalem, numerandæ, usque ad tempora, CHRISTO duci, sive MESSIÆ, vicina. Quia autem constat has esse Annor. Hebdomadas; (sic Genes. 29. Iacob dicitur implevisse hebdomadam pro Rachel.) efficitur hîc resultare CDXC. annos.

Qui numerus si sit annorum Lunarium; & hi reducantur ad annos Solares; evadet ad annos tantum CDLXXV. Quod est I. Caput Quæstionis.

Alterum caput est; Quo anno Cyri, vel alterius principis, cæperint hæ hebdomades. Constat quidem ex Daniele, cæpisse *ab Exitu Sermonis, ut iterùm ædificaretur Hierusalem*, pòst captivitatem Babyloniam. Hoc est, incepisse à permissione, facultate, & sermone, sive Dei aut Prophetæ; sive regis Persarum, ut illa urbs ædificaretur. Tres autem tales Sermonis Exitus comperiuntur.

Tertia difficultas, de Termino horum annor. sive LXX. Hebdomadar. An ipso. quo CHRISTUS passus est, anno: An, IV. post Passionem. Vel etiã posteà sub Tito; vel multo-anteà sint finitæ.

Initium collocetur ad annum XX. LONGIMANI, quo solus à morte Patris regnare cæpit. (Qui est mundi 3540. ut annus ille XX. sit mundi 3560.) Ab hoc enim principio, sive anno XX. Longimani, usque ad annum Passionis, (qui fuit O.C. 4035. & ætatis CHRISTI XXXIV.) rectè numeramus annos Solares CDLXXV. & Lunares CDXC. qui nimirum resultant ex LXX. Hebdomadibus.

Anno itaque illo XX. Longimani, egressus est sermo regis, & data facultas reficiendæ Urbis.

Hæc opinio confirmatur ex Chronologiâ: sive annos putemus per Olympiadas; sive per annos expensos.

Nam sicuti initium Principatûs Cyri incidit in ann. Mundi, 3444. Ita annus Passionis CHRISTI fuit Orb. Cond. 4035. Ab illo autem I. Cyri anno, usque ad XX. annũ Longimani, sunt anni 116. Inde verò ad Passionem CHRISTI, sunt anni Solares 475. qui efficiunt Lunares 490. & complent numerum Hebdomadarum, LXX.

Illi autem 375. Anni solares, à XX. Longimani ad Passionem, sic numerantur.

Ab anno Longimani XX. ad Seleucum anni CXXXII.

A Seleuco, ad expugnatum Templum, per Pompeium, anni CCXLIX. quo anno natus est AUGUSTUS.

Indè verò ad CHRISTUM natum, anni LX.

Ac tandem vitæ CHRISTI sunt anni XXXIV. saltim inchoati.

Ex quibus resultant anni CDLXXV.

A Cyro autem ad CHRISTUM patientem, anni DXCI.

Rursus per Olympiadas. Suprà probatum est, Cyri Principatum cæpisse anno I. Olympiadis LV. Atque adeò restant III. anni illius Olympiadis computandi.

Præterea, annus XX. Longimani, est annus IV. completus Olympiadis LXX. II. Ac denique CHRISTVS passus est anno IV. Olymp. CCII.

Ex quibus efficitur, ab anno primo Olymp. LV. usque ad annum IV. Olymp. CCII. esse completas Olympiadas CXLVII. & annos III. Quæ summa efficit annos DXCI. qui sunt à Cyro ad Passionem.

A quibus si demas Olympiadas XXIX. sive annos CXVI. qui sunt à Cyro ad XX. Longimani; restabunt reliquæ Olympiades, quæ faciant annos CDLXXV. excurrentes indè usque ad Passionem.

Atque ista coherent cum anno Mundi: Nam si ad annum expansum 3227. quo incepit I. Olympias, addas Olympiadas CCII. seu annos DCCCVIII. resultat annus MMMMXXXV. qui est CHRISTI passionis annus.

De mense anni, quo contigerit Principium horum Annorum; Esdr. l. 2. c. 2. notatur mensis Nisan. Eodem l. c. 6. dicitur completus murus XXV. mensis Elul. LII. diebus. Quod tempus haud multum abest ab Æquinoctio Autumnali.

Sed hic alterum mensem, ad Sermonis Exitum; alterum refer ad operis perfectionem.

Finem harum hebdomadum constituimus in ipso Passionis anno, ex temporis ratione iam dictâ, *Defecit* scilicet *hostia in posteriori dimidio illius ultimæ hebdomadis*. Quod dimidium non significat annum IV. illius hebdomadis; sed ex duabus, ut ita dicam, medietatibus ultimæ hebdomadæ, signat posteriorem. Sic ille. Vid. XX. ann. Longimani.

TORNIELL. eodem spectans. A XX. Artaxerxis Longimani anno ad XV. Tiberij, supra LXIX. Hebdomadas, inveniuntur etiam anni III. & menses aliquot. Qui, quod integram hebdomadem facere non possent; in scriptura sunt præteriti, ut minuti. Sed alij aliter dispertiunt.

GENEBR Chronolog. Ab illo LXX. captivitatis anno, ad CHRISTVM, Hebdomades LXIX. hoc est, CDLXXXIII. anni.

Hebdomas una continet VII. annos: (Levit. 25) sic & Esdr. 4. c. 7. inquit, CHRISTVM IESVM revelandum; hoc est, nasciturum esse post CD. annos. His enim si addas vitæ CHRISTI annos XXXIII. supererunt ex LXIX. Hebdomadibus, tantùm I. quibus Esdras Daniele fuit posterior. Hebdomas LXX. quæ confirmat *Novum fedus*, & finem habet cerimoniarum legalium; cadit in Apostolos, qui in Iudæâ per VII. annor. spatium, antequam Orbem sibi ad Euangelizandum dividerent; gratiam CHRISTI Iudæis primùm obtulérunt, in hebdomadis dimidio, Synhodo publicâ. (Actor. c. 15.) Mosis sacrificia & cerimonias abrogantes. Re Iudaicâ in deterius ad interitum usque, qui à Romanis adlatus est, abeunte; Christianâ autem latiùs quotidie se diffundente. Quod si Synhodus illa celebrata est, sub annum CHRISTI VII. ut quibusdam placet; qui non animaduertunt ὕστερον πρότερον passim in scripturis; nihil tamen perit de vera LXX. intelligentiâ.

Nam certum est, non longè post CHRISTVM, PETRO revelatam esse, per Visum, Gentium vocationem; atque deinceps libertatem ab hostijs, atque adeò lege, prædicatam. (Actor. 10.)

Est etiam apta Interpretatio, ut Hebdomas LXX. cadat in CHRISTI mortem, hoc sensu: *Post Hebdomadas LXIX. Occidetur CHRISTVS*, hebdomade scilicet LXX. *Confirmabit* autem *pactum multis*, hebdomadâ unâ, (illâ postremâ) ut eius medio (hoc est, III. extremis annis & semisse) procedat CHRISTVS. atque *pactum* (de remissione peccatorum) promulget, *donec occidatur*. Quibus confectis, Templi & Vrbis expectanda ventat ruina.

Distribuit autem LXIX. hebdomadas, in duas parteis; nempe quia VII. cesseeunt Templo & Vrbi ædificandæ; LXII. varijs Ecclesiæ iactationibus.

EMANVEL SA. in Notis. Ab Exitu Sermonis (scilicet à IV. Sedechiæ anno. qui fuit XIX. Nabuchodonosori) hic posteà adhuc imperavit ann. XXXIV. ut anni eius omnes sint XLV. EVILMERODACH XXIII. BALTHASAR III. DARIVS MEDVS, II. CYRVS IV. Templi instauratio & duratio CDLXVI. Vnde si demas XLII. à CHRISTI sc. morte, usque ad exscidium Templi; fiunt CDXC. hoc est, Hebdomades Annor. LXX.

Hic Peter. Ab illo IV. Sedechiæ, qui incidit in Olympiadem XXXV. usque ad Olympiadem CCIII. effluxérunt plus OCLXX. anni. Falsa igitur sumtio, quæ tam facilè corruit.

MASSÆVS lib. 7. *Ab Exit. Sermon. ut iter. ædific. Hierusal.* hoc est, Ab eo die, quo misit (forte missurus est) Esdram rex Persarum ad reædificandam Hierusalem, usque ad CHRISTVM ducem; hoc est, usque ad illum diem, quo Pater cœlestis constituet Vnigenitum suum ducem ac præceptorem populis; Septem & Sexaginta duæ Hebdomades annorum complebuntur. quod utique fecit in baptismate quando dixit: *Hic est Filius meus dilectus. Hebdomadâ verè postremâ, confirmavit pactum multis*. Condidit enim Euangelium CHRISTVS; deinde passus est anno IV. hoc est, in dimidio eiusdem novissimæ hebdomadæ: cessavitque legalis hostia: & novum per Apostolos Testamentum publicari cœpit.

Nec ignoravit Daniel, ut quidam fingunt, quo tempore regis sermo exiret de reædificandâ Hierusalem: ideoque nec termini suæ supputationis fuit ignarus. Numerat ergò ab anno XX. regis Assueri, usque ad IV. annum à passione Domini. Omnesque falluntur (ait B. August. ad Hesych.) qui putant antè passionem esse completas. *Hæc proba sententia*.

F. ADAM. Ziriczæus, Chron. cui Metasthenes & Philo, Anniani, ut plerisque imposuerant; hic cordatior.

Finis harum, inquit, Hebdomadum figatur, ut pluribus visum est, circiter Exscidium Templi, & Hierosolymæ, per Romanos, *Civitatem & sanctuar. dissip. populus cum duce.*

Quo facto, retrò putando CDXC. ann. eorum initium cadet sub imperium Artaxerxis Magni, qui & Assuerus, Esthere maritus. Quia tamen exscidium Hierosolymæ per Romanos, non est præcisè definitum, sed latiùs patet; ab initio, quo rebellare cæpérunt Iudæi; & missi sunt à Nerone, Vespasianus & Titus; & II. anno Vespasiani imperantis,

perantis, aut circiter, capta est civitas: & deinceps cædes Iudæorum, aliæque calamitates continuatæ: Idcircò ex istiusmodi latitudine, duo, ab initio, supputandi modi existunt.

Vel à VII. Assueri, quo anno missus est Esdras ad populum instituendum 1. Esdr. 7. Neh. 2.

Vel à XX. eiusdem, quo ad ædificandam urbem Nehemias ab eodem missus est. Nehem. 2.

Primum si à VII. anno putemus, & Assuerus annos LV. imperavit: & ex ijs VI. demamus, (qui effluxerint antè, quàm missus ad populum Esdras, cum Sacerdotibus) remanent XLIX. hoc est VII. hebdomades integræ. quibus *urbs constructa, & platea,* per Nehemiam, *in angustiá temporis.*

Sub III. reliquis Persarum regibus, Ocho, Arsame, & Dario ultimo, anni ex cà Monarchià sunt adhuc reliqui XXXVI. qui efficiunt V. hebdomadas & annum I. *Sic universè sint Hebdomades XII. & annus I.*

Ab Alexandro Magn. usque ad I. annum Imperij Iul. Cæsaris, anni sunt CCLXXXIIX. qui conficiunt . & XL. hebdomades integras. Sed annus hic abundat. Atque ita sub Persis & Græcis simul, LIII. integræ Hebdomades Annor. cum II. annis.

Ab initio Iul. Cæsaris ad XLII. annum Augusti Cæs. quo CHRISTVS est natus; anni sunt ferè XLVII. Quibus si iungas reliquos de Persis & Græcis, duos, fiunt præcisè Hebdomades VII. sive XLIX. anni. Et sic CHRISTVS natus esset initio Hebdomadis LXI.

Anni autem Vitæ CHRISTI, sunt anni XXXIII. expleti. qui faciunt V. hebdomadas, biennio minus.

His addantur anni Apostolatus Petri XXXVII. usque ad ultimum Neronis annum. Et sunt iterùm hebdomadæ V. suprà duos annos. qui explent defectum superiorum V. hebdomadum.

Atque ità anno Neronis ultimo, quo PETRVS cruce est fixus; & Vespasianus ad Hierosolymam missus: expleti sunt CDXC. anni, sive LXX. hebdomades iam inchoatâ Iudææ vastitate.

Sin à XX. anno Artaxerxis, sive Assueri, initium ducatur; demi XIX. à LV. quibus imperavit, remanent XXXVI.

Sub III consecutis regibus, totidem. & simul faciunt LXXII. hoc est, X. hebdomades & biennium.

Sub Græcis, I. & XL. Hebdomades, uno anno amplius. Atque ita usque ad imperium Iul. Cæsaris, sunt L . hebdomades integræ, & III. anni.

His adde XLVII. an. à Iulio usque ad CHRISTVM natum; existent simul VII. Hebdomades, & I. annus. Universe LIIX. hebdomades, cum anno uno.

Anni Vitæ CHRISTI, sunt IV. hebdomades & V. anni. Tempore igitur passi CHRISTI colliguntur LXII. hebdomades integræ, & VI. anni, hoc est hebdomas imperfecta.

Desiderantur itaque ad summam LXX. hebdomadum, integræ hebdomades VII. & I. annus, qui desint LXIII. hebdomadi. & sic deficiunt anni I.

Accipiantur itaque anni XXXVII. Pontificatus PETRI, usque ad ultimum annum NERONIS; deinde annus I. vel circiter, sub GALBA, OTHONE, VITELLIO; sunt XXXIIX. & X. sub VESPASIANO, erunt XLIIX. & II. sub TITO; erunt L. & Terminus LXX. hebdomadum.

De hàc sententià, hoc tantùm. plerosque easdem Hebdomadas à XX. anno Longimani producere, usque ad IV. ann. à Passione Domini. Neque tot annos tribui Longimano. Sed tantùm XLV. aut circiter.

PERERIVS, post refutatas XV. aliorum hàc de re opiniones, (quæ infrà explicabuntur) hoc denique sentit & concludit.

LXX. Hebdomadas fuisse Annor. non solarium, sed Lunarium. Anni verò CDXC. Lunares, CDLXXV. Solaribus omninò respondent. (quod idem, inquit ille, Iul. Africanus, Theodoritus, Glossæ, Albertus, Dionys. Carthus. Beda, & alij, censuére:) Et cõputatio Annorum Lunariũ Hebræis usitata; (Ideò Gabriel *abbreviatas* dixit Hebdomadas) licet tertio quoque anno unum mensem intercalarent, & ad mensuram cursus solis redigerent.

Neque aliundè sumendum earum initium, nisi à XX. anno regis Artaxerx. Longimani. Et posse eas dupliciter terminari. Vel in IV. anno post DOMINI Passionem; vel in eo ipso, quo passus & mortuus est.

Si LXX. Hebdomadæ terminẽtur anno IV. post Passionem; quùm à XX. Longimani anno, (undè cæpérunt, hoc est, à IV. anno Olymp. LXXXIII. usque ad mortem CHRISTI, quæ concurrit cum IV. anno Olymp. CCII.) transactæ sint LXX. Hebdomades Annorum Lunariũ, hoc est, CDLXXV. Anni Solares: Necessarium profectò erit dicere; revera non fuisse LXX. Hebdomadas præcisè, sed LXX. & dimidiam. Nec annos tantùm CDXC. sed CDXCIII.

GABRIEL autem contentus fuit plenum LXX. Hebdomadum numerum expressisse. Minutum verò & imperfectum, vel ex consuetudine scripturæ; vel occultandæ magis Prophetiæ ergò, tacere voluisse censendus.

Quod autem pertinet ad dictum Angeli, *In Dimidio Hebdomada deficiet hostia & sacrificium.* quod interpretati sumus de morte Domini; sic constare potest.

Ex VII. ultimis annis totius summæ, LXX. Hebdomadum & dimidiæ; hoc est, Annorum CDXCIII. confici unam hebdomadam, quæ incipiat ab anno CDLXXXVII. & desinat in annum CDXCIII.

In hàc Hebdomadà, per III. priores annos & dimidium CHRISTVS prædicavit Euangelium: In dimidio huius hebdomadæ, qui est annus CDXC. & ultimus LXX. hebdomadæ; CHRISTVS Dom. mortuus est. Exin sacrificia legalia fuere invalida.

Residuo huius hebdomadis, Apostoli Euangelium in Iudæà prædicárunt: & in fine Hebdomadis, terminatæ sunt LXX. Hebdomades, & dimidia.

Et Angelus certè eam hebdomadam, in cuius dimidio defecit hostia, &c. non vel LXX. vel ultimam appellavit; sed tantùm, unam Hebdomadam. quæ quæcumq; intelligi potest, dũmodo ea constet VII. annis; & sit extra LXIX. de quibus anteà dixerat.

Altera autem ratio terminandi dictas hebdomadas, est in eo ipso anno, quo CHRISTVS Dom. mortuus est. Iuxtà quam, illud Angeli, *In dimidio desic. hostia*, &c. potest dupliciter exponi.

Vel de Baptismo CHRISTI, qui in mediam LXX. hebdomadem incidit; qui fuit signum, Legis sacramenta mòx esse defectura. Vel de morte Domini. Sed illud; *In dimidio hebdomadæ.* non significet medium annum, qui est IV. hebdomadæ LXX. Sed significet unam medietatem; videlicet, posteriorem illius hebdomadæ. Vtutrávis medietas, III. annis & dimidio constet.

Et quod Angelus dixit: *In dimidio hebdomada desic. hostia*, &c. id de posteriore dimidio illius hebdomadæ; & de fine eiusdem dimidij, debeat intelligi.

Idem PERERIVS putat Dominum nostrum IESVM, tunc populi Dei ducem declaratum, in baptismo suo, voce Patris de coelo missâ: *Hic est filius meus dilectus, Ipsum audite.* quùm per XXIX. annos, privatam antè, & vulgo obscuram vitam traduxisset.

Et LXIX. Hebdomadas terminari in CHRISTO duce, hoc est, in eius Baptismo. qui fuit annus XV. Tiberij Cæs. & primus Olymp. CCII. Et iam-tum Dominus ingressus erat XXX. ætatis annum.

Ex eodem Pererio, diversas Auctorum, partim vetustiorum, partim Neotericorum, opiniones, pertexemus, cum censurâ.

EVSEB. lib. 8. Eu. Dem. & CYRILLVS, Catech. XII. DRIEDO & IANSENIVS; ordiuntur hasce hebdomades, ab anno Darij Hystaspidæ, qui IV. Persarum rex, secundo. Quo anno ædificatio Templi, eo-usque à CYRO intermissa, ingenti Iudæorum alacritate, & rege permittente, repetita est: & quadriennio pòst consummata. (Esdr. c. 6.)

Ab hâc opinione, non re ipsâ, sed nomine regis, & ratione temporum, discrepat SEV. SVLPIT. lib. 2. sac. Hist.

Qui putat hebdomadas cæpisse, regnante Dario; quo tempore templi instauratio perfecta est. Eumque regem, non Darium Hystaspis; sed Darium Nothum; seu, uti vocat ipse, Ochum, IX. Persarum regem, existimat: qui post Darij illius obitum, LX. amplius annis imperium adeptus est.

Verùm, quicumque fuerit ille Darius, quo regnante Templum ædificatum est; certè à tempore ædificationis Templi sub Dario, non possunt Hebdomades inchoari.

Tum quia II. annus Darij Hystaspis cadit in Olympiadem LXV. Vndeusque in finem Hebdomadum, quem attulit Olympias CCII. præterierunt anni plures, L. suprà D.

Tum quia rex ille DARIVS, in suo Edicto (Esdr. 6.) dedit facultatem Iudæis reparandi Templum; non ædificandi Vrbem. Neque id, quoad ille regnavit, facere adgressi sunt Iudæi.

(In EVSEBIO, qui tres huius, de LXX. Hebdomadibus, quæstionis, ponit Interpretationes, multa iure reprehenduntur quòd neque Cyrus, nec Darius Hystaspis, à quibus auspicatur, potestatem, Iudæis, fecerit reædificandæ Hierosolymæ.

Deinde Hyrcanum Pontificem facit CHRISTVM, ducem. quem à Cyro ad eumdem, per Pompeium restitutum, sint plures D. annis.)

Opinio *Africani, Chrysostomi, Theodoriti, Bedæ, Ruperti*, & quorumdam aliorum (quam & nos, hac quidem in parte, sequimur) propior vero, ac probabilior est. quæ initium Hebdomadum ducit à XX. anno Artaxerxis Longimani, VI. Persarum regis, qui NEHEMIAM cum præsidio equitum dimisit in Iudæam; quo tutiùs urbem Hierusalem reficeret, & mœnibus validis communiret. A solo namque ARTAXERXE, qui misit Nehemiam, legitur exiisse mandatum: datamque potestatem reparandæ urbis.

Quod factum est, *In angustiâ temporum*; vel quia Iudæi ædificantes, a vicinis hostibus ita infestabantur, ut in armis esse, & ad pugnam parati, cogerentur. vel quia ædificatio platearum & murorum angustissimo & brevissimo tempore absoluta est; 50. nempe diebus. Hunc autem annum, quo missus est Nehemias, Euseb. putat, cum anno IV. Olympiadis LXXXIII. concurrisse.

HEBRÆI, Seder-olam; Hebdomades VII. sunt eæ, quas transegerunt, Iudæi, in exilio; & adscenderunt:

LXII. eæ, quibus in terrâ Israel post reditum manserunt.

Vna autem hebdomada; ea est, cuius partem egerunt in terrâ; partem extrà terram. Post quam hebdomadam contigit, quod dictum est: *Exscindetur CHRISTVS, & firmabit fedus multis, hebdomadâ unâ; & dimidio hebdomadis, cessare fac. sacrif. & oblat.*

R. Iose numerandas docet hebdomadas LXX. ab excidio Templi prioris; usque ad posterioris, per Romanos, excidium. LXX. scilicet annos, quibus excisum & destructum mansit: & CDX. quibus exædificatum stetit. Neque obstat, quòd iam-tum LXX. anni Excidij essent transacti. quia hoc quidem decretum latum fuerat antè VII. annos: verùm nunc primum promulgabatur, & Danieli revelabatur.

Vetustiores Hebræi exordiebantur à Dario Medo. Et ex Hebdomadibus; Sexaginta duas terminabant in excidio Hierosolymorum sub Tito. Reliquas, IIX. in exterminio per Hadrianum. Cæci, ait Perer. in alienâ Chronologiâ.

IVLIANVS, Pometius vulgò, qui, teste Baron. est Iulianus Toletanus; lib. adv. Iudæos. Has LXX. hebdomadas, aliqui, ait, à XX. anno Artaxerxis Longimani (qui erat LXXXIII. Olymp. annus IV.) computare incipiunt. Et usque ad CCII. Olympiadem, & II. eiusdem annum, Tiberijque Cæs. ann. XIX. extendunt. Qui velint intrà easdem hebdomadas, & natum CHRISTVM ostendere; & passum in fine LXX. hebdomadis, adprobare.

(Inter quos Africanus, nobilis temporum scriptor. qui in eo labi censeatur, quòd hebdomadibus in CHRISTI morte terminatis, facit CHRISTVM mortuum anno XV. Tiber. Cæsaris. quem annum comparat ipse cum anno II. Olympiadis CCII.)

Alij autem à I. Darij anno, quùm Daniel hæc vidit; usque ad adventum CHRISTI; evolutas

esse

e[...]das LX[...] & dimidiam, docuerunt. R[...]m V[...] hebdomadas, & dimidiam; in [...] CHRISTI, & expugnatione Iudæorum [...] Vespasianum, impletas esse debuiunt. E[...] TERTVLLIANVS.

[...] Pelusiota, lib. 3. ep. 89. Quonam pacto [...] apud DANIELEM perscriptæ LXIX. Annorum [...]domades, quæ ab Vrbis Hierosolymitanæ ædi[...] incipientes, in ipsius expugnationem de[...] expletæ fuerint; illud habeto. Eam non C[...] sed XX regni Longimani anno fuisse ex[...] Nam tum, ut Esdr. commemorat, N[...] e Babylone profectus Vrbem instaurauit.

Q[...]am igitur modo, inquis, LXX. hebdomades *abbreviatæ sunt super*, &c. Nimirum, quia in L[...] hoc est, anno CDLXXXVII. bellum ger[...] est. Sequente autem annorum hebdom[...] unà cum Iudaicis rebus finem habuit.

Q[...], unde id probetur, quæris? Illud sciendum [...] inter XX. Longimani annum, & Persici I[...] finem, CXIII. annos interfluxisse: ac dein[...] Macedonicum usque ad CCXCIV. annos [...] esse.

Post autem, R[...]manum, Augusto Imperante, ad X[...] annos. Tiberio autem imperium gerent[...] XXII. Ac denique Claudio summam re[...] ente, ad VII. propagatum fuisse. Nam [...] anno initium cœpit Iudæis rerum motus; [...] bellum illud adversus Romanos ipsis excitavit, ex quo vrbis excidium ortum est.

Neronis enim, qui Claudio successit, tempore, Iu[...] à Vespasiano, qui tum Neronis dux militum erat, fortiter oppugnati: posteà, eodem Imperij habenas obtinente, capti sunt.

OR[...], hâc in re, opinionibus variat. M[...] Hebdomadas auspicatur à primo Darij Medi anno, & CHRISTI ortu terminat. Modò easd[...] facit esse decenniorum (simul 4900. annor[...] initio ducto ab Adamo, usque ad CHRISTVM. Modò LXX. & ultimam hebdomadam extend[...] nat. CHRISTO, ad excidium Hierosol. sub Ti[...] V[...]gna, quæ hîc refellantur. P[...]rer.

C[...] A[...]x. strom. s. VII. itaque hebdomad[...]um fuisse Templum; clarum est ex E[...] sic fuit CHRISTVS rex, dux Iudæorum, cù[...]pletæ essent VII. hebdomades in Hierusalem. Et [...] LXII. hebdomadibus quievit universa Iudæa, be[...]rum expers:

E[...] noster IESVS CHRISTVS, Sanctus Sanctorum, [...] venisset, & visionem Prophetiamque impl[...]et; ut carne unctus est Patris sui spiritu.

In h[...] LXII. hebdomadibus, uti ait Propheta, & in un[...] hebdomade, Dominus: dimidium hebdomadis, [...] minuit Nero regnans; & in civitate sanctâ Hierus[...]lem, statuit abominationem. Et in dimidi[...] heb[...] dis. & ipse sublatus est; & Otho & Galb[...] & Vitellius. Vespasianus autem & imperio po[...] itus est, & Hierusalem evertit, & Sanctum desolavit. Hæc clara intelligenti.)

XI. anno expleto, sub initium consequentis, regnante Ioachim, facta est captivitas in Babylonem, sub rege Nabuchodonosore, iam VII. annum Assyrijs dominante, qui fuit II. annus Vaphræ Ægyptiorum regis; Philippo Athenarum Archonte) idque anno primo Olymp. XLI X.

Permansit autem captivitas LXX. annis. & desijt anno II. Darij, Hystaspis Filij, qui Persis, Assyrijs & Ægyptijs est dominatus. sub quo Prophetæ Haggæus, Zacharias, & qui dictus Angelus. Pontifice Iesu, Iosedeci F.

In hoc anno II. Darij regnantis, (quem tradit Herodotus Magorum dissolvisse imperium) mittitur Zorobabel, F. Salathielis; ut excitet & exornet Templum Hierosolymit.

Tempora autem Persarum, sic colliguntur.

CYRVS, annos XXX. CAMBYSES, XIX. DARIVS, XLVI.

XERXES. XXVI. ARTAXERXES, XLI. DARIVS. IIX.

ARTAXERXES, XLII. OCHVS vel ARSES, III. Vniversè CCXXXV. anni.

Hoc itaque Dario sublato, Alexander Macedo, ijs, qui propositi sunt, annis regnare cœpit.

Eumdem quoque in modum, Macedonum regum tempora, sic colligas.

ALEXANDER, XIIX. ann. regnat. PTOLEMAVS, LAGI F. XL.

PTOLEM. PHILADELPHVS, XXVII. EVERGETES, XXV. PHILOPAT. R XVII.

EPIPHANES, XXIV. PHILOMATOR, XXXV. PHYSCON, XXIX.

LATHVRVS, XXXVI. DIONYSVS, XXIX. CLEOPATRA, XXII.

Posteà Cappadocum regnum, dictum XIIX.

Conjunctè, Anni Macedonū existunt CCCXII. & dies XIIX.

Hæc opinio sic à Pererio refellitur. Ab anno I. Cyri (qui potestatem quidem fecerat exstruendi Templum, non Vrbem) qui fuit primus Olymp. LV. usque ad Olympiadem CCIII. qui est terminus hebdomadum, propè DC. transacti sunt anni.

In TERTVLL. Nisl. adv. Iudæos, supputatione annorum, multi speciatim insunt errores, licet series hebdomadum, generatim, inter se satis consentanea esse videatur.

Quùm itaque primus annus Darij Medi (à quo ille initium ducit) concurrerit cum hoc Olympiadis LIV. atque in Olympiadem CCIII. eæ Hebdomades desinant; clarum est DC. propè annos transijsse. hoc est, plures c. quàm illæ Hebdomades LXX. efficiant.

Deinde ipse V. tantùm Persarum reges in suâ Chronologia recenset, omissis alijs IX.

Et Monarchiæ Persicæ, quæ tenuit CCXXX. annis; CVI. dumtaxat annos attribuit.

Postremò. Dario Medo, annos XIX. & Dario ultimo, XXI. pro VI. assignat, &c.

Cæterorum opiniones silentio præterimus. Satis enim hic latus est campus, in quo curiosa ingenia sese exerceant, & veritatem, quà potest, indagent. Vide nostram opinionem, ad ann. XX. Longimani. à quo fere Hebdomadas istas producimus ad IV. annum, à Dom. Passione.

CYRVS SOLVS, REX PRIMVS.

MONARCHIA PERSICA.

Hæc II. Monarchia, priùs quidem dicta eſt, Medorũ atque Perſarum, à DARIO MEDO & CYRO PERSA: qui coniunctis viribus, anno antegreſſo, Babylonicum ſubegerant imperium.

Deinde ab obitu Darij, quod regna omnia ad Cyrum, gente Perſam, eſſent devoluta; & eius ſucceſſores, ex eâdem gente, regiam ferè in Perſide fixerint; Perſarum atque Medorum; & tandem magis Perſarum, quàm Medorum, dici cœpta eſt.

Iudæi eum I. Cyri annum dixére (Scal. l. 6.) qui fuit primus ſolutæ captivitatis. Vnde enim, in Patriam remiſſi, primum tempora putarent, quàm ab eo anno qui Princeps fuerit tam exoptatæ eorum libertatis! Itaque & Daniel, quamquam conſenuit in Babyloniâ & Suſianâ; eumdem tamen, cum reliquis Iudæis, primum Cyri annũ intelligit.

Malè itaque quidam ſolutam captivitatem, cum anno primo regni ſive Imperij Cyri, comparant. quo tempore nullum ille in Iudæos imperium habebat. quorum tùm primùm dominus fuit; quum & Babyloniæ: ſive quum Babylonem, & loca cætera, in quæ Iudæorum coloniæ à rege Chaldæorum fuerant traductæ, cepit; & illius tractûs provincias ordinavit. (Niſi probabilius ſit, ab ipſo Dario, per annum quo ſolus regnâſſe videtur, eaſdem fuiſſe ordinatas. Daniel. 6.)

In ſummâ igitur pace, & profligatis bellis omnibus, CYRVS ſolvit captivitatem Iudaicam. Quod & in Edicto ipſe præfari cenſeatur.

(Deus, Dominus cœli, dedit mihi regna terræ.) Quod quidem non niſi extremis imperij ſui temporibus dicere potuit. quùm longitudo imperij eius, ab Indiâ ad Nilum; latitudo, ab Oceano ad Caſpium Mare, pertinebat.

Perer. tamẽ hæc ſic diluere nititur. Regna Mediæ & Perſidis, iam Babyloniorum & Chaldæorum acceſſione amplificata, meritò potuiſſe dici, *Regna terræ:* ob ſui, inter cæteras terras, nobilitatem & præſtantiam.

Et totius apud Danielem Chronologiæ cardinẽ in eo vertiputat, Scalig. ut imperium & Monarchiam Cyri, in anno primo Olympiad. LV. ex Euſeb. & alijs, conſtituat.

Nos autem, regni initium in Cyro; & Imperij ſeu Monarchiæ titulum, aliquot Olympiadibus diſtinguimus. ut regnare quidem apud ſuos Perſas cœperit circiter I. annum Olymp. LV. Sed Babylonem expugnârit anno IV. Olymp. LXI. Et Septem pænè Olympiadum, ſive XXIX. annor. interceſſerit intervallum.

Et quod ille ex Clem. Alex. lib. I. ſtrom. adfert; præter Olympiadum rationem, pro noſtrâ (inquit ille) facit ſententiâ. XXX. (qui nobis eſt XXVII.) poſt Templi Hieroſolymitani exſcidium, anno Cyrum iniiſſe regnum. Quod interpretemur, Imperium; victis & adiectis iam Babylonijs. Neque verum eſt, (ex Cyrillo l. 1. cont. Iulian.) Aggæum & Zachariam prophetâſſe, regnante iam Cyro; quos clarũ eſt ſub Dario Hyſtaſpis, multopoſt, ſuo utrũque vaticinãdi munere, perfunctos eſſe, & floruiſſe.

Cum Iuliano Afric. nos quoque à I. anno Cyri, ſed regno Perſico tantum inaugurati; non autem Monarchæ; uſque ad XX. Longimani, annos illos CXV. numeramus. Vt primus annus Cyri, ſive regni Perſici à Cyro, ex noſtrâ putatione, concurrat, cum anno 1. Olymp. LV. Qui eſt annus O. C. 3393.

Et annus XX. Longimani incidat in IV. Olymp. LXXXIII. annum. Qui eſt O. Cond. 3508.

Quod idem verò Scaliger colligit ex Diod. Sic. & Iuſtino, Ab anno Cyri I. uſque ad V. XERXIS, quo is in Græciam tranſmiſit; qui fuerit I. Olymp. LXXV. annos LXXX. fluxiſſe. ex optimâ, uti vult, regũ Perſicorum Chronologiâ, facilè ex eo corruit; quod XXX. annos Imperij, ſive Monarchiæ, paſſim illi attribuat. cui nos tantùm, (Riberam, ex parte, I. c. in Zachar. Bellarminum, & Hebræos, ſecuti) III. annos à captâ Babylone damus. Et reliquos, ex XXX. (Herod. & Iuſtin. l. I,) XXVII. ſcilicet, antè Chaldaicæ Monarchiæ exitũ, regnãdo exegiſſe dicimus.

Neque ullo modo XXX. anni regni eius, ab expugnatione Babylonicâ, cõputari poſſunt. quum pauculis pòſt annis, ab eâdem captâ, bello, quod adverſus Maſſagetas ſuſceperat, ſit interfectus.

Idem tamen Scal. in Euſeb. Tria Cyri ſtatuit initia. PERSICVM, omnium primum, Olymp. LV. annis XXX. antè eiuſdem mortem.

CHALDAICVM, Babylone iam captâ, annis IX. aut circiter antè obitum eiuſdem.

Tertiũ ASIATICVM, ſubactis Bactrianis, triennio antè mortem. Et hoc ultimo putat Danielem & Eſdram uti; dum vocant, I. Cyri annum.

Fr. Haræus Cyrũ vult regnâſſe XXX. annis. & ex ijs, XXI. antè Babyloné captam, reliquos IX. poſteà.

Euſebium verò, qui Olymp. LV. notet laxatam à Cyro captivitatem Iudæorum: idque ex Eſdr. I. factum primo anno Cyri; falli. Quod ſcriptura ibi loquatur de anno eius primo, poſt expugnatam Babylonem: proximè ante expeditionem Scythicam, in quâ periit. Annum Babylonis expugnatæ facit, CCXIII. V. Rom. Cond. qui concurrat cum LXX. anno (captivitatis) 2. Paral. c. 26. *Donec ſcilicet in Babylone imperaret rex Perſarum.*

DARIO itaque, ſive in Medis, ſive alibi, intrà annum, mortuo. (Daniel. cap. 13. *rex* ASTYAGES (ipſe Darius, ſeu Cyaxares, Aſtyagis ſenioris F. patrio quoque dictus nomine, *adpoſitus eſt, ad Patres ſuos,) regnumque eius Cyrus Perſes ſuſcepit.*

Clauſula illa apud Dan. rectiùs fortaſſe-an initium ſit, cap. 14. & hiſtoria Belis, ad eumdem Cyrum pertineat.)

Et hactenus Servitus Iudæorum, in Babylone, ſub Nabuchodonoſore, & filijs eius: *Donec imperaret rex Perſarum. Vt compleretur Sermo Domini ex ore Hieremiæ* cap. 25. & 29. *& celebraret terra ſabbata ſua.* Cunctis enim diebus *Deſolationis* egit ſabbatum, *uſq; dum complerentur LXX. anni.* (2. Paral. c. ult. & Eſdr. 1. & Daniel. IX.)

Quos

Quos quidem LXX. tàm Servitutis, quàm Desolationis, seu Terræ incultæ, annos; alij à primâ uti diximus, captivitate, sub Ioachino, Iosiæ nepote: Alij, à Templi Vrbisque excidio, sub Sedechiâ, putant.

Nos à XIII. anno ipsius Iosiæ, quo tempore vaticinari eadem cœpit Hieremias.

Inculta autem terra quievisse dicitur; quòd nulli intereà coloni, aut relicti in Iudæâ, aut aliundè submissi fuerint, uti anteà in regno Samariæ erat factitatum.

3420. | Anno itaque primo Cyri, Persarum regis, | 530.

Postquam Babylone, & vicinis latè provincijs iam potitus, Monarcha meritò audire cœpisset, ut ea, quæ Hieremias olim de populo Hebræorum, post LXX. annos, qui tantùm effluxerant, è captivitate liberando, & in integrum restituendo, fuerat divinitus vaticinatus; explerentur;

Deus enim cum regis animum, & arcano numinis sui instinctu; & subornatâ, per DANIELEM sibi carum, LIBRI (quo inter cætera rerum abditissimarum mysteria, ipsum quoque CYRUM iamtum à Deo delectum, ante CCX. annos, prædixerat Isaias; qui amplissimo multarum gentium imperio potens, populum suum è Babylone in Iudæam Patriam, liberum aliquando remitteret, & Templum reædificaret.)

Libri lectione, inquam, ita excitavit; ut per universas regni sui provincias, Edicto palàm professus sit; *Se regna terræ omnia, quæ possideret, uni Domino, Deo cæli, accepta referre. Eumq́; solum*, quem Iudæi in Hierosolymis adorent, Deum & omnium rectorem, *agnoscere. Sibi datum ab eo mandatum*, de Sacra Æde, Hierosolymis, veteri, & regiâ Iudææ urbe, construendâ. *Liberam* denique *se omnibus*, (sive illi verè Iudæi, seu Samaritæ, sive ex aliâ Israelitarum tribu, aut ex adcensis, essent) *qui velint, quique Deum Iudaico ritu colant; dare potestatem*, non sine faustâ adprecatione, illuc *adscendendi.*

Hæc enim tria, totidem penè sententijs, ex illo, quod dixi, Isaiæ vaticinio, excerpta, suo Edicto complexus est Cyrus.

Cap. quidem 44. *Ego Dominus suscitans verbum servi sui, & consilium nuntiorum suorum complens.*

Qui dico Hierusalem; Habitaberis. & civitatibus Iudæ, Ædificabimini: & deserta eius suscitabo.

Qui dico Cyro; Pastor meus es tu, & omnem voluntatem meam complebis.

Qui dico Hierusalem; Ædificaberis. & Templo; Fundaberis.

Cap. verò 45. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, ut subyciam antè faciem eius gentes, & dorsa regum vertam, & aperiam coràm eo Ianuas; & portæ non claudentur. Ego antè te ibo, & gloriosos terræ humiliabo. Ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israel.*

Accinxi te, & non cognovisti me. Ego suscitavi eum ad iustitiam, & omnes vias eius dirigam. Ipse ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet; non in pretio, neque in muneribus.

(Qui namque ex Iudæis, servi erant regis, gratis dimissi. aliorum privatorum servitia, à ditioribus Iudæis redempta sunt. Nehem. 6.)

Adiungit his Esdras, cap. 1. Imperatum cæteris Israelitis, quibus in Patriam redire non luberet; redituritentibus ut auxilio essent; & singuli civibus suis vel pecuniam, vel iumenta commodarent, præter eâ munera, quæ suâ quisque sponte Ædi Deo construendæ dicarent & offerrent.

Ioseph. verò, ex Esdr. cap. 6. addit perscriptum à Cyro, ad vicinos Iudææ, in Syriâ, Satrapas (SISINEN, & SARABASANEM) ut Iudæis, in Patriam revertentibus; & Templum, quo priùs loco, condere adgressis; aurum argentumq́ue, ad fabricam & victimas, conferrent.

Vtque iactis murorum fundamentis, Templum superstrui pateretur, LX. cubitis altum, & totidem latum. τετράγωνον, & Septa comprehendens. Cuius parietum crassitudo ternis è marmore impolito lapidibus, & totidem è lignis novis, (operis intestini vicem) solidè & triplici serie constaret. Sumtus autem ex regijs proventibus suppeditarentur.

LIBERATIO E CAPTIVITATE.

Quûm tàm inexspectato & liberali Cyri regis decreto, suprà Patriæ religionis & divini cultus studium; Principes familiarum, è Iudæâ præsertim & Beniamitide Tribubus; sacerdotes etiam & Levitæ, excitarentur. (Patet tamen, 1. Paralip. 9. multos ex Ephraimis & Manasséis in Patriam cum Iudæis redijsse, & in Hierusalem habitâsse.)

Tum cæteri, quibus redeundi animus, an opportunitas defuerit, parum compertum est, (ait Sever.) partim redeuntis ope & viatico, vasis, vestibus, & iumentis, certatim sublevârunt: partim munera, Templo ædificando, in commune contulérunt.

Rex insuper Vasa ea & ornamenta, quibus Templum Dei in Hierosolymis olim spoliârat; quæque in patriorum Deorum Templis collocârat Nabuchodonosor; per Mithridatem, ærarij præfectum, tradenda curavit & adnumeranda SASSABASARI, Iudææ familiæ Principi. (Sic, ut ait Rupert. prædam, quam Leæna asportârat, Vrsus domum reportavit.)

Ea autem

Ea autem fuere, pollubra seu malluvia, Phialæ & Scyphi, secespitæ seu cultri victimarij. Vasa omnia ad Quinquies mille & quadringenta: quæ Templo iam absoluto, suis quodque locis & usibus, redhiberentur.

Iste autem Sassabasar, est ZOROBABEL, è regiâ stirpe, Salathielis Fil. Iechoniæ pronepos. IOACHIN scilicet XIX. ætatis anno captivus in Babylonem abductus, in ipso exsilio genuit SALATHIELEM (qui al. Sealthiel) qui ut natus, ita mortuus Babylone; Iudæis illic, post Patrem, caput fuit. Hic autem, intermedio, filio Phadaiâ, genuit Zorobabelem (1. Paral. 3.)

Euangelista autem MATTH. cap. 1. Nepotem, ab avo forte-an educatum, eidem, quia Pater obscurus fuerat, uti filium, adscripsit. Esdr. 1. cap. 3. & Aggæum cap. 1. secutus.

Ribera hic contrà; Phadaiam, non filium fuisse Salathielis, sed fratrem, contendit. *Filij Iechoniæ, Asir, Salathiel, Melchiram, Phadaia.* Duos itaque fuisse Zorobabeles; alterum Phadaiæ F. alterum Salathielis.

Ita in Genealogiâ Matthęi & Lucę, alter est ZOROBABEL Pater Abiudi; alter, Pater est Resę. Et tamen utriusque Pater vocatur Salathiel. Sed alter ex stirpe Salomonis; alter, apud Lucam, ex stirpe Nathan, filij David. Vt ibi numerentur Patres Iosephi, S. Virginis mariti; hic maiores ipsius Virginis.

Hic itaque ZOROBABEL, licet iuvenis, annos XVII. natus; quia tamen regio sanguine clarus, & Iechoniæ regis ultimi pronepos; CYRI permissu, Iudæorum, in Patriam redeuntium, dux fuit. A quo ducatu, ZOROBABEL dictus; quia velut abalienaverit, sive abduxerit Iudæos à Babel; antè dictus Barachias; nunc Sassabasar.

RESP. itaque Iudaica, post solutam captivitatem, & in Patriam reditum, per Optimateis administrata, erit Αριστοκρατία. In quâ, summa quædam auctoritas penes Pontifices fuit, usque ad Machabæos, qui & Assamonæi à familia dicti; Principes & sacerdotes. Tandem in ARISTOBVLO revocata regni forma.

Populus tamen ab ipsâ captivitate, fuit sub regibus; priùs Persarum; deinde Græcorum, ab Alexandro, eiusque successoribus. Tãdem sub Romm. ducibus, ad CHRISTVM usque, quando Imperatores successére.

Qui verò, præter L. Mill. exsulum, Zorobabeli comitum, in Babyloniâ, & reliquis Orientis Provincijs, præpostero possessionum & liberorum studio, remansérunt; formam illic Reip. à Persicis regibus redemérunt; præfecto sibi, è familiâ Davidicâ, Principe, quem Αιχμαλωτάρχην, sive caput captivorum & exsulum, vocárunt.

Principes autem, sive XI. Viri, huius Coloniæ, in Patriam deducendæ, præter ZOROBABELEM; fuére, hi.

IESVS, sive Iosue, Iosedeci F. summus sacerdos, (cuius Pater Iosedecus, summus & ipse tũ sacerdos, in Babylone captivus à Nabuchodonosore abductus fuisse memoratur, 1. Paral. 6.) NEHEMIAS, (alius ab eo, qui multo-post muros urbis instauravit.) SARAIAS.

(De hoc sic Perion. Eo Patre, Esdram, Prophetam & scribam, è tribu Leviticâ, natum esse: qui XXX. ferè, post deletam Hierosolymam, anno, captivus, vaticinari cæperit: & unà cum ZOROBABELE, alijsque, Templi ædificandi causâ, sub Cyro, Hierosolymam sit reversus. Esdras ipse Patrem, Azariam, nominat. Visus itaque mihi alucinari Perion. ex 3. lib. Esdræ.)

RAHELAIAS. MARDOCHÆVS, (alius ab eo, qui Esthera patruus.) BELSAN. MESPHAR. BEGVAI. REHVM. BAANA.

Collectâ voluntariorum è Prouincijs Orientalibus multitudine, ad bis & quadragies Mille, Trecentos & Sexaginta; (Ioseph. LXII.) præter servos eorum & ancillas, numero Septem Millia, Trecentos & Triginta septem. Et in ijs psaltas & psaltrias, ad Bis-centum. Singulari omnes inter se animorum & voluntatum concordiâ coniunctissimos.

Inter quos & NATHINÆI, (condonati, sive quibus vita fuerat condonata) hoc est, Gabaonitæ; qui perpetuâ lignationis & aquationis, in Templo necessariæ, servitute damnátes, iamtum à Iosuæ usque ætate, in ritus Iudaicos transierant:

Et Servi Salomonis; hoc est, Alienigenæ. qui non generis iure, sed Legis observantiâ, Iudæis erant insiti; recensebantur.

Et duo quidem genera eorum, quibus obscura aut incerta familiæ origo esset, commemorantur.

Ex uno, Sexcenti Quinquaginta duo, de Thelmelâ, Thelarsâ, &c. qui nec Israelem, ortûs sui auctorem, laudare poterant.

Ex altero, Filij Sacerdotum: qui cum materni sanguinis stirpem Berzellæo Galaaditæ imputarent; tum de Aaroniæ familiæ prærogativâ in dubium veniebant.

Hi omnes ita in Patriam reducti; & solum veteris, in Hierosolymâ, Templi, quod reædificatũ venissent, osculis venerati; postquàm Principes, in re præsenti, votum, quo se damnárant, exsoluissent; hoc est, munera Ædi sacræ excitandæ destinata, auri argentique pondera, & vesteis religiosas; sponte suâ & liberaliter, pro suâ quisque copiâ, obtulissent; in suas singillatim civitates habitatum, & ad aliquantam pro tempore requietem, dimissi sunt.

At posteaquàm mensis iam VII. (anni primi, ab ipso in Patriam reditu; sive ordine VII. à Nisan. qui est Tisri, sive VII. ob Scenopegia, de quibus hic mentio,) appeteret; populus, qui in suâ quisque càtenus civitate paullisper quieverant, & res privatas curárant; ceu quadam insigni animorum conspiratione ad Hierosolyma contendérunt. (Esdr. 3. cap. 5. *Convenérunt in atrium, portæ Orientali obiectum.*)

Et mòx Altari, à Iosue, Iosedeci; & Zorobabele, Salathielis, Filijs, ædificato; & sub divo, ex lapidibus, ferro intactis, (sic ut nulla vi umquam labefactari, locóve demoveri facilè posset) solidè, ob vicinarum gentium terrorem, fundato. Iuge, quod vocant, τῶν ὁλοκαυτωμάτων Sacrificium, quod mane & vespere peragerctur, primo die mensis, inchoárunt. Et deinceps eumdem ritũ, ex prȩscripto legis,

statis

ftam Scenopegiorum, Kaleodarum, aliarumque fe[illegible]um [illegible]ebus, perseverârunt.

Et hæc quidem antè iacta Templi fundamenta.

P[illegible]iâ autem in Latomos & cæmentarios distributâ: & præbitis, suprà annonam, vehiculis ac navigijs, quibus Sidonij & Tyrij, ex regis Cyri mandato, trabes cedrinas, è Libano, in portum Ioppes, transveherent; (quod & à Salomone fact[illegible] tatum antè meminimus) in materiâ, Ædi [illegible]onstruendæ, conquirendâ & adparandâ, incredibil[illegible] studium, sesquianno pænè, posuérunt.

I[illegible]ereâ DANIEL (quem verosimile est suis Iudæis, in hâc domuitionis, sive reditûs procuratione non minimùm commodâsse) pulcerrima oblata [illegible], & gloriæ veri Iudæorum Dei amplificandæ, & eiusdem, in Cyro iam propè initiato [illegible]monis ac venerationis excitandæ.

(H[illegible] enim, quæ consequuntur, sub Cyro accidisse [illegible]rysostom. [illegible]ren. lib. 4. Theodoric. Sulpit. alijque adfirmant, [illegible]cet Perer. probabilius opinetur ea, vel sub [illegible]o Nabuchodon. vel filio eius Euilmerodacho, gesta fuisse.)

Qu[illegible]que Cyro regi, nemo esset Daniele fa[illegible], aut carior, neque maiore in honore aut pretio haberetur: Et rex quidem Idolum Beli. Sulpit. ex ære simulacrum, Beli, anti[illegible] regis, apud Babylonios, superstitione hominum consecratum) Iovis certè Beli Templum à Semiramide magnificentissimè exstructum, Diod. Sic lib. 3. cap. 4. & Herodot. l. 1. commemorant. In quo cum alia Idola, tum Iovis Beli statua fuerit aurea, pedes x l. longa, quæque mille Babylonia pend[illegible]ret talenta, cum cratere ex auro, longè pretiosiore. B. Hieronym. in Oseam, Ninum regem scribit eò potentiæ pervenisse & gloriæ, ut Patrem suum Belum in Deos retulerit.

Et Plin. libr. 37. cap. 10. Belum fuisse apud Assyrios Deorum [illegible] sanctissimum.

Et hæc prima Idololatriæ origo, e c c. à Diluvio an[illegible] ut pleraque Orientalium gentium Idola, ex hoc Belo, qui & Beel, & Baal, appellationem tra[illegible])

Qu[illegible]m hoc, inquam, Belis idolum, rex, An[illegible] Templi, qui vesci Effigiem illam ac potare [illegible]marent; & ipsi diurnam pensitationem (duodenas similæ artabas, hoc est, LX. modios; oves quadragenas, oblonij vicem; & senas vini amphoras seu metretas, hoc est, binos & septuagenos congios. (Perion. malè sextarios) quæ Idolo in Templum palàm inferebatur; clàm absumerent; eorum præstigijs & dolo illusus; quotidiano cultu venerari, solitus esset.

DANIEL verò, qui vel palàm Deum suum colebat, à Rege, qui id animadverterat, caussam rogatus, Quid ita Belem secum non veneraretur? intrepidè respondisset; *Sè nequaquam simulacra, manu & opere hominum facta, veneratione dignari; sed Deum vivum, qui cœli & terræ procreator, & universorum rector esset. Neque enim Belem vivere: neque statuam, quæ intrà*

lutea esset, extra ærea, hoc est, brutam insensamque omnino materiem, cibo usum esse umquam aut potu. [illegible] verlari, qui dicer[illegible]

Atque eapropter rex irâ incensus, Belis sacerdotes, LXX. ad se arcessiri iussos, [illegible] minis ita [illegible] repræsset; *Nisi indicarent, quisnam ea, quæ Beli quotidie tam impensè adpon[illegible]bantur, consumeret; morte esse luendum. Sin Belem esse docerent; Danieli, qui petulanter in eumdem dixerit; parem mortis conditionem manere.*

Eâque conditione, à DANIELE & Sacerdotibus vicissim acceptâ, rex in Templum venisset. hi quidem, parato dolo confisi, quò res esset testat[illegible] depo[illegible]cunt, ut se digressis, esculenta & poculenta, de more, inferantur & adponantur: & fores sacrarij occlusæ, regio etiam annulo obsignentur. Et nisi rea postridie absumta à Bele omnia deprehenderit; ipsi morte luerent. Compertâ autem veritate, in DANIELEM, calumniæ convictum, exemplum ederetur.

Hæc illi confidentiùs, quòd subter mensâ, in quâ omnia illa adponebantur, cuniculos quosdam in Templo fecissent, per quos ingressi noctu, cum liberis & uxoribus, adposita devorare hactenus soliti essent.

Cuius doli gnarus DANIEL, illis iam digressis, & cibis ritè adpositis, antequàm fores occluderentur & signarentur; pavimentum sacrarij cinere percolato, coràm rege, conspergendum curavit. ut introëuntium occultos aditus vestigia proderent.

Primâ itaque luce, regem, veri comperiendi caussâ, ad Templum euntem, secutus est DANIEL. Quumque ille, & signa salva; & apertis fenestris, mensam vacuam adspexisset: atque adeò magnum Deum esse Belem, eumque dolo & fraude expertem exclamaret; subridens DANIEL, regem ulteriùs introire volentem cohibuit; mo[illegible]uitque, ut antè animadverteret, quorum vestigia sint, quæ in cinere impressa cernantur.

CYRUS, qui virorum, mulierum, & puerorum, qui nudis pedibus ingressi essent, illa esse videret; & fraudem iam, non sine indignatione, olfaceret; acciri & comprehendi iussos, unà cum mulieribus & liberis, sacerdotes, minis, ut dolos referrent suos, adegit.

Qui confestim subterraneos meatus, per quos noctu ingressi dapes adpositas devorâssent, patefecerunt: & ex conditione, quam ultrò acceperant, morte mulctati sunt.

DANIEL contrà, Belis simulacrum & Templum, à rege in potestatem sibi traditum, evertit & dissipavit.

Quùm verò ibidem Draco esset miræ magnitudinis, quem, instar Numinis, Babylonij publicè venerarentur. (Pherecydes Syrus scriptum reliquit, Dæmones è cœlo deturbatos à Iove fuisse, quorum Princeps dictus sit Ophioneus, hoc est, Serpens, aut speciem Serpentis præferens. Et Diabolus certè ex primore quasi instituto, fraudis primigenis hominum parentibus, sub eâ facie, ulm intentatæ,

intentatæ frequens exinde ipse ministerio serpentum ad ludificandos homines, variè abusus proditur.)

Hic CYRVS caussam invenisse ratus est, cur Danieli eumdem necessariò colendum persuaderet. Propterea quod viveret: & ille exanime Belis simulacrum colere anteà recusâsset.

Verùm is eâ de re à rege interpellatus, respondit liberè; *Se, Deum suum, qui vivus esset & immortalis, colere: Draconem verò, istum, non modò non esse Deum viventem; sed etiam à se, qui homo esset, sine gladio aut armis,* (potestas modò detur) posse vitâ privari, sive interfici.

Datâ itaque à rege potestate, offam, ex pice & adipe, pilisque, simul coctis, in os Draconis ingessit. Quo statim dirupto, DANIEL Babylonijs insultans, Deum istum, quem tàm eximiè coluissent, exprobravit.

Babylonij contrà, hâc ex re pænè ad insaniam adacti, universi clamare; Regem degenerâsse in Iudæum, qui Belem diruisset; Draconem interfecisset; Sacerdotes morte multâsset. Factoque ad eum concursu, minari, ni Danielem sibi traderet; & ipsi mortem, & familiæ exitium.

Quibus ille minis coactus, & graviorem motum veritus; DANIELEM eorum libidini dedidit. Eumque ipsi in Lacum Leonum proiecérunt.

Sex ibi ille diebus fuit: quibus intereà nihil cibi Leonibus VII. præbitum est. Cum anteà bina quotidie cadavera (eorum fortè, qui ob noxam damnati essent) totidemque eis oves dari solitæ essent: quò obiectum reum avidiùs devorarent.

Erat eâ tempestate quidam fortè Propheta, nomine ABACVCHVS (alius ab eo, qui sub Ezechiâ, aut Manasse, floruit) unus ex ijs agricolis & vinitoribus, qui à Chaldæo rege, post exscidium, in Iudæâ, sub tributo, relicti: quive ex Ægypto, post cædem Godoliæ, eòdem fuerant reversi.

Is quùm coctam pultem, intritumque panem, rus, ad messores, (Virgil.

-- *rapido fessis messoribus æstu,*

Alia, serpyllúmque, herbas contundit olenteis,)

Quibus, adpetente aut adultâ potius messe, hordeum, quod post reditum sevisset, demetendum colligandumque locaverat; in prandium deferret. ab Angelo Domini, id, quod in promtu haberet, iussus est ad Danielem, qui Babylone in foveâ Leonum esset; deportare.

Et quòd is se Babylonem numquam vidisse, aut foveam scire, negaret; apprehensus ab Angelo capillis, concitatissimo spiritu, Babylonem transportatus; & ad os foveæ collocatus est. Indè ille Danielem nomine compellans, de prandio, quod ad ipsum Deus mitteret, commonefecit.

Qui, laudato Deo, quòd omnium eorum, qui in ipso spem collocarent, haud unquam immemor esset; & actis pro eiusmodi beneficio gratijs, simul atque prandium, ex manibus Vatis sumtum edisset; baiulum Angelus puncto temporis in eumdem, undè abreptus fuerat, Iudææ locum reportavit.

Septimo autem die, quum rex ad foveam, lugendi Danielis caussâ, venisset; & ex-insperato eum salvum atque incolumem, ibi inter leones sedentem, adspexisset; magnâ voce inclamavit: *Magnum esse Dominum, Deum Danielis.* Eoque ex lacu extracto; omneis eos, qui intentati exitij auctores fuerant, in eamdem foveam coniecit: & subitò à leonibus devoratos conspexit.

3420.	Hoc eodem anno, regnat L. Tarquinius superbus, VII. & ultimus Romm. rex, annis XXV. Qui interfecto Serv. Tullio, non ex legibus, sed armorum vi, Principatum inierat, anno IV. Olymp. LXI. De hoc, & de reliquis, Vid. Tractat. peculiarem, de Regibus Romm.	530.
3421.	Anno altero, postquam Iudæi in patriam, Templo reædificando, regressi essent; & materiem undique eâ fini comportandam curâssent. Mense II. (quo Sol iam Taurum permeabat, quique nobis Aprilis est) Principes populi, quos dixi, cum reducibus, Templi fundamenta iacere cœpérunt; LEVITIS operi urguendo præpositis.	529.

In quo dum toti sunt; & cœpta fabris procedunt; sacerdotes stolati tubis, & Levitæ cymbalis, solenneis Deo laudes, inter lætas Iuniorum congratulationes; & teneros Seniorum, adhuc magnificentiæ veteris Templi memorum, fletus; decantârunt.

Quâ rei novitate perculsi Iudæorum hosteis, (Ioseph. Cuthæi, seu Samaritæ) & ab ijs, qui quodam quasi postliminij iure in patriam, ex Babyloniâ servitute, à Cyro restituti essent, Templum reædificari, compertum habentes; primum dolis, blanditiê quadam conditis, cum Principibus populi agere cœpérunt.

Et se, qui ex eo tempore, quo novi coloni, è Media & Perside, in vacuas Israelitarum sedes ab Asar-haddane (al. Asbazaret. Ioseph. Salmanassare) rege Assyriorum, tradnducti fuerant; communem cum Iudæis Deum, & agnovissent, & victimis rite immolatis coluissent; in sacræ ædificationis partem admitti postulârunt.

(Asar-haddon iste, cuius hic mentio, multis post Salman-assarem annis, novas in regionem Israelitidem colonias transmisisse videatur; veritus, ne pòst cladem à Patre, dum Hierosolymam obsidione premeret, acceptam,

Iudæi,

Iudæi … ecclesiis, ubiq… opportunitas, regiones inuad…

Qui … autem im… nis istis sollicitatoribus mode… a prin… Hebræis responsum esset; *Sibi se … a rege Cyro datam esse excitandi Templi potestatem*; … illsque auctoritatem defugere non posse. Ill… inde, ex invidiâ, in omnem turbandi operis occa… em intenti, non modò per se vim & terrorem æ… bus iniecérunt; sed regios etiam consiliarios, Transeuphratensium regionum Satrapas, quibus Cyrus Iudæos, eorumque institutum commendárat; & ut sumtus, ex annuis regis proventibus, in ædificationem præberentur, imperârat: pecuniâ corruptos, abalienarunt; & Cyri, qui alijs tum negotijs, & longinquo fortasse-an adversus Massagetas, bello, quo mox perijt, distractus esset; beneficium, ad DARII usque regnum, aut eluserunt aut impedivérunt.

3422. Anno III. Cyri Persarum regis, (sive is Babylone adhuc moram traheret; sive Bactrianorum & Massagetarum bello tunc peregrè implicatus esset.) 528.

DANIEL qui tum XCIV. annor. fuisse putatur, licet ex populi Iudæi, in patriam, rege indulgente, ante biennium reditu; & cœptâ iam-tum Templi, in Hierosolymis reædificatione; lætitiam capere, & apertè te re posse videretur. tum ob effrenatum tamen & contumax, in plerisque Iudæis, tanti à Deo & rege beneficij contemtoribus; & in peregrinâ agrorum & caducorum bonorum possessione defixis, ingenium. Tum ob finitimorum & acerrimorum hostium malignitatem, qui opus Templi cœptum interpellasse; & CYRUM non-nihil alienasse, nuntiarentur; vehementer animi angebatur.

Ad quæ accedebat Visi superioris, de ANTIOCHO EPIPHANE, qui Iudæos crudelissimis cladibus esset olim vexaturus, memoria. Et ab Angelo prædicta eorumdem Iudæorum perfidia & cæcitas, quâ ipsum tandem MESSIAM morte ignominiosâ adfecturi; & ob tantum scelus, Deum à se aversum essent æternùm habituri.

Ei itaque, post continentem trium hebdomadarum luctum, & perpetuum totidem diebus ieiunium, quo à cibis delicatioribus, carne & vino, sese ipse abstinuisset; neque ullis, munditiæ caussâ, unguentis intereà usus esset: haud procul à ripâ Tigridis, XXIV. I. mensis, qui Nisan, die. res quædam, veritatis & diuinæ potentiæ plena, per visum obiecta est. cuius interpretationem & intelligentiam mente perspexit, & paullatim comprehendit.

Elatis ille in altum oculis, *visus est sibi videre virum*, Angelum virili forma, quem plerique Gabrielem fuisse volunt) eoque corporis totius habitu, ut magnam præ se ferret maiestatem, cuius terrore ipsum, sociosque compleret; & Angelicæ naturæ excellentiam adumbraret. Qui *veste lineâ & pellucente amictus, & lumbos auro obryzo accinctus; corpore*, chrysolithi in modum, *scintillaret: facie, fulguraret: oculis, lampadis ardorem. & brachijs, cæterisque*, ad imos usque pedes, *membris, æris candorem, preferret. Cuius denique vox, confusum & promiscuum turbæ cuiusdam sonitum æquaret.*

(Quæ omnia, innocentiam & puritatem, Dei amorem & intelligentiam, immortalitatem, gloriam, claritatem, robur & celeritatem, scientiæ copiam & cæteras dotes, Ætherijs illis mentibus peculiares, pio Vati repræsentabant.)

Hoc autem Visum solus DANIEL, cuius comites præ immodico terrore, & insolitæ vocis novitate, perculsi sese abdidissent; oculis conspexit. Sic tamen, ut ipse præ insolenti & terrifico Angeli lucidissimi adspectu, & contentæ vocis horrore; vultu in pallorem dato consternatus, & toto corpore debilitatus, & in faciem prostratus, humi iaceret. donec manibus genibusque enitentem, manus quædam à terrâ eum attolleret; & animum recipere; atque ad ea, quæ porrò dicerentur, attendere iuberet.

Se à Deo, cui gratus ipse & acceptus esset. *missum; & procinctum ad iter fuisse, ex eo die, quo primum se voluntariâ inediâ macerare, Deiq; opem implorare cœpisset*: quo puriorem diuinæ in posterum, de Iudaici populi statu, voluntatis intelligentiam hauriret. Iam-tum enim & Deum fuisse exoratum; & ipsum sui voti, non sine Angeli intercessione, compotem factum.

At enim, hinc quidem ex Angelis unum, (cui, uti præsidi, Persarum provinciæ salus & tutela concredita esset) *sibi apud Deum*, gravissimarum in cœlo controversiarum arbitrum, *XXI. illis diebus, gnaviter repugnâsse.*

(Vel quod censeret, Iudæis, pro tempore nondum satis expiatis, servitutem, quàm præposteram libertatem, ad resipiscendum, esse conducibiliorem. Vel quòd de Persis quàm-plurimi, ex religiosâ secum Iudæorum consuetudine, ab impietate, ad castum Dei cultum, descivissent; maximè interesse, ut multi ex Iudæis, ceu pietatis novellæ altores ac magistri, in Perside retinerentur.)

Inde verò, Michaelem, Archangelum, sive Angelorum, qui gentibus & regnis præsident, principem; atque Hebræi universè populi custodem, seu tutorem; *subsidio venisse*, & caussæ suæ esse patrocinatum.

Qui à Deo, eiusque Vatibus, antè promissæ, de Iudæis in libertatem aliquando adserendis, fidei constantiam exigeret. Neque paria esse momenta ostenderet; cum emolumenti eius, quod Persæ ex Iudæorum contubernio caperent: tum detrimenti, quod, per tam diuturnam profanæ gentis societatem, Iudæis importaretur. Adeò omne pænè pristinæ religionis & virtutis lumen, tot annis, & peregrè, in ijs esse exstinctum.

Ex Iudæis quidem, plerosque etiam-num sceleratos esse, & in Deum contumaceis; at non paucos tamen vitæ sanctimoniâ & probitate esse præstanteis, Deoque hoc nomine caros. & in cæteris, DANIELEM. Cuius tam teneris lacrumis, ieiunijs, precibus, & votis assiduis, hanc gratiam & mercedem à Deo repertam oporteat.

Vt denique præsenti libertatis beneficio indigni sint Iudæi; Messiæ tamen ipsis qui olim ex ea gente, inque patrio eorum solo, humanam carnem sit adsumturus; & æternæ libertatis ac salutis auctor futurus; hoc omne, quod in præsentiâ petitur, & controvertitur, esse condonandum.

Se verò, aiebat, *relicto ibi Michaële*, qui cum principe, quem dixi, Persarum contenderet, & Iudæorum caussæ suffragaretur. (al. Se remansisse, apud Persarum regem, Cyrum, ne fortè is à Iudæis, quos libertate iam donarat, per calumnias abalienaretur.) *venisse ad Danielem, ut ipsum ea, quæ consecuturis sæculis populo Hebræo essent eventura, doceret.*

Quumque ille deiecto in terram vultu, priùs obticeret, & mox côtactis ab Angelo labijs, in querelam prorumperet: *Se viribus destitutum, & toto corpore debilitatum, vix spiritum ducere*: miniméque ab animo comparatum esse, ut arcanorum istorum auditionem acciperet.

Deinde animo bono esse iussus, & sibi restitutus; *preces Deo ratas fuisse*, & cæteri summam mandari, quæ scripto hic comprehensa non esse videatur. nisi ex consequenti capite totum id elici posse censeamus) *ex eodem intellexit*. plura & uberiora proximè cogniturus.

Sibi namque in præsens eòdem, unde venerit, redeundum. ut aduersus illum Persarum principem, qui Iudæorum liberationi & reversioni, impedimentum uteretur offerre; amplius decertaret.

In ipso siquidem *articulo, quo à conspectu Dei ad ipsum digressus esset, obviam sibi factum Græcorum*, sive Macedonum, *principem, qui litem Persico* illi principi *intendere; & ut imperium à Persis, ad Græcos*, gentem suę fidei commissam; atque à pietate alijsque virtutibus, præstantiorem; *transferatur; apud Deum procurare* constituisset.

(Hosce duos Angelos, Rupertus malos Genios fuisse putat, qui iam-tum utramque gentem implacabili odio, unde bella mox funestissima, inter se commiserint.)

At quum res adhuc incerta sit, & controversa; *mox tibi*, addebat ille, *renuntiaturus* sum *ea*, quæ mihi cumquem *Deus futura prædixerit, tibiq; enarranda præceperit.*

Mihi namque, & tuâ & tuorum caussâ; *tam enixè adlaboranti, nemo, præter Michaelem*, vestræ gentis custodem, *socius est, aut adiutor.*

(Tam aversas esse, in cæteris cœlestium Principum ordinibus, voluntates, & populo Iudæorum in Deum contumaci, inveteratisque flagitijs cooperto, infensas!)

Angelus autem (vel è-vestigio reversus; vel cæptum sermonem persequens. Licet B. Hieron. hæc *Ego autem &c.* cap. 11. ipsi Danieli tribuat. Qui scilicet, quùm everso Chaldæorum imperio, in potestatem Darij Medi, cum reliquis Iudæis, ex iure victoriæ, devenisset; propterea-quod rex ille eximiâ benivolentiâ & gratiâ se suamque gentem complecteretur; enixè Deo supplicârit, ut regnum eius diu multumque corroboraretur.)

Iam-tum, inquit ille, Ab anno I. quo rex Darius Medus Chaldæorum imperium potitus esset; *novum eius regnum suis apud Deum precibus com-*

mendâsse, quo magis magisque id stabiliret. ob insignem in eo rege animi erga Iudæos beneficentiam.

Danielem verò animo esse attento iussit ad ea, quæ ipse à Deo edoctus, & ei explicare iussus esset. *Fore namque, ut post Cyrum, III. præterea reges in Perside exsurgant.* (Cambyses F. Smerdis magus, cum fratre; & Darius Hystaspis. Et hoc postremo genitus, *quartus* ordine, (Xerxes.) *divitijs & opum magnificentiâ cæteros supergressus*, & eâ re præfidens, *totius sui regni & federatarum gentium vireis, in regnum Græciæ concitaturus*; & tam innumerabilibus copijs, tamque horribili belli terrâ marique tempestate eos vexaturus sit; ut implacabile utrique in gente odium, atrocissimorum subinde inter se bellorum seminarium, posteris relinquat.

Donec post aliquam-diuturnum aliorum ibidem regum, longè imbecilliorum, imperium; *exoriatur è Græcis rex strenuus*, (Alexander Macedo) & veterum iniuriarum memor, vicinis in Europâ longè latéque sibi subactis, *in Asiam transmittat*: & quasi pro animi sui lubidine, & fortunæ perpetuùm sibi prosperæ nutu, res difficillimas quasque & adgrediatur, & conficiat.

At postquam ille ad summum gloriæ, fælicitatis, potentiæque fastigium adscenderit; ac de Persis, & de totius penè Orientis gentibus, triumphârit; *repentinâ morte exstinctus, & herede orbus, regnum tam gloriosè partum & amplificatum*, in IV. cœli plagas *diffcindendum*, non liberis aut agnatis; sed *alienis*, nullaque sanguinis necessitudine sibi coniunctis, *successoribus; sit relicturus.*

(Ex quibus PTOLEMÆVS, Lagi F. Ægyptum, ad meridiem: ARIDÆVS, qui & Philippus; & deinde CASSANDER, Macedoniam, ad Occasum: ANTIGONVS, Asiam & Pontum, ad Septem-triones: SELEVCVS Nicanor, Syriam & Babylonem, ad Ortum; sibi quisque vindicent.)

Quod quidem ita distractum, non modò protinùs ab illo pristinæ amplitudinis splendore degeneret; sed intestinis etiam, Ducum illorum, inter se dissensionibus, & alternis cladibus, dissipetur. Et ab alijs Barbaris, idem, in provincijs (Cappadociâ, Armeniâ, Bithyniâ, Bosphoro Parthiâ, Bactriana) diripiendis, sibique adserendis; exemplum secutis; paulatim deteratur.

S. Scriptura, duos tantùm hîc attingit Alexandri successores. quòd Iudæa, (cuius potissimùm ratio habetur) Syriam ab Aquilone; & Ægyptum ab Austro, spectans; nunc ab huius Lagidis: nunc ab illius Seleucidis, regibus; teneretur: & ceu navis, utrimque fluctibus; nunc secundis, nunc adversis; inter varios regum & victoriarum casus; agitaretur.

(Quæ consequuntur, licet ad consecuta tempora, post Alexandrum, pertineant; ob Danielicę tamen prophetię præsentem interpretationem, hic continenti serie, ceu res gesta, pertexentur.

Inter cæteros verò, I. Ægypti rex PTOLEMÆVS Lagi F. prudentiâ, fortitudine, divitijs & rerum gestarum gloriâ, regnique amplitudine, emineat.

(Quem Rhodij Soterem nominârunt; quod auxilio

adipsos adversus D... Iudæi & ..., quantumvis priùs, Hierosolyma, per ... Sabbat & ... orum, circumventa, in lemen... ab eo fuissent tractati; d... nc ... ps humanissimum, & erga se liberalissimum regem sunt experti.)

Ex cuius tamen libens, natu postremus ... Berenice; PTOLEMÆVS, PHILADELPHVS opum & ... magnificentiâ; insigni rerum bellicarum, re... mari que adparatu ... litteraturæ ... ; & rarâ exquisitissimæ bibliothecæ; & hagiographorum, apud & per Iudæos, librorum, Interpretationis, celebritate; & singulari, ... in eosdem Iudæos, quos liberos ex Ægypto ... militum in Templi Hierosolymitani ... d amplissimis donarijs exornavit, pietate; ... patrem, futurus sit clarissimus.

Quùm ... hunc nihilo minus, eo quod fratres duos, ... fama erat, ..., è medio sustulisset; MAG... quidam, (al. Agas) Cyrenæorum rex, eiusque ... ANTIOCHVM THEON, III. Syriæ regem Seleuci ... N..., ex Antiocho S... re, n... ; suum ... ex Apame, ux..., ... concitâsse, ... us, quod Seleuco, avo, cum Ptolemæ... fœdus ..., ... abrumperet; & in Aegyptum cum exercitu invadere; persuasisset. Id... ille paratis iam copijs facere moliretur: à PTOLEMÆO, qui celeriter & vicissim, missâ in Syriam militum manu ... regionē, ab summo & imo, infestabat; ... est.)

Post atrox autem & diuturnum aliquot annorum bellum; quùm concordiam inter se reges constituere decrevissent; PTOLEMÆVS, filiam Berenicen, ceu quoddam concordiæ stabilimentum; ANTIOCHO ill..., qui iam ex priore coniuge, LAODICE, filios, SELEVCVM CALLINICVM & ANTIOCHVM HIERACEM, sustulerat, cum amplissimâ dote, nuptui elocavit. Quam, quòd ... pro legitimâ regni consorte ..., pellicis loco, habere primùm iactaret Laodice, præ pristini amoris impotentiâ, priorem ... liberis in gratiam regiamque recepisse; ..., quæ inconstantem in viro animum suspectaret, veneno interemptus est.

Illa ... Ægyptia dico, in regiæ fortunæ statu, apud Syros, (sublato marito, sui amante) haud diu perstitit: sed ... cum filio tenello, quem ex Antiocho recens susceperat; cumque suo comitatu, exterminata, & mox morti dedita est.

SELEVCVS namque Callinicus, qui patri successerat, matre hortante, novercam, Daphnæ, suburbano Antiochiæ, in Asylo se concludentem; antequam ... auxilia advenirent, dolo circumventam & deditam, cum prole, trucidavit. Quod facinus, & infamiæ ei maculam inussit; & PTOLEMÆVM EVERGETEM, reginæ fratrem, (al. patruum) in bellum adversus se concitavit.

Ille namque, quùm periculo sororis excitus, relicto regno, cum omnibus viribus (licet serò) advolâsset, magnis mox cum copijs, in Syriam, Callinici provinciam, ingressus; totâ ditione Transeuphratensi, & universâ propè Asiâ, potitus est.

Civitates namque, tam indignæ fortunæ, & obsessæ cum filio Berenices, casum miseratæ, auxilia ei miserant. & post cædem, ingenti classe comparatâ, à Seleuco defecerant. Et repente crudelitatis exemplo exterritæ, simul & in ultionem eius, quam desolatum iverant, Ptolemæo se tradiderunt.

Tantum vel Seleuco odium, parricidale scelus; vel Ptolemæo favorem, sororis indignè peremptæ mors, attulisse censebatur.

Domesticæ verò seditionis metu, revocatus in Ægyptum PTOLEMÆVS, qui iam totum Seleuci regnum occupaturus videbatur, rapiens abducensque omnia, Deorum etiam patriorum simulacra, & vasa pretiosa, ad ... mille Quingenta, & in ... illa, quæ CAMBISES olim victor, ex Ægypto, in Persas transtulerat: & quadragies mille auri argentique talenta; secum reportavit.

(I... p. lib. post. adv. Appion. Hunc tradit, non Dijs Ægyptiorum sacra epinicia immolâsse; sed in urbe Hierosolymorum, præsentem, hostias Deo, ritu Iudaico, obtulisse; & præclara victoriæ ornamenta ibidem dicâsse.)

SELEVCVS à civitatibus, quas odio eius ad Ptolemæum transijsse diximus; post classem, quam adversus se instruxerat, tempestate & naufragio amissam; subitâ misericordiâ mutatus, in imperium restitutus; dum bellum Ptolemæo iterum inferret, prœlio victus, & à suis destitutus, Antiochiam confugit. Et pace tandem cum victore in annos x. factâ, à fratre ANTIOCHO HIERACE (cuius auxilium magno redemerat) bello ancipiti est lacessitus.

(Hinc illa, eod. cap. 11. Ipse PTOLEMÆVS superior ubique futurus est *rege Aquilonis*, Seleuco, & impunè *in eius regnum grassatus*, victor domum *revertetur*.

Seleuci huius filij, SELEVCVS CERAVNVS, & ANTIOCHVS MAGNVS, spe victoriæ; & parentis, tot bellis agitati, & regno Syriæ exuti, ultione provocati; armis adversus PTOLEMÆVM PHILOPATOREM, (qui scilicet ad necem utriusque parentis, fratris etiam cędem adiunxerat) correptis; magnos hinc inde exercitus coëgérunt.

Et Seleuco, qui iam Taurum montem cum copijs suis adversus Attalum, Eumenis Bithyni F. (al. fratrem) transcenderat, per dolum interfecto) ANTIOCHVS etiamdū impubes, imperiū Asiæ adeptus, & veteri regnorum inter se odio stimulatus; repentino bello, & copijs turbinis in morem diffusis; tum pugnâ secundâ Ptolemæi duces profligavit; tum Theodoti Aetoli proditione, plerasque inferioris Syriæ urbeis reciperavit.

Eoque audaciæ provectus est, ut contemtâ regis Philopatoris luxuriâ (cuius iam milites iuxtà ac præfecti, corruptissimos regiæ omnis mores secuti, depositis militiæ studijs, otio & desidiâ soluti marcebant) ipsam Aegyptum bello adgredi & tentare non reformidaret.

Rex verò Aegypti, PTOLEMÆVS, hâc audaciâ vicissim irritatus, & velut è veterno excitus, licet initio trepidârit; & legationibus missis, quoad viteis pataret, Antiochum moratus sit; magno è Gręciâ exercitu conducto, (in quo ultra LXX. peditum, & V. equitum millia, fuerint, præter elephātos) castra haud procul Raphiâ urbe metatus est. Et cum Antiocho, à paribus pænè viribus instructo, pugnâ diu ancipiti dimicans, victoriam, quamvis non incruentam, reportavit. Et populis certatim sese dedentibus; Raphiam, aliasque Syriæ civitates recepit.

(*Hic annus fuit Olymp. CXL.* Et lib. 3. Machab. memoratur, ARSINOEN, Ptolemæi sororem, in ipso prælij ardore, milites ad gnaviter agendum, præmijs promissis, egregiè animasse.)

Isto rerum successu elatus PTOLEMÆVS, & in pristina Syriæ possessione acquiescens, (qui si fortunam virtute iuvisset, toto regno hostem suum spoliare facilè potuisset) factâ cum Antiocho, id deprecante, pace; avidè quietis materiam arripuit: & in luxuriam revolutus, hostem denuò & paullatim sivit invalescere.

Ipse namque contemtâ iterum Philopatoris ignaviâ, (qui Eurydice uxore, eâdemque sorore, occisâ, Agathocliæ psaltriæ meretricis illecebris; & infamibus Agathoclis, fratris eius, amoribus captus; omnemque nominis ac regiæ maiestatis magnitudinem oblitus; noctes in stupris, dies in convivijs, consumeret) incredibilem ex supernatibus Babyloniorum regionibus exercitum coëgit. Et aliquot annis pòst, mortuo iam Philopatore; & spretâ parvuli filij eius, PTOLEMÆI EPIPHANIS, quem quinquennem ex Eurydice sorore, in spem quidem regni reliquerat, sed domesticis inusitatâ potestate armatis, ceu prædam aut ludibrium obiecerat) ætate; Ægypto in suam ditionem redigendæ animum adiecit. Et rupto fœdere, in Phœnicen, & Syriacas Ægyptij iuris civitates, invasit.

Initaque cum PHILIPPO, Macedonum rege, pactione, rebellantibus iam-tum in Agathoclem Ægyptijs; urbeis, regno quisque suo, opportunas, ex Ptolemæi ditione decerpere, & subigere sunt moliri.

Verùm intereà dum ANTIOCHVS cum Ptolemæi ducibus confligeret; Iudæi, utrique regno, Syriæ & Ægypti, interiecti, in contraria studia distrahebantur: alijs in Syrum, alijs in Ægyptium, proclivioribus.

Permulti ex ijs, qui duce ONIA sacerdote in Ægyptū confugerant; & ibi violatâ lege Mosis, templū, Hierosolymitano æmulum, in quo victimę Deo immolarentur, exstruere fuerant adgressi; inani arrogantiâ iactabant: Se eâ re Isaię vaticinium (cap. 19.) quod ad CHRISTI Domini adventum, & Evangelicæ legis tempora pertinet; explere. Verum id opus, ut impiè susceptum; ita infeliciter auctoribus vertit ac successit. Vibe, in tractu Heliopolitano, cum Templo, aliquot pòst sæculis, sub Vespasiano, vastatâ.

ANTIOCHVS autem munitissimâ quæque Syriæ opida, iactis aggerum molibus, expugnavit. Et SCOPAM (quem Ptolemæus Epiphanes magno cum exercitu in Cœlen-Syriam miserat: quique iam, in cæteris, Iudæos, gentem Syro faventiorem, subegerat) ad Paneadem, haud procul Iordanis fontibus, prœlio congressus, profligavit. Eumque, cum X. armatorum millibus, Sidone conclusum & obsessum, (frustrà ad eum liberandum missis, ÆROPO, MENOCLEA, & DAMAXENO, inclytis ducibus) ad famem & deditionem adegit. Et præsidium, quod ille in Arce Hierosolymitanâ collocârat, Iudæis ultrò se dedentibus, & impigrè auxilium ferentibus, oppugnavit.

Deinde, non contentus tot urbium & regionum, Syriæ, Ciliciæ, Lyciæ, Samariæ ac Iudææ, reciperatione; vireis & arteis ad parandam sibi totius Ægypti possessionem, convertit.

Quum namque Alexandrini à morte regis Philopatoris, initâ in Agathoclem & sororem, imperium occupare conantes, conspiratione; & edito in meretrices supplicio, regni velut infamiam expiâssent. Et eiusmodi turbarum, & teneræ in rege herede ętatis opportunitate, inductos, PHILIPPVM Macedonem, cum ANTIOCHO, regnum spe devorâsse, & inter se divisisse, intellexissent; Legatos Romam, ut pupilli tutelam, ex testamento patris, ipsi susciperent, oratum, miserant.

Et Romani, missis vicissim legatis, Antiocho & Philippo, ut Ægypti regno abstinerent, denuntiârant. & M. LEPIDO negotium dederant, ut tutorio interim nomine regnum pupilli administraret.

Atque adeò, Antiocho, legatorum (qui omissâ pupilli personâ, civitates Asiæ, quæ iure belli, quod adversus Philippum Macedonem gesserant, iam populi Rom. factę erant; restitui in integrum extemplò iuberent) mandata spernenti, bellum apertè indixerant.

ANTIOCHVS, belli à Romanis metu, cum alios ex finitimis regibus ARIARATHEM Cappadocum, & EVMENEM Pergamenorum) adfinitatibus secum coniungere, aut pari potiùs ruinâ involvere, studeret; tum huic Ptolemæo, quem bonâ fide demereri, ut belli socium, simularet; filiam Cleopatram, formâ eximiam, despondit, & nuptum tradidit: Cœle-Syriâ cum Iudæis & Phœnicibus dotatam. sic tamen ut communia inter reges, ijsdem ex regionibus essent vectigalia.

Sed detecto dolo, Antiochus suâ spe excidit: Ægyptio, belli adversus Romanos, optimè de se merenteis, societatem defugiente; & Cleopatrâ sui potiùs mariti, quàm patris parteis tuente.

Quùm hâc igitur viâ occupandæ Ægypti consilium non successisset; ille viribus in Asiam conversis, & navali certamine prosperè dimicans, multis ex ijs, quę Asiæ adfines sunt, Insulis, (Rhodo, Phocæâ, Samo, Colophone, Eubœa) potitus, viâ iam sibi quasi munitâ, in Gręciam, Thraciamque pervasit.

At, qui multarum gentium principes magnis cladibus & probris adfecerat; idem bello in Græciâ, in Asiâ, terrâ marique, adversus Romanos infeliciter gesto; maiore ignominiâ (regnis Asiaticis excedere, & tributum ingens pendere iussus) mox multatus est.

Victus namque, & intra Taurum regnare permissus; quùm inde in Apameam & Susam, remotissimas regni sui urbeis, penetrasset, (sive inopiâ pecunię compulsus; sive sub specie, tributariæ necessitatis excusatiùs sacrilegia commissurus) admotis de nocte copijs, Templum Beli, sive Iovis Didymæi, apud Elymæos, spoliare adgressus, & concursu incolarum, cum omni militiâ, interfectus est.

Huic suffectus F. SELEVCVS PHILOPATOR.

TOR, infracto planè ob paternarum cladium, & impositi sibi tributi memoriam; & degeneri, nihilque regiâ maiestate dignum spirante, animo; non modò nihil præclare gessit, sed extrà omnem prœlij aleam, à suis, (Appian. HELIODORVM nominat. fortè-an eum, cuius l. 2. c. 3. Machab. fit mentio) contemtissimè trucidatus est.

(Hic tamen SELEVCVS ibidem traditur ex proventibus suis (Iudææ fort. vectigalibus) omneis sumtus suppeditasse, qui ad Sacrorum, in Templo Hierosolymitano, ministeria pertinerent. Quam liberalitatem tœdâ pecuniarum, in sacrario, seu sacro ærario, depositarum cupiditate, & submisso ad rapiendum Heliodoro, suorum negotiorum actore, corruperit.)

Hactenus, teste B. Hieronymo, de Historico & germano huiusce Vaticinij, in Daniele, c. XI. sensu, mira Interpretum concordia. adeò ut ne Porphyrius quidem à Christianis doctoribus discrepârit. Quæ verò consequuntur, usque ad finem XII. cap. non æquè clara.

Porphyrius quidē ea omnia de ANTIOCHO EPIPHANE, Magni F. qui fratri Seleuco, successit, interpretatus est. Doctores verò Ecclesiastici, & plerique è veteribus Patres, eadem de Antichristo, qui extremis labentis mundi temporibus futurus est, prædici opinantur.

Et quamvis multa ex ijs, in Antiochi personam expetant; censent illi Antiochum, adumbrâsse ipsum Antichristum. sed quæ in illo ex parte antegressa sunt, in hoc omninò perfectum iri.

Nos in utriusque explanationis vestigia insistemus. & quæ soli Ephiphani, quæque soli vicissim Antichristo, convenientia sunt: quæ denique utrique, ceu communia, accommodari possint; ad historiæ sacræ & profanæ explanationem, ostendere conabimur.

Iis, quæ ab Angelo ad Danielem, de *Austri & Aquilonis regibus*, eorumque conatibus; ceu futura, hactenus dicta sunt; & à nobis ceu gesta, fusiùs explicata; hæc subiunguntur:

Et stabit in loco eius despectus, &c. eodem cap. XI. v. 21.

SELEVCO scilicet fratri maiori, ANTIOCHVS EPIPHANES, obses anteà Romæ, (quem frater idem, tradito Demetrio F. liberârat) in regnum patrium suffectus, primùm contemtui fuit: neque ab ijs, qui in Syria Ptolemæo, (& fortè Demetrio, Seleuci F.) favebant; in regni possessionem admissus est. (Sic Appian. Syriacis, Antiochum Româ, ex obside, reducem: quo in reditu Athenis Olympicum inchoâsse, Vellei. tradidit: ab ATTALO & EVMENE, Asiæ regibus (adversus Heliodorum, Seleuci interfectorem, qui regnum sibi, vel Demetrio absenti, ex insidijs vindicare moliretur) adiutum; & illo pulso, in principatu collocatum fuisse.)

Sed clādestinis consilijs, & adfectatæ clementię simulatione, sese multorum animis amicitijsque insinuans, DEMETRIO nepoti regnum, nec sine fraude, intervertit.

Quumque à morte Cleopatrę, regis PTOLEMÆI PHILOMETORIS, (qui Ptolemæo Epiphane, & eâdē Cleopatrâ, maiore Antiochi sorore, esset progenitus) Tutores, Lenæus & Eulalius, regnum Syriæ, iam-pridem Ægypto attributum, ab eodem, qui id dolo occupâsset, reposcerent; bellumque hinc exortum esset. Ipse, commisso inter Pelusium & mōtem Casiū prœlio, duces exercitûs Ægyptij profligavit.

Et quasi infirmiori regis, nepotis sui, ætati parciturus, eiusque rebus ex fide procuraturus; per federis & mutuæ amicitię simulationem, ingressus Memphim, regni Ægyptij insignia & habenas, de more, suscepit: & modicis copijs stipatus, uberrimas & ditissimas regni civitates sibi subiecit. Vt nemo, ex antegressis Syrię regibus, eius progenitoribus, neque maiore umquam clade Ægyptum vastâsse, neque opimioribus eam divitijs, summâ cum fraude & rapiendi immanitate, spoliâsse comperiatur.

Sed hæc prædatoris licentia non fuit diuturna; Ægyptijs animos & amissa recipientibus.

Ille autem iterum comparato, adversus Philometorem, validâ etiam auxiliarium militum manu subnixum, exercitu, invaluit: neque Ægyptij duces, dolis circumventi, substiterunt.

Tanto namque ille simulationis artificio regem Ægyptium sibi devinxerat, ut familiaria etiam cum eo convivia iniret; atque hâc viâ, ad delendum eius exercitum, non sine promiscuâ multorum cæde, grassaretur.

Verùm hi duo reges, animis planè vulpinis, & Creticâ perfidia imbutis, hoc unum spectabant; ut alter alteri insidias exitiumque machinentur: & in hospitali unius eiusdemque mensæ contubernio, alternis se mendaciorum commentis vicissim ludificentur. Neque hilum tamen profecturi sint: quod huiusce negotij, reciprocæ regnorum nundinationis, exitus in aliud tempus sit prorogatus.

Ille nihilo-minus, prædâ Ægyptiâ onustus, in regnum suum se recepit. Sed itinere per Iudæam instituto, celatam diu animi sui malignitatem prodidit: & impulso in urbem Hierosolymam, veri DEI, eiusque legum cultricem; milite, Templum, toto orbe sanctissimum, pretiosissimâ vasorum & sacrorum ornamentorum supellectile, & occultis humi thesauris, impius iuxtà atque avarus, non sine hominum strage, & arrogantibus in Deum, Deique cultores, convicijs; expoliavit. Atque ita, acto quasi, de geminâ gente, triumpho, victor in regnum reversus est.

Idem verò cognito, suos in Ægypto dolos palam esse factos; seque eo nomine odiosum vulgò traduci; aliquanto-pòst, consilio nihil dissimulato, in Ægyptum, cuius cupidine iam-diu caperetur, regressus; regno Philometorem (Iustin. l. 34. segnem admodum, & quotidianâ luxuriâ marcentem) exturbavit. Et Alexandriam (quò rex pulsus, ad fratrem minorem & cognominem, participato cum eo regno, confugerat; & præsidij causâ se incluserat) artâ obsidione, sed irrito conatu, ad deditionem adigere molitus est.

Missi namque à fratribus Romam Legati, qui auxilia fidemque societatis implorarent; Senatum facilè movere. Et legati Romanorum principe POPILIO LÆNATE, suis & Cypriorum, aliorumque finitimorum, navibus, Alexandriam adpulsi, prolato Senatûs decreto, abstinere regem victorem Ægypto, & statim excedere iusserunt.

Quâ denuntiatione ille, ceu fulmine, percussus, & spe suâ animoque deiectus; alieno imperio obedire, & inglorius ad suos remeare, est coactus.

Hâc autem ille contumeliâ; & ob sparsum de morte suâ rumorem, irritatus; Iudæos, qui iam intestino inter se bello, ob Pontificatum, decertabant; à se defecturos ratus; efferato penitùs animo Hierosolymam contendit. captâque armis civitate, omni crudelitatis genere in cives desævijt; & violentas in Templum manus iniecit. omnemque inivit rationem, ut à pristinâ divinarum legum observantiâ Iudæos abduceret; & sceleratæ in Deum perfidiæ crimine secum obstringeret.

Alios deinde duces, suæ crudelitatis & impietatis administros, Antiochiâ submisit; qui cæsis aut spoliatis civium reliquijs, & Vrbe incensâ, Temploque profanato, imbellem turbam in servitutem abstraherent.

Qui Arcem Sionis, novis munitionibus, & profanis externorum militum transfugarumque præsidijs, confirmatam, pro scelerum sentinâ, & omnium propudiorum receptaculo, insiderent.

Qui quotidianum sacrorum ritum penitùs oblitterarent: & in Templo, iam toties expilato & desolato, exsecrabile Iovis Olympij simulacrum, ipsiusque ANTIOCHI statuas, super Altare collocarent.

Tunc nonnulli quidem ex Iudæis, ab avitâ pietate, & communi Dei fœdere, remoti, simulato primùm legis divinæ cultu, Tribulibus imposuérunt: deinde ex promiscuo Gentium contagio, planè à patrijs moribus legibusque degeneres, patriæ bonorumque civium proditores, apertè evasérunt.

Multi contrà è plebe, ut accuratiore Dei cognitione imbuti; ita pristini cultûs retinentiores, & Deo suo fuére obsequentiores.

Nec pauci doctrinâ & indole generosâ præstantiores, cæteris exemplo suo prævérunt, ut quosvis potiùs cruciatus perpeti, gladijs cædi, flammis amburi, crucibus suffigi, captivitate multari, bonis in perpetuum spoliari; quàm à Legis Divinæ præscripto, vel latum unguem, decedere maluerint.

In hâc tamen, tamque miserabili rerum acerbitate & ruinâ, aliquam modica auxilij & levamenti specula tandem adfulgere visa est.

(MATATHIÆ, filiorumque eius, ex ASAMONÆA stirpe, MACHABÆORVM, auspicijs, non sine Deo propitio, exiguâ concordium inter se piorum manu, ingentes regis impij exercitus profligati sunt. & Græcæ servitutis iugum, à civium, Dei sui reverentium, cervicibus depulsum.)

Licet intereà non defuerint, qui adsimulatæ virtutis & pietatis specie, horumdem conatus, infringere tentarent, aut retardare.

Et ex ijs, qui rerum sacrarum eruditione, atque adeò auctoritate reliquos antistare videbantur; quosdam, cum offensione & ruinâ, conflictari, Deus, pro tempore, passus est; ut istiusmodi calamitate, tamquam igne, auri in modum, probati spectatique, longè illustriores, quàm priùs, existerent; omnibusque vitijs immunes, Deo essent gratiores.

Successére dein tempora paullò lætiora, & rebus secundis addita.

Rex namque ille, superbiâ insolens, dum non modò adversus profanarum gentium Deos, contemtu & fastidio, & immanibus passim Templorum rapinis, efferretur; sed in DEVM etiam DEORVM, verum cœli terræque procreatorem, insurgens, simulacrum suum, in Templo Hierosolymitano, quod crudelissimè expilârat; collocandum curâsset: & rebus secundis, & ad voluntatem fluentibus, uti, iam putaretur; DEVS, quem populi sui flagitia inexpiata hactenus offenderant, placatus; illum ab ignominiosâ in Elymaidem, Templumque Dianæ, expeditione rediturientem, & in cœptis obduratum, insanabili amentiâ excæcavit; & miserabili morte exterminavit. *De his hactenus.*

Illa autem, quæ hinc usque ad XII. cap. finem, consequuntur; in Antichristum solum expetere meritò censeantur. Quę cum antegressis, perpetuâ narrationis serie, eidem, ex vetustis & sanctis patribus, accommodare conabimur.

(Sub imagine certè & exemplo Antiochi, qui inusitatâ in Iudæos, gentem Deo dilectam, tyrannide, olim erat desæviturus, eorumque religionem acerbè oppugnaturus; depingitur à Daniele Antichristus, eiusque regnum, quo Christiani ad extremum adfligantur, & Verbum Dei penè oblitteretur.

Neque hic abs re institutâ alienum erit, quod Theodoritus huc adtulit: Multis scilicet rebus Græcorum regnum, cum Romano, aliquam inter se similitudinem habuisse.

Illud, Hirci: hoc TRVCVLENTÆ & insolentis BELLVÆ figurâ, adsimilatum.

Illud, sub ALEXANDRO MAGNO florentissimum & potentissimum fuisse: quod ab eius excessu, in plures principatus mòx divisum, vehementer imminuerit: & minùs CCC. post annis, planè sit exstinctum. Hoc, diutiùs quidem prolatatis, in omnes ferè orbis-terræ plagas, imperij terminis, gloriâ potentiâque præcelluisse; sed quod paullatim, ceu mole magnitudinis suæ fatiscens, & in varia regna distractum, maiorem in modum à pristinâ claritate degenerârit.

Et quemadmodum magno illo Hirci cornu confracto, sive ALEXANDRO, iam mortuo, IV. in eodem Hirco cornua, sive totidem regni dispertiti successores, exstitérunt. ex quorum uno, Cornu modicum, sive ANTIOCHVS EPIPHANES, exortus sit: qui maximis calamitatibus Iudæos depresserit. ita, extremâ iam mundi ætate, Romanum Imperium divisum iri in reges X. & exstiturum tunc ANTICHRISTVM, omnium mortalium, ab Orbe Condito, sceleratissimum & crudelissimum Christianorum hostem. *(Hinc illa miscella, in Daniele, de utroque, vaticinia.)*

ANTICHRISTVS autem, vel ipso nomine, CHRISTO se fore adversarium, & omnimodis diversum, arguit.

Hic

Hic namque, ex Virgine castissimâ natus est: Ille, ex impurissimâ muliere, & furtivo quidem concubitu, edetur.

Huius Corpus, in utero Virginis, arcanâ Spiritus-sancti operâ, conformatum est: Illius corpus, in Vtero matris, operâ Diaboli, ita contingetur & temperabitur, ut per se ad omnia vitia, maximè sit proclive; & idoneum Diabolicæ nequitiæ instrumentum. (Nec desunt, qui illum ab Incubo Dæmone, alieno tamen semine, generatum iri opinentur.)

CHRISTVS denique, Spiritu-sancto, quo plenus erat, duce, omnes suas actiones & cogitationes, ad sanctimoniam, & placitos Deo mores, dirigebat.

Antichristus contrà; Diabolo (in cuius potestatem totus sit futurus) concitante, in omnia se flagitia ingurgitabit.

Ille præ humili animi abiectione, sese ex Deo æterno, ad servilem usque hominis formam, demisit: Hic, præ intolerabili animi superbia, ex contemtissimo & impurissimo homuncione, ad divini nominis & honoris usurpationem, se ipse extollet.

Ille, Agni & Columbæ in morem, mitis erat & placidus: Hic, ferociâ & planè belluinâ immanitate Leonem, & Draconem exsuperabit.

Ille, admirabili in Deum pietate religiosus, & eius voluntati perfectè obsecutus est. Hic, eumdem contumelijs & impijs convicijs incesset.

Ille, fuci omnis dolique expers, simplicissimus fuit & veracissimus: Hic, omni simulationis artificio eruditus, non sine publicâ fraude omnium erit mendacissimus.

Ille, homines animo demisso præditos, & Dei reverenteis, in contubernium adscivit: Hic, ijs utetur familiariter, qui improbitate & impietate cæteris antecellunt.

Ille, in hoc uno elaboravit, ut Veritatem restificaretur; ut genus hominum peccati mortisque vinculis, & imperio Diaboli exsolveret; ut Deum, eiusque sincerum cultum omnibus palam faceret. Hic, id unum aget, ut hominibus per fas nefasque persuadeat, CHRISTVM, nec Dei Filium, nec verum fuisse MESSIAM; neque eius leges esse salutareis. Se, contrà, Deum esse, & promissum ab heroicis usque seculis, humani generis Servatorem.

Ille, omneis huius mundi divitias, honores & dignitates pro nihilo duxit; earumque rerum vanissimarum contemtum edocuit: Hic inusitatâ ambitione elatus, & laudis glorięque cupidissimus, quo iure, quàque iniuriâ, bellis atrocissimis, crudelissimâ humani sanguinis profusione, & dirâ bonorum sibique adversantium virorum strage; ad summa quæque honorum & imperiorum fastigia, grassaturus est.

CHRISTVS, postremò, bonorum omnium caput; virtutum & sanctitatis exemplar; in suorum etiam cultorum animis, gratiæ & virtutis, cum æternâ beatitudine coniunctæ, effector: Antichristus verò, licet in ijs hominibus, quos seduxerit, nequitiæ & improbitatis caussa efficiens esse non possit; omnium tamen hominum, qui fuerint, quique futuri sint, flagitiosissimus & pestilentissimus; omnisque propterea improbitatis princeps & caput; pessimi de se exempli contagium omnibus adflare contendet.

CHRISTVS, conatus est tempore, quo res toto orbe erant pacatissimæ; & Romanum imperium, sub AVGVSTO principe, tranquillissimè ac florentissimè administrabatur: Sub ortum verò ANTICHRISTI, totus terrarum orbis, inauditis exitialium bellorum incendijs, deflagraturus est. & Romanum Imperium, in x. reges distractum, non robore tantum suo & dignitate, sed ipso etiam nomine imminutum, penitus languescet.

(Hanc Antithesim Lectoris stomacho in istâ obscuri vaticinij perplexitate languenti, haud iniucundam fore duximus.)

Tanta autem erit extremi illius seculi, in omni flagitiorum & scelerum fœditate, immanitas; tamque dura Iudæorum obstinatio; ut non alio vindice, quàm ANTICHRISTO, crudelissimo tyranno, plecti & expiari meritò debeat.

Pervetus traditio est, Antichristum Babylone nasciturum esse, è gente Hebræâ, & Tribu quidem Danâ.

Quemadmodum igitur à Diluvio Gigantes Turrim Babelicam, quæ in cœlum minaretur, exstruere adgressi sunt; sic extremâ ætate Antichristus Imperij sui sedem stabilire, & usque ad Dei contemtum extollere conabitur.

Deinde, uti rex ille Babylonis, ANTHIOCHVS EPIPHANES, Hebræos maximis calamitatibus adflixit; ita Christianos Antichristus, indidem ortus, crudeliter divexabit.

Vaticinium itaque IACOBI (Gen. 49.) de Tribu Danâ:

Fiat Dan coluber in viâ, cerastes in semitâ, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius retrò. Ad Antichristum pertinere potissimum censetur: Qui duplici viâ & potentiâ (quod Cornu etiam appellant sacræ litteræ) ad hominum perditionem usurus sit.

Eos namque, qui mundanæ felicitatis amore capti sunt; & patulum insistunt huius mundi tramitem; mordebit. hoc est, lenocinijs, & fucati sermonis blanditijs, & amplis fluxarum opum pollicitationibus, adlectabit. Illos verò, qui angusto perfectæ virtutis calle ingrediuntur, cerastę in morem (qui geminum capite protendit cornu) adgredietur, & terrificis minis ad se pertrahere enitetur.

Nunc iterum ad DANIELEM redeamus; & ab ANTIOCHO EPIPHANE, Prophetæ sententiam in Antichristum transferamus:

STABIT in loco eius despectus, &c.

ANTICHRISTVS initio quidem obscurus erit & ignobilis, (cornu modicum, hoc est, exiguâ potentiâ præditus) Bestia de terrâ adscendens (Apoc. c. 13.) quasi Terræ filius, infimo generis & fortunæ gradu. sed paullatim vireis acqui-

ret, multorum amicitijs sibi conciliatis; qui & ipsum sectentur, & auctoritatem ei adiungant.

Varijs scilicet ille, homo callidissimus, artificijs, varia hominum ingenia circumveniet, sibíque devinciet.

Virtutis & religionis amanteis; paris sanctitatis simulatione:

Sciendi cupidos; præstigiosâ artium, occultarum etiam & rariorum, ostentatione.

Iudæos in diuturnâ MESSIÆ sui exspectatione defixos; & Christianis ex inveterato odio infensos; sparso in vulgum rumore se MESSIAM esse; & apertâ in CHRISTVM, eiusque cultores, inimicitiarum denuntiatione.

Avaros, & opum fluxarum cupiditate incensos; magnis munerum & præmiorum largitionibus.

Rectos, & propositi tenaceis; minis & suppliciorum terroribus.

Vniversos denique, admirandâ prodigiorum perpetratione, vel adliciet, vel in fraudem impellet.

Idem, comparatâ iam auctoritate & potentiâ fretus, omnes Ægypti, Africæ & Æthiopiæ, reges antè debellaturus est. Et ijs subactis, reliqui VII. à quibus in societatem fuerat adscitus, (Romano Imperio tum in X. Cornua, uti diximus, dispertito, & conciso) facilè ei fasceis & colla submittent.

Porro ille tam longè latéque patenti imperio; & hominibus undique, non ad sectandum modo, sed ad colendum etiam ipsum, confluentibus; tantâ contumaciâ & impudentiâ efferetur; ut non solùm REGEM REGVM, sed DEVM etiam DEORVM, nomine & habitu, se palam prædicet & ostentet.

Templa denique, gemmis & auro ornatissima, sibi, ceu numini cœlesti; sive inter Christianos, sive inter Iudæos, ædificanda dicandaque, imperet.

Ipse, gente Iudæus, magnam quidem initiò pietatem & religionem, adversus Iudeorum Deum, simulaturus est; sed stabilitis regni potentiæque suæ viribus, eò amentiæ provehetur; ut se solum ab omnibus credi, prædicari, & adorari, Deum, velit & iubeat.

Castitatis interim simulator, & à rebus Venereis in speciem abstinens; intimis autem animi sensibus libidinosissimus, in omni tandem voluptatum genere palam volutabitur.

Et licet in propatulo nullius se Dei cultu obstrictum esse præferat; clanculùm tamen & priuarim certum quemdam Dæmonem, MAOZIM, pro Deo colet; in cuius tutelâ sit: in quo robur omne & præsidium suum collocet: cui potentiam & felicitatem suam, velut auctori, acceptò ferat.

Sive, ipse potiùs se, MAOZIM, hoc est Deum fortem & potentem, gloriosè appellabit. (Quis non alludi putet, ex anagrammatismo, ad Maomiz, seu Maometz?)

Et cum non modò Templis opulentis, sed firmissimis etiam Arcibus, novam suæ divinitatis personam exornabit & communiet; tum suos vicissim cultores, aut honorum dignitatibus, aut agrorum largitionibus, abundè remunerabitur.

Permulti nihilo-minus, ex constantioribus, & sanctioribus, qui sese in præruptos Idumææ, Moabitidis atque Ammonitidis, regionum, monteis; inaccessas solitudines, & profundissimos specus, præ metu, receperint atque abdiderint; (Isaiæ c. 16.) violentas immanissimi carnificis manus effugient.

Ipse verò, audito, bellum à regibus Orientis & Aquilonis, adversum se comparari; & proceres Christianorum eius imperia aspernari; incredibili furore ad eos profligandos rapietur. figetque tabernaculum, & thronum prætorij sui, in ABADNO (Zacha. 14.) loco inter gemina maria, (Mortuum, sive Lacum Asphaltiten, ab Ortu; & Internum seu Mediterraneum, ab Occasu. quibus Vrbs Hierosolyma interiecta est) super monte inclyto & sancto. hoc est, vel Sionis, vel Oliveti.

Postquam autem hora fatalis, & exitio eius destinata, advenerit; longè ille, quàm anteà, obstinatior, se mortem obijsse; & demùm, quasi morte dormitâ, in vitam introijsse, simulabit. cuius rei spectaculo omneis in stuporem, & maiorem sui admirationem converterat.

Sed quùm pòst eiusmodi mortis & resuscitationis personam; conscenso montis Olivetani vertice (unde CHRISTVS Dominus in cœlum fuerat olim adsumtus) in cœlum (unde ille prior in terram & ad homines descenderat) se quoque redire velle, coram innumerabilium mortalium coronâ, comminiscetur. & eò, Dæmonibus, Angelorum specie, in altum sustollentibus; & spectatoribus, quasi certæ eius divinitati adplaudentibus, enitetur; tum ipso temporis articulo, in præceps actus, & arcanâ CHRISTI præsentis potentiâ attonitus, miserrimè exspirabit.

Appetente autem Mundi ipsius exitu, quo tempore plurimùm Antichristi rabies visa erat invaluisse; MICHAEL, supremi inter Ætherios spiritus ordinis princeps. (qui priùs Synagogæ præses, & Hebræorum gentis custos; postea ab ijsdem, ob necem MESSIÆ, alienior; in tutelam Christianæ Ecclesię transijt) omnem eò vim & potentiam conferet, ut bonis & sanctis hominibus, ex tam acerbâ & recenti vastitate reliquis, auxilium ferat, & suffragetur.

Neque deerunt ex hominibus quidam, sanctitate præter cæteros eximij, qui sese adversarij conatibus obijciant.

Quibus duo erunt principes & antesignani, Christianæ veritatis testes & præcones (Apoc. 11.) HELIAS & ENOCHVS.

Quicumque autem ex Iudæis fidem istorum Vatum sermonibus tribuerint; & CHRISTO IESV nomen sint professi; ijdem, ceu à Deo præsciti & delecti, & in Librum Vitæ æternę relati, salui præstabuntur.

Tunc omnes, quorum, superstitibus semper animis, corpora in pulverem dissoluta; sive terræ humata, sive in sepulchris condita, usque-eò conquieverint; tamquam de somno exsuscitabuntur. alij ut vitâ immortali fruantur; alij, ut æterno, & ob oculos usque obversante, opprobrio intabescant.

Singularis autem gloriæ excellentia in ijs

emine,

eminebit; qui & divinâ disciplinâ animos habuerint excultos; & in studium veritatis, cultumque virtutum alios erudierint. Adeò ut fulgore sui, cœlum, stellasque, quibus ipsum, ceu gemmis quibusdam, interstinguitur, in æviternæ vitæ beatitate, sint exæquaturi.

Tum verò Angelus Danieli præcepit, ut ea, quæ ex ipso didicerat, in litteras ita referre meminisset; ut involuta, & quasi obsignata, maneant: neque, qui legerent, in profundiora eorumdem sensa, ita se penetrare possint; quin varia inter se, de Libri istius intelligentiâ & interpretatione, opinari perseverent. Idque ad tempus usque, à Deo præstitutum; quo, quæ prædicta sunt, eventu ipso comprobentur. Vel saltim, sub adventum Messiæ (Velo Templi discisso) ex uberiore Spiritus-sancti illustratione, omnia divinorum scriptorum mysteria pateant.

Interea pæni pænè ævo fore quam-plurimos, qui tum vaticinia ista, litteris ab ipso commendata, pervolutent: tum ob divini sermonis ubertatem, variâ eadem interpretatione, & quasi discrepantibus inter se sententijs, explanent. Unde multiplex de rebus divinis & arcanis existat scientia.

DANIEL autem, qui intereà duos, virili habitu, Angelos (Persarum & Græcorum principes) in utrâque fluminis, Tygridis, ripa, hinc & inde consistenteis, adspiceret. & ex Tertio (Gabriele) qui linteâ veste amictus, in ipso flumine insistebat; percunctaretur; *Quem ad finem, & quam-diu, admiranda ista, quæ audisset* (Impotens præcipuè Antichristi Imperium) *essent duratura*! Intellexit ex eodem. Postquam sese, manibus in cœlum elatis, & æterni Dei nomine implorato, ceu quodam iureiurando, devinxisset. Immutabili scilicet Dei decreto, quę diceret, rata fore & irrevocabilia: & omnem rerum caducarum, atque æternarum; malarum an bonarum! seriem, ex inevitabili eius providentiâ pendere) *Ea ad triennium, sex mensibus, amplius esse perduratura.* (Infrà, MCXC. dies. qui numerus x. aut XII. dies ampliùs complectitur. Apocal. XI. menses sunt XLII. qui cum Daniele consentiunt.)

Et *postea quam Sancti*, quos universè formidabilis ANTICHRISTI dominatus in varias orbis terræ regiones disperserat, illo divinitùs sublato, *ad sedes quisque suas reversi*, & quasi in pristinam pietatis & rituum suorum possessionē, fuerint restituti; Ea, quæ de *mortuorum resuscitatione, de bonorum præmijs, & improborum supplicijs sempiternis*, dicta sunt; planè *perfectum*, & ipso eventu *patefactum iri*.

DANIEL nihilominus, qui ingenuè fateretur, multa ex ijs, quæ ab Angelo audijsset, nequaquam se intelligentiâ comprehendere potuisse: quorum scilicet attributa, seu περιστάσεις, ignoraret. quùm ulteriùs præ curiosiore rerum futurarum sciendi cupiditate. ex eodem inquireret; *Quid post illa eventurum esset*; sive quis Mundi exitus futurus? Iussus est actutum, ab ulteriore de rebus post-futuris percontatione supersedere. Quod neque plura in præsens explicari Deus pateretur; & reliqua extremis mundi temporibus patefacienda reservarentur. (*Non est vestrum scire tempora & momenta, &c.* Actor. I.) Hoc tantum.

Istis cladibus, quibus pij viri sub Antichristo adfligendi essent; eosdem, vel tamquam nitro, herbâ fulloniâ, omnibus animi sordibus elautis & expurgatis: vel tamquam igne, auri in modum, exploratos, à Deo electum iri.

Atque adeò, ne eo quidem tempore, quo hæc omnia perficienda sunt; omneis ea, quæ isto libro futura præsignificentur, animo aut intelligentiâ esse comprehensuros.

Cum impij namque, religionis ac veritatis hostes, Deique contemtores, qui in suâ impietate obfirmati permanserint; ceu cæci, claram divinæ cognitionis lucem numquam sint perspecturi; tum solis, divinitùs erudiris, & demisso animo præditis, viris, quæ nunc in arcano latent, futurarum rerum mysteria, clarissimè patescent.

Ab initio autem sævissimæ dominationis, quâ in Christianos Antichristus exardescet; quùm totius pænè iam orbis imperio potitus, ENDELECISMUM; sive perpetuum, in Ecclesiâ, sacrificij, (Missæ) & divini cultûs usum, inducere passim & obliterare contendet: & Idolum, seu suî statuam, ab omnibus adorandam, (immo seipsum, ceu Deum) in Templo, (nec sine pristinæ pietatis pernicie; nec sine bonorum omnium luctu) constituet. ad eius usque exitum: Intervallum *dierum MCCXC*. sive triennij, & VI. mensium (x. diebus ampliùs) esse intercessurum.

Beatum denique *illum fore*, *qui supra illud*, quod dixi, *dierum spatium* (1290.) (Quo tempore, & dominatus Antichristi perduret, & ipse brevi sit exstinguendus) *ad dies XLV. sit superstes futurus.* (sive, cum spe, & aliquantâ requiete, & patientiæ experimento, ad dies MCCCXXXV. perventurus) Dum CHRISTUS Servator, de-repente, nec sine admirabili divinæ maiestatis splendore, Iudicio suo extrema est decreturus.

His dictis, Angelus DANIELI significavit, antaquàm hæc clades mundo impendeat, tempore à Deo præstituto, ipsum è vitâ excessurum, & morte Iustorum (in sinu Abrahæ) conquieturum. & extremo Iudicij illius tempore, ad Dei dexteram, suoque, pro meritis, æternæ beatitudinis gradu, staturum.

Sed tandem, Deo benivolente & favente, ex istiusmodi Visorum & Mysteriorum Labyrintho (non inutili Temporum designatione) ad Historiam & seriem Chronologicam, redeamus.

CYRI

CYRI EXITUS.

3423. Cyrus (cui Genebr. Lesmor. & alij xxx. Monarchiæ annos. Torniel. vi. & Riber. ex Xenophonte, vss. tribuerunt, iis. Imperij, in Babylone iam stabiliti, anno. Sic Hebr. Seder. Cyrus regnum tenuit 3. annis, nec tamen integris.) 527.

Subactâ Asiâ, (Iustin. l. 1.) & universo Oriente in potestatem redacto, Scythis bellum infert.

Et Herod. l. 1. post gentem, Babyloniorum, sive Chaldæorum, subactam; Cyro cupido incessit, Massagetas (qui ad Auroram, solisque Ortum, trans Araxem fluv. siti, Scythicæ, ut nonnulli volunt, nationis) in potestatem suam redigendi. Qui iamtum & supra hominem sibi esse videretur; & felicitate, quâ adversus tot hosteis ea tenus usus fuerat, nimiùm præfideret. & reginæ Tomyridis, cuius coniugium frustrà scilicet appetiisset; repulsâ offensum se fingeret.

(I. Carion, tradit Scythas Barbaros, post expugnatam à Cyro Babylonem, in regni fineis irrupisse. atque ita Cyrum, traditâ Cambysi Imperij administratione, iusta arma sumsisse: & cum exercitu in eos, vis repellendæ causâ, esse profectum. Herodot. Cyrum ait, ante-quam Araxim transmitteret, unà cum Crœso, filium in Persidem remisisse.)

Regina verò, & faciliorem sibi pugnam, intra regni sui terminos, rata; & hostibus, obiectu fluminis. fugam difficiliorem: transitum, quo eosprohibere poterat, liberum quidem permiserat. Sed quùm Cyrus copijs traiectis, aliquo-usque in Scythiam processisset; & postridie, ex Crœsi consilio, castra vino epulisque instructa, simulato metu, quasi refugiens, deseruisset; illa Spargapisem F. adolescentem, ad hostem insequendum, cum tertiâ copiarum parte, præmisit.

Is autem in vacua Cyri castra ingressus, veluti ad epulas, non ad prœlium, venisset; unà cum barbaris, vino se ciboque ingurgitat. & mox à Persis, per noctem reversis, facilè oppressus est. seque ipse paullo-pòst, licet vinculis à Cyro solutus, interemit.

Tomyris exercitûs sui, filijque cæsi dolorem, non in lacrymas effudit; sed in ultionis solatium intendit. Hostemque recenti victoriâ exsultantem, nec liberi reditûs conditionem, filio tantùm restituto, accipientem; pari insidiarum fraude circumvenit.

Simulatâ quippe, ob vulnus recèns acceptum, diffidentiâ, ceu vicissim refugiens, Cyrum in insidias, quas in montium angustijs composuerat, pertractum; cum cc. suorum millibus itâ trucidavit, ut ne nuntius quidem tantæ cladis superesset. Et abscisum eius caput in utrem, humano sanguine completum, demittens, inexstinctam in illo, tot annis & bellis, humani cruoris sitim, exprobraret.

Hic exitus Cyri, qui non initio tantùm regni, sed continente totius temporis successu, admirabiliter fuerat insignis.

Herodotus, cum quod sibi maximè vero-simile visum, de Cyro commemorâsset; alios tamen aliter sensisse, non diffitetur.

Xenophon certè, in lectulo mortuum esse, & saluberrima vitæ regnique administrandi præcepta liberis reliquisse tradidit.

Ctesias, in expeditione adversus Derbices eorumque regem Amoræum, susceptâ, ex equo illum decidisse; & ab Indo quodam, Derbicum auxiliari, vulneratum fuisse; ex quo vulnere, licet victor, paullo-pòst obierit.

Diod. Sic. l. 2. eum cruce suffixum à Tomyride fuisse.

Strabo l. 11. Ilium à Sacis, quos bello appetisset, victum priùs prœlio, & in fugam datum: sed castra deinde, ut diximus, instructa, reliquisse: & barbaros vino obrutos, ijsdem in castris, trucidâsse, &c.

DE PRISCIS ÆGYPTIORUM DYNASTIIS.

Quoniam verò Ægyptij, iam tum à principio, varijs sub Dominationibus, (quæ Dynastiæ, sive supremi Principatus, dictæ sunt) constituti; illæque continuatâ temporum serie & vicissitudine, ad duas & triginta, fuisse produntur, regno Macedonum Alexandrinorum, sive Ptolemæorum, præcidaneæ. Quæ superiùs sparsim, suis quodque locis, eâ de re dicta sunt, sub unum hic adspectum dare visum est, ante-quàm ad Cambysis, qui Cyro successit, & Aegyptum subegit; res gestas accedamus,

Quattuordecim illæ priores (Dynastiæ) si quæ fuerint; in oblivionem venerunt, aut Cimmerijs tenebris involutæ.

Oceanus, an. 15. Nimrodi regnâsse ibidem putatur: cui Osiris, Isis, alijque successerint.

Et certum est, eos principatus, annosque, adprobandæ an adfectandæ antiquitatis ergo, ab ijsdem Aegyptijs, sumi & poni; qui Biblicæ veritatis limites longissimè excedant.

Regnum scilicet eorum, ad extremos Ptolemæos, quindecim annorum millibus (Diod. Sic. teste) stetisse; hoc est, unà annorum myriade, supra mille,

mille, ante mundi Conditum. Vnde auctor idem, annos eorum Periodos tantùm Lunareis, sive menstruas fuisse autumant.

Eadem in Dynastijs ratio; quas ante Egressum Israël. ex Ægypto, duode-viginti constituunt. & Quinta-decima Diluvio, ducentos plus minus annos, ante-vertisse convincatur.

Vt a Sexta-decima demum Dynastiâ; quo tempore Abrahamus in Ægypto versari cæperit; homo præ Ægyptijs acutior, & in rebus Astronomicis exercitatior, certam annorum rationem, conversiones istæ, reducentur et redactæ.

Sive sub Dynastiâ, quæ Pastorum dicta est: qua Iosephus ibidem rerum regniq́ue potens, & arcanâ sapientiâ inclytus, complura optimè constituit.

Hæc igitur, quâ dico, PASTORVM Dynastia, XVII; (Id nomen ex casu sortita, quòd eâ dominante, Israëlitæ, arte vitâque pastores, in Ægyptum descenderint. & unus ex ijs, IOSEPHVS, in summo, ob sapientiam, honore, & loco à rege Ægyptio constitutus tantùm-non rex, & pastor quidem eâdem tempestate audiret. ex Fregevillæ, aliorumque putatione, eo se per abbe... circiter annum à Diluvio, DVI. qui fuerit ab O.C. bis millesimus centesimus sexagesimus secundus. & vitæ IACOBI ipsius quinquagesimus sextus.

Duravit verò CIII. annis: hoc est, ad ann. ab O. C. bis millesimum ducentesimum sexagesimum quinctum.

Octava & decima Dynastia, dicta POLITARVM, quasi Civium, incidisse putatur in ann. à Diluvio, DCXIII. qui ab O.C. est, MM.CC.LXVI. Et durâsse CCCXLIIX. ann.

Egressus Israëlitarum ex Ægypto, evénit anno eiusdem Dynastiæ CCII. Qui Orbis Conditi MMCCCCLVI. Annis à Diluvio DCCCXX. sub exitum regis XI. CENCHRIS.

Hi itaque Reges, eorumq́ue anni, ita memorantur.

AMOSIS, ann. 24. (al. 25.) CHEBRON, 13. AMENOPHIS 21.

MEPHRES, 12. MYSPHARMVTHOSIS, 26.

TVTHMOSIS, 9. AMENOPHTES, (al. Amenophis, 2.) 31. ORVS, 38.

ACHERRIS, (al. Athengeres) 12. ACORIS, (al. Achorus. 9. CHENCRES, 16.

(Hic postremus, PHARAON ille putatur, qui obstinato adversus Deum, Deique famulum & Legatum, Moysem, Israëlitas, ex Ægypto egressos, persecutus est; & unà cum universo populari exercitu, in mari Rubro, submersus.)

Ab eodem Israëlitarum Egressu, hi Reges in eâdem Dynastiâ, subsecuti.

ACHERRES, ann. 12. (al. 8.) CHERRES, 15. DANAVS, (al. Armeus) 5.

RAMESSES ÆGYPTVS, 68. PHARAON MENOPHIS, (al. Mins, 4.)

Vnde-vicesima Dynastia, Larthum dicta, quæ CXCIV. ann. stetit. cuius hi reges:

ZETVS. 55. ann. RAMSES, 66.

AMENOPHIS (al. Vexoris & Sesostris) 40. AMENEMES, al. Amenophis 4. 26. THVORIS, 7.

Vicesima, dicta Diospolitanorû, annor. CLXXVII. (Reges tacentur.)

Prima & Vicesima annor. CXXX. Hi in eâ Reges.

SMENDIS (in sacris Sesacus.) 26. ann. PSEVSENSES, 41. NEPHERCHERES, 4.

AMENOPHIS, 9. OSOCHORVS, 6. SPINACIS, 9. PSVSENNES, 35.

Huius Psusennis anno 5. CHEOPS regnat, apud Herodot. Deinde:

CEPHRENES, frater: & MYCERINVS, Cheopis F. ASYCHIS, &c.

XXII. annor. 49. Hi in eâ reges.

SESONCORIS, 21. ann. OSORTHAN, 15. TACHELOTIS, 15.

XXIII. annor. 44. Hi REGES:

PETVBOSTIS, 25. OSORTHON, 9. PSAMMVS, 10.

XXIV. annor. 44. sub uno rege,

BOCCHORI, qui totidem regni annos explérit.

XXV. annorum totidem, hoc est, 44. Hi Reges.

SABACON, 12. ann. (Huius, lib. 4. Reg. mentio, sub nomine SVA. quem Osees, Israelis rex, adversus Assyrios, auxilium postulârit. triennio antè quàm idem Oséës in Ægyptum translatus. circiter ann. ab O. C. 3259.)

SEBICVS, 12. THARACVS Æthiops, 20.

XXVI. annor. 180. Hi Reges:

MERTES Æthiops, 12. STEPHINATIS, 7.

NICHEPSOS, 6. SABACVS, Æthiops, 8.

His addunt SETHONEM, Vulcani sacerdotem.

(SABACVS teste Diod. Sicul. licet gente Æthiops, decursis aliquot, in regno Ægypti administrando, annis; calamitatum, quæ Ægypto, ob sacrilegorum flagitia, impenderent, præsagus, deserto regno, in Æthiopiam se recepit. Vnde biennè Interregnû consecutû! & deinde Duodecim-viratus, ann. XV.)

Postremò, PSAMMETICVS, è Duodecim viris unus, monarcha solus, undetrigint. ann. Vniversè idem, 44. ann.

NECHOS, (al. Nechaon, Nechao, & Nechepsos) 6 ann. (De eodem Vid. supr. Iosiam, & Eliachimum, Reges Iudæ.)

PSAMMV (Psammites, & PSAMMETICVS, fort. secundus) 12. (Vide quæ infr. de eodem, ad Cambysem.)

VAPHRES (Ophres, & Apryes) 30.

(Hic regni anno XXII. Sidonem evertisse; Cyprum & Phœnicen, occupâsse; à Diodor. traditur.

AMASIS, 55. ann. (Huius regnum M. annis post Cenchrem illum, in mari Rubro submersum, desijsse, putatur. sive an. ab O. C. 3476. qui fuerit septuages. Iudaicæ captivitatis. Sic illi.

PSAMMENITES, 6. ann. De cæteris, suo deinceps quidque loco.

FABVLOSA in Ægyptijs rebus, temporibus, & regibus recensendis, VANITATIS, hoc indicium.

Memorat Herod. l. 2. se ex eorum sacerdotibus inaudisse, MENEM primum fuisse, qui illic regnárit, & Memphim urbem condiderit. Et post illum, è libro, & nominatim, 330. reges sibi recensitos.

Ex quibus, per tot hominum ętates, 18. Aethiopes fuerint: & una mulier alienigena NITOCRIS. cæteri viri Aegyptij.

Postre-

Postremus horum MOERIS, Pyramides exstruere cœpisse.

His successisse SESOSTRIS. de quo suprà: qui solus Æthiopiæ imperio fuerit potitus.

Huic filius PHERON, qui visum castę: in cæteris, mulieris lotio, receperit.

Illum excepit vir Memphites, linguâ Græcâ PROTEVS dictus; qui Helenam Tyndari, cum Paride, & posteà Menelaum hospitio exceperit.

Proteo RAMPSINITVM successisse, tradunt, regum ditissimum; & iustitiæ, ex antiquis moribus, observantem.

CHEOPEM, qui successit, in omne flagitium prolapsum: templis obseratis, à sacrificando Ægyptios prohibuisse: & operibus privatis, Pyramidum, &c. attrivisse.

CHEPHRENES frater regnum suscepit, & impietatem perseveravit. MYCERINVS, fratris F. pius & iustus, patris facta exosus.

ASYCHIS illi subrogatus; & hinc ANYSIS, ex urbe cognomine, cæcus. Quo regnante, in Ægyptum excurrerit SABACVS Æthiopum rex: & cęco in Palustria fugiente, 50. annis Ægypto sit dominatus.

Sed illo, ob visa quædam nocturna, in Æthiopiā regresso, cæcus ille, è palustribus egressus, imperiū receperit; & 50. annis, in Insulâ quâdam, cinere atque humo aggestâ, habitârit.

Post hunc regnavit, Vulcani sacerdos SETHON. de quo vide sup. in Ezechiâ & Sennacheribo.

Ægyptij sacerdotes, à primo rege, ad istum Sethonem, qui postremus regnavit, demonstrabant progenies hominum fuisse, 341. & totidem interea pontifices, totidemque reges.

Trecentæ progenies, decem annorum millibus, æstimantur: (ut tres ætates, centum sint anni) Et reliquę, una & quadraginta; annis mille trecentis quadraginta.

Post Sethonem, Ægyptij, quasi libertatem adepti, 12. sibi reges, sive duces, delegére, regno omni in totidem parteis distincto.

Et paullo-pòst, unus ex XII. Viris, PSAMMITICHVS, in palustria, ex æmulatione, à collegis relegatus; & quùm anteà Sabacum Æthiopem, qui patrem eius Necon interemerat, in Syriam fugisset; à Saitanis reductus; opera Carum & Iönum, qui prædandi gratiâ in Ægyptum adpulsi; & regiæ militiæ nomina professi essent; reges æmulos sustulit; omnique Ægypto potitus est. De his hactenus. cætera proxime sub Cambyse.

CAMBYSES, II. Persarum &c. REX.

Cyro succedit CAMBYSES, eius, & Cassandanæ, Pharnaspe Achæmenidâ genitæ, F. (Hic, & Assuerus & Artaxerxes, dici videtur, 1. Esdræ 4.)

Ad quem, regno vix inauguratum, Hebræorum æmuli, Samariæ & regionum Transeuphratensium magistratus, quod vivente Cyro palam ausi non fuerant; epistolam misére, Syro sermone perscriptam. & Iudęorum, qui, licet calumnijs circumventi, ægrè ab opere Templi cœpto hactenus abstinuerant; nomen odiosè detulerunt.

Venisse è Babyloniâ, Cyro indulgente, Iudæos: & Hierosolymam, urbem perpetuæ in reges rebellionis crimine infamem, & hoc nomine funditùs nuper deletam; novâ murorum & ędium substructione, *communire*.

Quod si facere porrò & impunè permittantur; fretos loci firmitate, non modò annua tributorum vectigaliumque onera, aliaque imperata detrectaturos; sed in reges etiam ipsos, maiorem, ex tam pestilenti viciniâ, noxam, universè esse redundaturam.

Se itaque, & beneficiorum, quæ à rege patre acceperint, memores; & nequid regia in filio dignitas detrimēti capiat, prospiciētes; certos homines isthuc mittere; & monere, ut inspectis veterum historiarum, Actorumque patriorum monimentis, regi liquidò constet; *Vrbem illam*, quam reędificare isti contendant; *regibus vicinisq́ provincijs maximè* semper *incommodâsse. perpetuum rebellionis*, rerumque novarum, & motuum *seminarium*; atque ob id pridem eversam.

Regi denique, eiusque Satrapis, Arce illâ denuò eductâ & communitâ, aditum in Syriam ac Phœnicen, interclusum iri.

(Sulpit. Non oportére Iudæis restituendæ Vrbis suæ copiam dari, ne pro contumaci ingenio, resumtis viribus, ipsi alijs gentibus imperare soliti, non patiantur sub alieno imperio degere.) Hęc illi.

Rex uti à patrijs virtutibus degener, ita à naturâ malignior; lectis litteris commotus, rescripsit. „*Se ex vetustis rerum Persicarum commentarijs*, quos recensendos curaverit, satis *intellexisse: Vrbem illam*, ab heroicis usque sæculis, *Regibus fuisse inimicam*: & seditionibus, *rebus novis*, bellisque concitandis, *usque studuisse*. Quin etiam *Reges in eâ* fuisse populareis & *violentos*, qui impotenti dominatu, & acerbis tributorum exactionibus, regiones suas Trans-euphratenseis oppresserint. Ea propter, *Se edicere, ne suo iniussu urbem illam*, ab ijs, quos accusarant, *reædificari patiantur*. Et videant; *ne inveterata* gentis illius adversus reges *malitia*, ipsis dissimulantibus, *ingravescat*.

Edicto regis Cambysis perlecto, Principes Syriæ, & magistratus, Iudęorum ęmuli, è-vestigio admissis equis, & raptâ militum manu; Hierosolymam properârunt: & Iudæos, non in Vrbe, (quam solam instaurari rex vetuerat) sed in Templo ædificando occupatos, ab omni deinceps opere arcuérunt. Iacuitque opus Templi intermissum, ad annum usque II. Darij, Persarum regis.

Hic Sulpit. alijque mirè alucinari censeantur; qui centesimo ferè pòst anno, Artaxerxe Persis ipsis imperitante, per eos magistratus ac præsides, qui Syriæ præerant, tradant, Iudæos ab ædificando fuisse deterritos: & ædificationem, usque in II. Darij annum, dilatam.

Qui numerus, ut ait Sigon. competit in ætatem Artaxerxis I. cognomento Longimani; cui post

Xerxem

X[illegible] II. & Sogdianum, à se occisos, Darius Nothus [illegible]essit, IIX. Persarum rex. sub quo ille censet Templum esse perfectum. Neque ab hâc sententiâ multùm abit SCALIG.

Intereà bella aliò translata. CAMBYSES namque, quum Iones & Æoles, populos, Graecorum in maritima Asiâ Principes, pro hereditarijs mancipijs duceret: comparato, cum ex alijs, quos sub suâ dominatione habebat; tum ex Graecis, quos dixi, exercitu; adversus Ægyptios, eorumque regem AMASIM, sibi odiosum, expeditionem suscepit. quod ille APRYÆ, à se interfecti, filiam, pro suâ, ad ipsum, Ægypti conjugij cupientem, transmisisset.

PSAMMENITVS, Amasidis, iamtum vitâ, & XLIV. annorum regno, recens defuncti, Filius: positis, ad Nili ostium, Pelusium, castris; Cambysem, per arentia Arabum deserta progredientem, opperiens: & post[illegible], Graecis & Caribus auxiliarijs egregiè pro ipso pugnantibus, praelium; in fugam versus, Memphin se recepit.

Vbi caduceatore, quem Cambyses adverso flumine & navi Mitylenaeâ, ad deditionem postulandam, submiserat, crudeliter cum nautis interfecto; quum Libyes, Cyrenaei & Barcaei, desertâ Ægyptiorum societate, Persici regis imperata accepissent; neque ulla subsidij spes superesset; urbs illa expugnata est, & rex ipse in manus venit. (Herod. lib. 3. Psammenitum VI. omninò regnâsse annos tradit. Quod mirum; nisi unà cum Patre, vel solus, Patre saltim superstite, regnârit.)

Illum autem, iam ludibrio & morti destinatum, ob spectatam in responsis extemporarijs prudentiam; & animi in rebus adversis, & in ipsâ Liberorum suorum captivitate, aequabilitatem ac constantiam; ita in gratiam recepit Cambyses; ut & filium eius, morti ignominiosae, cum II. Ægyptiorum Millibus, (ob caduceatoris, & Mitylenaeorum, ad Memphim. necem, cum perfidiâ coniunctam) piacularis victimae instar, addictum; liberaturus fuerit; nisi praecipitato à carnifice supplicio, inter primos, truncatus fuisset.

Cuius gratiae posteà Pater oblitus, dum Ægyptios clàm ad defectionem sollicitaret; iterum captus & convictus, epoto tauri cruore, exspiravit.

Patris autem Amasidis cadaver, in urbe Sai pridem tumulat[illegible] & tum refossum, omnique iniuriarum genere indignè tractatum; Cambyses, contrà Patria Ægyptiorum instituta, concremari iussit.

Quumque hoc rerum successu inflatus ille, simul in expeditionem, uno eodemque ferè tempore, sed diversis itineribus, copias, novo supplemento auctiores, tripertitò; adversus *Carthaginienses*, *Ammonios*, & *Æthiopas* Macrobios, mittere instituisset quod & hinc *Phoenices*, nautici exercitûs primarium robur, adversus Poenos, cognationis foedere sibi, & mutuo iureiurando devinctos, proficisci cum navibus pernegarent. Et indè, post exploratores ab Æthiopum rege irrisos, ipse frustrà ulteriùs promoto peditatu, prae rerum necessariarum penuriâ; & ingravescente, ex morbis, militum strage, retrocedere coactus esset.

Et copiae, quibus Hammonios diripiendi, & nobilissimum ibidem Iovis oraculum incendendi, negotium dederat; Oasim usque progressae; & dein tempestatibus, atque arenarum molibus, vehementi Austro aggestis, penitùs oppressae interijssent; nihil praeclarum praestitit.

Sed Memphim regressus, in Ægyptios, invento tum fortè, ex veteri superstitiosa observatione, Api, sive Epapho (vitulo, certis notis insignito) diem festum agitantes, (Sacerdotibus mulctatis, & Api vulnerato, & Ædibus caeterorum Deorum eversis) furorem suum ebullijt.

Et qui mentis usqueadeò numquàm compos fuisset, in apertum furorem actus, SMERDIM, ex ijsdem parentibus sibi fratrem; quem priùs quidem, ob virtutem sibi suspectam, ex Ægypto, in Persidem remiserat: Deinde; quòd sibi per quietem visus fuisset, eumdem in regio solio sedentem, & vertice coelum contingentem, videre; per PRAEXASPEM, clàm interficiendum curavit. (Iust. libr. I. Ad tam crudele ministerium, magum quemdam ex amicis, nomine Cometen, delectum, tradit.)

Et sororem iuniorem, sibi in Ægyptum usque comitem, uxorem & reginam: quae conspecto forte Leonis & Canis, inter se commissorum, certamine, (in quo, dum Catulus à Leone vinceretur, alter catuli frater, abruptis loris, superveniens, opem tulerat, & superior evaserat) familiariter illacrymâsset, & caussam fletûs rogata, respondisset; *Nihil minus fratri suo Smerdi obtigisse, quàm istiusmodi spectatam in duobus catulis fidem*. Ipse, cordato responso & indignatione percitus, impactis in praegnantem calcibus, & abortu consecuto, exanimavit.

PRAEXASPES autem illo, è Persis ei fidelissimus, qui caeteris omnia adprobantibus, unum vinolentiae vitium in eodem Cambyse reprehendisset; filium natu minorem, ceu quoddam eximiae iaculandi, in rege etiam perpoto, peritiae, experimentum, obijcere coactus est. In quem rex, ceu metam sibi destinatam, collimans, & eiaculatus, quùm cor eius peritè transfixum ostendisset; in ebrio nullum exstinctae mentis crimen, scilicet! declaravit.

Et quùm idem CROESVM ipsum, liberiùs commonentem, arrepto arcu iam-iam transfixurus esset; & ille concito cursu periculum evasisset. Atque adeò servi, iussi hominem è fugâ comprehensum interimere, poenam ad tempus prudenter distulissent: Illum quidem superstitem, irae & imperati poenitens, & lubens servavit; hos verò, qui vitae hominis, sibi licet cari, pepercissent, uti sibi immorigeros, morte mulctavit.

Talibus rex ille facinoribus, apud Memphim, insaniam suam prodebat. non in homines modò, sed in Deos ipsos, eorumque delubra, (licet Barbaram, & alijs gentibus inusitatam, Ægyptiorum superstitionem abominari iactaret) acerbissimè saeviens. (Bedas, Ab en Babylonem, in Ægypto, aedificatam tradidit.)

POLYCRATES SAMIVS.

Eo ipso ferè tempore, quo CAMBYSES in Ægypto grassatus est; POLYCRATES, Æacis F. fratribus Pantagnoto & Sylosonte, aut extinctis, aut in ordinem redactis; totius primùm Sami, deinde vicinarum Insularum, & multorum in continente opidorum, potens, admirabili felicitate, adversus Lesbios, Milesios, & Lacedæmonios, rem gerebat: Amasi, Ægypti tum regi, amicus anteà, & hospes.

Verum hic, quùm nimiæ federati hominis prosperitati diffideret; & casum gravem, quem sibi communem esse nollet, animo & metu præciperet; tesserę hospitali renuntiârat. Neque ità multò-post Oroetes, (al. Orontes) Sardibus à Cyro olim præfectus, inani pecuniarum cupiditate illectum, & Magnesiam à se evocatum, Polycratem, tetra morte adfecit; & in excelsissimo Mycales, montis, vertice, cruci adfixit.

SMERDIS, Magus, Tyrannus: cum Patizithe.

Intereà vero dum CAMBYSES in Ægypto immoratur, (Iustin. vult hæc, quæ sequuntur, gesta, post mortem Cambysis e vulnere) Magi duo natione Medi, Patizithes & Smerdis (Iustin. Oropastes) fratres. Ille, rei domesticæ curator a Cambyse relictus: hic Curiæ custos, sive Atriensis: Smerdi, Cambysis fratri, non cognominis modò, sed toto corporis habitu & faciei lineamentis, quam-simillimus, in regem absentem, Susis, conspirarunt.

SMERDIS ille, Cyri Filius, clàm à Prexaspe interfectus, plerosque è Persis latebat. Qui hunc nomine & ore referret, Magus iste, à fratre ad fraudem instructus, & in regio solio collocatus, missis passim caduceatoribus, sibi ut deinceps, non Cambysi, pareatur, edicit.

Iam ad Ecbatana usque, Syriæ (f. Adiabenæ) urbem, Cambyses exercitum reduxerat. & audito Smerdis, qui regnum invaserat, nomine; Fratrem, quem falso somnio deceptus interimendum curâsset, lamentis & sero fletu prosecutus, equo admisso, copias, Susa versus, in Magum ducere properabat. quùm evaginato sponte suâ gladio femur sibi ipse perstrinxit. qua in parte Apim anteà percusserat. Et audito loci, Ecbatanę, nomine, fatale sibi esse ibidem occumbere, ex oraculo veteri, cognovit, licet in Ecbatanis, Mediæ Metropoli, ubi omnes eius erant thesauri, se è vita decessurum esse interpretatus.

Ipse itaque coacto primi nominis Persarum coetu, parricidium confessus, & ingenuo fletu detestatus; & ad parandum Magis Medis ultionem Achæmenidas cohortatus, quùm VII. omninò annos, quinquemestri amplius, regnâsset, (Sic Herod. qui VII. etiam menses, quibus Magus Smerdis ab eius excessu regnârit, reliquos esse ait, ad IIX. regni Cambysis annum explendum) animam efflavit. Et ut Iustin. censet) poenas, seu impetan parricidij; seu sacrilegij, in Ægypto, perpetrati, exsolvit.

3412. Nos illi cum Severò, annos regni unà cum Magis, IX. ex Olympiadum observatione, attribuimus. 518.

Hoc unum insignitæ severitatis exemplum reliquisse traditur Cambyses. quòd SISAMNEM, in priori Asiæ parte præfectum; & corruptelæ pecuniariæ, ex iniquo iudicio, convictum; occidi iusserit. & detractam ex corpore eius pellem sellæ intenderit: atque, adeò in eâ F. OTANEM, paterni muneris consortem, collocarit. tamque atroci & novâ poenâ, ne quis in posterum corrumpi Iudex posset providerit.

Creli de Cambyse, uti anteà de Cyro, longè ab Herodoto diversa commemorat. Iussu eius, paternum corpus, per Bagapatem Eunuchum, apud Persas sepultum.

Adversus Ægyptum, & AMYRTÆVM regem, exercitum eduxisse; posteaquam Combapheus Eunuchus pontes & alia munimenta prodidisset; Ægypti præfecturam perfidiæ præmium, sibi pactus.

AMYRTÆVM captum, & cum VI. delectorum Ægyptiorum Millib. in Susa relegatum.

Ægyptum, non sine memorabili incolarum strage, & aliquot Persarum mortibus subactam.

Fratrem Cambysis Tanyoxarcem, à Sphendadate Mago, de insidijs & rebellione insimulatum, taurini sanguinis haustu clàm extinctum.

Ipsum Magum, quod ob oris similitudinem Tanyoxarces existimaretur; alios omnes, præter Cambysem, & regiæ familiariores, diu latuisse: & in Bactris, fratris regio habitu & nomine, rem administrasse.

Amytin, matrem regiam, quæ iam facti certior Sphendadatem sibi à Cambyse filio, ad certum supplicium, depoposcisset, & repulsam tulisset; hausto veneno emortuam.

Ipsum regem quùm Babylonem venisset, cultello, quo lignum exiguum, temporis fallendi, polibat: femoris musculum sauciâsse; & XI. post die mortem obijsse, quum XIIX. annos regnasset.

Bagapaten, & Artasyran, (Hyrcanium) antequàm Cambyses moreretur, consilium regni Mago tradendi iniisse.

Ixabates

Ixabaten verò, è Perside, quò Cambysis corpus deportárat, reducem, de Mago, qui Tanyoxarcis nomine, regno potiretur, indicium, apud milites, non sine vitæ periculo, professum esse.

Hinc VII. in Persis Principes viros, adversùs Magum conspirásse. qui fuére. ONOPHAS, IDERNES, MORONDABATES, MARDONIVS, BARISSES, ARTAPHERNES, ET DARIVS HYSTASPIS FILIVS.

Hi fide inter se datâ, Bagapaten & Artasyran sibi adsciscunt, penes quos Regiæ claves essent. Ingressi illi. Magum, cum pellice Babyloniâ, offendunt. eumque, arrepto sedilis aurei pede, quòd nihil bellici instrumenti ad manum esset, pugnantem, occidunt. quùm VII. menseis regnásset.

Ex eodem die festum, MAGOPHONIA dictum, à Persis celebratur.

Iustin. vult Magum, antè famam amissi regis, facinus occupásse. & prostrato MERGIDE; cui regnum debebatur, fratrem suum, Oropasten, subiecisse: Et nemine dolum subesse arbitrante, regem constituisse.

At quoniam Magi, ad favorem populi conciliandum, tributum & militiæ vacationem, in triennium permisissent; rem eam primò OSTANI, viro nobili, suspectam fuisse. Deinde, quùm idem per filiam, regiarum pellicum unam, certior factus esset, regem auribus (quas utrasque Cambyses (Herod. Cyrus) Mago, custodi tum atrienti, præciderat) esse mutilum; re Persarum Optimatibus indicatá, eosdem sacramenti religione obstrictos, in cædem falsi regis impulisse.

Septem tantùm huiusce conspirationis fuisse conscios. qui occultato sub veste ferro, & obvijs ad regiam interfectis, Magos, licet intrepidè obsistenteis, occiderint.

Herodot. lib. 3. post Cambysis excessum, quòd Præxaspes obstinatè negaret, contrà atque Cambyses palàm fuerat protestatus; Smerdim Cyri, à se fuisse interemtum: Persæ sibi non à Mago; sed ab illo Smerdi, rebelli quidem, sed iusto fratris herede, imperari persuaserant. Quâ publicæ credulitatis opportunitate usus Magus, cognominis, VII. menseis impunè, & non sine egregiæ aut adfectatæ potius, in subiectos liberalitatis, ostentatione, regnârit. IIX. autem mense, OTANIS, (Iust. Ostanis) nobilis Persæ, coniecturâ, & filiæ Phædymæ indicio, fraudem detectam; & cum Aspathine Gobryâque, Persarum primoribus, communicatam.

Adscitos in societatem; INTAPHERNEM, MEGABYSVM, HYDARNEM; & tandem DARIVM Hystaspis, Persarum præfecti, Filium: qui eâdem fini, sordidæ dominationis opprimendę, & necis Mago comparandæ; Susis, è Perside, advenerat; aditum sibi, quocumque prætextu, ad falsum regem paraturus.

Intereà quidem Præxaspem, à Magis ad peniotiorem amicitiam solicitatum, & iussum ex editâ turri prædicare & in vulgum commendare Smerdis, uti germani Cyri filij, imperium.

Quùmque ille exorsus ab Achæmene, seriem regiæ Cyri familiæ, eiusque in Persas beneficia, recensuisset; & imperatam sibi à Cambyse Smerdis fratris necem; & usurpatum à Mago, cognomine, regnum, confessus esset. non sine exsecratione, si Persæ ab ultione supersedérent: ex eâdem turri præcipitem se deiecisse.

VII, autem Coniuratos, rei à Præxaspe gestæ ignaros; sed Deum comprecatos, & augurio confirmatos, ad regiam contendisse. Et post aliquantum certamen, (quo duo ex ipsis, Aspathines & Intaphernes, vulnerati sint) Gobryâ medium hominem complectente, & Dario feliciter feriente, Magos interfecisse, eisque cervices præcidisse. Et reliquæ Persarum multitudini, ad promiscuam aliorum, in regno, Magorum occidionem, exemplo præivisse. Hinc Diei solenni, *τῆς μαγοφονίας* nomen inditum.

Mòx autem illos, clarissimos anteà domi militiæque Principes; nunc regiæ dignitatis, & publicæ libertatis vindices, de rei regnique summâ inter se, & in commune, consultásse.

Ibi post præclaram sententiarum, de regno constituendo, an mutando, varietatem; tamquam ad maximè salutarem reip. formam, Singulare unius Imperium, hoc est, Monarchiam, sit recursum.

PRÆCLARA, DE REGNO IN PERSIS CONSTITVENDO, CONSVLTATIO.

OTANES primum sibi minimè probari adserebat, Vnus ut posthàc Princeps reip. Persicæ præficeretur. quod neque id bonum, neque conducibile esse iudicaret.

Quò enim licentiæ Cambyses; quò Magi progressi essent, omneis meminisse.

Quis sanus Monarchiam, quam certo cum vitæ periculo ipsi sustulissent, iterum repopat; & liberis iamnunc cervicibus imponat? In quâ, pro lubidine, & impunè omnia agere sibi nemo, ad id delectus, non præfidat? Quæ certè licentia viros, optimè licet, & à naturâ, & à curâ, institutos, transvorsùm agat, & de statu deijciat.

In homine namque, præter invidiam, quasi agnâtam, ex præsenti bonorum copiâ, facilimè insolentiam inherescere, Quâ duplici peste siquis corruptus est; omni mox maliliâ coopertum iri certum est. cum & præ rerum omnium saturitate, insolescat; & præ ieiunâ animi malevolentiâ, nihil non flagitiosum in alios designet.

Et quum Tyrannos tamen, qui opibus & copijs, antè ceteros, adfluunt, à livore vacuos esse oporteat; tum contrà suis ipsi popularibus maximè adversari; & optimis quibusque, licet tenuioribus, invidére; & deterrimis, etiam potentioribus, delectari, persæpè comperiuntur.

Et quod longè indignissimum; criminantibus aureis suas patere, maximè ex usu suo esse deputant.

Modestè quis eos admiretur aut laudet! offendit, quòd effusiùs id non faciat. Effuse id alius faciat; in adsentatoris crimen incurrit.

Atque adeò, ut quæ sunt maxima, oratione exsequat; Sub talibus Dominis, *iura patria labefactantur: feminarum castitati ludibrium aut vis infertur: indemnati deniq; necantur.*

Ecquis non potius eam reip. formam amplectatur, quæ nomen obtinet omnium pulcerrimum & exoptatissimum; *ἰσονομίαν*, sive Iuris æquabilitatem! Vbi tum Magistratus, suam quisque vicem, sorte aut suffragijs deliganiur; tum ijdem, reip. à se, benè an secus, administratæ, rationem reddere cogantur! Omnia denique consilia in commune referantur!

Censeo itaque nobis, qui Monarchiam evertimus; popularem, sive multitudinis, in quâ omnia insunt, statum, uti optandum; ita esse à nobis in præsentiâ constituendum.

Deinde MEGABYZVS, quùm ad Oligarchiam, sive paucorum dominatum, rem traduci mallet; his pænè verbis socios ad idem seriò capessendum exhortari cæpit.

Quæ OTANES abolendæ quidem tyrannidi dixisset; sibi probari. quæ verò summæ rerum ad multitudinem deferendæ; procul ab optimâ sententiâ discrepare, sibi videri.

Quid enim populari multitudine aut insipientius, aut insolentius? Quis tolerandum esse iudicet, eos qui tyranni sævitiem effugerint; in crudeliorem effrenatæ plebis recidere impotentiam! Quùm ille non imprudens faciat, quod facit; hæc, indocta semper, & honesti, rerumque adeò domesticarum, ignara; immò volens & sciens, & ad res agendas præceps, & torrenti similis, temerè proruat.

Si igitur Persis benè consultum cupimus; cœtum virorum optimorum deligamus, & ad eos imperij summam deferamus. Inter quos, & nobis locus erit; & ex optimis viris, optima non poterunt non existere consilia.

Postremò DARIVS; Ex ɪɪɪ. Reip. benè constitutæ formis, ijsque optimis; ut optimè populus imperet, optimè pauci, optimè unus: Vnius certè Imperium, sive Monarchiam, longè cæteris antecellere, contendebat. Quùm unius viri, qui optimus sit, imperio sive principatu, nihil melius esse constet.

In paucorum quidem dominatu; ubi plures etiam in virtutem incumbunt, vehementiora etiam privatim odia excitari. quum quisque princeps esse; & in sententiâ dicendâ, priores ferre, exoptet. Vnde seditiones exsistere; & hinc cædes: & è cædibus, ad unius imperium, ceu quoddam malorum, & labentis civitatis, remedium, deveniri necesse sit.

Plebe verò dominante, non potest non nequitia exoriri. quâ semel in rep. exortâ; non odia inter malos, sed validę existunt promiscè factiones.

Et hominum adversus remp. facinorosorum, qui sua consilia, quo nescio prætextu occulrare solent; audaciæ, tum demùm modus poni potest; quùm idem populus, in contraria studia discissus, unum aliquem, quem præ cæteris, ob merita & pietatem, admiretur; sibi præponi, ceu publicæ controversiæ arbitrum, patiatur.

Qui enim tali suî admiratione populum adficit, & in se convertit; is & Monarchum se palàm prodit: & Monarchiam, statum esse reip. in cæteris, præstantissimum, declarat.

Atque ut breviter rem complectar. cui libertatem nostram, quâ hactenus fruimur, referamus acceptam? populone, aut paucis; an Monarcho! Quùm ergò ab uno viro principe, in libertatem, ex gravi & diuturnâ Medorum dominatione pridem simus vindicati; eiusmodi imperium nobis complectendum esse; & à patrijs legibus, quas optimè conditas à maioribus accepimus, minimè discedendum sentio.

Quùm in hanc DARII sententiam reliqui IV. abijssent; & unus Otanes, indicij de Magis, & susceptæ in eosdem coniurationis, auctor: quique imperij popularis æquabilitatem persuadere fuerat conatus; & iam-tum prospiciebat, aut sorte, aut suffragijs, sive electione, unum ex VII. Viris, regem futurum. nec refragari volebat. Eâ tamen lege ius suum imperij reliquis cessisset; ut neque ipse, neque ullus è suis, regi, quem delecturi essent, in posterum parére cogeretur.

Ipsi, nobilitate & virtute ità pares, ut difficilem ex his populo electionem æqualitas faceret; ità de regno inter se concordarunt.

Vt die postero singuli, quos conscenderant, equos, antè regiam (al. in suburbana) manè perducerent. Et cuius equus, antè Solis ortum, primus hinnitum edidisset; is regno præficeretur.

(Solem nempe Persæ unum Deum esse credunt, & equos eidem sacratos ferunt.) Atque eâ viâ, de se iudiciū, religioni & fortunę visi sunt, cum bonâ omnium gratiâ, committere.

Hic DARIVS, inter cæteros, de regni eventu solicitus, Oebarem, (al. Ecbarem) suum sagacissimi ingenij equisonem consulens, prosperum rei exoptatæ effectum, ex eius acumine, & hoc pacto, assecutus est.

Pridie diem constitutam, eódem loci, qui fuerat delectus, noctu equum deducit, & equę adamatæ admittit. ratus, ex voluptate Veneris, futurum, quod evénit.

Herod. lib. 3. & Val. max. l. 7. tradunt, in equæ genitale demissam à Servo manum; & quùm ad eū locum ventum esset, naribus equi admotam. quo odore iritatus, antè omneis hinnitum ediderit: & (Iustin.) segnibus alijs, felix auspicium Domino primus emiserit.

Quo audito, cęteri summæ dignitatis candidati, summâ cum moderatione ex equis confestim desiliunt; & DARIVM, prostratis, ex more, humi corporibus, regem salutant. populusque universus, principum iudicium secutus, eumdem regno inauguravit.

At DARIO, præter formam & virtutem, eo imperio dignam, multum etiam cognatio, cum pristinis regibus iuncta, profuisse putatur. quem Severus, ex fratre patruele Cyri natum, adserat.

Apud

[illegible] Achæmenidarum stirpe [illegible] [illegible]

[illegible] D[illegible] F. D[illegible]RIVS, HYSTA[illegible] [illegible] A[illegible]SAME[illegible] ARSA[illegible] [illegible] ANNI[illegible] fuit THEISP[illegible], q[illegible] qui fuit CAMBYSIS, qui [illegible] A[illegible]

[illegible] regni, [illegible] in regnum succes[illegible], [illegible] ante CYRO ipsi, per quie[illegible] in Scythas traiecisset; præsigni[illegible] dicitur.

[illegible] in somnis cernere maximum natu è filijs H[illegible], qui aptas humeris alas haberet: quarum una Asiam, altera Europam inumbraret. Erat autem HYSTASPES, Arsameis, ex Achæmenidarum, uti dictum, stirpe, filio, primæ ætatis filius hic DARIVS, XX. tum annos natus; & ob immaturam [illegible] ætatem, in Perside relictus.

CYRVS itaque experrectus, & somnij memor, insidias sibi absenti intendi à DARIO ex coniectura ratus Hystaspem Patrem in Persas [illegible] reverti, & [illegible] custodire, ut eundem [illegible] à M[illegible] expeditione reduci, ad caussam dicendam, sisteret. Hoc portentum interitus, Cyro impendentis, & regni ad Darium aliquandò perventuri.

DARIVS, III. REX PERSARVM.

[illegible] | ———————— | 516.

[illegible] quod XXXVI. deinceps ann[illegible] ut idem regalibus nuptijs fir[illegible] [illegible] translatum, quàm [illegible], existimaretur: ST. pri[illegible], ATOSSAM, quæ Cambysi fra[illegible] Mago enupserat; & ARTYSTO[illegible] virgin[illegible]. Tum PARMYN, Smerde, altero [illegible] natam, & PHÆDYMAM, Otanis, qui M[illegible] prodidit, filiam, in matrimonium te[illegible].

[illegible] Prætereà toto regno, Satrapias, sive pro[illegible] [illegible] totidemque præsides præfecit. ve[illegible] quæ quotannis penderentur, per nati[illegible] tributis. Q[illegible]m Cyrus antè, & Camby[illegible] muneribus quæ à singulis ultrò sibi ad[illegible] [illegible] fuissent. Hinc Persæ Da[illegible] qui [illegible] ducere, & venalia habere omn[illegible] institorem. Cambysem, aspe[illegible] & [illegible], Dominum: Cyrum, mitem & in[illegible] Patrem appellárunt.

Da[illegible] us Asiatos omnes dicto audien[illegible] Arabas. Qui licet à Cyro, & [illegible] C[illegible]mbys[illegible] hospites tamen & socij, q[illegible] [illegible], audire & existere ma[illegible]

Rex deinde INTAPHERNEM, unum ex Magorum percussoribus, quod insolentiùs sese Regiæ ingessisset; & admissionaleis superbè inclemen terque tractásset; de rebellione suspectum: Et OROETEN, qui POLYCRATEM Samium morte infami pridem adfecerat; multaque alia flagitia adversùs regios ministros patrârat; interficiendos curavit.

DEMOCEDEM Crotoniaten, Medicum, Polycrati antè familiarem, hortatu uxoris Atossæ (quæ scilicet, ex victâ bello Græciâ, Lacænas & Atticas, clientas sibi aut ancillas, concupiscerer) cum quibusdam spectatæ apud se fidei Persis, navi in Græciam amandavit. qui celeberrima quæque eius regionis loca explorarent, & describerent. Iamtum animo bellum Europæis molitus.

SYLOSONTEM, Polycratis fratrem (quòd olim apud Memphim, Dario, tum Cambysis satelliti, neque inter suos honorato; amiculum quoddam rufum, liberaliter donasset) non sine ingenti Samiorum, perfidè rebellantium, strage, in fraternti principatûs possessionem, pulsis æmulis, per Otanem socerum, & C VII. visis unum, restituit.

ZOROBABEL, DVX IVDÆORVM.

Se[illegible] idem DARIVS, adhuc privatus, Deo, [illegible] voviss[illegible], si regni compos evaderet, permi[illegible] summo curaturum, ut non modò [illegible] ædificaretur; sed Vasa sacra omnia, [illegible] Babylonem essent, capiuva, & reliqua, [illegible] tuerentur.

[illegible] fortuna, sub-intereà temporis, ZOROBABEL, vetus [illegible] amicus, (quo, proculdubio [illegible] & [illegible]e, in huiusmodi pietatem [illegible], quod dixi, votum [illegible] Esdr. [illegible]. cap. 4.) Quique multorum [illegible] Iudæorum è Babylone, in patriam, Cyro indulgente, revertentium, dux fuerat declaratus, ad regem, recèns inauguratum, venit; & pristinum regij satellitij munus, atque honoratum in Aula locum, recuperavit.

Genebr. vult ZOROBABELEM, rebus in Iudæâ constitutis; & rerum summâ Pontificibus relictâ; in Babyloniam remigrâsse. Ex eius filijs & posteris [illegible] alios principatum in Babylone exercuisse; alios starim in Iudæâ sedem posuisse. Vndè maiores CHRISTI Domini, quos S. Matth. recenset.

Evenit itaque, ut postquam primo regni sui anno, (qui Maffæo, est 1[illegible]. Olympiad. LX[illegible].) Darius, tàm domesticis suis, quàm Medorum & Persarum Satrapis; & XXV [illegible] Indi[illegible] ad Æthiopas [illegible]que provinciarum prædibus; epulum apparatissimum præbuisset. Et ipse hospitibus, domum quoque suam, digressis, post le-

vem in lecto quietem, expergefactus, insomnia vexaretur; III. Adolescentes, corporis regij custodes, inter quos ZOROBABEL, præter tenui regis molestiam, pro viribus levaturi, in certamen, factâ sponsione, descenderent; Quis ex ipsis Acroama scitius, prudentiusve plenius, proque re nata accommodatius, in medium proponeret: & scripto comprehensum, regis, & magistratuum censuræ subiiceret. non sine ingenti victoriæ mercede. (Ioseph. tradit, Quæstiones à rege singulis propositas, & promissa victori præmia.)

Ex ijs, Vnus Vino, alter Regi; tertius Mulieribus; & suprà omnia, Veritati, primas, inter cætera potentiæ humanæ momenta, deferendas censuérunt.

Rex postridie, coacto purpuratorum cœtu, iubet trium satellitum quemque suo dicere loco, & sententiam tueri.

PRO VINO.

Primus itaque his ferè argumentis Vini vireis exaggerare cœpit. Menteis eorum, qui vinum potant, de recto rationis iudicijque statu deturbari.

Regem ipsum, si adfatim biberit, haud secus ac puerum, parentibus orbum; egere curatoris.

Servos, conditionis suæ oblitos, in liberrimam agendi dicendique licentiam prorumpere.

Inopes, in contractâ paupertate, solutos, divitū spes & animos induere: penitùs immutari, & in securitatem dari.

Calamitosis quidem, omne tristitiæ & solicitudinis onus eximi.

Ære autem alieno, & fenebri usura obrutos, suprà omnem copiarum spem, ita extolli; ut pristinæ sortis prorsùs immemores, nihil iā humile spirent; sed fecundis calicibus irrigati, mera talenta, & magnificas opulentiorum glorias, crepent.

Atque adeò, quùm neque ipsum iam regem, aut magistratum reformident; neque amicorum aut familiarium commeminerint; raptis interdum gladijs, in obvios quosque, nullo discrimine insultent. Vbi verò temetum tumum somno nocturno edormierint, & sobrij sibique redditi exsurrexerint; omnium eorum, quæ per ebrietatem designarint, ignari, vix obstupescant.

PRO REGE.

Alter, qui regiæ potestatis præstantiam, vireisque exaggerandas susceperat; Omnium, aiebat, rerum penes homines esse imperium. quibus terræ ac Maria obediant, & quoscumque ad usus pateant. Quum autem ipsis hominibus Reges imperitent; & pro suo arbitratu, quas lubet, leges imponant; Quis eum, qui in hominem, animalium fortissimum, dominatur, non perspiciat incomparabili virtute esse præditum?

Ex subiectis, qui militiæ nomen sunt professi, dum nunc hostibus armatis objiciuntur; nunc cum mœnibus ac turribus, ipsisque adeò montibus, naturâ & situ arduis, confligari, bellumque gerere coguntur: ne regia ullam in partem iussa detrectare videantur; cædi iuxtà atque cædere parati, in certissima sese vitæ discrimina præcipitant: & omnia victoriæ, sanguine suo partæ, commoda ac spolia, imperioso domino, regi, resignant.

Qui verò à militiâ immunes, agris colendis dant operam; ex fructibus, pòst longos labores perceptis, & vix in horrea comportatis, eidem tributa persolvunt. Quicquid denique ille unus iusserit, à singulis sine morâ confici. Quæ hic evertit, plantant, mutant, ædificant; regi omnino parent.

Interim ille delicijs omnibus & voluptatibus circumfluens, & securus in cubili recumbens foris, satellitum manu, domi, assiduis ad fores excubijs, probè stipatus & munitus. Et hi, certo metu quodam vincti, nusquam pedem efferre; neque relictâ statione, ad privata etiam negotia abire, in animum sibi inducant.

PRO MVLIERIBVS, ET VERITATE.

ZOROBABEL, cui tertius, de Mulieribus, & de Veritate, quæ quantæve earum vis esset, dicendi locus fuerat relictus; quod instituerat, sic docere est adgressus.

Qui antè me dixerunt, & partim magnam in Vino vim; partim Maiorem in rege, cui omnes obtemperent, potentiam inesse, probare sunt adnixi: Quid non mulieribus tribuendum esse censeant; per quas tum Domini & reges ipsi, tum coloni ac vinitores, in hanc lucem producimur! Quibus denique nihil est pæne, in omni hominum vitâ, quod non acceptum merito ferimus.

Earum in primis operâ atque arte contexuntur ea omnia, quibus tegimur & convestimur. Rei domesticæ & familiaris decus facile & confestim obsolescat; si feminis careamus.

Quod si etiam magnam auri atque argenti, & pretiosarum eius generis rerum, vim, tum nostro, tum alieno labore, comparaverimus, ad formosæ mulieris conspectum, & lubricam adamatæ formę cupiditatem, curas illas & certamina omnia proijcimus ac prodigimus. Parenteis, patriam, omnemque caritatem, mulieri peregrinæ, quæ nobis coniungi se patiatur; posthabemus. Et cum eâ non commori modo; sed per fas etiam & nefas grassari; & cædibus furtisque explere eius lubidinem, satagimus. In servitutem in dementiam, in certam denique mortem, nos eius caussâ ultrò conijcimus.

Neminem esse opiner ex tot tàm vasti regni proceribus, qui vel digito uno regem nostrum contingere, ne dicam offendere, audeat. Hisce nihilominus ego oculis vidi, (quod mihi, pace eius, dicere liceat) illum ab APAME, Bezacis mirifici (Ioseph. Rhapsacis Themasini) filiâ, quæ concubina latus ei clauderet, & diadema de capite regio detractum sibi imponeret; lævæ manus palmâ, os malasque patientissimè commitigari, an percidi! Ridenti adridere, & offensę gratiam, blanditijs emereri.

Interim dum hæc dicendi tum gravitate, tum libertate, unà cum rege proceres, alteri in alteros, vultus oculosque conversi, & attoniti conticescunt; ZOROBABEL ad agendam pro Veritate caussam delabitur.

Quum latè patens, inquit, terrarum sit orbis, & cœlum immensæ altitudinis, Solem nihilominus circumvectum tantâ celeritate, à Cardine Orientis ferri ad Metam Occidentis: atque inde ad dextram cœli regionem revolvi, conspicimus; ut uno integro circuitu diem noctemque conficiat. Et modò sublimis, pulcerrimos nobis radios ostentans; modò

[illegible] blitescens omnes ità aë[illegible] lon[illegible] lateq[illegible] occupet atque illustret.

[illegible] bile s A[illegible] ronim ord.nes. ipsorumq[illegible] is [illegible] versiones. alternam dierum noct[illegible] & [illegible] uat[illegible] vicissitudinum, accretion[illegible] utionem.

[illegible] n perpetua constantia clamat [illegible]. Tantorum operum laudem [illegible] a[illegible] non esse t[illegible]endam. sed aliquem [illegible] qui hæc universa ab initio c[illegible]sti[illegible]; & sempiternis sæculorum ætatibus mode[illegible]servet.

[illegible] mortales ad cultum & venerationem veri Dei mirabiliter accēdi · vim eius admirari: Verit[illegible] tem, rerum omniū effectricem, cognoscere: gr[illegible]tis denique animis pietatem colere debeant.

S[illegible] itaque terra, frugum animantiumque pa[illegible] atem, perpetuæ in hisce infernatibus, & [illegible] rd bus rebus, cōstantiæ auctorem, prop[illegible] implorat.

[illegible] u[illegible] lendidissi[illegible] is undique sideribus orn[illegible] ati Sun[illegible] motu circumvectum, cont[illegible] l[illegible] des prædicat.

S[illegible] omnes creatæ, suo quæque ordine [illegible] tæ, eamde[illegible] contremiscun[illegible]; Quid [illegible] q[illegible] Ve[illegible] fons est, & princeps istius nodi [illegible] um [illegible], magnificentius! quid robustius!

[illegible] qui omnia, Vinum, R[illegible]x, Mulieres, q[illegible] cæteris pollére iudicata sunt; celereis habeant [illegible] xitus; mortalia sint, neque ab iniquitate secr[illegible] & Veritas immortalis ac sempiterna; & e[illegible] ra, neque ulli temporum iniuriæ, neque te ip[illegible] s [illegible] us fortunæ vicibus, obnoxia, sed æq[illegible] tat[illegible] & [illegible] stantiæ plena omnia.

Veri[illegible] que Dei Leges, docent, iudicio & ratio[illegible] re[illegible] summâ iustitiâ & veritate [illegible] Quibus præmijs boni adficiendi; [illegible] mali sint mulctandi, consti[illegible]

H[illegible], q[illegible] Iudices adsensissent; & Ve[illegible] s, q[illegible] u n[illegible] hil omnium eorum, quæ fortia cen[illegible] n ur, si ull[illegible] modo conferendum; vim po[illegible] tiam [illegible] comprobássent: Et rex ZOROBABE[illegible] n[illegible] m[illegible] d[illegible] sibi adsessorem, & ceu cognatâ necessitudin[illegible] bi propinquum adscivisset; sed ob tam præclarum sapientiæ specimen, suprà ea, quæ ini[illegible] o po licitus fuerat, amplius etiam aliqu[illegible] à se postulare iussisset: Ille voti tantùm sui cum eo [illegible] onefecit. quo se ipse, si regiæ potestatis compos quandoque evaderet, olim damnásset

Denuò scilicet Hierosolymam se conditurum, & Dei ibidem Templum instauraturum. sacris Vasis, quæ tum Nabuchodonosor victor indè in Babylo[illegible] iam asportásset; tum Cyrus, captâ Babylone, suo [illegible] uc[illegible] emittenda tempore, separásset; quasi postlimini[illegible] restitutis.

Cuius postulati æquitate lætus rex, eumque cum osculo complexus; negotium dedit primùm Oeconomis, & Palatinis regiæ domûs officijs, ut ZOROBABELEM eiusque comites, fabricæ Templi in Hierosolymis perficiendæ, è Perside deducerent.

Deinde Phœnices, & Syriæ, Magistratibus; ut cedrinam e Libano materiem Hierosolyma deportarent; & novæ Vrbis conditoribus subsidio proficiscerentur.

Tum suis in Trans-euphratensi regione, procuratoribus ac Satrapis, ne quidquam à Iudæis, Zorobabelis comitibus, & avitorum fundorum reciperatoribus, quos liberos, & à tributi immuneis esse velit; exigerent; severe imperavit.

I[illegible] sunt præter [illegible] Idumęi, & Samaritę castella & agros, [illegible] ios iniuriâ intercepissent, pristinis possessoribus restituere. & ingentem talentorum vim, novæ fabricæ & quotidianis Sacrorum ritibus, quotannis, dependere.

Iudæis autem, ex veteribus patriarum legum institutis, sacra Deo suo faciendi potestatem permisit: & omnia, quæ eam ad rem usui essent; religiosa vestium ornamenta, quibus Pontifex cæterique sacerdotes in re divinâ amicirentur; Organa, quibus Levitæ hymnos accinerent; de suo voluit præberi. Vrbis verò Templique custodibus, certas agrorum portiones ac stipendia adsignari.

Quæ denique omnia Cyrus de Vasis Templi restituendis, & Iudæis in patriam iurò deducendis, antè decrevisset; ut ritè fierent, confirmavit.

ZOROBABEL autem, peractâ Deo & regi gratiarum actione, & accepto Epistalmate, Babylonem è Susis profectus, lætissimum popularibus suis nuntium adportavit. & ad iter capessendum; atque intermissum tamdiu Templi ædificandi, patriæque Vrbis, opus, eos excitavit.

Duces itaque exoptatæ in patriam profectionis, è suâ quisque Tribu, delecti. Iumenta quibus imbecillior Vxorum liberûmque turba veheretur, comparata. Equites mille, à Dario ipso, qui eos in pacatum deducerent, attribuiti.

Esdr. 3. c. 5. *Omnis Israël* (in patriam revertentium) erat, exceptis Servis & Ancillis, *XLII. Mill. CCCXL.*

E[illegible] 2. c. [illegible] *Omnis multitudo erat quasi vir unus,* XLII. Mil. & DC. (al. CCCC.) & LX. absque servis & ancillis eorum, qui VII. Mill. CCCXXXVII.

Muli, CCXLV. Equi DCCXXXVI. Cameli CDXXXV. Asini, VI. Mill. & DCCXX.

Iosepho autem, l. XI. c. 4. Eorum, qui è pubertate, sive anno ætatis XII. excessissent, ex II. Iudæ & Beniamini Tribubus, Ad quadragies & sexies centena, duodetricena Millia, (μυριάδες υξβ καὶ ὀκτακισχίλιοι.)

[illegible] Levitis, IV. Mill. & LXX. (λευῖται, τέσσαρες (subaudi χιλιάδες) καὶ ἑβδομήκοντα.)

In promiscua puerorum mulierumque multitudine, capitum XL. Mil. DCCXLII. CANTORES e Levitico genere, CXXIIX. IANITORES, CX. SERVI SACRI XXII. suprà CCC.

Eorum, qui se Hebræis, incerto genere, accensuissent, DCLII.

Et qui in ordinem mannusque Sacerdotum insinuassent; uxoresque alienæ aut ince[illegible] gentæ stirpis, duxissent; (quo nomine, sacrâ Tribuum classe expuncti sunt) ad XXV. suprà D. Servi[illegible] utriusque sexus, VII. Mille, CCCXX[illegible] VII.

PSALTÆ & PSALTRIÆ, CC[illegible]L. (al. LX.) V. CAMELI, CDXXXV.

Equi, … Mill. XXXVI. Muli … cc. Mil. XL … Et … menta dossuaria, ad v. Mill. … al. D. … XXV.

Verum in Iosepho, vel laxus est Numerorum error, vel ponis mira hyperbole … qui ex XLII. M… b. conficiat XLVI. Milliones.

Hoc appellatu ZOROBAB… , Salathielis, ut dixi, è Tribu Iudæ, & stirpe Davidis, Fil. unà cum IESV, sive Iosue, Iosedeci Pontifici filio; & cum Mardochæo, & Serebia … suffragi… uce fuerant delec… fundam… Templi rex … an … ven… .

Massæ. tradit; ZOROBABELLE … iisse in populum, gravi an… bo- rante … ob antegressorum … de qu… Aggæus.

3435. Et iam alterum regni annum agebat rex DARI… , … annus est à Libertate Babylonicâ XL… aut certe XLI. iniens. Lesmor. quod miror, XLI. quùm Iudæi commodum in patriam reversis, Prophetæ duo, AGGÆVS ET ZACHARIAS, exstiterunt & vaticinari cæperunt ille mense anni, VI. hic … x. 515.

Euseb. hunc annum incidisse dicit in Olympiadem LXV.

Ribera, cum Torniel. eum annum esse XVI. aut certe XIIX. à libertate Babylonica. quod sic colligere nititur.

Primo anno Cyri dimissi sunt (I. Esdr. I. cap.) Iudæi.

… Cyrus VI … annis in Babylone regnavit (nobis … antùm III.)

Cambyses IIX. ann. comprehensis VII. mensibus Magorum.

Dari, Hystaspis F. anno II. 19, quos dixi, vaticinantur quùm ad intermissa Templi fundamenta reversi sunt Iudæi.

Riberæ præterea idem annus, … ex Hieronymi & Euseb. sententia incidit in XXVII. annum TARQVINI S… RBI, & ultimum omn. regi… … nio p… expulsus … est.

De … p. … DEXXV … à C… admi… , ad … CÆSAREM.

Quibus … ann. cum … II. inc… b. … XL … Au… VATOR natus est, … à … turo, usque N … lem D … ter DX x.

E … SA, D. … circiter. M … A. & IVDA … X.

Ioseph ex lib. … Fl. … cap. 5. In hoc Iudæorum reditu, eadem pæn… ab … fuisse, & paria impedimenta eorum conatibus … objecta. commemorat, cu… quæ X. aut XI. antè annis, XI E… r. suprà à nobis sunt explicata.

AGGÆVS, ET ZACHARIAS PROPHETÆ.

Nunc de II. eâ ætate Vat…, ex instituto, aliquid dicendum.

Et AGGÆVM quidem tra… it Epiphanius, etiamdum Iuvenem, Babylone in Hierosolymam esse profectum, & de populi reditu ingenuè vati inatum. Ipse eo se munere functum esse dicit, II. Darii anno, primo die mensis VI. (qui nostratibus, Iulio & Augusto, ex parte respondet. Et tempus frugibus percipiendis, atque in horrea congerendis, opportunum.)

Prius quidem, apud populi ducem, ZOROBABELEM, Salathielis; & Pontificem IESVM, Iosedeci, Filios. Deinde verò, ad alios, tum sacerdotes, tum populareis. Quos gravissimè hoc nomine reprehendit; quòd licet à Cyro, atque iterum à Dario, regibus, quasi manumissi, & in patriam restituti vulgò tamen iactarent, (ob remoras longinquiores, quæ ipsis obiectæ essent.) *Nondum tempus ædificandi Templi advenisse.* quùm ipsi intereà *domos è cedro*, & materiâ pulcerrimâ, & quidem laquearibus insigneis, sibi, privatim quisque, exædificarent.

Atque adeò, propertereà quod in Domûs Divinæ structurâ … annis socordes exstitissent; eis quæ magnâ … piâ in agris sevissent, malis divinitus immissis tum pluviæ inopiâ, & terræ sterilitate; tum hominum iumentorumque morbis; perexiguum homo fructum rettulisse. Qu… verbis accensi … ipsâ cum Duce & Pontifice … ple… viter ad opus inchoandum … X … die mensis VI.

VII. autem mensis XXI. die, quum iam cæptum esset opus; Vates denuò ad II. quos … Principes; & ad cæteros è populo, … ; eosque ad Templi ædificationem cohort… s … illis præsentem Dei operam promisit … ver… nuntiavit: *Templum istud novum* quantumvis, ob parvitatem & impolitiem, cedere iudicaretur) *veteri* tamen, longè *gloriâ* … pacisque diuturnitate, *antecessurum*. propter Dei CHRISTI, qui paucis post seculis immineret, adventum.

Postremùm, XXIV. die mensis … Novembri & Decembri nostratibus resp… ndet … rùm ad eosdem missus, confe… sacer… tum, sim… itudine … & inducti… ne, … San… ctificatis … & immundis … extorta, … *Quæ quidem donaria in Templum hactenus Deo detulissent; ea minus grata & accepta fuisse. Tam gratum* tamen eidem *sacrorum iam Templi fundamentorum opus esse*, *ut* … *deinceps*, & fatorum *ubertatem*, *verum*, omnium *abundantiam*, immane-quantum, … *sit aucturus*.

Atque adeò sub Zorobabelis nomine, CHRISTI adventum,

adventum, & gloriam, post maximos toto terrarum orbe motus, & memorabileis regnorum ruinas, (quod quidem observandum; propter Persica deinceps in Græcos bella; intestinas horum seditiones; & Romanorum Monarchiam, ex iisdem victis, constituendam) futura, præsignificârit.

Neque ista tantùm, quæ commemoravi, Vates ille prædixit & docuit; sed suos etiam Civeis, in opere Templi perficiendo, enixè adiuvit. Et unà cum ZACHARIA, primus omnium (teste S. Epiphanio) ALLELVIA, (quod Hebraicè sonet, *Deum viventem laudibus efferamus*) Carmen scilicet de Dei laudibus, (cuiusmodi Psalmus, in hodiernum usque diem superstes, Aggæi & Zachariæ nomine, dicitur) cecinisse traditur. Migravit autem è vitâ ibidem; ad Sacerdotum sepulcra cum honore tumulatus.

ZACHARIAS verò, Barachiæ F. Addonis (qui 3. Esdr. c. 6. Addin dicitur) Nepos, licet bimestri serius, quàm Aggæus; diutiùs tamen, & pluribus, quàm idem ille, de Iudæis & Gentibus; de CHRISTO & Ecclesiâ, vaticinatus est.

Hunc Epiphan. è Chaldæâ profectum, & in itinere multa ad populum esse vaticinatum, tradit; quæ miraculis quibusdam comprobârit.

Eumdem IOSEDECO, tùm captivo, prænuntiâsse; nasciturum ex ipso filium, qui redux illinc, Hierosolymæ Sacra Domino instauraret, & faceret.

SALATHIELI quoque benè ominatum; qui filium, nomine ZOROBABELEM, procreaturus esset, populi ducem.

Illum & CYRO Persarum regi, ostento quodam, victoriam; & CROESO Lydorum, atque ASTYAGI Medorum, regibus, suas utrique calamitates, portendisse.

CYRVM denique eumdem, qui populum Hebræum in libertatem, & in pristinam patriæ Vrbis possessionem adserturus esset; mirificis laudibus, nec sine faustâ adprecatione, extulisse.

De LXX. anno (cuius, c. 1. hic meminit Angelus) suprà fusè disseruimus, ad 1. annum Cyri.

Ipse autem principio Libri, (quod à 11. Darij anno, & mense anni IIX. ducitur) iussu Dei, populum Iudaicum, qui iam è Babylone erat reductus, serò hortatur, ut resipiscant, & puris animis ad Deum revertantur: qui vicissim eos clementer sit amplexurus. *Ne maiorum suorum* (qui priorum Prophetarum, ipsos à flagitiosâ vitâ deducere conantium, præcepta semper contempsissent) *vestigijs insistant*, & pareis cum iis pœnas exspectent.

Deinde XXIV. die mensis XI. (qui Sabat dicitur, & nostrati Ianuario respondet) duobus mirificis Visis, uno, Equitis inter Myrteta stantis (Angeli Michaelis) & aliorum. Altero, IV. Cornuum. (sive, IV. regnorum, *Chaldaeæ, Persicæ, Græcæ & Romanæ gentis*. sive, IV. partium Orbis, aut regionum; quæ Iudæam undique ambiunt; & eamdem antiquitùs infestæ divexârunt. Ab ortu quidem, Ammonitarum & Moabitarum; & ab Occasu, Palæstinorum; à Septemtrione verò, Chaldæorum; & à Meridie Idumæorum.)

Et totidem Fabrorum, (Angelorum) qui ad eadem, regna, retundenda, eorumque violentiam infringendam, venissent.

Pleniorem posthàc libertatem, & in ædificando Templo, atque Vrbe, securitatem: & cunctis Iudææ civitatibus, uberiorem frugum, ceterumque vitæ sustentandæ necessariarum, copiam, divinitùs pollicetur.

Tum, sub Vrbis Hierosolymæ, (quàm Architectus, Angelus; longè lateque commetiri visus esset) specie; Ecclesiæ futuræ felicitatem; & hominum, qui in eam adcensendi essent; quosque ipse, tum ex Iudæis, tum ex profanis gentibus, universo terrarum orbe, esset exciturus; frequentiam, describit.

Quinetiam, qui ex Iudæis CHRISTO nomen daturi sint; eorum operâ, ad Genteis convertendas, usurum se profitetur: neque Ecclesiæ umquàm suæ defuturum.

Et sub figurâ IESV Sacerdotis, (qui ab adversario Diabolo, apud Deum traductus, criminum suorum; sive suæ in populo castigando; sive in Nezporibus, ab externo mulierum coniugio, deterrendis, negligentiæ; veniam, non sine bonâ in posterum, & de se, & de populo, spe, modò Dei præceptis obediret: mutatisque vestibus, impetrârat: CHRISTI Dom. adventum & mortem, & salutarem mortalium generi ex morte fructum, adumbravit.

Præterea, *in Viso Candelabri aurei, & VII. Lucernarum*, &c. Ecclesiam è Gentibus, Iudæis ob peccata iam-tum reiectis, consociatam, & cælestibus divinæ gratiæ donis splendentem, significavit.

Et confestim in II. OLIVIS, quæ dextrâ lævâque Candelabrum stiparent: Iudæos, præcipiti iam Mundi decursu, ad CHRISTVM, Enochi & Heliæ cohortationibus, convertendos. Et tunc demùm Ecclesiæ ædificium, Iudæorum populo cum Gentibus quasi coagmentato & commisso, consummatum iri, prænuntiavit.

VOLVMEN autè VOLANS, in quo decreta Dei perscripta: gravissima eorum, qui furto & periurio palàm se obstrinxissent, supplicia.

AMPHORA verò aliunde egrediens, TALENTVM plumbi, & MVLIER in medio Amphoræ considens, (quæ est impietas) & mulieres II. Amphoram in terram Sennaar alis suis deportantes; hæc omnia extremam Iudæorum cæcitatem atque obstinationem (*mensurâ iniquitatum suarum iam expletâ*) designabant. quùm illi Antichristum, in Babylone regnantem, pro Messiâ suo sint agnituri, & divinis honoribus accepturi.

IV. autem QVADRIGÆ, (in quarum primâ, EQVI RVFI, ob sanguinariam crudelitatem: in secundâ, ATRI, ob terrorem: in tertiâ, ALBI, ob elementiam: in quartâ, VARII ET FORTES, ob Imperij ac morum varietatem, bellicumque robur) totidem MONARCHIAS, sibi invicem succidaneas; CHALDÆORVM, MEDO-PERSARVM, GRÆCORVM, ET ROMANORVM; exprimebant. Quæ in morem IV. Ventorum, è IV. Mundi cardinibus, sive plagis, spirantium, & Mare magnum funditùs everrentium, suam quæque vicem; & prout Deus iis, tamquam iustitiæ suæ administris, ad expianda hominû flagitia,

flagitia, uti decrevisset; suâ armorum potentiâ & terrore Terram omnem concusserint.

Ex quibus secundi, *Equites Atri*, (Persæ) Chaldæos, qui Hierosolymæ ad Boream sunt obversi, sub ditionem suam redegerint. Tertij, ALBI (Alexander, & Macedones Græci) ipsos Persas secundissimis prœlijs fregerint. Quarti (ROMANI, sub Augusto) Ægyptum, ad Austrum sitam, subiugarint: & universo tandem Græcorum imperio sint potiti.

Ex hisce verò postremis, robustissimi corporibus, & longinquâ militandi adsuetudine exercitati, Gothi; rupto fœdere à Romanis dissociati, & nullis se sedibus contineri passi, (Vandali, quasi obambulones) motoriam exercebunt. Et non modò Romam vicinasque regiones occupabunt: sed per totum pænè terræ orbem, fulguris aut torrentis ritu, (potestate sibi ab Angelis, Dei apparitoribus, factâ) evagabuntur: & quo indomitus naturæ animorumque impetus tulerit: proruent. Nec minus, quàm olim Persæ, Chaldæorum victores, furorem meum (ait Dominus) exsatiabunt.

CORONIS denique II. (auro & argento à captivis, Babylone reducibus, sumto) quas capiti IESV Sacerdotis imponere iubetur; supremum CHRISTI imperium & sacerdotium significatur; & stabilis; utramque inter potentiam; & inter gemina Ecclesiæ membra, Gentes & Iudæos, consensio. Et quæ bona ijs maneant; qui Regem illum agnoverint, atque oblatis muneribus demeruerint.

Quæ in eiusdem Zachariæ Vaticinio consequuntur, ad IV. Darij annum, & infrà, pertinent.

Quùm horum itaque II. Vatum instigatione & industriâ excitati, ZOROBABEL ET IOSVE, toti & assidui in opere, Templique ædificatione essent. Et Thathanæus, Transamnensis regionis præfectus, unà cum Starbuzanæo, & Magistratibus, ad eos accessissent, rogatum; *Quâ auctoritate freti, Ædem illam erigerent, & muros Urbis dirutæ instaurarent?* (Ioseph. ut Arcis potiusquàm Fani, instar esset.)

Placuit, ut positâ utrimque acerbitate, rei totius controversia ad regem Darium, ceu sequestrũ, deferretur. Scriptæ sunt autem à Satrapis Litteræ, hoc pænè argumento.

„ *Se quidem in Iudæam, ex officio, profectos, è maioribus natu, & populi, Babylonia non ità pridem reducis, Principibus, (quorum nomina hic recenseantur) anquisijsse:*

Quo auctore Templum, quod tot annis excisum iacuerat (Ioseph. & Cambyses reædificari vetuerat) ductis in altum parietibus, pro tempore, exædificarent. Ab ijs verò ità sibi responsum: Ipsos Dei, qui summus cæli terræq́ procreator & rector esset, servos esse & cultores; cuius Numini Templum illud reædificent. quod eidem à quodam gentis olim suæ fortunatissimo rege dedicatum, & multas per ætates incolume steterit, donec Deo, ob maiorum suorum flagitia atque impietatem, averso, & indignante; à NABUCHODONOSORE *Chaldæo, Babyloniorum rege, non modò Urbs deleta; & populus in captivitatem traductus sit. sed Templum etiam funditus eversum atque incensum.* CYRUS *vero, anno, post quæsitum armis, Babyloniæ regnum, primo, principali diplomate, eiusdem Templi instaurationem mandasse. & donaria, Vasaq́ sacra, quæ Nabuchodonosor è Iudæâ asportarat, & in Templo Belis sui collocârat,* SASBALASAR *(quem idem populo, in patriam liberè reverterenti, ducem principemq́ præfecerat) tradidisse. ut ea Hierosolymam reportarentur; & in Templum, quod quam-primum & sine morâ erigi absolviq́ cuperet; iterum reponerentur. Hunc verò, à regijs litteris instructum, confestim venisse. & fundamenta recidivæ Ædis iecisse. Sed obvicinarum gentium odia atque impedimenta, hactenus perfici non potuisse. Adiubéret modò inspicere veteres rerum patriarum, Actorumq́ commentarios, qui in regijs Bibliotheca Babyloniæ Archivis adservantur. eorum, quæ dicta essent, veritatem, regi liquidò constaturam.*

Darius his acceptis; & veritate ex volumine quodam, quod Ecbatanis, munitissimâ Mediæ arce, inventum; liberale Cyri eâ de re decretum complectebatur; compertâ: rescripsit Transeuphratensibus Satrapis; *Ne se penitiùs in Iudæam, & in loca sacra, ipsi prophani, insinuarent: sed à principibus populi Hebræi, & natu maioribus, permitterent, in solo veteri Templum superstrui. eâque fini, ex tributis, à provincijs Transeuphratensibus, regi pendi collígiq́, solitis, sumtus præbeantur; neq́ impedimentum ædificantibus ullum inferatur.*

Ad quotidianos quoque Sacrificiorum usus, votiva omnis generis pecudes, unà cum condimentis, frumento & sale, vino & oleo; ex ritu sacerdotali, ab ipsis & procurentur & suppeditentur. quibus illi litent, & Deum maximum, pro regis & liberûm eius salute, deprecentur.

Quisquis autem decreto huic repugnârit; is in crucem, vel è domestico ligno fabricatam, agatur: eiusq́ facultates publicentur. Atque adeò, Deum ipsum, qui sui nominis cultui & venerationi locum illum destinârit; malè propitium habeat. sive rex, sive è populo quivis, vel moram, vel vim Templo isti, quod in Hierosolymis ædificatur, obiecerit.

Ioseph. hic multa confundit; & quæ Darij sunt, Cyro attribuit. Quin & exemplar tantùm Epistolæ, sive Decreti Cyri, quod in reconditis Actis invenisset; (à quo ne latum quidem unguem discederent) ad Transeuphratenseis misisse Darium tradit.

Hoc itaque regis decreto, cum Satrapæ ab iniuriâ faciendâ deterriti, susceptâ sacræ fabricæ curâ, Iudæorum Magistratus, operi intentos, adiuverint; tum maiores natu, & cum populo Principes, animati, pro se quisque certatim & sedulò, cohortantibus, quos dixi, Vatibus, in cæptum opus incubuérunt.

Intereà

| Intereà anno II. Darij regis, IV. die mensis IX. (qui Chasleu, & nobis November.) | 513.

Quod Iudæi, qui Babylone substiterant, & Templi [illegible] prosperrime ædificari intellexerant; duos [illegible] exploratores ex optimatibus (Saraſarum & Regemmum Melechum, cum aliquot de-[illegible]) Hierosolymam amandârent; qui Sacerdotes ac Prophetas consulerent: *Num statu mensibus*, v. quinto, (ob supremum inc[endium] nostræ Vrbis Templique excidium) vii. autem, (ob Godoliæ regij [praefecti], cædem & exsilium reliquæ gentis indè consecutum) *fletui & ieiunio, in posterum* (rebus tam lætioribus) *sibi vacandum esset*, quemadmodum superioribus Septuagenariæ captiuitatis annis, continenter fecissent.

ZACHARIAS, spiritu prophetico permotus, conv[ocato] populo & sacerdotes, novos patriæ regionis colonos, [illegible] ex ijs quæsiuit; *An & ipsi LXX. annis quibus causules fuissent, ijs, quos dixi, mensibus, Deo ieiunasse sibi visi essent*, & non potius [illegible] edulisse [illegible] lent?

Sed [illegible], innuit; Ipsorum *Ieiunia* esum & [illegible] *Deo minus grata fuisse*. quæ ea [illegible] vitæ innocentiâ, & cum beneficentia mise-ricordiæque [illegible], continuâ non fuissent. quemadmodum ipse, Deus, eos. per Prophetas, incolumi [illegible] Vrbis & Iudææ fortunâ, admonuisset.

Eoque [illegible] um esse, ut iusto furore concitatus, per omnes terræ regiones eos disperserit. In præsens verò, tra[illegible] iam illam in Deo resedisse: cumque reconci[liatum] [illegible] senti, uti solet, numine, Hierosolymorum [illegible] ad [fu]turum. Et Veritati ibidem locum honorisque fore non sine admirabili cuiusvis ætatis & sexus hominum, etiam longævorum, frequentia, quos ab ortu ac occasu, ille eos in patriam [illegible] rus.

Nec mirar in capto Templi opere sint segniores, aut minus [di]cto Prophetarum audientes; prosperrima quæque, pacem, securitatem, & frugū [co]piam, pollicetur [illegible] prioribus calamitatibus contraria. *Modo [illegible] Veritatis & pacis studium amplectantur*: & quæ Deo caufa, *Odium & mendacium a[b]* [illegible]*rnentur.*

Esuriales verò Ieiuniorum ferias, tum V. & VII. mentium; de quibus suprà quæsitum esset; tum IV. (ob [illegible] uptos tunc à Chaldæis, Vrbis Hierosolymæ muros) & X. (ob eamdem Vrbem obsideri [cœ]ptam) [no]n modò desituras; sed in solemnia etiam Hilaria ver[s]uras esse.

Et Iudæis, quibus Deus tàm pro tempore sit secundus; ipsis etiam Gentibus, in cultu & admiratione futu[rum].

Quo verborum schemate, & immensam bonorum ac munerum spiritalium copiam designabat, quâ pium Iudæorum populum, atque adeo aniversam Ecclesiam, Deus. CHRISTO iā adventante, sit cumulaturus. & infinitam Gentium multitudinem sese doctrinæ Euangelicæ altrò consociaturam esse, prædixit. Adeò at primariæ Phœnices Syria, & Palæstina, civitates, ex amulâ viciniâ & quasi agnatis odijs, per tot iam ætates, Iudæis infestæ; & ipsa rerum agendarum prudentiâ, opibus [illegible] locis munitis, præsidentes, non sine aliquante depravatioris in ipsis naturæ sensu ac molestiâ; Ecclesiæ & Legis Evangelicæ præconibus manus datura sint. & desertis idololatria, blasphemia, aliorumq. scelerum sordibus. Deo (CHRISTO) summa cum vita morumq. puritate, adhærescant.

Taleis factars sunt progressus; quibus Ecclesiæ regendæ, & doctrinæ suæ promulgandæ, curam ille negotiumq. commiserit.

Talium quoque bonorum fons & auctor, CHRISTVS; qui imminenteiam vita exitu, duram quidem mortem pro hominibus mox oppeteret; sed antè, quoddam regiæ potentiæ. ia Vrbe primaria ingressu. & conspectu, specimen edere vellet. Postquam, uti Iustitiæ æterna Princeps, & vera libertatis adsertor, pauperis tamen & abiecti hominis in morem, Asina & pullo vectus *(quò tum Iudæos, legi adsuetos; tum Genteis, imperij liberas & indomitas, communi fidei freno, sibi subiugare contenderet) &*, triumphantis ritu Hierosolymam *fuerit* ingressus. *Et paullo-post ini-quissimâ morte condemnatus, pacem eam toti terrarum orbi invexerit; ut homines caritate & benivolentiâ inter se devincti, fluxas bonorum possessiones pro nihilo putent, & eâ re tranquillò deinceps, sine ullo litium aut bellorum strepitu, vitam traducant. & in regno CHRISTI, per totum, quâquâ patet, orbem propagato, acquiescant.*

Neque ad solos in terrâ mortaleis, Iustos; sed ad eos etiam, qui subterraneo carcere, in ipsis Inferorum faucibus, vincti detinerentur; mortis & sanguinis, quo pactum, Deum inter & homines, sancitum erat; fructus, permanet.

Ipsi denique Iudæi, qui sua sub Diabolo captivitatis conscij, CHRISTI Servatoris adventum spe votoq. tamdiu præceperint; ad eumdem convertantur & laborum, quos in vitâ [illegible] exhauserint, largissima præmia percipiant.

Atque adeò Deus fideli ipsorum fortiq. operâ, ad Genteis etiam convertendas, & in Ecclesiam adsciscendas, gloriosè utatur.

Et quo nihil maius, aut excellentius hominum generi donari potuit; quodq. totius sanctitatis in Ecclesia robur est & firmamentum; eosdem omneis fruge lectissimâ, (pretioso suo corpore) nutriat & induret: & vino, castitatis progeneratore (sacrosancto suo sanguine) exhilaret atque confirmet.

Quare omnibus verit expetendam ipsis esse doctrinæ Evangelicæ pluviam, quam Viri ex ipsâ Iudæorum gente delecti, quasi nubes quædam aeriæ, per omnem terram diffundant, & arentia animorum arva irrigent.

Hanc esse doctrinam, quæ sola salutē adferat sola Veritatē deceat, & inveteratis erroribus eos liberet.

Quid

Quid namq; solidum, aut sincerum, ex antiquis inanium simulacrorum oraculis: quid solatij à Divinis mendacibus exspectent? A quibus Deus tandem perfidia & malignitatis pœnas quam-gravissimas sit exacturus. Et per Apostolos, è Iudais selectos, præcones, adversariam potestatem debellaturus.

Hebræos autem, ex X. etiam Tribubus, sibi curæ fore, & caros; haud secus, ac prius fuerint, quàm à regie Davidis familia obedientiâ defecissent; & sacrilega desertoris Hierobeami impietati adsensissent.

Et numero frequentiáq; ita aucturos esse in posterum, uti ante cladem ab Assyrijs acceptam, finibus à Galaaditide, ad Libanum usque, pretentis, floruissent. Atque unà cum filijs, meliora edoctis, & ab exsilio undequaq; revocatis, perpetuâ vitæ gratiâ beandos. Vt nihil adeò arduum, aut insuperabile videatur; quod ijs, ad Ecclesiam properantibus, remoram obijcere possit. Neque Assyriorum aut Ægyptiorum impotens dominatus, illis sit reliquo tempore reformidandus, Deo præsente & opem ferente; quo minùs, exacto sua peregrinationis curriculo, ad optatissimum æternæ beatitudinis portum perveniant.

Deus autem hæc sine fructu moliri se perspiciens: & huic tanto, tamque excellenti in ipsos beneficio, ingratam Iudæorum gentem contumaciter esse obnixuram; & salutari Euangelij propagationi præsentè repugnaturam, prospiciens; extrema omnia, per eu[ndem] Vatem comminatus est.

Venturum esse (TITVM *) Rom. Imperatorem (quem CHRISTO Servatori, & regi suo, anteposuissent; palàm protestati:* Non habemus regem, nisi Cæsarem) *cum exercitu, cui frustra porta Civitatis, & fores Templi clausa obijciantur. qui promiscuâ cæde, ferro flammáq;, in Principes, in Sacerdotes, omnemq; populum, eversâ iam Vrbe & exspoliatâ, sit grassaturus. Quòd ipsi prius eos, qui à Domino ipsorum fidei custodiáq; commissi fuissent, crudeliter & impunè tractârint, & à CHRISTO averterint. Et iam-tum obsessi, sævissimis inter se intestinarum factionum, animorumq; dissidijs digladiari ad extremum non destiterint.*

Dominus [ve]rò, uti verus hominum Pastor, duobus subinde baculis usus; quùm prius, non sine manifesto Imperij latissimè patentis decore, universum hominum genus (sub NOACHO) pavisset ac tutatus esset. Deinde, inito speciatim cum Abrahami posteris fœdere, Hebræos solos, ceu heredes, in peculium sibi adscivisset; & cum ab horumdem Principibus MOSE, AARONE, MARIA; qui, ob diffidentiam, brevi temporis intervallo è vita fuêre sublati. Tum à reliquâ plebe (quæ suæ ex Ægyptiâ servitute libertatis, & præclarorum Dei in Deserto beneficiorum, citò oblita est) ab ijs, inquam, irritatus, curam omnem deposuisse videretur:

Nihilo minus, confracti priore illâ Virgâ; & Gentibus cæteris, ob præcipitem & impium Idolorum cultum, repudiatis; pacti sui memor populum (Hebræos) toties sibi rebellem, regere ac fovere non destitit.

Quod quidem beneficium plerique ex ijs, qui animis demissiores, & Divini Numinis reverentiores essent, ingenue sunt professi.

Sed quùm à CHRISTO, in terris apud ipsos versante, aliquam saltem tam diuturnæ suæ sollicitudinis & benivolentiæ mercedem, cum gratâ memoria coniunctam, reposcerentur. Eiusque vicem, initâ nefariè, de eodem, Dei filio, comprehendendo, & è medio tollendo, conspiratione; XXX. ARGENTEOS, seu le immanis sceleris pretium, Iudæ, Heri sui proditori, adnumeravissent. quos (sive ad Ærarij sacri custodem; sive ad figulum aut statuarium. utrumque vilium, & longe impar, atque adeò indignum tàm caro capite pretium; aut ludibrium potiùs, cum Divinæ personæ contemtu coniunctum) Deus, ipsius Iudæ ministerio, projiciendos curarit.

Tum demùm Alteram quoque Virgam, quæ Funiculus dicta est, confregit Deus. & dissoluto germani[tat]is vinculo, quo Iudæi & Israelitæ inter se; tum sub Davide rege & Salomone; tum sub CHRISTO, fuerant connexi, & uni Deo, Pastori, subiecti: futurum est, ut illos quidem, Dei gnaros, ab[di]cat; hos verò superbos & ingratos, non modò reijciat; verumetiam, propterea quod munus pastoritium, in [O]vium, suæ fidei commissarum, perniciem: & idonea pastoribus instrumenta, in infesta arma converterint; tantâ cæcitate adfligat; ut alium Pastorem, (Antichristum) *qui nec ægra corpora procurare; nec Oveis,* seu terrore, seu tempestate, *dispersas, conquirere; nec à sancijs mutilisve, morbi periculum depellere; nec integras* salubri & assidua *pastione conservare* satagit. sed *opimis è grege carnibus sese exsatiet: quarum, impacto pedo, ungulas dissolverit.* hoc est: Qui omneis sibi parentels, vel vitâ, vel opibus, exspoliet. Illum, dico, nec sine mirifico adplausu, accepturi sint, & Pastorem agnituri.

O Pastorem nihili! *qui nihil, prater nomen & formam Pastoris, pra se gerat.* O certissimam pecorum *(qua non regit, sed pervertit)* perniciem! *Et ab ijs tamen, uti Deus aliquis, adorari & coli contendat.*

Quem CHRISTVS vindex tandem, & brachijs exarescentibus, & oculis obtenebratis, ita (spiritu oris sui) *debilitabit & exsternabit; ut omnis corporis robore, & animi præsentiâ destitutus, quò se vertat, nesciat.*

Hierusalem contrà, (Ecclesiam) etiamsi non modò à vicinis gentibus, sed ab ipsis etiam Iudæis, lacessenda sit; tam præsentaneo tamen Dei numine defensum iri, & staturam esse; ut omnes hostium machina, in ipsorum capita, nec sine gravi plagâ, retorqueantur.

Neque duces populi, Deo-fidentis, (APOSTOLI *) trepident; sed suis sectatoribus, alacrem malorum tolerantiam, tum precibus à Deo impetrent; tum assiduis hortatibus, injiciant.*

Atque adeò igne divini Verbi, hominum sibi infestissimorum animos ita inflamment; ut omnis in ijs perfidiæ & malignitatis scoria decoquatur. Et pristina Ecclesia, ut in locis, unde vi aut metu subinde eiecta fuerit; Deo ubique auspice, gloria dignitásque reflorescat. Et si qui pra humanâ imbecillitate, vel violentia succubuerint, vel à recte fidei

fidei tramite aberrárint ; exemplo Davidis , sese ipsi exsuscitent , & cum lacrymis seriâq; pœnitudine, resipiscent. Et Ecclesiæ principes, divinæ voluntatis Interpretes regijs atque heroicis virtutibus præcellant & benignitate ac castitate populis sibi subiectis præluceant. Atque omnem in Deo, omnium gratiarum largitore , spem collocare ; & precibus, præsentem ad e sus hosteis suos , opem ab eo exposcere , eosdem edoceant.

Quùm contrà Increduli Iudæi , (qui potissimùm ex posteris Davidis , Nathanis , Levi , & Semei, Resp. & Sacerdotij principes , Scribæ , &c. mortem & exitium Dei Filio sint machinati) in Deum Iudicem , quem olim in cruce clavis confixerint, & lancea pectus traiecerint ; oculis præ stupore defixis luctu , ob tam immane facinus , obruendi sint, longe maiore , quam vel in immaturo funere unigena, & prima ætate , suos parentes ; vel in morte Iosiæ regis . Iudæi umquam prætulisse, aut edidisse, memorantur.

CHRISTO tamen in mundum , sub tempus præstitutum , adventante , quod tot oraculis fuerat demonstratum; & tot ante piorum votis exoptatum; non modo omnibus patebit fons ille Spiritûs-sancti, Baptismi , & Doctrina Euangelicæ , quo tum Iudæi , tum profanæ Gentes expientur. sed omnis etiam Idolorum cultus è terrâ delebitur : & Oracula , tot ætatibus falsò celebrata , conticescent. Et immundorum Geniorum pestes , ex animis corporibus hominum , tamquam domicilijs suis & iniustâ possessione depellentur.

Atque adeò tanta erit Religionis sanctitas ; ut vel parentes ipsi liberos suos , falsa & aliena nuntiantes, morti dedendos indicent. atque illi præ ignominiæ aut supplicij metu, depositâ Vatum personâ & habitu agri-cultores aut pecorum pastores sese esse profitentur.

Atqui postquam idem CHRISTUS , à Iudæis, populo suo antea peculiari & carissimo , morte ignominiosâ damnatus , manibus pedibusq; in cruce dispassis , & cruentis clavis confixus , & vulneribus confectus fuerit.

Et Apostoli . qui illo, ceu pastore , turpiter deserto & ad mortem rapto , ovium in morem , passim dispersi, se occultárant; Iterum ad eum, victâ iam morte resuscitatum, reducti ; & ob perspectam , in eâ trepidatione , animorum simplicitatem ac demissionem in pristinum statum gratiamq; restituti ; ad Euangelica Doctrina promulgationem , sese accinxerint.

Vniversum Mundum in duo hominum genera , ceu factiones , discissum ; IVDÆOS, in Lege pristinâ pertinaciter deditos : & GENTEIS , in inveterato errore perseverantois , deprehendent. Quorum quidem utrique , pari exitio & desperatâ salute , exterminandi sint.

Tertij verò suboles ex utrisque enata , (CHRISTIANI) æternùm conserventur. Eâ tamen lege, ut varijs periclitationibus & laboribus , uti aurum igne, spectati, in Domino Deo omnem sui fiduciam collocent ; eumque puriter colant atque observent.

Pauculis verò post CHRISTI mortem annis, Hierosolymâ à Romanis, alijsque populis expugnatâ, crudeliterq; direptâ. & incolis partim pesti ac fame exstinctis ; partim in captivitatem abductis ; eædem gentes , salutari Euangelij doctrinâ expurgatæ, & veterum rituum superbiæq; oblitæ, CHRISTO , ceu victori : & Iudæorum , ob ingratitudinem , desertori, colla sua submittent.

Iudæi verò , eò obstinatiùs in prisco cerimoniarum , iam desitarum, ritu persistent , & ab Ecclesiâ recedent ; quo magis de Gentium , sibi invisarum, conversione dolebunt.

Sed ij CHRISTO de-repente ad Iudicia exercenda adventante , & Sanctorum coronâ stipato, perfidiæ pœnas dabunt : & vel inviti errorem suum agnoscent : neque tamen tenebris geluq; obsepti effugere evalebunt.

Sed Sanctis , cum inenarrabili corporum animorumq; gloriâ ; & æmulo Solis , splendore , in cælum, unà cum Iudice , sublatis . ipsi supplicijs sempiternis destinati , in horrentia Inferorum se'qua relegabuntur.

Verùm ante supremum Mundi exitium , & illum divini Iudicij diem , ex fonte illo , de quo dixi, rivuli doctrinæ Euangelicæ per omnem terrarum orbem , latè deducentur ; & numquam defecturi, perpetuo tenore emanabunt.

Et tum CHRISTVS solus, exterminato passim idolorum cultu , regio ubique cum honore , dominabitur ; tum unus Deus , sub uno nomine & numine, ab omnibus adorabitur. Confluentibus ad Ecclesiam , ex omni Orbis plagâ , gentibus.

Neque ulla , illi iam , sub CHRISTI auspicijs, secura, ab hostium impetu aut violentâ strage, formido in posterum impendebit.

Sed quicumque hostile quidpiam in eam moliri contenderit ; gravissimis animi corporisq; cruciatibus enectus contabescet.

Nec pœnas evadent pœnas , perduelles & transfugæ. qui fidem CHRISTO Ecclesiæq; semel datam , non modò violárint, sed verbis etiam factisve fuerint insectati.

Ex ijs tamen , qui tam obstinatis animis ad eam oppugnandam accesserint ; permulti , Deo apertè propugnanti , manus dabunt : & utiliter victi, studijs planè conversis . Ecclesiam omni ope , doctrinâ & facultatibus , amplificare exitentur. Atque ita suam , in Dei cultu , eiusq; præceptorum observantiâ , vitam instituent in terris ; ut ad cæleste æternæ beatitudinis domicilium , totâ mente adspirent. Quùm rebelleis, & in primis Iudæos, tantis præsidijs & prærogativis , ad amplectendam CHRISTI fidem , & salutem inde sibi parandam, præmunitos , ob profractam animorum contumaciam , omni cœlestis gratiæ imbre destitutos , miserabiliter exaruisse viderint.

Et proinde non tantùm res quasque pretiosissimas , homines pij , ad ornatum Ecclesiæ , & sacri in eâ ministerij usus liberalissimè sunt collaturi. quæ munera , vel aromatis , ad altare incensis , Deo erunt gratiora : sed & innumerabilis Martyrum cœtus sanguinem eidem suum consecrabit.

Et quam-plurimi Ascetarum greges , concepta vitæ austerissimè ducendæ vota nuncupabunt.

Postremò , tantâ eum sinceritate , quæ ad pu-

ram mentium institutionem, & ad Dei cultum pertinent, eâdem in Ecclesiâ peragentur; ut cum gratuita ibi futura sint omnia; tum nullus molesta aut avarae nundinationi relinquatur locus.

Hactenus ZACHARIAS. Quem Epiphan. extremâ senectute decessisse (natu namque grandior in patriam reverterat. Chron. Alex.) & proximè AGGÆUM, Prophetam & collegam, humatum fuisse tradit.

Ribera tamen, hunc illum esse Zachariam arbitratur, cuius meminerint, Matth. 23. & Luc. 11. quem CHRISTUS à Iudæis, inter Templum & Altare, in cæteris Prophetis, interfectum commemorat.

Id alij Zachariæ, Ioiadæ Pontificis F. Alij Zachariæ, Ioannis Baptistæ patri, attribuunt. Vid. eâ de re, Baron. F. Lucam, Estium, & alios.

Anno III. huius DARII, putant quidam memorabile illud Convivium (Esth. c. 1. & 3. celebratum fuisse: & inde duci initium Estheris historiæ.

Iosep. l. 11. c. 6. refert ad CYRUM, XERXIS IUregis F. & DARII nepotem; qui ARTAXERXES nominatus sit. Genebr. tribuit XERXI ipsi, Darij, scilicet Medi F. Qui Estheram in uxorem duxerit, & ex eâ LONGIMANUM sustulerit. Nos ad ARTAXERXEM OCHUM, cum multis recentioribus, referimus. Vid. infr.

Hic observa, quod dicitur, 1. Esdr. c. 6. *Principes Iudæorum prosperè ædificasse Templum Dei. idq; Cyri, Darij, Artaxerxis, regum Persarum, iussu.* Eos ex Persis nominari; qui extruendæ Ædificationem tam Templi, quàm Urbis promoverunt. prætentis CAMBYSE, & XERXE. Et ARTAXERXEM, qui inter eos memoratur, esse LONGIMANUM, eximium ESDRÆ & NEHEMIÆ fautorem.

3440. Templum verò, quoad interiora ædificij membra: VI. DARII anno, die III. mensis Adar, (Februarij) occasione omni, retardandæ fabricæ, per regum decreta, æmulis vicinis, ademtâ; perfectum est. Licet absolutum id, dicat Iosep. intra septennium. 510.

3441. Anno consequenti, qui fuit VII. DARII Esdr. 3. cap. 7. VI. est. Iosepho & Torniel. IX.) XXIII. die, mensis Adar, (qui Iosep. XI. est mensis, dictus Macedonibus Distrus. 509.

Sacerdotes & Levitæ, cum reliquâ Iudæorum multitudine, sacra Encænia, publico cum gaudio & victimis, peregerunt. ob prosperum recuperati & reædificati Templi successum. Et ipsi inter se pristinas solennis in Templo ministerij vices, ex Mosis præscripto, distribuerunt.

3443. Anno autem DARII IX. postquam Templum, unà cum Atrijs suis & porticibus absolutum esset, & circumquaque cinctum; appropinquantibus iam Azymorum ferijs, mense I. (Veris, sive Æquinoctij verni auspice. qui Macedonibus Xanthicus, & Hebr. Nisan.) 507.

Populus universus, ex opidis, recens habitatis cœptis, in Urbem sanctam confluxit. Et ipsi, unà cum Coniugibus & liberis, casti & puri, more patrio id festum concelebrarunt. Et immolatâ Paschæ victimâ, à XIV. Lunâ, continens septiduum, epulati sunt, Deo sacrificijs & gratiarum actione litantes. quòd tamdem antiquæ patriæ, & vetustis Templi ritibus, à rege Persarum & Assyriorum, cuius animum ad benignitatem Deus inflexisset, sibi restitui viderentur.

Hic non prætermittenda Iof. Chronographia, ex variâ Reipublicæ Iudaicæ formâ, quam deinceps dicit per Optimates administratam; & summam penes Pontifices auctoritatem extitisse, usque ad Assamonæos.

Ante Captivitatem, à Saulis & Davidis temporibus, sub Regibus, actum, per annos DXXXIII. mens. VI. dies X.

Et priùs, sub Iudicibus, post Mosis & Iosnæ Dictaturam; eiusdem Reip. statum, ampliùs quàm D. ann. durasse. Confer nostra.

Idem Iosep. addit, (quo nescio auctore: nisi fortè ex cap. 4. Esdr. 1. ea quæ sub Cambyse, qui ibi Assuerus & Artaxerxes dicitur, gesta sunt; cum ijs confundat, quæ sub hoc Dario. sententiâ argumenti & successus nonnihil immutatâ) SAMARITAS, gentem pro veteri viciniæ odio semper infensam, æquis oculis animisque ferre non potuisse, istam Iudæorum, ita patriæ restitutorum, felicitatem, fretosque opibus, & adfectatâ vetustæ cum Persis originis cognatione, non modò quæ ex tributis, in quotidianos Templi & sacrificiorum usus, iussi erant conferre, esse gravatos; sed nullam offendendi Iudæorum occasionem (aut connivendibus, aut corruptis, pro re natâ, Nationum præfectis) prætermisisse.

Donec Senatui, populoque Hierosolymitano visum est: Legatione, cuius caput ZOROBABEL esset, ad Darium regem missâ, Samaritas, de malignitate & contumaciâ, arcessere.

At rex, criminibus, quæ Legati illis obiectabant, planè cognitis: & scriptis iterum ad Samariæ Satrapas, TANGARAM & SAMBABAM, al. S...aiam) litteris, iussit, sine tergiversatione & fraude, ex ærario regio, quo annua Samaritarum tributa adservabantur; sumtus in Iudaica sacrificia suppeditari. & in Templo quotidiana, pro rege & gente Persarum, ad Deum supplicia institui.

Ann

3445. Anno DARII XII. putat Samer. AMANEM cruce suffixum fuisse; & Iudæos ab imminente publici exitij clade liberatos. Esth. 3. Qui eumdem annum statuit III. Olymp. LXVII. & Vrb. C. CCXLIV. Vid. infr. OCHVM. 505.

ROMA REGVM DOMINATV LIBERATA.

Eodem anno (qui Torniel. XIII.) TARQVINIVS SVPERBVS, VII. & ultimus Romanorum rex, pulsus est regno: ob stuprum LVCRETIÆ, ornatissimæ feminæ, à Sexto, eius F. illatum.

REGIFVGIVM, V. Kal. Mart. & hinc LIBERTAS, abrogato tum regibus imperio.

Itaque L. IVNIO BRVTO, & L. TAQVINIO COLLATINO, Lucretiæ marito, ducibus atque auctoribus; quibus ultionem sui moriens matrona mandârat; pop. Rom. ad vindicandum libertatis & pudicitiæ decus, quodam quasi instinctu Deorum concitus, regem de-repente destituit; bona diripit; agrum Marti suo consecrat: Imperium in eosdem, libertatis suæ vindices, transfert.

Sed ex Perpetuo, Annuum placuit: & ex singulari, duplex. ne potestas, solitudine vel morâ, corrumperetur. Consulesque appellavit, pro Regibus.

Eodem tempore Athenis Tyrannis sublata, quadriennio post HIPPARCHI necem: 18. annis post PISISTRATI mortem. Pugnatum ad Pallenium ducibus LEAGORA, & CHABRIA eius socero.

EXPEDITIO IN BABYLONIOS.

Eodem anno, vel paullo-pòst, DARIVS, quùm iam regiones, quæ Cambyse procul in Ægyptios bellum gerente, & Magis dein, in Perside, dominantibus, defecerant; reciperâsset: Babylonem, quæ ab Assyrijs rebellantibus occupata fuerat: & in omnem obsidionis eventum, interea & probè fuerat munita; iam, sesquianno ampliùs, magnis copijs à se circumvallatam; & irrito subinde conatu oppugnatam, istiusmodi strategemate, cepit. ZOPYRVS, MEGABYSI, unius ex Magophonis, Filius; (cui mula fœtum domi pepererat. fatale, & præsignificatum, vel ab ipsis Babylonijs; deditionis suæ, & capiendæ tamdem Vrbis, portentum) voluntarijs verberibus, & toto corpore lacer ac mutilus. (tamquam à crudeli & æmulo, rege. cui, in regni petitione, non virtute; sed auspicio: non Iudicio hominum, sed hinnitu equi, cesserat. ob salutare, quod illi de deserendâ obsidione dederit consilium; tam fœda cicatricum vestigia perpessus esset. A quo hostibus cavendum moneret; qui tam manifesta in amicos ediderit exempla) formatis antè cum rege conscio in futura consilijs, transfugæ titulo, in Babylonem profectus est.

Nota erat nobilitas viri, pariter, ac virtus. & vulnera corporis, iniuriæque notæ, ceu certa quædam pignora, quo minus de fide timerent Babylonij, in caussâ erant. Quumque ille eos hortatus esset, ut non tam mœnibus, quàm armis confiderent. & se, recentiore irâ, commune secum bellum gerere paterentur: Atque ita dux belli, omnium suffragio constitutus, acceptâ parvâ manu, semel atque iterum, vel cædi permissis, vel cedentibus de-industriâ Persis, secunda prœlia fecisset.

Ad extremum DARIO; qui, ex compacto, iam universum copiarum suarum robur, proximè muros, admoverat; commissum sibi intùs exercitum prodidit. & portis apertis, Vrbem ipsam in potestatem eius redegit. DARIVS III. millia ex Optimatibus, rebellionis auctoribus, capite multâsse: & Vrbem captam muris ac portis nudâsse: eamque novâ ex vicinis coniugijs subole (quòd obsessi, præter paucas administras, omnes ferè mulieres strangulâssent) auctam & cultam, atque à vectigalibus immunem, ZOPYRO ipsi, ceu præmium & peculium attribuisse proditur.

PYTAGORAS.

PYTHAGORAS, PHERECYDIS discipulus, Samius; & Sylosontis à consilijs: Ægyptiorum Prophetas consuluisse, & circumcisus putatur. ab ijsdem, ut in adyta admissus, mysticam eorum addisceret disciplinam, Chaldæorum & Magorum optimis quibusque usus.

Hic primus Philosophi titulum adsumsit. Et tyrannico Sylosontis fastu offensus, BRVTO Cons. in Italiam advectus, CROTONE domicilium fixit.

Tum quoque, quùm Crotoniatæ, suadente PYTHAGORA, fugitivos è Sybari civeis, & supplices, Telyi, Sybaritarum demagogo prodere nollent; bello indicto, C. millia, duce suo Milone, CCC. Sybaritarum mill. profligârunt, & urbem solo æquârunt.

PYTHAGORAS, ob cæsos sodales, Crotone Metapontum migravit: ubi pio Deo cultus à morte.

EXPEDITIO IN SCYTHAS.

3453. | Anno xx. Darii. | 397.

Scythæ, qui Asiæ imperium ter anteà quæsierant; & perpetuò ipsi ab alienæ dominationis iugo aut intacti, aut invicti mãserant. quique post tertiã expeditionẽ servili domesticorũ vernarum, an spuriorum! bello, ex Asiâ revocati, & tandem victores, longâ pace domi conquierant; sub hoc tempus à Dario invaduntur, & ad arma solicitantur.

Iustin. lib. 2. bellum ijs illatum tradit, quòd ab Iancyro (Herod. est Indathyrsus) rege, filiæ nuptias Darius non obtinuisset.

Herod. verò l. 4. Quùm eâ, inquit, tẽpestate Asia Viris opibusq; floreret; Dario cupidinem incessisse, Scytharum, qui priores iniuriam intulissent; & Medis prœlio victis, imperioque exutis, Asiam permultis anteà annis tenuissent: vicissim ulciscendi.

Fallitur Carion, qui Darium, exemplo Cyri, Barbaros ex Arctoâ regione in Asiam infusos, eijcere conatum memoret: quùm Scythæ multis antè annis Asiam reliquissent.

Darius itaque Susis movens, quùm ad Bosporum Thracium, quem ponte sublicio & subitario committi imperârat, haud procul Chalcedone, pervenisset; & nave ibi conscensâ, Pontum fuisset contemplatus; ipse quidem copias, quæ DCC. hominum millib. constarẽt, in Thraciam transmisit: Iones verò, qui cum Æolibus simul & Hellespontijs, classem DC. navium ducebant, in Pontum, ad Istrum usque, navigare; & ponte flumini imposito, se illic præstolari iussit.

Sed ante-quàm ad Istrum perveniret, cum Thraciæ aliquot populos in deditionem, sine pugnâ accepit; tum Getas, Thracum fortissimos ac iustissimos, (quique Immortales, à Zalmoxi, sese existimabant) imperitiùs resistenteis, in servitutem redegit; &, ut cæterum sequerentur exercitum, coëgit.

Vbi ad Istrum perventum, & copiæ iam flumen transmissæ; quùm Iones, postquam ratem solvissent, cum nauticâ manu, cæteros pedestri itinere etiam sequi rex imprudentiùs iussisset; salutari Milesij cuiusdam consilio sententiam mutavit; eosque ad pontis custodiam reliquit. Eâ tamen lege & confidentiâ; ut nisi intra LX. dies (qui totidem lori, quotidie singillatim dissolvendi, nodis designabantur) victor redisset: se relicto, & velificatione factâ, in patriam ipsi impunè redirent.

Scythæ intereà, se solos tantis Darij copijs impares rati, nuntijs ad finitimos reges (Taurorum, Agathyrsorum, Gelonorum, Sauromatarum, &c.) missis, de communi periculo, quod ab avato hoste singulis impendéret, commonefecérunt.

Et ex ijs quidem Gelonos & Sauromatas, in societatem armorum pertraxêre: Agathyrsi autem & Tauri, alijque, ipsos, veterum iniuriarum auctores, non immeritò Persicis armis peti: se, uti innocenteis, & à vi abstinenteis, à præsenti clade immuneis fore, respondérunt.

Quæ caussa fuit, cur hostibus apertam pugnæ potestatem non facerent. sed eosdem, modò longiùs progressi (demessâ passim herbâ, & puteis obstructis) modò fessos e propinquo lacessentes (iniuriç tantùm hostili patefactis, in agros eorum, qui societatem defugerant, itineribus) ludificarentur.

Fatigatus autem tam iniqui certaminis, & alternantis fugæ, tædio, Darius: quùm neque regem Scytharum ad manus secum conserendas; neque ad obsequium, missis muneribus, sibi præstandum, per caduceatorem inducere posset.

Et contrà ille, tum demum se pugnaturum diceret; quùm Maiorum sepulcra ab hoste violari sensisset. Et pro servili obsequio, quod ab ipso, tamquam hero, posceretur; eiulare & vapulare eumdem iuberet.

Atque adeò, munerum tributariorum, quæ poscerentur, vicem; Avem, Murem, & Ranam, cum V. sagittis, ad Darium misisset; Ex quo Rex quidem voluntariam deditionem Scytharum, interpretabatur: qui Terram & Aquam, equos & se ipsi, mox tradituri crederentur. G. bryas verò, ex Magophonis unus, Persis (si salvi & incolumes; & à Scythicis sagittis intacti redire vellent) vel in aërem subvolandum, vel subter terram penetrandum; vel in paludes insiliendum esse, pronũtiabat.)

Dum intereà à Scythis, Mæotidis custodibus, Iones ij, qui Istri pontem insidebant, ad discessum à ripâ, tempori præstitutum, folicitarentur: Et cæteri Scythæ, intentatæ generatim omnibus servitutis indignatione perfusi; iam instructâ peditum equitumque acie, comminùs confligturi starent. Leporis, qui in medium agmen prosilierat; & certatim à quoque, nec sine tumultu, ut visus, urguebatur; prodigio, territus Persa, qui se à tam securis, in lacessendo lepore, hostibus contemni putaret: & Gobryæ, de donis Scythicis, interpretationem, memoriâ retineret; de receptu cogitavit.

Et relictâ inutilium hominum, asinorumque in castris multitudine, ut hostem falleret, quem scilicet cum flore copiarum adoriri velle, apud suos, iactârat; de nocte trepidus ad Istrum refugit.

Quem persecuti Scythæ, quùm, Persis per incerta palantibus, priores ad flumen venissent: & Iones, quos ponte traiecto delẽre poterant; ut eodem dissoluto, & rege neglecto, sospites liberique, suas quisque domos, recederent, amicè obiterque hortati essent: Inde ad regem prorsus debellandum reversi, ab itinere quoque abertârunt.

Et rex ægrè elapsus, Histiæi Milesij (qui Miltiadi, Atheniensium duci, & Chersonnesi tyranno, adserendæ à servitute, pro re natâ, & opportuno Scytharum consilio, Ioniç, auctori, fuerat usque adversatus) operâ; & ponte iterum ex navibus iuncto; exercitûs sui reliquias traiecit. & itinere per Thraciam facto; ac Megabyzo, cum parte exercitûs, in Europâ relicto, in Asiam inglorius revertit.

EXPE-

EXPEDITIO IN LIBYAS.

Herodotus, eodem libro, per idem tempus, ingentem adversus Libyas expeditionem, à Persicis in Ægypto præfectis, susceptam, commemorat. hoc initio.

ARCESILAVM, Cyrenæorum IIX. à Batto, regem, qui Cambysi anteà & Cyrenen tradidisset, & tributum suis imposuisset. è Cyrene, in Barcen, ob crudelia facinora, profugum: tum Barcæi, tum exsules Cyrenæi, unà cum Alazeri socero, & ibidem rege, obtruncârant.

At mater eius PHERETIMA, in Ægyptum profugiens, Aryandi, regionis Prætori, supplex, ultionem postulat. quasi filius, eo nomine, quòd pro Medis stetisset, esset à civibus interfectus.

Hâc opportunitate uti volens ARYANDES, qui Dario non ingratum fore iudicaret, Libyas sub Persarum potestatem subigi; exercitum Pheretimæ auxiliarem, ad Barcen, transmittit. Atque ipsa per dolum quidem Vrbe est potita; sed exercitum paullo-pòst lacerum, & urbanâ prædâ spoliatum, in Ægyptum reduxit. non modò regni, quod concupierat, impos; sed miserabili mox mortis genere exstincta.

Persæ verò illi, quos sub Megabyzi imperio, in Europâ, Darius reliquerat, captâ ex Hellespontijs Perintho, tractum Thraciæ maritimum, pæne omnem, subegérunt.

Et Pæonas, qui ad Strymonem accolebant, unà cum liberis & uxoribus (quarum admirabilem, in laboribus domesticis, solertiam, quodam experimento, rex sibi persuaserat) in Asiam abduxerunt. Ex quibus permulti, paullo-pòst, operâ Aristagoræ, in patriam remeárunt.

MACEDONES TENTATI.

His omnibus, quùm quasi ignobili momento accessura putaretur Macedonia: & MEGABYZVS, missis ad AMYNTAM, terræ illius regem, legatis, obsides, ceu pignus futuræ pacis, Herodot. Terram & Aquam, sibi tradi postulásset: Illique benignè & comiter à Macedone accepti, apparatum epularum filias etiam & uxores adhiberi, (quod insolens Macedonibus; apud Persas pignus ac fedus hospitij habebatur) importunè rogarent. & eas iam in convivium ingressas, petulantiùs attrectare cæpissent. non tulit indignæ rei fœditatem ALEXANDER, regis filius. & patre digredi cubitumque abire iusso; mulieres paullisper e convivio seducit, tamquam eas cultiùs lautiùsque exornatas ad novos hospites reducturus.

Et intereà investeis, lectissimæ formæ adolescenteis, matronali habitu indutos, introducit. Qui ferro sub veste tecto; insolenteis potosque hospites compescerent.

Atque his eum in modum omnibus, cum comitatu, interemtis, ignarus rei dux Persa, BVBAREM, cum parte copiarum, eò ad inquirendum submittit.

Sed hic etiam amore GYGÆÆ, filiæ regiæ, captus, omisso bello, nuptias facit: & pro hoste, in adfinitatis iura concedit.

Quę cognatio ALEXANDRO in posterum non pacem modò præstitit; sed & regnum amplavit. Nihilo-minus ALEXANDER MAGNVS, hanc patriæ suæ, & abavi iniuriam, bello posteà in Persidem translato, redhostijsse visus est.

HISTIÆI ET ARISTAGORÆ CONATVS.

MEGABYZO in Asiam, cum Pæonibus, quos deditinos ducebat, ad Darium reverso: & HISTIÆO, qui Miletum tenebat, & Myrcinum in Edonide, non sine rerum novarum suspicione, ædificabat; per speciem regij convictûs & consilij, Susam abducto: ARTAPHERNIS, frater regius, Sardium; & OTANES (Sisamnis illius, quem à CAMBYSE, ob iniquum iudicium, cute detractâ, mulratum diximus, F. oræ maritimæ, Præfecti. urbeis litoraleis, Antandrum & Lamponium, cum Insulis Lemno & Imbro ceperant.

ARISTAGORAS verò, Histiæi gener, & apud Milesios absentis procurator, quùm Persas, irrito conatu, adversus Naxios, concitásset; tum dominationis amittendæ metu; tum eiusdem Histiæi clandestinâ per quemdam, compuncto indicibus notis capite, è Susâ submissum, instigatione; à Dario deficiens, Tyrannos ex plerisque Iöniæ civitatibus sustulit; & populareis magistratus instituit.

Et Lacedæmonijs frustrà ad belli societatem solicitatis; Athenienseis, non ita nuper Pisistratidarum tyrannide (qui XXXVI. annos sibi dominati fuerant) vel reluctâtibus & invitis Lacedęmonijs, liberatos: & Persis, ob HIPPIAM, Hipparchi fratrem (quem illi in avitum Athenarum dominatum reductum frustrà vellent) infensos; haud difficilè induxit, ut Milesijs, suis olim colonis, auxilio adversus communem hostem, essent. & XX. naveis (αἱ ἀρχαὶ κακῶν ἐγένοντο Ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις Thucyd.) mitterent. Quibus Eretriorum V. triremes accesserant, veteris beneficij memorum, & operę, bello Chalcidensi, (Thucyd. lib. I.) olim à Milesijs sibi præstitæ.

IONUM REBELLIO.

Hac classe freti Iones Ephesum contendunt: & relictis ad Coresum navibus, cum ingenti manu, ulteriùs profecti, Sardeis de-improviso, præter Arcem, ab Artapherne insessam, capiunt. neque urbis tamen diripiendæ facultatem habuérunt. Sed igni in quamdam domum (quarum pleræque ex arundinibus constructæ) à gregario milite iniecto, tota paullatim subitario incendio deflagravit: & unà Templum CYBELES, indigenæ Deæ. Per cuius iniuriæ simulationem Persæ posteà permulta Deorum in Græcià templa exusserunt. Et tunc agmine cum Lydis conglobato, Iònes ad Ephesum fugienteis, & congredi secum ausos, egregiè vicérunt.

Illi verò ab Atheniensibus, post pugnam, deserti, nihilo segniùs adversus regem, novà iniurià offensum, bellum parabant. Et Hellespontum in vecti, Byzantium, & vicina opida, sub suam potestatem redegérunt: Caribus, & Cyprijs, ex parte, in societatem adscitis.

DARIUS interea Atheniensibus, ceu totius mali auctoribus, infensus. HISTIÆUM, ad comprimendos, uti sibi ille persuaserat, Aristagoræ, procuratoris sui, & Milesiorum conatus, Susis in Ioniam remittit.

Eodem ONESILAS, GORGI, Salaminiorum regis, frater minor, Salamine capta, & fratre pulso, Amathusios, qui unà cum cæteris Persæ rebellare abnuebant obsidione cingéret. Et hinc Persis in Cyprum, è Cilicià, auxilia traijcientibus: inde Phœnicibus classe alià promontorium circum-euntibus; Iones, cum navibus, ad se iuvandum, exciviſset; prœlium terrà marique commissum est. quo Iònes quidem Phœnicas mari superárunt: Cyprij verò, STENESORE, Curij tyranno; & Salaminijs, socios in pugnà prodentibus; terrà victi; & cæso ONESILA, Gorgoque restituto; in servitutem denuò sunt redacti. Et Iòniæ urbes, penè universæ, à Darij ducibus, qui Cares, socios eorum, tribus ferè prœlijs profligárant; sunt receptæ.

ARISTAGORAS verò, Ionicæ priùs rebellionis; & deinde deducendæ e Milesijs, in Myrcinum Edonidem, haud procul à Strymone fluv. coloniæ, præ desperatione, auctor, à Thracibus ibidem interemtus est.

HISTIÆUS verò, quùm novæ eius adversus regem, & in Sardibus, & in Iònià, molitiones, Arapherni essent derectæ: Neque à Milesijs, iam libertati adsuetis, uti tyrannus, reciperetur: sed Lesbijs triremibus, in Propontide, piraticam exerceret: Persæ duces ingentem, e classiario terrestrique milite, exercitum, ad unam Miletum, cui cætera posthaberent, admovére parabant. Et Iònibus, qui classem CCCLXIII. triremium auxiliarem adduxerant; suà ipsorum dissentione; & subornatà Samiorum ac Lesbiorum, aliorumque, communis salutis fideique desertorum, defectione; ad Ladam Insulam, victis: Et Chijs, qui non indecorè pugnárant, ab Ephesijs, quò confugerant, per imprudentiam interemtis: Miletum obsessam, VI. ex quo ARISTAGORAS rebellare cæperat, anno, expugnárunt; & Cariam simul receperárunt. Et HISTIÆUM, qui Chios, recenti clade exhaustos, subegerat, atque è Lesbo in Atarnim traiecerat, pugnà ad Malenam commissà, vivum ceperunt. Eumque, ne regi reconciliatus, in pristinam cum eo granam rediret; ARTAPHERNES & HARPAGUS, Sardeis perductum, in crucem egérunt.

Atque ita haud difficiliter Insulæ aliæ, Mileto & Asiæ vicinæ, cum litoralibus Ioniæ urbibus: & quæ ad lævam sunt Hellesponti, quæque in Chersoneso; non sine incolarum vastitate subactæ; & pristinum vectigal pendere iussę sunt.

MARDONII IN GRÆCOS EXPEDITIO.

3456. | Anno DARII XXIII. | 494.

MARDONIUS, Gobriæ F. & regis gener ex Artozostrà, Persicarum copiarum imperio auctus, quùm Tyrannis diffisus, popularem statum in Iònicis passim civitatibus restituisset, & ingentem navium peditumque vim, Hellespontum traiecisset; Thasijs, & Macedonibus certatim sese dedentibus; & itinere per Europæ continentem impunè instituto; in Athenienseis præsertim & Eretrienseis, expeditionem nomine iactabat; cæteræ interim Græciæ non parciturus.

Sed is classe, naufragio ad Athon, non sine hominum strage, adflicta; & vulnere à Thracibus Brygis, qui castra, in Macedonià collocata, de nocte invaserant, accepto; exercitum malè habitum inglorius in Asiam reduxit.

GRÆCI INTER SE DISCORDES.

Anno nihilo minus proximo, postquam missis DARIUS Legatis, animos Græcorum tentare, & deditionem postulare iussisset: & in cæteris Insulanis, Æginetæ etiam promtè obsecuti essent. Athenienses, qui id hostili illorum in se animo factum imputarent: Lacedæmoniorum regem, CLEOMENEM, in eos, ceu Græciæ proditores, concitárunt. Unde gravissimæ contentiones inter ipsum, & DE-

MARA-

MARATVM, alterum in Spartâ regem, exarſerunt. dum hic regij generis prærogativâ abdicare ſe coa-ctus, & contumeliæ impatiens, ad Medos profu-gerit.

3460. | 490.

DARIVS itaque Mardonio, ob rem malè ge-ſtam, à præfecturâ amoto, DATIN gente Me-dum, & ARTAPHERNEM, fratris cognominis F. in Græciam, Imperatores, cum copiarum ſupplemen-to, amandat: qui inimicas, quas dixi, civitates fun-ditùs evertant; & captivos ſibi ſiſtant.

Illi è Samo, Icarium rectâ prætervecti, Naxon rapinis & incendijs defœdant. Sed manus à Delo, incolis iam profugientibus nudatâ, abſtinuerunt. In quâ terræ-motus, ab omni hominum memoriâ primus, & poſtremus, qui ſub id tempus contigit, mala Græcis eventura (Agg. c. 2.) portendere viſus eſt Herodoto. Quos partim, ſub hoc Dario, filio eius, & Nepote, Perſarum regibus; plus cala-mitatum perpeſſos; partim, inteſtinis inter ſe Op-timatium, de principatu, contentionibus, magis fuiſſe conflictatos, quàm D. & eò plus antea annis, tradiderit.

PVGNA MARATHONIA.

Perſæ autem Caryſto, & Eretriâ urbibus potiti, & dein in Atticâ tranſvecti, & in Marathone (quò illos HIPPIAS, Piſiſtrati F. exſul, perduxerat) ca-ſtra metati, ad Sexcenties mille, (Probo; Dena e-quitum, & bis centena peditum millia) In Athe-nienſeis, ſolis ſuæ civitatis viribus, (X. virorum millibus) & mille Platæentium ſubſidio, inſtructos, inciderunt. Auxiliares namque Spartanorum co-piæ, quatridui religione retentæ, non niſi expleto Lunæ orbe, exſpectabantur.

At MILTIADES, unus è Decem, belli dux, qui non exſpectandum obſidionis, ſed prælij eventum ſuaſerat; plus præſidij in celeritate, quàm in ſocijs, ſerius adventuris ducebat.

Tanta autem Græcis, in pugnam euntibus, ani-morum alacritas fuit; ut quùm mille paſſus (Herod. IIX. ſtadiorum intervallum) inter duas acies eſſet; citato curſu, ante iactum ſagittarû, ad hoſtem, au-daciæ novitate attonitum, venerint: & tam forti-ter pugnarint; ut hinc viros, inde pecudes putares.

Victi Perſæ non in caſtra; ſed in naveis confu-gérunt. ex quibus multæ ſuppreſſæ, multæ captæ ſunt.

Ad cc. Perſarum millia, (Herod. Sexies mille, & CD.) eo prœlio, præter naufragos, deſiderati. quùm vix Athenienſium ducenti cecidiſſent. De HIPPIA eius belli concitore, Dij patriæ ultores, pœnas repetiiſſe, tum meritò cenſeantur.

Cteſias, DATIM ibidem occubuiſſe, & cada-ver Perſis negatum, tradidit: quem Herodot. in Aſiam, cum captivis Eretrienſibus, rediiſſe com-memoret.

3463. | Hæc pugna pugnata eſt anno DARII XXX. (al. XXXI.) Sive V. præcipiti, ante mortem eiuſdem. (Herodoto eſt VI. fortè iniens) Sive X. ante Græcam XERXIS expeditionem. veriùs, XI. Thucydi. annus eſt XX. poſt HIPPIAM, Piſiſtrati, cum ſuis, Athenis eiectum. | 487.

Euſeb. eſt annus II. Olymp. LXXII. Agell. l. 17. c. 21. Annus eſt ab Vrb. Cond. CCLX. aut non longè ampliùs. Qui addit, MILTIADEM, poſt eam victoriam, ab Athenienſibus damnatum, accuſan-te XANTIPPO PERICLIS patre. ob rem in Paro, & Lemno, Inſulis, ſocordiùs geſtam: & ob peculatûs crimen, in vinculis mortem obiiſſe. Alij rectiùs à filio CIMONE, pari carceris pœnâ, liberatum. quem ſororis maritus, pecuniâ exſolutâ, etiam liberârit. Alij, CIMONEM, tranſlatis in ſe vinculis, defunctum ad ſepulturam redemiſſe patrem.

Dion. Hal. narrat hanc cladem, funere Bruti, quo anno exacti reges, poſteriorem ferè XVII. an-nis.

Sever. idem ſentit cum Agell. pugnatum ad Ma-rathonem, anno ferè CCLX. ab V. Cond. Macerino & Augurino Coſſ.

Abhinc, inquit, annos (niſi fallit inveſtigatio Romm. Coſſ.) DCCC. LXXXIIX. Omne enim tem-pus in STILICONEM Conſ. direxi.

Rectè, addit Sigon. Nam STILICO Conſ. inci-dit in ann. V. Cond, MCLII. A quo numero ſi de-mas CCLX. fient illi DCCCLXXXIIX. Anni.

ÆGYPTII REBELLES. DARII MORS.

DARIVS, dum hâc novâ belli offenſione irrita-tus, copias militareis, & adparatus toti Aſiæ, ad perſequendam in Græcos expeditionem, per trien-nium imperat & urguet. ac quarto anno Ægy-ptios, quos multo antè ſubegerat CAMBYSES, à ſe defeciſſe intelligit; eoque propenſiùs in bellum, u-triſque populis faciendum, incumbit. Quòd patrio Perſarum inſtituto, antè regni heredem conſtitui neceſſe ſit, quàm rex ad externum bellum profici-ſcatur; Ingens inter eius liberos, fratres conſan-

guineos, (ARTABAZANEM (Iustin. Artemenem) & XERXEM) de principatu exorta est dissensio.

Ex quibus, ille quidem, uti omnis paternæ subolis maximus natu, (Gobryæ filiâ, priore regis uxore) & ætatis prærogativâ, &, communi omnibus gentibus, naturæ ordine, regnum sibi vindicaret.

Hic verò, liberorum, ex Atoßâ, Cyri filiâ, alterâ coniuge genitorum, primus, controversiam non de ordine, sed de nascendi felicitate, referret.

Fratrem, Dario privato; se, rege primum esse natum.

Quùm præterea huc non leve ei momentum accedere putaretur, Mater regina; Avus Cyrus, & rex, & tanti regni conditor. Quæ in fratre, cuius & mater & avus sortis fuissent privatæ, omnia longè essent dispaia.

DARIVS itaque, qui ex Demarato, pro re natâ exsule, idem ius Spartæ observari intellexisset; neque Atoßæ, imperiosæ feminæ, refragari auderet; XERXEM præposuit, & regem renuntiavit.

Iustin. fratres concordi animo ad patruum Artaphernem, veluti ad domesticum Iudicem, hoc certamen, patre iam mortuo, detulisse. Et post causę cognitionem, atque adeò sententiam; nec victorem insultâsse; neque victum doluisse; tradidit.

Plutarc. in Artaxerxe & Cyro fratribus, de quibus posteà, eamdem quæstionem renovatam; & Darij patris, contrariam huic sententiam, commemorat.

DARIVS rex, in ipso belli adparatu, altero ab Ægyptiorum defectione, anno: regni verò sui XXXVI. de vitâ decessit, Ctesias XXXI. tantùm annos regnâsse illum, prodidit.

XERXES IV. Persarum REX.

3469. | ——— | 481.

Hic est ille, de quo DANIEL cap. XI. meminit: *Adhuc III. Reges stabunt in Perside. Et IV. ditabitur opibus nimijs. & concitabit omneis adversus regnum Græciæ, &c.*

Ille itaque regni iam compos, quùm in bellum Ægypto potiùs, quàm Græciæ faciendum, esset propensior; primùm à Mardonio, (quem Herod. consobrinum, uti GOBRYA, & sorore Darij natum, l. 7. vocat. Et l. 6. in matrimonium accepisse Darij filiam, Artozostram dixerat) haud dubiè cladium à Græcis, se duce, acceptarum memore; & imperij pro rege illic in posterum administrandi cupido, graviter in Græcos, & præsertim Athenienseis, uti totius iniuriæ auctores; concitatur. Quibus subactis, Europa, regio omnium ut amœnissima, ita feracissima, Persico regno, scilicet, accedat.

Deinde ab ALEVADIS, Thessaliæ regulis; & à PISISTRATIDIS, pro re natâ exsulibus; atque adeò ab Onomacrito quodam Atheniensi sortilego, ad idem bellum planè inductus est.

Ctesias; His nominibus bellum in Græcos susceptum memorat: Quod Chalcedonij, a Græcis inducti, pontem, quem pater DARIVS Bosporo olim instraverat, conati essent dissolvere: & Iovis Diabaterij Aram evertissent. Quodque Athenienses DATIN interfecissent.

3471. | XERXES nihilo minus, altero à Darij morte anno | 479.

Promotis in Ægyptios, qui ante triennium rebellarânt, copijs, eosdem vi subactos, & duriore servitutis iugo oppressos, ACHÆMENIS, germani fratris, fidei imperioque commisit.

Hic idem Ctesias, eo ferè tempore, Babylonios quoque, Zopyro duce interfecto, defecisse; & à Megabyzo, regis genero, ex Amyti, domitos fuisse tradit.

DE BELLO IN GRÆCOS SVSCIPIENDO CONSVLTATIO.

Rex illâ Ægyptiâ expeditione defunctus, vocatâ Primatium è Persis concione, generosam, neque maioribus suis indignam, animi sui, de ampliando Imperio; & ulciscendis Græcorum hostium, iniurijs, cupiditatem exponit. Et eis, qui adparatiores copias ei bello adduxerint, amplissima prǫmia proponit. Sic tamen, ut liberè eo de bello dicendi sententententiam, cuique potestatem, in præsens, relinquat.

Ex quibus MARDONIVS quidem; Indignum esse aiebat, Persarum existimatione & gloriâ; si, quùm Sacæ & Indi, Assyrij & Æthiopes, qui nullâ antè iniuriâ Persas lacessierant, potentiæ dumtaxat proferendæ caussâ, in provincias à nobis sint redacti; Græci, sive Iones, Europæ incolæ, tot modis iniurij, intacti sinantur; & id omne quod in nos ausi, impunè auferant. Gens imbellis; neque Asiaticis Ionibus, Doribus & Æolibus, qui in nostrâ ditione

ditione sunt & potestate, suis olim colonis, præstantior. Belli denique, pugnarumque imperita, neque cum Persis congredi ausura.

ARTABANUS verò, regis patruus, ut silentium, quod nemine contrà hiscere audente, diutiùs intercesserat, discuteret: & diversâ sententiâ, id quod verum, & regi patriæque utile esset explicaret; Se auctorem Dario fratri nuper fuisse ingenuè fassus est, ne Scythas Nomadas bello lacesseret. Quod quidem consilium rectum fuisse, sinister belli eventus docuerit.

Proponi in præsentiâ bellum, cum gente, terrâ marique exercitatissimâ; Scythis longe acutiore & præstantiore.

DATIN & ARTAPHERNEM nuper magnis cum copijs in Atticam ingressos, quis à solis Atheniensibus, cruento & ingenti prœlio, fuisse profligatos, ignorat?

Hellespontum pontibus iungere, traijciendo in Europam exercitui, paras, ò rex. Quos si ijdem, pugnâ navali victores, dissolvant: an non idem animo tuo periculum proponis, in quod pater, qui Bosporum & Istrum pontibus antè commiserat, rebus improsperè in Scythiâ gestis, redux, inciderit? Et in unius hominis, Histiæi Milesij, manu fideque, & suam, & totius exercitûs salutem, tunc positam fuisse, est contestatus!

Ante-quam incipias, consulto; & ubi consulueris, maturè facto opus est. Neque temerariâ propriæ prudentiæ, aut potentiæ fiduciâ, res periculosas, minimèque necessarias, adgredi aut suscipere, quemquam oportet.

Cæca & improvida est omnis festinatio. Cunctatio autem, quâ præcipites animorum impetus inhibentur; magnas adferr utilitates. Quæ etiamsi in præsenti non statim adpareant; suo tamen tempore, sed seriùs, comperiuntur.

Prægrandia animalia, fulmine feriri: præcelsa tecta & arbores, ventis deijci videmus. Quâ fini? nisi ut, à Deo, qui superbos, & magnificè sese efferenteis, non tolerat; eminentissima quæque deprimi solere; & ingentem exercitum, ab exiguâ manu, eodem Deo, ijs, quos oderit, aut terrorem, aut stuporem immittente; cędi ac prosterni intelligamus.

GOBRYAM verò (fort. Gobryæ F.) qui vel publico regni discrimine privatam dignitatem amplificare, & externi imperij in se cupiditatem explere satagat; quis miretur id regi bellum suadere; ex quo istiusmodi commoda exspectet?

Hoc nihilo minus pignore cum eo certare non detrectem (si tanta belli Græcis, genti, uti iactat, imbelli & ignavæ, inferendi lubido est) ut rege domi apud suos relicto, & nostris amborum liberis apud eum depositis: ipse quantis velit delectorum militum copijs, in expeditionem eat: & si bene uterque rem gerat, ego cum liberis capite plectamur. secus; idem exemplum in ipsum & suos statuatur.

Næ, brevi, acceptâ ab hostibus ... ni clade, aut cæsum & insepultum iacere in ... MARDONIUM; aut ne hoste quidem conspectu, inglorium rediisse, audiemus.

Hâc oratione offensus rex; & patrui ignaviam contumeliosè increpitans; in sententiâ perstitit. Et propositum utrisque, sibi & Græcis, esse certamen dixit, à quo neutris fas sit recedere; aut agendi, aut patiendi.

Iamque nunc iactam esse aleam, utri alteris aut dominentur, aut serviant. Nihil esse tertium in tam capitalibus inimicitijs.

Sibi tamen honestum fore, iniurias, quas Græci, & Sardium incendio, & infestâ Asiæ incursatione, priores Persis intulissent; bello aperto ulcisci.

Huius suæ obstinationis & acerbitatis mox ille pœnitens, postridie coacto eorundem primatium concilio, sententiam, & petulantiora in patruum convicia, revocavit. & à bello minimè necessario supersedendum sibi, non sine ingenti Persarum lætitiâ, iudicavit.

Verùm idem Spectri cuiusdam nocturni, quod ipsi primùm, deinde Artabano etiam in cõspectum sese dederat; & fatalem in Græcos expeditionem urguebat; suasione ac minis exterritus: & ab Artabano, qui divinum portenti instinctum, & cladem Græcis divinitùs impendentem interpretabatur; iam-tum incitatus. atque adeò alteru insomnio elatus; quo sibi visus erat, surculo oleagino coronari, ramis terram omnem inumbrantibus. iterum animum ad id bellum adiecit.

Et Satrapis, in suam quuque præfecturam, ad ea, quę prius iussi erant, comparanda, dimissis; totum à debellatâ Ægypto quadriennium, in belli copiarumque adparatu, consumsit.

Samer. Initio, inquit, anni LXXV. Olymp. vel in fine præcedentis, profectus est XERXES contra Græcos. anno x. à pugnâ Marathoniâ. CCXCVII. anno à I. Olympiade.

Ab hoc anno ad bellum Peloponnesium, anni sunt XLIIX. sed utrumque inclusum. L. ad finem dicti belli, qui fuit XXVII. & annus IV. Olympiadis XCIV.

Inde ad pugnam Leuctricam, quâ occubuit CLEOMBROTUS Lacedæmon. rex, victus ab EPAMINONDA Thebano; XXXIV.

Deinde ad mortem PHILIPPI Macedon. anni XXXV. anno IV. Olymp. CX. Et ad mortem Alexandri; X II. *Hæc ex Eratosthene.*

Scalig. ex Herod. & Thucyd. vult XERXIS transitum contigisse anno III. Olymp. LXXIV. iam ad exitum decurrente. quippe cui tres tantùm menses ad finem anni deessent. Eusebio Annus est IV. dictæ Olympiadis.

BELLI

BELLI Terrâ mariq́ue ADPARATVS.

Claſsis intereà Perſica,& copiæ navales, quæ ad Elæuntem Cherſonneſi in ſtatione erant; cum Strymonem, rapidum in Thraciâ flumen, pontibus iungere; tum ATHON montem, ob memoriam naufragij & cladis ante acceptę, in planum deducere, & commodæ navigationi effodere, iubentur.

Ipſe verò ex Critalis Cappadociæ, quò copiæ omnes terreſtres convenerant, (Iuſtin. ad DCC. è regno, & CCC. è ſubſidiarijs, millia armatorum) in Lydiam, ad Sardeis, iter ingreſſus eſt.

Vnde in Gręciam caduceatores miſsi, qui Aquam & Terram regi poſtularent: eiq́ue adventanti cænas paſsim, pręterquam Athenis & Lacedæmone, adparari iuberent.

Dum Phœnices intereà, & Ægyptij, Helleſpontum. ab Abydo ad Seſton, quà mare anguſtum, & vix VII. ſtadijs patens; pontibus conſternerent.

Diod. Sic. lib. 11. A Xerxe, ita in totius Græcorum nationis exitium incumbente, miſſos anteà fuiſſe commemorat Legatos, ad Carthaginenſeis; ut communibus quidem auſpicijs, diverſis licet partibus, ſimul rem gererent. Et dum ipſe Græciæ incolas, ſuis terrâ mariq́ue copijs, invaderet; illi eodem tempore, adverſus eos Græcos, qui Siciliam, Italiamq́ue tenebant, in expeditionem irent. Idq́ue ab ijs ex convento præſtitum. & copias partim ex Afris, partim ex Liguribus, Gallis & Iberis, ad CCC. Mill. ſupra CC. naveis, triennali delectu, coactas.

Græci verò, & in primis Athenienſes, auditâ belli ſibi imminentis famâ, privatas omneis ſimultates oblivione delent: & facto ſyncretiſmo, legatos mittunt, ſocietatem & auxilia petitum: à GELONE Syracuſanorum rege; à Cretenſibus, à Corcyræis, &c. Iam certi omnem fortunarum ſuarum ſpem in claſſe, ſive navibus, collocare. ſic THEMISTOCLE, Neoclis F. Delphicum Oraculum, de Muro Ligneo, quo ſalutem ſuam tueri monebantur, interpretante.

XERXES autem, quùm pontium moles, quas Helleſponto imponi iuſſerat, ingenti tempeſtate perruptas eſſe intellexiſſet; plagas Helleſponto, non ſine barbarâ inſaniâ & imprecatione, infligi, & compedes inijci imperavit: & operum præfectis capita præcidi.

At pontibus celeriter, firmiuſq́ue de integro inſtauratis; ipſe è Sardibus, ubi hibernârat, ineunte iam vere, inſtructiſſimis cum copijs, Abydum verſus profectus eſt.

Quo in procinctu, Sol ita, nullis nubibus, ſed aëre ſereniſſimo, defecit; ut pro die nox exiſteret.

Idq́ue Magis, civitatum in Gręcis, quorum Sol præſes eſſet, defectionem portendere interpretantibus; rex lætus, & ad Abydum uſque progreſſus, quùm præ cupidine omnis exercitûs coram inſpectandi, hinc Helleſpontum navibus quaſi ſtratum; inde Abydenorum plana, litoraq́ue armatis inſeſſa, intueretur: priùs beatum ſe iactavit: deinde in lacrymas ubertim effuſus eſt.

Qui animo ſecum reputare diceret; *quanta humanæ vitæ ſit brevitas*. Et tot millium vicem miſeraretur; ex quibus nemo *ad centum deinceps annos* ſuperſtes ſit futurus.

Hic quùm ARTABANVS multa de rerum humanarum mutabilitate; & in ijs, de mortis, iamquam optati in ærumnis perfugij, ſubinde cupiditate, diſſeruiſſet; tum duo maximè hoſtilia, & cæptæ in præſens expeditioni adverſa proſpicere & reformidare, aſſeveravit.

Mare quidem; in quo nullus, ſubortâ tempeſtate, portus tantæ claſſis tutelæ idoneus, reperiri poſſet. Atque ita homines, in rerum fortuitarum; res autem fortuitas in hominũ arbitrio non eſſe futuras.

Terram verò; quæ victis & eiectis, & in omnem rei bene gerendę occaſionem intentis, nuſquam deeſſe poſſit. & ijs, qui per vim aliena occupârint, perpetuas ad famem uſque, & cedendi neceſſitatem, moleſtias, diu & propinquo, ſit faceſſitura.

Ad quæ quùm XERXES reſpondiſſet: Non ſine periculo, & interdum metu, magna & memorabilia ſuſcipi facinora. & in maiorum ſe ſuorum, qui rem Perſicam egregiè intrepidéque auxiſſent, veſtigia inſiſtere. Neque fluxam Ionum, Athenienſibus ex cognatione obnoxiorum, hâc in expeditione, fidem deſugere aut ſuſpectam habere. ARTABANO ad regiæ domûs, in Perſide, tutelam dimiſſo; ipſe auſpicatò ad tranſeundum, cum exercitu, ſe comparavit.

Et quùm II. pontes è navibus ſtrati eſſent; unuſq́ue Pontum, alter Ægéum ſpectarent. illo, peditatus equitatuſq́ue tranſmiſit, hoc iumenta atque ſervitia, cum parte militum Perſarum, & promiſcui è ſocijs nationibus exercitûs. Quo in traiectu ſeptiduum abſumtum eſt.

Et oblatum protinus prodigium, equâ leporem enixâ. Vt cuius in Græciam introitus, quàm terribilis; tam turpis & fœdus foret diſceſſus. Ipſe enim rex primus in fugâ, poſtremus in prœlio ſemper viſus eſt. In periculis, timidus: ſicubi metus abeſſet, inflatus. Et fiduciâ virium, veluti naturæ ipſius, & terræ mariſq́ue dominus: qui & Neptuno compedes, & Soli tenebras à ſagittis minitaretur.

COPIARVM RECENSIO.

Dum omnibus cum copijs, ad Doriſcum Thraciæ, perventum eſſet: & naves, quæ interim, quaſi in conſpectu terreſtris exercitûs, litora in Ægéo uſque legerant, ſubductæ: Ibi rex, ad Hebri oſtiũ, exercitum luſtravit: & ad CENTENAS SEPTVAGENAS MYRIADAS, ſive, ad decies ſepties centena capitum

pitum millia, in terrestri exercitu, recensuit.

Inter eos, VIII. Myriades equitum, sive LXXX. Mill. PROBO; CD. mill. equitum, & DCC. M. peditum.

Triremes M. CC. & XIX. biremes. Lembi & actuaria navigia, cum hippagogis, ad III. mill. Qu m cl il m & ipse rex, in in mare deductam, inter proras obversas, & litus Thracicum, navigans, obijt, & lustravit.

Copiæ classiariæ & terrestres, in summam redactæ, evadunt, Tet & Vicies Centena, & decem septemque mil. sexcenti & decem: præter servitia. Et hæ copiæ ex Asiâ contractæ.

Ex Europæis dedititijs, ccc. millia.

Simul cent. xxiv. Myriades, & mille sexcenti ac decem.

Servitia & ministeria, pugnatorum numero æquata, explebunt CCXXIX. Myriadas, Ter mille Ducentos & viginti viros. Qui omnes, usque ad Thermopylas, integri & cladis expertes.

Vnde non immeritò proditum censeatur: *Flumina à tanto eius agmine epota defecisse.* Et tantam nihilo minus in ærario eius divitiarū fuisse copiam, ut opes regiæ ad luxum & stipendia usque superessent.

(Hinc eum Daniel, *nimijs opibus ditandum* prædixerit.)

Et ipse PYTHIUS, viri Lydij, qui omnem exercitum, unà cum ipso rege, magnificentissimo epulo [illegible]tioque, in Celænis Phrygiæ acceperat; oblatum munus quod argenti quidem binis talentûm, auri verò quadragies centenis millibus nummûm Daricorum, (septies mille minus) valebat; generosè respuerit. atque adeò eidem hospiti suo eo. istas aureæ monetæ Myriadas, VII. millib. defectas, de suo explérit.

Ipse exinde, è Dorisco (quo loco, uti c. mill. hominum capaci, diuumeratum exercitum, meminit Plin. in Græciam tendens, eos, ad quos adibat, populos, immani passim conviviorum militarium sumtu exhausit: & secum, partim mari, partim terrâ, in militiam haud difficilè abduxit. quod totus ille ad Thessaliam usque tractus, prius à MEGABAZO; deinde à MARDONIO, in ditionem redactus, & regi tributarius effectus esset.

Atque ita ad Achantum usque, (à quâ haud procul fossa illa in Atho depressa erat, & perducta) iter fecit. ut exercitu tripertito, una pars secundum mare, pariter cum classe [illegible]ra per mediterranea, tertia, & inter has media, [illegible] quâ & ipse rex, incederent.

Et hinc quidem XERXES, qui duces classis ex Acantho à se dimiserat; & ad Thermam, cum classe se opperiri iusserat; enavigata, quam dixi, fossâ, (hoc est, ATHO iam VELIFICATO) & commilitio ex urbibus maritimis, quas inter navigandum circumvehebatur, adscito; ad locum sibi præstitutum, sive ad navalium copiarum stativa, (quæ inter Axium flumen erant, & Thermam) adpulsus est. quùm eòdem terrestris, per continentem, exercitus, ex constituto, pervenisset.

Eodem autem loci, Legati, quos in Græciam, terræ petendæ, rex dimiserat; partim inanes, partim voti compotes, regressi sunt.

*Ad Athenas autem & Lacedæmonem accedere, neque iussi, neque ausi fuerant; propterea quòd eorum, quos multò antè Darius, eius rei caussâ miserat; alios ab istis in Barathrum; alios in puteum deiectos esse meminissent: & illinc terram & aquam petere, & regi suo perferre, per ludibrium iussos.

Ex Græcis verò hi terram præbuisse comperti; THESSALI, DOLOPES, ÆNIENES, PERRHOBI, LOCRI, MAGNETES, MELIENSES, ACHÆI, PHTHIOTÆ, & THEBANI, cæterique BOEOTI; præter THESPIENSEIS, & PLATÆENSEIS.

Hi namque cum cæteris Græcis, qui in bellum adversus Barbarum coniurárunt, istiusmodi fœdere sese obstrinxerant:

„*Vt quicumque è Græcis, nisi ad extremam necessitatem adacti, Persæ regi se dedidissent; eorum decimum quemque, rebus in solido constitutis, Deo Delphico devoturos.*

Intereà & Argivi; qui veteris potentiæ memores, Lacedæmonijs, isto in bello, imperij prærogativam cedere gravatè se fingerent, & prius à XERXE, uti ex antiquâ Persei stirpe, sibi cognato, inducti, (post infelicem adversus Lacedæmonios pugnam) societatem cum Græcis alijs, (præter Mycenæos) aversarentur.

CALLIDVM GELONIS INSTITVM, ET DE AFRIS victoria.

Et GELON ipse Siciliæ Tyrannus; qui promissis licet terrâ marique, adversus eumdem Persam, hostem communem, auxilijs, neque in terrestri, neque in navali exercitu Græcorum, aliquantam imperij partem obtinere potuisset. A communi eorum defendendi caussâ, abstinuérunt.

Hic tamen ita à Græcis reiectus, quùm & ijsdem, ne Barbaro impares essent, subtimeret: & indignum tamen esse censeret, se Siciliæ latè potententem tyrannum, & maiores præ alijs, subsidij copias pollicentem, Lacedæmonijs, in ipsâ Peloponneso, subijci, & ad parendum cogi. hanc inijt sui, in omnem eventum tutandi, rationem.

Vbi primùm cognovit, Hellespontum à Persâ traiectum; CADMVM Cöum, qui desertâ patriæ tyrannide, unà cum Samijs, Zanclen in Siciliâ incolebat; tribus cum biremibus, & ingenti pecuniâ; & cum arcanis, de leniendo pro re natâ, rege; consilijs & mandatis, instructum submisit. qui, quem casum habitura esset pugna, observaret.

Et si Barbarus quidem vinceret; cum & pecuniâ

cuniâ traditâ, & voluntariâ locorum omnium deditione placaret. secus autem, Græcis vincentibus; ad se incolumis liberque rediret.

Perhibent tamen alij, GELONEM Græcis, licet arrogantibus, auxilia palam laturum fuisse; nisi HAMILCAR, Hannonis F. Carthaginensium rex, ex fœdere (Diod. Sic.) quod cum XERXE iunxerat: Vel (ut Herod. tradit) TERILLI, à Therone Acragantino ex Himerâ electi, instigatione, in Siciliam ccc. illa, quæ dixi, armatorum Millia, adduxisset. Quem eodem, quo in Salamine Persam Græci, die; ipse GELON, ingenti prœlio, & xxx. millibus cæsis, superârit.

Diodor, vult eo die, quo ad Thermopylas dimicatum.

CORCYRÆI verò, qui classe plurimùm, secundum Athenienseis, valebant; in parem eiusdem belli eventum intenti, nutare visi. Nam licet LX. naveis. per simulationem subsidij, armârint; & in Peloponnesum usque ægrè submisissent; cum gratiam sibi apud Persam parâsse rati sunt; tum ventos caussati, & extra periculi aleam consistenti, pugnæ ad Salaminem, cum cæteris Græcis, participes non fuere.

At CRETES, Delphico oraculo deterriti (quo MINOIS quidem in Camico cædes inulta; Menelai verò uxor, à Barbari Phrygis raptu, acerrimè vindicata, exprobrabatur) ab auxilio Græcis supplicibus, & coloniæ suæ auctoribus, ferendo, supersedérunt.

Quùm autē Thessali, ab ALEVADIS alieni, à Curatoribus Græciæ, (qui delecti è civitatibus, & ad Isthmum erant coacti) ut coniunctis secum copijs, Olympicas angustias (quæ Olympum inter, & Ossan; sive Tempê, ad Peneum) ceu commune belli tutamen, insiderent; hostisque indè arceretur; pôstulâssent. Et hi, eò quidem x. peditum millia transmisissent; sed ab ALEXANDRO, Macedonum rege, persuasi, iterum ad Isthmum se recepissent. Illi à socijs ita deserti, ad Medorum parteis necessariò sibi transeundum putavérunt.

EVRYBIADES, ET THEMISTOCLES

GRÆCORVM IMPERATORES.

At quùm in publico Græcorum concilio placuisset, Thermopylarum angustias præsidio custodiri. Et classem, cui EVRYBIADES Lacedæmonius præerat; THEMISTOCLE Atheniensi interim classiariarum rerum curatore; supra Artemisium Euboeæ provehi; loca inter se vicina. Et nauticus intereà XERXIS exercitus è Thermâ movisset.

Græci quidem, qui iam ad Artemisium castra habebant, III. è suis præsidiatiarum navium, quæ ad Sciathum excubabant, quasquè Persæ ceperant; iacturâ perterriti; ad Chalcidem, Euripique tutelam se recepérunt.

Et Persæ, incolumi hactenus classe atque exercitu, Oram Magnesiam & Sepiadem tenuérunt: XERXE, cum terrestribus copijs, per Thessaliam & Achaiam, in Melidem, profecto.

Hic verò triduanâ Hellespontij venti tempestate classis Persica ita adflicta est; ut ad CD. naveis, hippagogas præsertim, non sine incredibili virorum, equorum, & pecuniarum detrimento, partim vicinis litoribus illisæ; partim naufragio sint desideratæ.

Et Græci iterum ad Artemisium classe provecti, naveis ex ijs non paucas, imprudenter & panico terrore in se delatas, cum ducibus, ceperint.

LEONIDÆ LACEDÆM. VIRTVS.

Et iam XERXES, in Trachine Melidis, castra habebat; toto Thraciæ, Macedoniæ, Pieriæ, Thessaliæque ad Boream tractu potitus. Quùm Græci. qui cætera ad Occasum Meridiemque vergentia adhuc tenebant; angusta Thermopilarum, Phœnicem inter & Asopum, flumina, insidérent; SPARTANI, ARCADES, PELOPONNESII, LOCRI, & BOEOTII. Maris tutelâ Atheniensibus & Æginetis, alijsque relictâ.

Diod. tradit, LOCROS, Thermopylis vicinos, qui paullo-antè regi obsecuti, eosdem aditus tunc occupâssent, LEONIDÆ adventu, sententiam mutâsse, seseque cum reliquis Græcis coniunxisse. Et Thebanis, de Persicâ societate, inter se dissentientibus; ex alterâ factione, CD. auxiliares ad eumdē LEONIDEM accessisse. Quos Herodot. ait, obsidum loco à LEONIDE ad extremum retentos.

Summa verò Imperij LEONIDÆ illi Spartanorum regi, ex consensu civitatum ibidem commissa est.

In hos autem Græcos, eas, quas dixi, faucium angustias occupanteis, quùm vix IV. Mill. milites essent, sed subsidia propediē hinc inde exspectarentur: XERXES contemtu paucitatis, eorumque, contumaciter perstantium, & iussa regia aspernantium, ceu temeritate, incitatus; pugnam capessi ab ijs iubet, quorum cognati aut populares, Medi & Cissij, Persæ cum Sacis, Marathoniâ pridem pugnâ fuerant interfecti. Qui dum ulcisci suos quærunt, principium cladis fuere. succedente dein inutili turbâ, maior cædes est edita. Atque ita triduum ibi, cum dolore regis, & indignatione ducum, est dimicatum.

At quartâ die, quùm nuntiatum esset Leonidæ, à xx. millib. Persarum, proditore & duce EPIALTE Trachinio (Ctesias, Thoracem Thessalum; & Calliadem ac Timaphernem, Trachinios, nominat) summum montis cacumen, pulsis inde Phocensibus, teneri; tunc cæteros ille socios hortatus, recederent, & se ad meliora patriæ tempora reservarent:

rent: sibi, cum Spartanis, extremæ pugnæ fortunam experiendam, obfirmato animo constituit.

Quod & initio huius belli, Oraculo Delphico (quod idem Athuniensibus suaserat, ut ligneis mœnibus se munirent; idque THEMISTOCLES interpretatus erat, In naveis se suaque omnia conferrent) responsum meminisset: *Aut regi Spartanorum, aut Urbi cadendum.*

Et in præsentiâ MEGISTIAS Vates, exstis inspectis, mortem illi & præsentibus impendere significaret.

Ille dimissis itaque socijs, & cum Lacedæmonijs solis, (à quibus tamen D. Thespienses, & Thebani abscedere noluissent) mori certus, antequam à tergo interdiu circumvenirentur; & dum nox facinori esset opportuna; hortatur suos: Quandoquidem & quomodocumque prœliantibus cadendum esset; ut nusquam honestiùs victores se, quàm in hostium, pro tempore securorum, castris; neque inultâ morte, perituros esse; animum inducant.

Quod ubi, antè obstinatis mori, haud difficilè persuasit; curatis corporibus, & armis alacriter correptis; DC. Viri, castra D. Millium (Diod. Decies-centenûm M.) irrumpunt. Et tumultu totis castris exorto; & rege, quem petebant, non reperto; passim & diu victores vagati, dum prœlium ab principio noctis, in maiorem diei partem traxissent. ad postremum non victi, sed vincendo fessi, inter ingenteis cæsorum hostium acervos, occubuêrunt. Sic Iustin. & Diodor.

Herod. verò, tentatæ in castra irruptionis nullus meminit. Sed dum EPIALTE duce, HYDARNES viâ Anopæâ, hinc inter Oetæos monteis, illinc Trachiniorum terram delectos Persas, quos dixi, traduceret; & à tergo LEONIDEM cum suis adoriri properaret; hunc exiguâ, digressis ultrò iam socijs, manu, Persas alios, è castris egressos; & ad se adgrediendum, à XERXE ducibusque, crebro verbere etiam adactos, (quorum permulti vel in mare præcipitarentur, vel vivi à suis proculcarentur) generosè excepisse: Et eo in certamine, cum CCC. Spartanis cecidisse. Super cuius cadavere, duo Xerxis fratres, ABROCOMES & HYPERANTHES, pugnando occubuerint.

Tam vehemêtem verò Persarum Spartanorumque inter se conflictum fuisse; ut Græci, ter in fugam versis hostibus, cadaver LEONIDÆ magnâ virtute subtraxerint; & eousque perstiterint, dum HYDARNES cum suis adfuére. Et de tumulo, quem illi densati occupârant, & se solis cum gladijs defensabant, munitione muri subrutâ, deiectos & undique oppressos, obtruncârunt.

LEONIDÆ, (licet eum abscisso capite in crucem tolli XERXES iussisset) & Græcis, (qui occidere dimicantes, quam adsignatam sibi à patriâ stationem deserere maluissent: & sic eo die pransi essent, tamquam apud Inferos cœnaturi) eo loci, ubi ceciderât, sepultis; egregia æternæ gloriæ monimenta ab Amphictyonibus sunt erecta: & Poëtarum carminibus, Rhetórumque encomijs, celebrata.

Hæc clades incidit in tempus æstivi Solstitij, quo LXXV. Olympias, mensib. Maio & Iunio, celebrata est.

Thebanis, qui apparente Persarum victoriâ socios deseruerant, & Xerxi supplices se dediderant; ignaviæ nota vel ab hoste ipso est inusta.

XERXES, Græcorum, & in primis Laconum, virtute tam spectatâ in stuporem datus; ut nationis sibi invisæ factionem discinderet; & Spartanos à reliquæ Græciæ defensione averteret. à DEMARATO quidem, quem super eâ re consuluerat, monitus est; ut CCC. è classe naveis in Laconicam oram, Cytheræ occupandæ, transmitteret. quò domestico malo illi territi, ab Isthmo decedant, & cæteros deserant.

Ab ACHÆMENE verò fratre, classis præfecto; qui consilium à peregrino, fraudis plenum, quo coniuncta classis istiusmodi divortio imminuenda; & hostili impar tamdem dissipanda sit; extenuaret; ab eâ deterritus est sententiâ.

Ferunt namque DEMARATUM (quo animo, incertum) primum omnium instituti, adversus Græciam, in Perside belli, regiæque expeditionis, civeis suos, maturè commonuisse. idque arcanis notis, in bifori tabellâ, sivè pugillari exaratis. quas GORGO, Cleomenis filia, & Leonidæ uxor, sola interpretari potuisse proditur. à quibus cætera Græcia, ad sui defendendæ cogitationem sit excitata.

Intereà Græci, quos cum classe CCLXXI. navium, præter Penteconteres, ad Artemisium rediisse, & in statione fuisse diximus; ab Euboensibus rogati, delenitis anteà pecuniâ ducibus, ne metu vicinæ Persarum classis, quæ ad Aphetas magno numero erat contracta, ab Euripi Insulæque tutelâ abscederent. dum intelligunt se à Barbaris, qui classem diviserant, à tergo & à fronte mòx invasum iri: Ipsi ultrò fortunam periclitari ausi, & in adversos de-inexspectato (qui signum à socijs, Euboeam circumvectis, edi exspectarent) delati; & ob suarum navium paucitatem in medio contemtim conclusi, angustoque loco deprehensi; egregiâ se nihilo-minus virtute expedierunt. adeò ut nox ancipitem pugnam diremerit: & barbari maius se suâ opinione certamen expertos esse faterentùr.

Eâdem nocte (erat autem æstatis adultæ tempus) immensâ ex tempestatibus aquarum vi; & diris è Pelio monte tonitribus; tabulis naufragij & cadaveribus ad Aphetas elatis, aut ad naveis illisis; consternati barbari, qui è pugnâ navali evaserant; ubi diluxit, satis habere visi sunt, si quietem in præsens agitarent.

Illi verò, quibus Euboeæ circumeundæ negotium datum erat; pari tempestate graviùs, uti in alto, deprehensi, & violento flatu delati, in saxa Euboica, non sine navium hominumque strage, impegerant.

Græcis autem, quibus LIII. naves Atticæ auxilio venissent; & nuntium de Persicæ clasis ad Euboeam clade accepissent; tantùm alacritatis additum est, ut naveis Cilicum adorti corruperint, & salvi sub noctem ad Artemisium se receperint.

Erat itaque omne, eodem pænè tempore, Græcorum certamen, partim mari Euripum tutari; partim terrâ barbaros à Thermopylarum trânsitu prohibere.

Barbari postridie, non exspectandum rati, dum Græci priores pugnam navalem denuò capessèrent; ipsi ul-

ipsi ultrò hosteis, qui sese ad Artemisium immoti tenebant, Lunatâ classe circumdant. Et pari licet Marte pugnatum esset; Græci tamen à tantâ multitudine undique invasi, & malè adfecti, dum de fugâ in ulteriorem Græciam deliberant; & pecora, cum incolis, ex Euboeâ, opportunè exportant: eius, quod LEONIDÆ, eiusque exercitu, ad Pylas, factum esset, iam ex speculatore certiores, abscessére.

THEMISTOCLES tamen Atheniensium dux, dum Iönas, quorum causâ bellum adversus Persas initiò susceptum erat; quique non exiguâ cum classe, regi in præsens militabant; aut in parteis suas solicitare, aut regi suspectos facere, constituisset: neque colloquendi copiam haberet. ad Artemisium, quò illos adplicituros sciebat, symbolas proponi, & saxis proscribi curavit. Facinus cum dementiâ coniunctum illis exprobrans.

„ *Qui suis olim conditoribus, & nuper vindicibus, bellum & servitutem inferre cogitarent: An ideo mœnia vestra condidimus, ut essent ex posteris, qui nostra delerent! Sin nostra castra illinc transire parum tutum; vos saltim, cum Caribus, accenso iam prœlio: Ite cessim: Inhibite remos; & à bello, in vestros maiores nefario, discedite.*

Barbari itaque classe ad Artemisium, unde Græci digressi erant, adpulsi, & Histiæâ potiti; maritimam regionem fœdè percursárunt.

Et hinc, à præcone regio ad ridiculum cæsorum, in Thermopylis, spectaculum exciti, mille è suis stratos, & è terrâ, exstanteis, (reliqui depressâ fossâ humati erant, & latebant) pro totidem hostibus, Laconibus, & Thespiensibus; scilicet, inspexérunt.

Ad XERXEM verò, iam in iter ingressum, pauci ex Arcadiâ perfugæ, quùm rogati: *Quidnam pro tempore Græci agerent*; respondissent: *Olympia* illos, hoc est, Gymnica atque equestria certamina AGITARE, AVT INSPECTARE; & victoribus præmium esse propositum, ex OLEA CORONAM. TIGRANES, Artabani F. Mardonium generosè incessit; Qui Persas, Græcis verè viris; & de virtute, non de pecunijs, certantibus, vincendos obiecisset.

At Thessali; qui veteres cum Phocensibus simultates iam-pridem exercuissent; & non tàm fide in cæteros Græcos, quàm odio in se, illos à Medis dissentire crederent. neque, pro tempore, minis, aut præsente hostilis incursationis exitio, perterrérent. indignatione permoti, quòd ab ijs Græciæ proditores traducerentur; Barbaro se duces itineris ipsi præbuérunt.

Atque illi, è Doride in Phocidem transgressi, quùm in incolas (quorum partim Parnassi cacumina insederant; partim ad Amphissam urbem se receperant) non possent; in obvia saltim quæque, igni ferroque desævierunt: & sacras, in Vrbibus vacuis Ædeis, incendérunt.

Hîc autem divisis ad Panopéam copijs, XERXES quidem cum parte validissimâ, Athenas versus, in Boeotiam (cuius urbes, uti federatæ, Macedone milite, quem rex ALEXANDER, ex convento, imposuerat; insessę & servatæ sunt) contendebat.

Alteri verò, eversis Phocensis agri reliquijs, ad Templum Apollinis, quod Delphis erat opulentissimum, diripiendum, procedebant.

(Iustinus tradit: Antè navalis prœlij congressionem, IV. Mill. à XERXE eò missa; prorsus quasi non iam cum Græcis tantùm, sed cum Dijs immortalibus bellum gereret. totamque eam manum, imbribus, & fulminibus deletam.)

Delphi, præ adventantis exercitûs metu, & pecuniam sacram aliò transportare à Deo prohibiti; liberis, uxoribusque in Achaiam transmissis, urbem deserunt: & in tuta se subducunt.

Sed barbaris sacrilegas iam manus in Templa ingerere parantibus; cum arma sacra, ex adytis, suâ sponte proferri visa; tum in eos è cœlo fulmina deciderunt; & abrupti è Parnasso vortices, suâ ruinâ, & fragore involvérunt. Eosque, iam præ terrore in fugam actos, Delphi, è montibus delapsi, magnâ strage ceciderunt.

Intereà verò Athenienses, spe & opinione suâ frustrati, qui Peloponnesios Isthmum muro sepire, & suæ tantùm regioni tutandæ intentos esse audirent; quos in Euboeâ, ad excipiendum pugnâ Barbarum, præstó se reperturos esse putássent. ut classis saltim ab Artemisio profecta, & ad Troezenem coire iussa, ad Salaminem subsisteret, à socijs Græcis contendebant. Qui proposito etiam edicto, liberos atque uxores ex Atticâ subducere; & ex urbe, eiusque Arce, carissima quæque exportare constituissent. Iamque eorum classis, novis supplementis & societatibus ad CCCLIIX. naveis, præter biremeis (Ctesiæ ad DCC.) excreverat.

PVGNA SALAMINIA.

Sed dum de loco, ubi commodissimè pugnâ navali decernendum foret, inter Civitatum principes deliberatur; interim copię eæ, quę cum XERXE erant, peragratâ Boeotiâ, & incensis Thespiensium Platæensiumque, Thebanis æmulorum, urbibus, ad Athenas pervenerant. III. à traiectu Hellesponti, mense.

(Ctesias, XERXEM ait à Thebanis incitatum, in Platæenseis MARDONIVM magnis cum copijs, immisisse. Illumque à PAVSANIA Spartano, qui CCC. civeis & M. accolas, aliaque auxiliariorum VI. Mill. penes se haberet; victum fugisse. Et dum ab eodem rege ad spoliandam Apollinis Ædem missus esset; grandine oppressum esse. *Verùm ex ijs pleraque pòst contigisse clarum est.*)

Persæ autem, Athenis, urbe desertâ, potiti, reperére tamen homines egenos, qui tum præ inopiâ victus; tum opinione Oraculi, quod Delphis Pythia reddiderat; Vt *salutem muris ligneis Græci tuerentur*: ad Salaminem exire recusarant.

& THE-

& THEMISTOCLEM (qui navium præsidium divinitùs demonstratum ratus, civibus prudenter persuaserat; *Patriam, municipes esse, non mœnia. Civitatem non in ædificijs, sed in civibus positam.* atque ita meliùs navibus incolumitatem suam, quam Vrbi, infirmæ & mox capiendæ, commissuros) præfractè neglexerant.

Et iam (tum præseptâ foribus, ac lignis Arce, subeuntem illi hostem ita arcebant; ut Persæ, castris in Areopago, Arci ex-adversum, positis, non nisi à fronte & à tergo invasos oppresserint: ijsque miserè trucidatis, Arcem cum Templo exusserint. Quâ de re XERXES, uti voti & institutæ ultionis compos, nuntium confestim in Persidem, ad Artabanum, misit.

At Græci, qui ad Salaminem stabant, licet non-improviso, Arcis captæ incensǽque nuntio, ita sunt perturbati; ut non pauci è ducibus, re nondum deliberatâ, in naves ingressi, vela tollerent; & reliqui ad Isthmum, pugnâ navali decertandum, sibi constituerent.

THEMISTOCLES verò à MNESIPHILO cive, de communi Græciæ periculo; si inde, ubi Atheniensium liberi uxoresque erant relictæ, decederetur; prudenter admonitus; quùm priùs, EVRYBIADEM, penes quem summa rei gerendæ esset auctoritas, à sententiâ revocâsset: & propositâ Salaminis, Megaræ & Æginæ, iacturâ, quæ ex Græcorum ab ijs locis decessu, Persis expositæ in prædam paterent; minas etiam de suorum omnium in Italiam, ceu novam & peregrinam sedem, abitione; quæ toti Græciæ, ob notabilem classis diminutionem, maximæ in præsens fraudi erat futura, addidisset: pro tempore, ut ad Salaminem perstaretur, pervicit.

Copiæ verò classiariæ XERXIS, à ridiculo, quod diximus, Laconicæ stragis spectaculo, ex Trachiniâ in Histiæam redierant: & Euripo transmisso, ad Phalerum prestò erant, novo, ex dedititijs, tam continentis terræ, quàm vicinarum Insularum incolis, supplemento, immensùm (ad L. mill.) & cum damni accepti solatio, aut reparatione, adauctæ.

Quùm rex autem, suæ quemque gentis, Tyrannos et Navarchos; de prœlio navali cum Græcis ineundo, consuluisset; & cæteri quidem regis cupiditati adsentirentur. ARTEMISIA verò, Halicarnassi & Carum Princeps, cum robur peritiamque in Græcis; tum eorum, qui regi vel militarent, vel socij censerentur, imbelliam exaggerando, ab aleà certaminis tentandâ, (quæ universâ, ad Athenas usque, Græciâ iam domitâ, & sub potestatem redactâ, minimè esset necessaria) dehortaretur. sed, vel in ipsam Peloponnesum tendendum; vel longiore expeditæ ad casus classis constantiâ, frangendam esse pertinacem Græcorum societatem, suaderet.

Rex nihilo-minus classem, Salaminem versus, duci, & in aciem instrui iussit. quùm interim pedester eius exercitus, eâdem nocte, in Peloponnesum contenderet. Peloponnesij verò, iam tum à LEONIDÆ, suorúmque ad Thermopylas occasu, facto ex urbibus auxiliariorum concursu, & duce CLEOMBROTO, LEONIDÆ fratre, Isthmum insidebant.

Et vijs obstructis, muroque à Lechæo ad Cenchreas inædificato, ad regionis suæ tutelam se comparabant: & de classis præsidio tantum-non diffidebant.

Hinc nouâ, inter classis Græciæ præfectos, dissensione exortâ, quùm alij periculum pro Peloponneso, non pro Atticâ iam captiva, adeundum censerent; alij illic perstandum satius ducerent: THEMISTOCLES, qui perniciosam sibi & patriæ, Peloponnesiorum sententiam evicisse cerneret; per SICINVM, sibi fidum; ducibus barbaris, à se, uti benevolente, nuntiandum curat; contractam uno in loco, eoque angusto, Græciam metu perculsam; & de fugâ, animis inter se discordantibus, cogitantem; facilimè opprimi, capi, & expugnari posse.

Quod si civitates, quæ iam abire vellent, dissipentur; maiore labore singulas regi fore consectandas. Occasionem itaque rei præclarè celeriterque expediendæ, quæ se ultrò offerret, non esse negligendam.

Hoc dolo rex impulsus signum pugnæ dedit; & ipse, velut eius spectator, cum parte navium in littore, sub monte Ægaleo, resedit.

Græci autem, postquam à barbaris pænè undique & clam circumventi vix sensissent; neque ARISTIDI Atheniensi, sed exsuli, viro cætera iustissimo, qui ex Æginâ ægrè elapsus nuntiatum advenerat; fidem habuissent. à Tenijs transfugis serò commoniti, tandem ad dimicandum sese, THEMISTOCLE in primis cohortante, accinxêrunt.

Initium pugnæ adversus barbaros, iam invectos, quidam ab Aminiâ Atheniensi: alij à triremi, quæ pacandis Æacidis Æginam anteà, ex solenni voto, missa, iam in ipso temporis pugnæque articulo redierat; non sine Deorum instinctu, cæptum memorant.

Sicut Phœnices, qui cornu ad occasum, Eleusinemque obversum tenebant; Atheniensibus. Iônes verò, qui ad Auroram & Piræeum spectabant; Lacedæmonijs, obiecti essent. & ex his, Iônibus, à THEMISTOCLE priùs inducti, plerique, præter Samios, ignaviter rem agerent.

Atque ita Atheniensibus, eorumque socijs, adversus Phœnicas, gentem mari strenuam, & in regis conspectu dimicantem, summa pugnandi, naviumque adoriundi, necessitas incumberet.

Ex quibus, quùm unus AMINIAS Artemisiam, (quæ inter primos duces acerrimè bellum ciebat; in cuiusque caput pretium decies mille drachmarum publicè erat propositum) navi suâ insequeretur: & illa fugiens in sociam Calydnensium navim impegisset, eamque demersisset. cum ab hoste, qui profugam eam, & amicam ex eo facto iam suspicaretur, liberata; tum à XERXE spectante, & navem ab eâ hostilem depressam existimante, ita laudata est; ut *in viris muliebrem timorem; in muliere virilem audaciam* cernere se prædicaret.

Eo in prœlio cum multi & illustres viri ex barbaris occubuêre; tum plerique è Græcis, quos pugnæ sors reliquerat; natandi gnari, navibus etiam laceratis, ad Salaminem evasêre.

Cum namque primæ hostium naves in fugam versæ essent; & eæ quæ à tergo erant locatæ, eas in propugnatoribus antevertere, & operam suam etiam regi probare ac navare contenderent; mutuo concursu, & incomposito agmine, alteræ in alteras, non fine vectorum pernicie, impingebant.

Vt Phœnices Ionas, (quos Iustin. pugnæ se paullatim subtrahere cæpisse; & eorum defectione animos cæterorum esse fractos, scripserit) coram rege. ceu proditores, non impunè tamen, insimularent.

Et Æginetę, qui in freto consistebant, naveis barbarorum, quæ Atheniensium manus effugissent, ipsi interciperent: præter eas, quę fugâ in Phalerum, ad copias pedestres, sese proripuerant. (Iustin. plures ex navibus, quæ non minus sævitiem regis, quam hostem timerent, domum dilapsas, tradit.

Persæ præterea illi, qui in Psyttaleam antè fuerant traducti, ut commisso iam certamine, naufragos quidem è suis omneis servarent; è Græcis verò, obtruncarent; Ab ARISTIDA illo, quem dixi, adscitâ secum e Salamine ... manu & Cretensibus sagittarijs, fuere pulsi, aut interfecti.

Atque ita tandem Græci, pugnâ navali defuncti, reductis ad Salaminem navibus; ijs, quæ illuc adfatim erant adpulsa, naufragijs spolijsque potiti, ad alteram dimicationem, si quam rex moliretur, se comparabant.

Nam educto ille ad Salaminem, ex onerarijs Phœnicum navibus, aggere, & muro; (quasi pedestri itinere eò traijcere cogitans) cum omnis metueret, ne Iones à Grecis subornati, ponteis ad Hellespontum dissolverent, fugamque sibi intercluderent; & proinde de salute sua sollicitus esset; id facturum se simulabat.

Ctesias, D. Persarum naveis eo conflictu fuisse profligatas: & ex pugnatoribus, centies & vicies mille, hic & alibi, cecidisse prodidit.

In Perside verò, diversa de-subitò erat rerum facies. Ipsi namque, uti accepto de captis paullò antè incensisque Athenis nuntio, in incredibilem voluptatem fuerant effusi, ita posteriore classis, & tot virorum clade, gravissimè sunt consternati.

FVGA XERXIS.

XERXEN hâc belli fortunæque offensione perculsum, & consilij dubium, MARDONIVS, expeditionis tam infaustæ suasor, qui sibi conducibilius duceret, in persequendo adversus Græcos bello, aut periclitari, aut honestâ occumbere: quàm irato regi aut civibus in patriâ pœnas dare, hortatus est, ut in regnum abiret: ne quid seditionis moveat fama adversi belli, in maius, sicuti mos est, omnia extollens.

Sibi ccc. armatorum millia, ex omnibus lecta copijs, relinquat. quâ manu, aut cum gloriâ eius, perdomiturum se Græciam: aut si aliter eventus ferat, sine eiusdem infamiâ, hostibus cessurum.

Certamen, quo tota res Persica constaret, non in lignis, sed in viris & equis esse. Neminem ex ijs, qui rem se factam habere rentur, neque è navibus egressum, neque ex continente progressum, regi aut eius copijs obviam se ferre ausurum.

A Persis omne ignaviæ crimen abesse. Si qui rem ignaviter gessisse visi sint; illos Phœnicas & Ægyptios, Cilicas & Cyprios fuisse, Persarum mancipia.

Rex, idem ut faceret, ab ARTEMISIA, uti lubere sentiebat, persuasus; quæ liberos regios, nothos, navibus secum Ephesum abducere iuberetur, consilium probat. MARDONIO, quem petebat exercitum tradit: & ipse reliquas copias in regnum reducere parat.

Prefecti verò classis, eiusdem iussu, è Phalero noctu solventes, ad Hellespontum magnâ cum celeritate vela faciunt: ut rates, quibus rex in Asiam erat traiecturus, custodirent.

Græci contrà, die illucescente, quùm pedestreis hostium copias eodem loco persistare cernerent; & classem simul circa Phalerum esse rati, alteram pugnam exspectarent; ad vim propulsandam se comparabant.

Sed cognito, illam retrò cessisse, Andro tenus insecuti; quùm hinc THEMISTOCLES consilium de ponte, quem rex Abydi fecerat, interrumpendo proponeret; ut intercluso reditu, ipse aut cum exercitu deleretur; aut desperatione rerum victus, pacem petere cogeretur.

Inde EVRYBIADES timere se diceret, ne spe reditûs ademtâ, hostes desperationem in virtutem verterent: & iter, quod aliter non pateret, ferro patefacerent. *Satis multos in Gratiâ hosteis remanere, quorum numerum retinendo augeri non oporteat.* Nam & tuta illis hiberna fore, tum in urbibus, tum in nationibus, quæ vel captę fuissent, vel anteà se dedidissent. Et rem ijs frumentariam, ex annuis usque Græcorum fructibus suppeditaturam. Ab hoste ulteriùs persequendo destiterunt.

THEMISTOCLEM præterea tradit Herod. quùm persuadere plerisque non posse animadverteret, ut ad Hellespontum navigaretur; Atheniensibus, apud quos singulari polleret gratiâ; quique præcipuè hostem effugere indignarentur, & per se ad navigandum propenderent; auctorem fuisse, ut expeditione in ver proximum dilatâ, in Græciâ permanerent. & in ædibus reficiendis, sementeque interim faciendâ, operarentur. Idque eum fecisse, non tàm publicæ salutis studio, & patriæ caritate: quàm ut sibi, siquid adversi apud civeis, naturâ leveis, accideret, subsidium gratiamque apud regem in posterum emereretur.

Ad illum namque è-vestigio misisse eumdem, quem dixi, SICINVM, qui THEMISTOCLIS, erga regem, scilicet, benivolentissimi, nomine denuntiaret; à se Græcos, eius persequendi, & pontis ad Abydum solvendi cupidos, detineri: & proinde ut transitum maturatâ fugâ occupet, amicè commonere.

Iustin. verò, & salutare illud EVRYBIADIS consilium,& istud monitum, THEMISTOCLI, uti prudenti & patriæ amanti viro, universè adsignat.

At cum Græci, rebus in præsentiâ ita constitutis, Andrum, quò erant adpulsi, & vicinas deinde Insulas, factionis Medicæ participes, armis cum classe circumlatis, ad pecuniam in commune tribuendam adegérunt: tum Persæ cum copijs,itinere per Boeotos facto, in Thessaliam, ubi delectus habere & hibernare visum est; contenderunt.

XERXES verò, MARDONIO cum copijs, quas pro arbitratu delegerat, in Thessaliâ relicto; & curâ reliqui exercitûs, qui per continentem in Asiam reducendus esset, HYDARNI, alijsque ducibus demandatâ; ipse cum paucis (quorum ductores, ARTABAZUS Pharnacis F.& THORAX Larissæus) intra XLV. dies ad Traiectum pervénuit.

(Prob. quà VI. mensibus iter antea fecerat, eâdem minùs diebus XXX. in Asiam reversus est; & se à Themistocle conservatum iudicavit.)

Ab illo digressus ARTABAZUS in reditu Olynthum quidem rebellantem expugnavit, (Id Mardonio attribuit Iustin.) sed à Potidææ obsidione, insolito maris æstu,repulsus est.

Addit Iustin. regem, ubi pontem hibernis tempestatibus solutum offendisset, piscatoriâ scaphâ trepidum traiecisse. *Rem spectaculo dignam, & æstimatione fortis humanæ, rerum varietate mirandam.*

Nec pedestribus copijs, quas ducibus adsignaverat, felicius iter fuisse. Siquidem quotidiano labori, dum nulla metuentibus quies daretur, etiam fames accesserat.

Multorum deinde dierum inopia contraxerat & pestem, tantaque fœditas morientium fuit, ut viæ cadaveribus implerentur: & feræ aluesque illecebris solicitatæ, exercitum sequerentur. Et ex reliquis, traiecto iam navibus ad Abydum Hellesponto, partim præcipiti potûs cibique immoderatione in Asiâ exstinguerentur; pauci cum XERXE Sardeis pervenirent.

Græci verò ab Insularum vexatione in Salaminem regressi, primitias prædæ, & rerum captivarum, Dijs Heroibusque consecrárunt: & ad Isthmum navigantes, præmia strenuissimo cuique decrevérunt.

Inter quos, THEMISTOCLES, omnium penè civitatum testimonio, in re gerendâ prudentissimus; & Spartanorum etiam suffragio, dexteritate & solertiâ primus, eo in bello fuisse iudicatus est.

3475. | 475.

Classis intereà Persica, quæ apud Samum, & Cumam Æoliæ, hibernârat; & Ioniam à rebellando prohibere satis superque duceret; nihil, nec vere quidem adpetente, tentare ausa. nec à Græcis, qui à se persequendis abstinuissent, quidquam reformidans; à Mardonij expeditione eventuque pendebat.

Nec minus Græci, licet & veris adventu, & MARDONII in Thessaliâ versantis propinquitate excitarentur; & nondum pedestri ipsorum exercitu in unum coacto, classem CX. navium in Æginam, ducibus LEVTYCIDE Spartano, & XANTHIPPO Atheniensi, (Themistocli namque (Diod. Sic. l. 11.) quòd à Lacedæmonijs dona accepisse traduceretur; imperium erat abrogatum) deduxissent.

Atque adeò à nuntijs Iönum quorumdã, qui coniuratione in caput STRATETIS, Chiorũ tyranni, patefactâ, exsules, Spartam, & inde Æginam, liberandæ Ioniæ, se receperant; exoratentur. non ultrà Delum progredi sunt ausi. Et medium, quod inter Samum ab Ortu, & Delum ab Occasu, interiacet, mutuus utrimque metus tueri conseretur.

MARDONII IN ATTICAM EXPEDITIO.

MARDONIUS interim, qui castra ex Thessaliæ hibernis movere cœperat, ALEXANDRUM Macedonem, ut Persis fidum, ita Græcis non invisum, (quem AMYNTÆ veteris socij filium, XERXES, Iustino teste, totius, inter Olympum Hæmumque monteis, regionis principatu nuper donârat) ad Athenienseis amandat.

Quibus, si cum Persis societatem inire velint, non modò à rege veterum iniuriarum veniam condonatum; sed libertatem etiam, & incensam eorum urbem, cum Templo, vel in maius, restitutum iri, spondeat.

Athenienses verò à Lacedæmonijs, qui de hostili federe solicitii eòdem venerant; & rei indignitatem, barbarique perfidiam exaggerárant, animatique infectâ hospitem & amicum regem dimiserunt. & *nullo pretio venalem, nullisque minis labefactandam, se habere libertatem*, denuntiárunt.

MARDONIUS postquam Atheniensium responsum accepisset; è Thessaliâ, agmine citato, & cõmilitio undique adscito, Thessalis ducibus, movens; ubi Thebas pervenit: neque Thebanis, qui eo in loco castra ponenda, & Optimates civitatium Græciæ pecuniâ conciliandos suadebant; sibi, præ animi fastu, & ultionis lubidine, obtemperandum putavit. in Atticam progressus est; & Athenas, urbem, civibus ad sociam Salaminem dilapsis, desertam iterum, cepit. X. pòst mense, quàm à rege ipso fuerat expugnata.

Athenienses etenim, dum auxiliareis à Peloponnesijs copias exspectarent, in Atticâ stativa habuerant. In quo dum frustrà sunt, & MARDONIUM in Boeotiam penetrâsse audiunt; rebus ex urbe asportatis in Salaminem traiecerant.

Quò missus à MARDONIO MVRICHIDES Hellespontius, cum paribus de pace & societate mandatis, ipse quidem irrito negotio remissus est: LYCIDAS verò, al. Cyrsilus) è senatoribus unus (metu, an pecuniâ corruptus?) quòd mandata ista ad populi concionem referri suasisset; lapidibus obrutus est. Atque è-vestigio, eiusdem uxorem & liberos feminæ Atticæ consimili supplicio multârunt.

Legati Atheniensium & sociorum, qui sua in Græciam universam merita exponerent, & nunc desertos se quererentur; Spartam missi, dum ab Ephoris, qui cœptum interea ad Isthmum murum properabant; eoque perfecto Atticos neglecturi videbantur; diem ex die prolatando distinerentur. tandem CHILEI Tegeatæ suasione, qui ex Atheniensium defectione, quantumvis valido muro Isthmus inædificatus esset & obseptus; Ianuam tamen satis latam Barbaro in Peloponnesum patefactum iri, adfirmaret; eò Spartanos induxerunt, ut clam & noctu quina è suis millia, PAVSANIA Cleombroti F. duce, emitterent. quos mòx & nuntij ipsi, & alia ex finitimis auxilia sunt cõsecuta.

MARDONIVS per Argivos, sibi fidos, de auxiliaribus copijs commonitus, reliquijs Athenarum incensis aut dirutis, & Megaride obiter evastatâ; ex Atticâ, regione impeditâ, & equis ineptâ, Thebas versus recessit. ibique castra ad Asopum muro communijt.

Lacedæmonijs verò, qui primùm ad Isthmum castra-metati, deinde Eleusinem pervenerant; Athenienses, duce ARISTIDE, è Salamine se coniunxère. Et cognito, barbaros ad Asopum castra habere, eodem progressi, ex-adversum, sub Cithæronis radicibus, haud longè ab Erythris, tetendérunt.

Vbi Megarenses ab equitatu Persico invasi, & Atheniensium auxilio sublevati, duce hostium MACISTIO interfecto, egregiè pugnarunt.

Hinc ob maiorem aquandi opportunitatem, castris ad Platæas translatis, nationes sociorum ita, in suâ quæque statione, sunt distributæ. Vt Lacedæmonij dextrum; Athenienses sinistrum cornu tenerent.

Et universè in Græcorum exercitu, tricies & octies mille, & septingenti, gravis armaturę milites. præter servos eos, qui septeni circa singulos Spartiatas, quorum quina erant millia, adstabant; & ipsi leviter armati; Triginta quinque milium numerum explebant.

Præterea eos, qui cæterorũ Lacedæmoniorum & Græcorum singuli erant armigeri, ad tricies quater mille & quingentos. Vniversè, inquam, ad Centum & octo millia, ac ducentos, recenserentur.

Hic opportunè Iusiurandum illud (ex Diodor. Sic. lib. 11.) quo se Græci singuli, adversus hasce Mardonij copias dimicaturi obstrinxerint; commemorare visum est.

„*Vitam Libertate pluris non faciam; neque desertam Imperatores, neque vivos, neque mortuos.*

„*Sed eos è socijs, qui in prœlio occubuérint, omneis sepeliam.* „*Et ubi barbaros devicero, ex ijs quidem civitatibus, quæ pro Græciâ pugnaverint, nullam devastabo. Quæ autem Barbari parteis sequi maluerunt; omneis decimabo.*

„*Fanorum verò, quæ à barbaris incensa aut diruta sunt, nullum omninò excitabo: sed sinam impietatis barbaricæ exstet in omni posteritate monimentum.*

GRÆCORVM DE MARDONIO VICTORIA.

Post longinquiorem, ad Cithęronis radices, aliquot dierum à pugnando, utrimque, tergiversationem, & cornuum subinde pro re natâ permutationem; tandem Græci, & provocati ad prœlium; & aquatione, requ. frumentariâ per equites barbarorum interclusi. atque ideò ad insulam Oeroën, haud procul Platæis, progressi; à MARDONIO, qui illos fugere ratus, Persas Asopum transmittere iusserat, excipiuntur.

Primùm quidem Lacedæmonij & Tegeatæ; deinde à Græcis ipsis, qui tegias partes sectabantur, Athenienses.

Et Spartiatæ quidem, licet hostibus pauciores, penuriâ tamen, virtute & armis potiores, postquam MARDONIVM, & delectorum Persarum agmen prostravissent; cæteros in fugam vertérunt. (Iustin. tradit Mardonium simul profugisse) Et in summâ veniæ desperatione, dum ne supplicibus quidem parceretur, impunè occidérunt. Ex quibus alij in castra, muro ligneo non longè à Thebis communita; alij, duce ARTABAZO, adhuc integri, ad Phocenses se recepére.

Athenienses verò, quùm cæteri quidem factionis Medicę Græci ignaviter, quasi de-industriâ, adversus se agerent; Thebani verò acrius instarent; hos ubi vicére, fugienteis etiam, Thebas versus sunt persecuti.

At Persæ & socij, qui ad murum, quem dixi, ligneum effugerant, Lacedæmonios iam subeunteis fortiter repellebant. donec Athenienses, ad oppugnandum habiliores, supervenére; & muro proruto, tantâ in barbaros strage sunt grassati; ut ex tricenis myriadibus vix quater mille cædi superfuerint. paucique ex toto federatorum Græcorum exercitu sint desiderati. sed ingenti in castris barbarorum (regalis opulentiæ refertis. Iustin.) prædâ potiti, eam inter se, præter quæ Dijs devota, æquabiliter distribuerint.

Deinde Thebas adgressi; & ni factionis, sive Medismi principes dederentur, obsidione atque agrorum populatione fatigaturi; postquam PAVSANIAS eos accepit, & Corinthi supplicio adfecit; inde recessérunt; & ad suos, qui in acie ad x. mill. hic ibi, ceciderant, sepeliendos, studia converterunt.

ARTABAZVS verò cum suis, quas dixi, copijs, Thessalis & Macedonibus, incerto adhuc rei gestæ & pugnæ rumore suspensis; in Thraciam festinus profugit: & Byzantio, permultis in itinere, quos vel Thraces obtruncárant, vel inedia castinxerat, desideratis, in Asiam transmisit.

PVGNA

PVGNA AD MYCALEN.

Quo autem die MARDONII copiæ ad Platæas deletæ sunt; navali etiam terrestrique prælio ad Mycalen, Ioniæ promontorium, adversus Persas, hoc initio, dimicatum est.

Ad Græcos, quos duce LEVTYCHIDE ad Delum cum classe consedisse diximus; legati è Samo, clam THEOMESTORE tyranno adpulsi, LAMPON & HEGESISTRATVS, ut suæ à Persis libertatis vindices adessent, obsecrârant; & ut eò navigarent, induxerant.

Persæ autem navibus inde in continentem subductis; ut sub suo peditatu, qui ad Mycalen, duce TIGRANE, agebat; & vallo munimentis circũdato tuti, obsidionem, & inde victoriæ occasionem operirentur; in utrumque casum se comparabant.

LEVTYCHIDES conspectâ hostium è Samo fugâ; & ubi ad continentem adpulsus est, [illegible] & insolenti murorum è navibus, munitione, quùm prius per præconem, è littore, Iönas, Persis intermistos, ad libertatem cohortatus esset; ipse è navi in litus egressus, suos ad pugnam instruebat.

Persæ verò, quùm Samijs suspectis arma ademissent, & Milesios, tamquam faucibus montis custodiendis destinatos, ab exercitu removissent; & iam Græcos in se eunteis excepturi viderentur:

Ecce, ante congressionem (Iustin. quùm classes ex adverso starent) ab incerto auctore profectus, ad utrumque exercitum, rumor percrebuit *Vicisse Græcos; & Mardonij copias, in Bœotiâ, occidione esse occisas.*

Tantâ tanteque velocitate, per tot maria, & tam brevi horarum momento; ut cum matutino tempore prælium in Thebano agro commissum esset; meridianis horis in Asiam de victoriâ nuntiatum sit: & mox clades ad Mycalen vesperi accepta.

(Id veluti commentum redarguere videtur, Diod. Sic. Ait enim rumorem istum à LEVTYCHIDE, στρατηγήματος ἕνεκεν, sparsum. qui tamen postridie invaluerit.)

Hic observat Herodot. Vtramque pugnam, ad Cereris Eleusiniæ Templa, (quorum unum in agro Platæensi; alterum in Mycale) pugnatam.

Ex Græcis autem, qui anteà de Græciæ, cui MARDONIVS tum impenderet, salute, peregrè soliciti fuissent; hâc famâ ferociores, & ad subeunda ultrò pericula alacriores; Lacedæmonij quidem cum suis montium confragosa circumibant; Athenienses verò cum socijs, per plana litorum iter tenebant; & priores in Persas, gerris, quibus se constipârant, deiectis, impressionem fecêre: & muro capto, penè in fugam egêre. atque adeò Lacedæmonijs super-ingruentibus, reliquos interfecêre (ad XL. mill. Diodor.)

Huc accessit Samiorum, & cæterorum deinde Iönum, in ipso articulo, ad Græcos defectio: & Milesiorum, in barbaris per montem prodendis, non illaudata perfidia; neque exiguum victoriæ momentum.

ATHENIENSIVM DE INSVLANIS VICTORIA.

Victores itaque, navibus barbarorum & muro incensis, ad Samum adpulsi, postquam Samios, Chios & Lesbios, cæterosque Iönum Insulares, fide iureiurando firmatâ, ad fœdus societatis adegissent; & suis in sedibus permanere iussissent; (quos in Græciam transferre; & civitatibus agrisque eorum, qui pro Medis steterant, donare, ni Athenienses obstitissent; decreverant) in Hellespontum, ubi ponteis etiam-dum integros esse & à se dissolvi posse rebantur, navigârunt.

Pauci verò è Persis, quos inscensa Mycales cacumina protexissent, Sardeis se recepêrunt. quò XERXES, post navale ad Salaminem prœlium ex Athenis profugerat, ibique libidini & amoribus securè indulgebat.

Ipse namque dum uxore fratris sui, MASISTÆ, quam adamabat, potiri non posset; eorumdem filiam Artaynten, DARIO filio suo, in matrimonium collocavit: & Susam profectus, nuru familiariùs turpiterque abusus est.

Quod flagitium subodorata AMESTRIS uxor; & fratriam, quam lenocinij auctorem suspicabatur, ad lubidinem feralis supplicij à marito nacta: & in eâ, toto corpore crudelissimè truncatâ, domumque suam sic remissâ, animi sui ægritudinem ulta; levirum tantum-non in regis regnique exitium iusto furore concitavit.

Namque ille à fratre XERXE de uxore, quam modò, ceu noxam, uxori suæ Amestridi dediderat, dimittendâ; & filiâ suâ in novas nuptias adsciscendâ, frustrà compellatus; & istam uxoris amantissimæ, tam fœdè mutilatæ, indignitatem domi conspicatus; dum in Bactrios, præfecturam suam, non sine novarum rerum, & ultionis moliendæ suspicione, proficiscitur; submissis à rege equitibus, ipse cum liberis in itinere trucidatus est.

Quùm verò Græci, qui iam Hellespontum venerant, ponteis, quorum caussâ illuc ierant, dissolutos repperissent; Lacedæmonijs in patriam revertentibus, Athenienses, duce XANTHIPPO, Seston obsedêrunt. cuius pro tempore Tyrannus ARTAYCTES, vir Persa, facinorosus, &, ob direptum ibidem PROTESILAI Herois sepulcrum, sacrilegus: dum extrema quæque cum suis perpessus, fugam ex urbe capesseret, & Chersonesij portas oppugnatoribus patefecissent: urbe captâ, ipse è fugâ Seston reductus, in littore, ubi XERXES pontem iunxerat, depactis humi palis, suspensus est.

Athenienses autem pecunijs onusti, & arma pontium, quæ in Templis patrijs, ceu donaria, & tot victoriarum monimenta, ponerent: secu avehentes, præsidio urbi captæ imposito, in Græciã remeârunt.

Hactenus Herodotus Quæsequuntur ex Thucydide, & Diod. Sic. ferè delibata sunt.

3477. Hic annus L. est ante bellum Peloponnesiacum. Chytræo autem Annus, quo ad Platæas, & ad Mycalem, ea, quæ commemoravimus, gesta sunt, est I IX. XERXIS. Quem putat ab O. C. 3485. & ante Nat. CHRISTI 477. (Qui efficiunt simul 3962.) Haud ita multum à nostrâ supputatione dissidens, quæ est annorum Ter mille, Nogentorum, Quinquaginta. 473.

SICILIÆ, GRÆCIÆQVE STATVS.

Eâdem pænè tempestate, Sicilia aliâ pace quiescebat, ope-â & moderatione GELONIS, optimi principis. qui non Carthaginensium modò vireis bello fregisset; sed civitates etiam optimis legibus composuisset. Is quùm VII. annos regnâsset, moriens HIERONI fratri regnum tradidit. qui Cumanos Etruscorum tyrannide liberavit. Illi verò Inferi maris potentes, Capuam condidêrunt.

Et nova etiam, lætiorque rerum per Græciam facies sese efferre visa est. Adeò, cum nullum ex ijs, quæ vulgò bona existimantur, in hâc rerum humanarum vicissitudine, & incertæ fortunæ orbe, mortalium cuiquam ab omni prorsus molestiâ sincerum, obtingere; tum nullum contrà malum, omni prorsus utilitate vacare, ab omnis ævi memoriâ compertum est.

XERXIS, Persarum regis, tam infestus cum exercitu copiosissimo adventus, ob innumerabilem bellici terrâ marique adparatûs vim, principiò haud temerè Græcos perculerat, quibus, vel pro suâ, coniugum atque liberûm, saluté & libertate, extremo conatu esset dimicandum: vel turpiter cedentibus, ea demum servitutis conditio subeunda, quàm Græcæ in Asiâ civitates, vi barbarîcâ subactæ, iam-tum impositam experiri cogerêtur.

Postquam verò bellum tam violentum, tam insperato rerum eventu felicissimè ab ijs confectum est; & Græcia non præsenti tantùm periculo, sed omni ferè etiam in posterum pavore liberata, ita constitit; ut clarissimam & quasi immortalem, ex inauditâ victoriarum magnitudine, gloriam, præter opes, damnis acceptis longè auctiores, ex hostibus ipsis ereptas, consecuta esse passim prædicaretur. ex eo tempore in L. ferè, qui consecuti sunt annos, continentia Græcorum populis ad felicitatem incrementa provenêre.

Tum namque præter ijs, ex opum copiâ, Virtuti & Dignitati propositis, bonæ artes & doctrinæ mirum in modum excoli coöleslcere, que ceperunt. & clarissimis ingenijs, præstantissimisque cuiusque artis & disciplinæ auctoribus, singulum illud primùm floruisse, memoriæ proditum est.

Et ipsi tandem Persæ, quasi amissâ tam formidasti anteâ Imperij maiestate, eò à Græcis, Lacedæmonijs & Atheniensibus præsertim, sunt adacti; ut in federa concederent, & popularibus in Asiâ colonijs leges suas, aliquantâ cum libertate, restituerent.

ATHENÆ RESTITVTÆ.

3477. 473.

Athenienses, barbaris iam è regione suâ penitus summotis, dum aucti & præmijs belli, & gloriâ, ex Hellesponto reduces, extemplò uxores cum liberis, & quidquid supellectilis rerumque cariorum reliquum, illinc, ubi ea deposuerant, è Salamine præsertim & Troezene, deportarent in Atticam.

Et ex THEMISTOCLIS consilio, Vrbem ac mœnia restituere, & maiora ambitûs spatia complecti, contenderent: à Lacedæmonijs sunt interpellati. Qui ob recentem rerum gestarum gloriam, de principatu sibi cum illis certamen fore prospicerent. & rectè reputare sibi viderentur: *Quibus ruina Vrbis tantum incrementi dedisset; quantum additura foret, supra navalis potentiæ magnitudinem, recidiva tam ampla civitatis munitio.*

Missis itaque Legatis, qui monerent, ne monimenta hostibus, & receptacula futuris bellis extruant: satis tutelæ Græcis in Peloponneso in posterum fore. THEMISTOCLES, qui perspiceret spei & gloriæ novæ Vrbis invideri; neque abruptè, rebus adhuc infirmis, agendum existimaret: Legatis respondet:

Brevi Lacedæmonem ex Athenis venturos, qui eâ de re pariter cum illis consulent. Intereà suos hortatus, ut cæptum opus maturent; & ipse aliquanto-pòst in legationem profectus; nunc simulatâ in itinere infirmitate; nunc Collegarum, sine quibus iure nihil agi possit, tarditatem accusans; atque ita diem de die prolatando, spatium consumendo operi querebat.

At cum Spartani, quibus opus, Athenis, nullo locorum discrimine, & extremâ omnium incolarum, tam servorum, quàm liberorum, contentione maturari, nuntiatum esset, & doleret; denuò legatos, cum Collegis Themistoclis, rei inspiciundæ & turbandæ, misissent:

THEMISTOCLES, qui perfidum ministrum, Atheniensium magistratibus è-vestigio scripsisset

pisset, ut legatos vincirent: & ne in se gravius Spartæ consuleretur, ceu pignus, distinerent. adit contionem Lacedæmoniorum; & *permunitas iam esse Athenas indicat. Qua bellum illatum non modò armis, sed muris etiam sustinere possent. Communi iure gentium fecisse, qui Deos patrios ac penateis, quò facilius ab hoste possent defendere, muris sepserint. Vrbem, barbaris iam esse oppositum, non Græcis, propugnaculum. Rem esse veteri Spartanorum gloriâ indignam; non virtute, sed imbecillitate sociorum, potentiam quærere, & æstimare.*

Ille sic dimissus, ceu triumphatis æmulis, gloriosè à civibus exceptus est. Et iisdem, qui Phalerico portu, neque bono, neque magno uterentur; ut Piræum, locum triplici portu nobilem, qui mœnibus circumdatus, ipsam urbem dignitate æquipararet, utilitate superaret; in omnem navalis belli, & maritimæ potentiæ eventum, communirent, & novis triremibus classem augerent; persuasit.

BELLVM IN ASIAM TRANSLATVM.

3479. | 471.

Spartani post hæc, ne viteis otio corrumperent; & ut bis Græciæ illatum a Persis bellum ulciscerentur; utque à ceteris Græcorum civitatibus, quæ barbaricis infestæ præsidijs, Persicâ adhuc ditione tenebantur, servile iugum deiicerent: ultrò fineis eorum depopulandos decernunt. & suo sociorumque exercitui PAVSANIAM (quo Imperatore ad Platæas pugnatum fuerat) ducem deligunt.

Qui ductis è Peloponneso L. (Thucyd. xx. & alijs permultis sociorum) triremibus; ad quas xxx. Atheniensium, Navarcho ARISTIDE, (Alij, CIMONEM addunt) accesserant; in Cyprum hostiliter ingressus, opida omnia, quæ barbari occuparant, in libertatem vindicat. Deinde velis in Hellespontum conversis, Byzantium expugnat.

Hic, pro ducatu, regnum Græciæ adfectare cæpit PAVSANIAS (qui uti virtutibus eluxerat; ita vitijs posteà corruptus est, Prob.) & regiâ pecuniâ per ARTABAZVM inescatus, in luxum simul fastumque Persicum degenerat.

Et cum XERXE proditionis præmium, filiæ eius nuptias pactus, ut fides eius aliquo beneficio obstringeretur: captivos illustreis reddidit. (quos è vinculis publicis effugisse simularit. Prob.)

Et ne res hominum loquacitate proderetur; nuntios, quotquot ad regem misisset, interficiendos curav[it]. Iustin. tradit Aristidem, belli istius socium, collegæ conatibus obviam ivisse, & proditionis consilia discussisse.)

Itaque cum elatiùs ipse se gereret; non modò Iones, regio dominatu recèns liberati, ab eo ad Aristidem & Athenienseis defecerunt; sed ab ipsis etiam Lacedæmonijs socijsque desertus, accusatus & in patriam revocatus, licet pro tempore capitis absolveretur; pecuniâ tamen multatus est, & à classis imperio amotus.

Intereà Græcæ, in Asiâ Insulisque civitates, quæ prætoribus, è Spartâ tunc submissis, parére renuebant: Aristidis (& Cimonis Plut.) æquitate & humanitate invitatæ, relictis Spartanis, qui ante id tempus primarij, terrâ & mari, Græcorum duces semper fuerant; ad Atheniensium societatem se adplicatuut: & maritimi adversus barbaros imperij summam ad eos transtulérunt.

Et quò faciliùs hosce, bellum renovare conanteis à se depellerent; ad classeis ædificandas, exercitusque comparandos, quantum pecuniæ quæque civitas daret; Aristidem (qui suprà classis, pro tempore, principatum, in summâ iustitiæ atque æquitatis veneratione haberetur) delegérunt, ut pro arbitratu, & ex æquo rem eam constitueret.

Eius autem arbitrio, CDLX Talenta (hoc est bis-centies, septuagies-sexies mille coronati) quotannis Delum, ubi commune ærarium esse vellent; universè sunt collata.

XERXIS LIBERI.

XERXES verò, quùm proditionis dolum publicatum videret, ex integro bellum instituere decreverat; & alteram in Græcos expeditionem parabat, anno (ut vult Lesmor.) II. Olympiadis LXXVII.

Cres. tradit, ex AMISTRI; Onophæ filiâ, tres mares illum sustulisse, DARIÆVM, HYSTASPEM, & ARTAXERXEM: filias duas, AMYTIN & RHODOGVNEN.

Ex ijs tunc, idque ex vetustâ Persici regni lege, de quâ suprà; ARTAXERXES, qui LONGIMANVS dictus, cum patre regnare cæpit. cur cæteris prælatus; mihi non liquet.

Vult Samer. patrem XERXEM, solum, annis IIX. & cum hoc filio, XII. regnâsse.

3482. | Hic tamen annus, quem attigi, annus fuit Xerxi regnanti penè XIII. & ita veriùs ipse filius cum patre IIX. tantùm annis regnâsse censeatur. | 468.

PAVSA-

PAVSANIAS DE PRODITIONE SVSPECTVS.

PAVSANIAS ille, qui sine publicâ quidem potestate, sed sponte suâ, Hermionide navi iterum militaturus ad exercitum redierat: & ab Athenìensibus, Byzantio per vim, ob nova flagitia, eiectus, in Colonas Troadis se contulerat; ubi contrâ illa, tum patriæ, tum sibi inimica. cum barbaro rege communicare suspectus esset. misso à Spartanis, cum scytalâ, caduceatore; *Nisi domum maturè reverteretur, capitis eum, ceu perduellem, damnaturos.* Ille sperans se etiam-tum pecuniâ & potentiâ impendens periculum posse depellere, Spartam rediit.

Quò ut venit, ab Ephoris in vincula coniectus, quantumvis initæ cum rege societatis, & Helotarum ad libertatem instigatorum, suspicione, non careret, iudicio iterum se expedivit.

3485. | ——— | 465.

Lacedæmonij, qui ereptam sibi maritimi Imperij prærogativam, non sine implacabili in socios, ceu fidei publicæ proditores, irâ & comminatione, indignarentur: & habitâ de bello, Athenienisibus eam ob rem inferendo, deliberatione; vix gravissimâ unius è Senatoribus, Oetimaridæ, sententiâ; Vt ab inutili sibi rerum maritimarum curâ abstinerent; eamque provinciam Atheniensibus, uti sumtuosam, relinquerent, persuaderi potuissent; ad sanandum tamen existimationis vulnus, quùm ægrè iniuriæ molem sustinerent acceptæ: seque pristinâ apud omneis auctoritatis gratiâ, ob impurissimam ducis PAVSANIÆ proditionem, excidisse dolerent; parem nomini Atheniensi calumniam inurere sunt adnixi.

THEMISTOCLES IN SVSPICIONEM VOCATVS.

THEMISTOCLEM itaque, quem fide & auctoritate plurimùm apud civeis pollere sciren; geminæ proditionis insimulant.

Quem, quùm PAVSANIAS, ex mutuâ inter se consuetudine, suis de prodendâ XERXI Græciâ consilijs participâsse, convictus esset; tand tamen sceleris reum ipse non prodiderit.

Quo crimine postquam apud suos populareis illesese expurgâsset; & iudicio absolutus esset; posteà partim immodicæ potentiæ metu; partim invidiâ, ab ingratis civibus, anno post pugnam Salaminiam X. *Ostracismi lege, sive testularum suffragijs*, è patriâ eiectus, ad Argos habitatum confugit. Quo demum tempore, PAVSANIAS proditionis cum eo, cui per cæteram Peloponnesum liberè commeandi copia esset, consilia agitâsse, putetur.

CIMONIS ATHENIENSIS DVCIS RES GESTÆ.

Athenienses intereà CIMONEM Miltiadis, Marathoniâ pugnâ illustris, F. ducem constituunt: & in maritimam Asiæ oram, sociarum Civitatum auxilijs stipatum, cum exercitu & classe traijcere iubent.

Ille primùm ad Eïonem Thraciæ (quæ ad Strymonem est; quæque à Boge (al. Bute) Persâ tenebatur, vicinis infesta) pulsis acie Thracibus & Persis, adpulsus, eam obsedit. & commeatu exhaustam (quòd opibus in Strymonem proiectis, BOGES, licet acceptâ fide egredi posset; sese cum totâ familiâ in rogum coniecisset, & flammas etiam tectis opidi subiecisset) cepit & diripuit.

3487. | ——— | 463.

Dehinc Scyron, in Ægeo Insulam, quam Pelasgi & Dolopes incolebant, (quod contumaciùs illi se gesserant, & hospitibus fuerant iniurij) obsidione expugnat: & agros veterum possessorum, quos urbe insulâque eiecerat, (uti & Eïoneis fecerat) legitimis civibus dividit. & ossa THESEI inde, CD. post mortem annis, Athenas transportat.

Carystios prætereà bello & certis demum conditionibus, ad deditionem redegit.

In Siciliâ HIERONI, post X. regni an. mortuo, THRASYBVLVS frater succedit, Syracusanis exosus. Quo victo, & Locros relegato, post XI. regni mensem; Syracusani Democratiam instituunt: quam LX. posteà ann. feliciter tenuêrunt.

3489. | ——— | 461.

Sub id tempus, bello inter Argivos & Mycenæos (quod hi, ob veterem patriæ dignitatem, & maiorum gloriam, illis, uti medicæ factionis consortibus, refractarij & minùs parentes essent,) exorto, MYCENÆ, urbs tot sæculis virisque celeberrima, extremâ calamitate sunt eversæ.

PAVSA-

PAVSANIÆ PRODITORIS EXITVS.

Tunc demum PAVSANIAS, quadriennio post-quam ARGILIVS quidam, amore ante & fide in herum spectatus, epistolam, quam ab eo ad ARTABAZVM, totius coniurationis conscium, acceperat; Et ex eâ, nodis laxatis, pereundum sibi, haud aliter, quàm cæteris antea tabellarijs, cognoverat; Ephoris tradidisset.

Et Tænari, in Templo Neptuni, quò tamquam supplex ille ex Ephororum consilio confugerat; à præsente PAVSANIA, & delicias suas miserante, confessionem criminis, nec sine occultis arbitris, extorsisset.

Dum ipse placato, uti putabat, ARGILIO Lacedæmonem reverteretur; & in eo iam esset, ut iniectâ à lictoribus manu comprehenderetur; in Ædem Minervæ, quæ χαλκίοικος vocatur, properè confugit. Ibique valvis, ab Ephoris, ne evadere posset, obstructis, (quò & mater eius Alcithea, magno iam oatu mulier, ad scelestum filium artiùs claudendum, lateres cum cæmento, in primis, attulisse proditur) fame & inediâ exstinctus est.

THEMISTOCLIS EXSILIVM.

Atque hinc Lacedæmonij nacti quasi à fortunâ oblatam, calumniæ THEMISTOCLI priùs intentatæ, & persequendæ occasionem, missis iterum Athenas Legatis, illum tam nefarij in Remp. cum PAVSANIA sceleris participem deposcuntsut in communi Græcorum apud Spartam conventu caussam dicat.

Quod ille, ceu merito suspectum, & in se universosque Athenienseis malè animatum iudicium defugiens; è Peloponneso in Corcyram, sibi, ut rebatur, obnoxiam, (quàm, uti publicę caussæ adversus barbaros desertricem, nuper excusárat, & aliàs demeruerat) profugit.

Vnde Lacedæmoniorum Atheniensiumque, qui ipsum persequerentur, metu, dimissus, in Epirum, ad regem Molossorum, ADMETVM (cum quo ei hospitij ius erat. Prob.) supplex divertit. A quo, licet ob offensiunculam alieniore, initio benè sperare iussus, & datâ dextrâ in fidem receptus esset; deinde tamen, Lacedæmonijs publicè, ceu proditorem, deposcentibus, tutò, nec sine commeatu & præsidio, abire permissus. & ad Pydnam, Alexandri, regis φιλέλληνος, urbem, deductus; ut inde in Asiam ad regem Artaxerxem traijceret; nautis ignotus, in navem conscendit.

XERXIS MORS:

ARTABANVS regnum invadit, & mox occiditur.

Eodem anno XERXES, post tot bella infeliciter In Græcos suscepta, quùm suis etiam contemtui esse cæpisset; eiusque maiestas quotidie vilesceret; ab ARTABANO Hyrcano (al. Artapane) præfecto suo, sive stipatorum principe, in regiâ trucidatus est.

(Anno, inquit Scal. XVI. à traiectu Hellesponti. vultque eum regnâsse XXIV. annis ab expeditione patris Ægyptiacâ: solum, autem, XXII. aut paullò plus. Vid. infr.

ARTABANVS autem ille, regis à se interfecti filios, DARIVM & ARTAXERXEM, (tertius, HYSTASPES, Bactriorum Satrapiam absens gerebat) quos voto suo & spei regni obstaturos crederet: dolo, quo inter se committerentur, adgressus, fingit regem à DARIO, adolescente regni præcupido, occisum; & ARTAXERXEM impellit, ut fratris parricidæ scelus ulciscatur, regnumque præoccupet.

Quo, suâ etiam operâ, sic intetemto: & in extremi sceleris consilijque societatem adsumto BACABAZO (Ctesias, Megabyzo, Amytis marito) dum eius, qui è regijs filijs superesset, vitæ insidiatur, (sive, ut Diodor. filijs suis in cædem faciendam, regnumque sibi vindicandum instigatis, illum stricto gladio, & vulnere, solus adoritur) à conscio illo proditus est, eiusque in patrem fratremque scelera ARTAXERXI patefacta. Qui nefarium hominem, unà cum filijs, dignis supplicijs adfecit, & regno potitus est.

3490. Isti ARTABANO, Scal. & Lesmor. alijque, VII. regni usurpati menseis attribuunt. quos nos iustiùs vel ad extremum, sive XX. XERXIS annnum, vel ad I. Artaxerxis reijcimus. 460.

ARTA-

Atque Cimoni exploratum esset, hostilem CCCL. navium classem apud Cyprum versari: ille primùm in eos acri pugnâ invectus, suprà C. naveis, cum viris, expugnavit. Et reliquas, militibus in tuta Cypri dilapsis, in statione relictas, & vacuas, haud difficiliter cepit. (Id apud Mycalen gestum, tradit Probus.)

Deinde totâ cum classe in copias pedestreis, quæ ad Eurymedontem fluvium, in Pamphyliâ, castra habebant, contendens; & hostem militari fraude ludificatus, (qui strenuissimum è suis quemque, ornatu barbaro in captivas Persarum naveis ingredi; & proximè hosteis adnavigare iussisset: atque ipsi de nocte expositi, ac pro amicis accepti, de-repente in castra eorum irrupissent) ingenti passim cum cæde grassatus, partim in fugam, partim in naveis, ceu proximum in re ancipiti præsidium, hoc est, apertum exitium, compulit: & clarissimæ duplicisque victoriæ tropæum erexit. qui præter tot triremeis & navigia, XX. etiam amplius captivorum millia abduceret.

3492. | ——— | 458.

Aliquantò post, Thasios, ortâ de emporijs, in adversâ Thraciâ siris, & metallis, controversiâ, à se deficienteis; Athenienses navibus eò profecti, pugnâ navali vicérunt; & escensione facta obsederunt.

Sed X. Mill. coloni, quos tum ex suis, tum ex socijs, adserendæ sibi Amphipoleos (quam vrbem, tum Novem-vias dictam, Edoni tenebant) submiserant; à Thracibus, qui locum eum infestum, ob viciniam, sibi futurum, præsumerent; apud Drabescum Edonidem, sunt promiscuè interfecti.

Thasij verò, quùm prœlio victi & obsessi, Lacedæmonios, ut sibi auxilio essent, & Atticæ vim facerent; rogâssent: Et illi, qui, clàm Atheniensibus, id se facturos receperant, domesticis malis, calamitoso in urbe suâ terræmotu; & Helotum, Thuriatarum, & Aetheensium (qui communi tunc nomine Messenij dicti, Ithonen in Messeniâ occupárant) defectione, prohibiti essent; post triennem obsidionem dedere se coacti sunt: & muris dirutis, navibus traditis, continente ac metallo ademtis, præter ingentem pecuniæ vim; multati.

3494. | ——— | 456.

Ctesias, tradit, eo tempore, gentem Bactriorum ab Artaxerxe defecisse; sed bello mòx victos in pristinam ditionem concessisse.

Ægyptij quoque, auctore INARO, Libyæ rege, defecére; & longo bello Persarum duces exercuére.

Sed nunc aliquando ad *res Iudaicas* relabamur. quarum, eâ certè tempestate, status, ob maximè diversas auctorum, de Regibus Persicis, opiniones, impeditus, & explicatu difficilis est.

MALACHIAS PROPHETA.

MALACHIAM, inter Prophetas XII. qui Minores vulgò dicuntur, postremum; huc reiecimus; propterea-quòd non pauci, neque infimæ notæ scriptores, hunc cum Esdrâ (de quo multus deinceps, & proximè, nobis sermo) confundant. Illum in primis post HAGGÆVM & ZACHARIAM vaticinatum esse constat; à Templo iam, sub DARIO, perfecto. quod nihil de Templi ædificatione, ut cæteri meminerit, aut loquatur.

Deinde, c. 2. graviter redarguat eos, qui alienæ stirpis vxores nuptijs sibi adiunxissent. Quod flagitium, Esdr. cap. 9. & 10. comprehenditur: & post decessum Darij, (immò & Xerxis filij) sub regno Artaxerxis huius Longimani, ab Esdrâ demùm exploratum fuisse videtur. Quodque, si priùs cognovisset, in tàm serum tempus neque ipse distulisset; neque HAGGÆVS & ZACHARIAS, priores, si tunc admissum constitisset, silentio præterijssent.

Illum itaque, non (ut Epiphan. & Doroth. scribunt) ex Tribu Zabuloniâ, in Sophâ natum, à reditu populi è Babylone; & nomen MALACHI, sive Angeli, à morum formæque præstantia, adeptum; vel ab Angelo institutum; sed Hebræi, cum veteres, tum recentiores; & ex nostris, B. Hieron. & Rupert. cum Esdrâ eumdem esse, Sacerdotem & Scribam, adseruérunt. Et certè quæcumque Esdras historiæ commendavit; vaticinio Malachiæ volumine comprehenduntur.

Huc accedit, quòd ab Ecclesiast. cap. 49. quo Virorum illustrium, de Ecclesiâ bene-merentissimorum, ZOROBABELIS, IESV, Iosedeci F. & NEHEMIÆ (qui posteriùs è Babylone venerit) laudes & elogia commemorantur; nulla Esdræ mentio fiat. Quem certè non prætermisisset; nisi hisce verbis eum complexus esset · *Et XII. Prophetarum ossa pullulent de loco suo · nam corroborárunt Israélem.* &c. Et indè unus è XII. Vatibus fuisse colligeretur.

Deinde quum 1. Esdr. cap. 5. & 6. ubi Haggæus & Zacharias commemorantur „ nulla Malachiæ moveatur mentio; (licet lib. 4. qui Apocryphus, cap. 1. in XII. quidem Vatibus adnumeretur) & auctor, quisquis fuerit, eo vixerit tempore, quo res ab Esdrâ scriptæ gerebantur; silentio certè tacitus non fuisset, præter quem nullus alius tunc Propheta exstiterit.

Ipse autem, quantumvis in sacris litteris, Esdras, scriba & Sacerdos, non autem Propheta, neque Malachias audiat, qui scribæ & sacerdotis munus tunc gerere profitebatur. quùm tamen ad vaticinandum se accingeret, aut divinitùs instigaretur, iure & Malachias, hoc est, Angelus, sive

Interpres Dei, & Propheta, ab officij prærogativâ, dictus est.

Qui pacis nuntius ad Israëlitas à Deo missus esset: ut sanitate animorum receptâ, cum eo in gratiam redirent, & instantibus malis liberarentur. Cuius quidem Vaticinij summam, antè quàm ad historiam accedamus, breviter explicari, neque ab re, neque ab historiâ erit alienum.

In primis itaque Vates offensus præsentibus, tum reducis Hebræorum populi, tum Sacerdotum, flagitijs: Dei, uti iussus erat, benivolentiam & erga eos amorem, ex duorum fratrum, Isaaci liberorum, Iacobi & Esavi, discrimine, manifestum facit. quorum hunc planè reiecerit, illum eximiâ usque caritate sit complexus. Et unius posteros, Israelitas, post aliquot annorum, in Babylone, exsilium, patriæ & legibus suis restituerit. Alterius verò stirpem, Idumæos, pari à Nabuchodonosore clade afflictos, & à consanguineâ gente separatos, atque urbibus iam eversis exclusos, ob impietatem, quasi perpetuo exsilio & servitio damnârit. (Quos Davidi & Salomoni,& deinceps ad Ioramum usque, regibus Iudæ, servisse constet.)

Et quamtumvis è captivitate in patriam redierint, (*1. Machab. 5.*) & iterum urbeis ædificârint; partim tamen à Iudâ Machabæo: partim ab Hyrcano, fratris filio, aut recèns conditis urbibus exacti, aut tributarij facti sunt; & religionis etiam Iudaicæ participes. Et in hodiernum diem, ne vestigium quidem memoriæ, aut nominis Idumæorum, reliquum est.

De Sacerdotibus prætereà conqueritur; qui tot beneficiorum immemores, licet Deum, Patrem & Dominum, solemniter vocarent; neque timoris tamen ei obsequium, neque pietatis adfectum exhiberent. Sed panes coinquinatos Altari, sive Mensæ, imponerent; eoque facto Deum, & sacrificia contemnerent. Pecudes quoque vitiosas, quibus vel duces ipsi donari se indignentur, Deo, regi omnium, immolarent, (aut sibi benè curatas reservarent.)

Ea-propter à Vate seriò moventur; ut Deum iratum precibus placare, veniamque tàm gravis peccati poscere, contendant.

Quos, quùm puro Dei amore, & gratis, rectè sua in Templo munia administrare deceret; ut luculentâ quidem mercede, decimis & primitijs, invitati, à negligentiâ abstinerent.

Deo itaque deinceps fore ingrata ipsorum sacrificia. Et ipsum contrà, in universo terrarum orbe, apud Genteis, in magnâ nominis sui veneratione, futurum. Et *incruentum, ac mundum sacrificium;* uti nullius malitiæ obnoxium, ita totius bonitatis effectorem; (*corpus & sanguinem filij sui*) passim ab illis oblatum iri.

Et quùm Iudæi, hoc prætextu, suam in oblationibus vel exilitatem, vel indiligentiam, excusarent; quod & Altare pro tempore inops esset; neque, ut anteà, auro ornatum: & ignis, qui superposita devoret, cœlitùs, uti priùs, non demitteretur, aut ritè foveri desijsset. Quæ omnia contemtui aut fastidio essent obnoxia. Et idcirco se animantia, cuicuimodi, nuperæ, quam exanclârant, viæ laboribus attenuata, & ex rapinâ superstitia; ceu munus præsenti paupertati conveniens, offerre. Respondit, Dei nomine, Propheta:

Deum talia munera aspernari. Ipsosque *Deo* fraudulenter *illudere; & proinde detestabileis esse*. quòd quùm integras è gregibus suis victimas in Templum adferre possent; voti tamen damnati, quod gravius est; vitiosas immolarent: neque Deum, cuius nomen, vel in Gentibus, terribile sit, revererentur.

Minas deinde intentat, sacerdotibus avaris congruenteis, nisi mandatis Domini ex animo obedianti fore, ut rerum scilicet necessariarum penuriâ, & adversis casibus, laborent. Quæque munera & emolumenta, à populo, voti damnáte, ex victimis (armum & ventriculum) accipere soliti sint; eadem ignominiæ ipsis versura; & in ora, ceu stercus, obiectum iri.

Hanc autem esse ait divini mandati summam. *Vt pactum observent, de victimis ritè offerendis;* quod cum Leviticâ, seu Sacerdotali familiâ Deus inierat, Et promiserat familiam eamdem in eo usque mansuram perduraturam; neque sacerdotium ijs auferendum, dum modò Deum laudabiliter, & non sine pio corporis mentisque horrore revererentur ac colerent.

Quemadmodum ex eâ Tribu permulti, veram populo, de Lege Dei, doctrinam tradidissent; neque in errorem alios induxissent. sed anxiè & pacificè, sine ullâ offensione, Deo inservissent; & errantes in viam æquitatis reduxissent.

Sacerdotes enim, promos-condos salutaris doctrinæ esse oportere. Ex quorū pectore, & ore, recta rerū legitimarū interpretatio, & vitæ benè instituēdæ cognitio, ad alios, veluti ex fonte, permánet.

Ipsos namque, uti divinæ voluntatis, eiusque oraculorum nuntij sunt; itá ab omni fallacitatis suspicione alienos esse debere.

Ab horum autem, suorum maiorum, sanctitate, & custodiendæ legis studio, Sacerdotes in præsentiâ ità degenerâsse; ut & alios pravo vitæ suæ exemplo offendant; & flagitijs suis, Deo, quasi sui cum Levitis pacti oblitterationem, inducant. Ideoque ob istiusmodi dignitatis suæ dehonestamenta; & corrupta vel donis, vel adfectu iudicia; publico quoque in vulgum contemtui eos à Deo propinari.

Rem planè indignam esse: quùm omnes Hebræi, quoquo sexu ant conditione, ab uno Patre, Abrahamo, genus trahant; & ab uno Deo omnes procreati sint. ut non modò sanguinis, sed religionis inter ipsos etiam intercedat societas: Fratres nunc alteros, ab alteris despici; & pacta maiorum, de servandâ Dei lege ità violari; ut non modò plebeia multitudo; sed Principes etiam, & Sacerdotes cum Levitis, Vxores è suâ stirpe consanguineas (pauperes fortè-an, aut deformeis) dimiserint. Et cum exteris, alienorum Deorum cultricibus, (quæ vel ætate & formâ, vel divitijs præstare viderentur) nova coniugia contraxerint.

Atque ità à Dei peculio aversi, & se ipsi impurârint; & inviolabile legitimi coniugij vinculum, non sine impietate, dissolverint.

Quam iniuriam Deus inultam passurus non sit; sed omneis, qui in istiusmodi priorum Vxorū despicientiâ perstiterint, sine ullo personarum discrimine;

mine; ...ue ull... votivi muneris respectu, exterminatu...

Et quoniam Vxores, ... à viris suis, desertæ, ipsum Dei Altare lacrymis & amaro gemitu, ceu vo... quodam, cooperirent; factum est, ut nullo à Viris desertoribus sacrificio Deus placari possit. qui tantæ iniuriæ testis sit; & multo-ante præceperit, quo pacto Viros ergà suas coniuges, à virginitate delibatâ socias & federatas, gerere sese oporteat.

Qui itaque ipse unus Marem & Feminam, propagando hominum generi, procreavit; & utrique vitæ spiritum infudit; idem postulet, ex coniugibus sanctis, prolem sanctam, & sibi gratam, progenerari.

Cohibendos idcircò, ab exoticâ amorum lubidine animos; & ad pudicam priorum coniugum consuetudinem reducendos: quas nisi ob fœditatem (stupri, aut adulterij) repudiare nefas sit. Et qui contrà fecerint; gravissimis animi corporisque cruciatibus à Deo fore multandos.

Addit postremò Vates; Deum magnâ molestiâ, ex blasphemis Iudæorum vocibus, adfectum esse. qui cum è Babylone revertentes, profanas illas Assyriæ genteis pacatè degere, & omnibus bonis circumfluere, viderent; Se verò, uni Deo mancipatos, omnium esse egentissimos: iusta scilicet Dei iudicia, & providentiam, humano errore, desiderabant.

Sed ne pij & religiosi homines, ob eiusmodi, de vitâ moribusque sacerdotum suorum, querelas, animum despondeant; & aliquo interim solatio leventur; CHRISTUM Dominum, paucis pòst sæculis, novi sacerdotij auctorem, fore denuntiat; qui puros sibi ministros legat, quorum sacrificijs Deus & placetur, & oblectetur.

Antè quidem venturum, Dei missu, IOANNEM BAPTISTEN, ceu prodromum, qui nuntiet mortalibus; & DEI FILIO, in mūdum adventanti, viam præmuniat: Ad resipiscendum omneis cohortetur, ut à peccatis immunes ipsum Servatorem accipiant & agnoscant.

Atque e-vestigio CHRISTVM, magnum rerum omnium Dominum, ad docendum in Templo & Synagogis, & ad miracula passim perpetranda, prodeuntum. quem Iudæi tamdiu & avidè expectarint; & tot votis, uti vindicem suum, & ex pacto promissum prophetam; atque immò, novi inter Deum hominesque federis sequestrum, exoptarint.

Neque facilè quemquam cogitatione posse consequi, illius, diei gloriam, quo Servatorem suum homines coràm intuebuntur, & docentem auscultabunt. sed quadam veluti admirationis luce præstrictos, tantumnon esse defecturos.

Ipsum, ignis in morem, quo metalla purgantur, & scoriæ excernuntur; & saponariæ herbæ instar, quâ vestium maculæ à fullonibus extergi eluique solent; animos suorum, spiritûs sui igne percalfactos expurgaturum; & ijs redivivum quasi pristinæ innocentiæ candorem esse inducturum.

Atque ità integerrimos sacerdotes, quorum doctrinâ & sanctitate illa excolatur; quique summâ cū puritate sacris operentur; Ecclesiæ suæ, ab eo surrogatum iri. ut annua illa sanctissimorum primigenij sæculi Heroum, in sacrificijs Deo immolandis, sanctitas revixisse censeatur.

Et quoniam, uti diximus, Iudæi iusta in Deo iudicia falsò desiderabant; Deum, minatur Vates, non modò sincerum Iudicem, sed testem etiam extemporarium occultorum flagitiorum, quæ à maleficis, adulteris, periuris, & iustæ mercedis fraudatoribus; & viduarum pupillorumque & advenarū oppressoribus, protervè designarentur, certam indubitatamque sententiam in eos esse laturum.

Neque enim illum mutabilem esse, ut modò iustitiam desideret, modò iniusta probet aut toleret. sed eum improbos semper oderit; tamen magnâ adversus ipsos Iudæos misericordiâ fit usus: quos ob inveterata & patrum, & posterorum peccata, & legis divinæ contemtum, sæpius potuisset prorsùm exstinguere. Idcircò ipsos à malitia discedere, & ad Deum reverti, oportere; si eumdem sibi propitium & fautorem exoptent.

Sed quia decimis primitijsque, se, & Levitas, ministros suos, defraudabant; magnâ eos etiam penuriâ, & sterilitate, ab ipso in præsens adfligi.

Periculum facerent, an illatis, sine fraude in Templi horrea decimis; & cibo ministris Templi præbito; non continuò Deus terram ipsorum fœcundis imbribus sit irrigaturus, & omni frugum bonorumque copiâ, adfatim beaturus: & animantia quæque noxia, ac frugibus inimica, ex agris averruncaturus! Vt cæteræ Gentes tantam dilecti Deo populi prosperitatem admirentur; & cum illis vivere consociarique gaudeant.

Et cum illi quidem nihilominus Deum exsecrādis vocibus irritare pergerent; & vanum esse, quidquid Dei cultui impenditur, dicerent. Nihil ex Dei præceptorum observatione; nihil ex pœnitentiâ & ieiunio; emolumenti hactenus esse perceptum.

Beatiores videri, qui in Deum contumaciâ fastidioque efferantur. quique etiam licet palàm impij, prole & divitijs aucti floreant. Et licet frequentibus peccatis Deum irritent; impunè id tamen auferant.

Tum contrà pij & religiosi homines, nihil blasphemorum vocibus deterriti, Dei providentiam, & occultissima eius iudicia, defenderent. Nihilque ab eo nisi sapienter & iustè fieri asseverarent.

Hos quidem in libellum, veluti memorialem, à Deo relatos esse, quibus dignam meritis & constātiā mercedem aliquando redditurus; &, uti filios morigeros, Pater, beatorum & amicorum peculio adnumeraturus esset.

Illos verò serò tandem suæ miseriæ, & alienæ felicitatis conscios atque inspectores, sententiam vel illubentibus animis mutaturos. Et quantum sit, coràm Deo, inter eos qui iustè, an impiè vixerint; qui eidem paruerint, an rebellārint; discrimen, clarè animadversuros.

Venturam itaque esse diem Iudicij, de-inopinato, iræ & ultionis plenam; & flammis immanibus terribilem. quibus superbi & impij universi, stipulę in morem aridi, celerrimè inflammentur: & iam cōdemnati, igne Gehennæ, ad inferos devolvantur.

Et sicut evulsa radice plantæ non repullulant; ità illis nulla renascendi; aut ullorum in posterum bonorum, aut salutis spes, relinquatur.

Vicissim autem eâdem die, ijs, qui reverenter pieque vixerint, longè aliter esse eventurum.

CHRISTVM scilicet, Iustitiæ omnis auctorem, nō sine splendore lætifico, & Solis æmulo, & inusitatâ maiestatis gloriâ, de-subito appariturum; & incredibili voluptatis luce, dispulsis calamitatum tenebris, Iustos omneis perfusurum.

Qui quantumvis, dum viverent, toto corpore lacerati fractique fuerint; ità tamen, ad tàm splendidi Iudicis conspectum, curatis vulneribus, consanescent; vt è sepulcris suis obviàm egressi, vitulorum in morem, è saginario, & vinculis solutorum, agiles exsiliant, & in altum attollantur. Et unà cum Iudice, impios, qui se antè oppresserant, iam damnatos, & pedibus suis subiectos, & vel ipsâ cinere viliores, proculcent.

Propheta itaque sermone iterum ad præsenteis Iudæos converso. ex quibus alij divini Numinis providentiam negarent; alij tuerentur. hortatur, ut antè tàm horrificam extremi diei & Iudicij calamitatem; suam omnes vitam cōforment, ad præcepta & indicia legis, quam à Deo, in monte Horebo, acceptam Moses promulgârit. eamque in CHRISTO, venturo piorum & impiorum animadversore, perficiendam intelligant.

Deum præterea, pro suâ in obstinatos & rebelleis lenitate, paullo-ante quam illa temporum tempestas impendeat; missurum esse Iudæis HELIAM THESBITEN. qui omnia in integrum restituat; & Patres cum filijs in concordiam reducat. atque adeò communem CHRISTI MESSIÆ fidem ac doctrinam utrosque complecti edoceat. Ne fortè quùm adventârit, illos terrenùm exoticumque adhuc sapienteis, & contumaceis, atque à Sanctorum cœtu seiunctos, æternis supplicijs addicat, & penitùs exterminet.

ESDRAS, Scriba, anno VII. Artaxerxis.

Nunc omissis tot scriptorum, diversa, uti diximus, de LXX. Hebdomadibus, sententium opinionibus. quas fuse in Danielis Prophetæ, de ijsdem, explicatione commemoravimus. Ad VII. Artaxerxis Longimani, (quem Plutarc. primùm in Persis regibus, eo nomine vocat) regnantis annum, uti certum earumdem initium, devolvamur.

Illum quidem regem, summâ in rebus regni benè instituendis solertiâ & moderatione, æquitate & lenitate, præstitisse, profani etiam auctores prædicârunt.

3497. | Huius igitur anno VII. | 453.

Postquàm solus, Patre iam, uti diximus, interfecto; & pœnis ab Artabano, alijsque insidiatoribus, probè expetitis, regnare cæpisset;

(Lesmor. putat annum hunc VII. ex quo idem ARTAXERXES, unà cum Patre regnare cæperit. eumque ait solum regnare cæpisse, anno, qui mortem paternam est consecutus. quique fuerit XVII. à primâ Patris XERXIS expeditione, exeunte Olympiad. LXXIIX. Qui tamen idem putet annum XX. eiusdem regis, (de quo Nehem. 2.) ex eo, quo rex ille solus regnârit.

EMANVEL SA. hunc ARTAXERXEM, Darium ipsum, Hystaspis F. intelligit: & nomen ARTAXERXIS omnibus Persarum regibus fuisse commune.

Caietan. verò, XERXEM, Darij illius Filium; ARTAXERXIS huius Patrem, regem illum potentissimum.

Ioseph. eumdem quidem XERXEM, qui ut regni, ità paternæ (ex matre Estherâ, scilicet) pietatis heres Iudæos summâ benivolentiâ sit complexus.

Genebrard. qui in serie & numero Persarum regum, perplexissimè & [illegible] alucinari videtur, hunc Darium Longimanum, ARTAXERXEM II. Pinin, vult filium esse Assueri; quem nostri, inquit, XERXEM; Chaldæi ARTAXERXEM primū vocârint; Darij (si Dijs placet) Medi filium.

Euseb. & ex eo Mass. hunc ARTAXERXEM, Estheræ maritum fuisse. quod Ioseph. eius filio, Cyro, qui & ARTAXERXES nobis Μνήμων, tribuit.)

Eo, inquam, anno Longimani VII. ESDRAS, Saraiæ F. (quem Torniel. putat probabiliter fuisse natum anno XIV. Darij Hystaspis. atque ità, pro tempore, XXXIX. annos attigisse.

Perion. ex quo, nescio; nisi ex 4. Esdr. c. 3. tradit; XXX. post deletam Hierosolymam anno, vaticinari apud suos, exsules, cæpisse.

Et quoniam MALACHIÆ Prophetæ, qui reducto iam populo natus putaretur, mentionem facit; id prophetico spiritu permotum prædixisse.

Præterea, Cyri I. Persarum regis concessu, unà cum ZOROBABELE duce, & IESV IOSEDECI F. sacerdote, & cæteris, Hierosolymam, Templi ædificandi caussâ, profectum esse: & redijsse inde Babylonem; & hoc VII. ARTAXERXIS anno iterùm Hierosolymam pervenisse.

Idem fortè, (de ætate dico) Massæo & Lesmoréo probari possit; qui illū fratrem IOSEDECI illius, summi sacerdotis, & proinde Iesuæ Sacerdotis patruum; fuisse dicant.

Alij, Saraiam, Esdræ Patrem, & Iosedecum eius fratrem, annis antè hunc, 133. in captivitatem fuisse, cum Sedeciâ, abductos. Esdram itaque annis tum gravem; Ipse 1. Esd. c. 7. Decimus-septimus ab Aarone numeratur: & Iosedecus cap. 6. 1. Paral. Decimus-octavus.)

ESDRAS, inquam, quem rex ARTAXERXES, uti Iudæorum in Babyloniâ Scribam, & primarium sacerdotem, (licet eâ tempestate Ioacimus IESV F. IOSEDECI Nep. Pontificatum Hierosolymæ gereret. Ioseph.) & virum Iustitiâ legisque Mosaicæ peritiâ celebrem, coleret, & in amicis haberet. quique id enixè ab eo contendisset, ut visendi ad populareis suos, qui Templum Hierosolymæ iam construxerant;

ftruxerant: & abducendi secum illuc è Babylone, & Mediâ, quibus volentibus esset, potestatem sibi faceret; cum Litteris regijs, & diplomate istiusmodi dimissus est.

Re[illegible]. & suis, ex primo procerum ordine consiliarijs placitum esse. „ Vt quicumq; ex Hebræorum [illegible], & ex sacerdotibus ac Levitis, unà cum Esdrâ Hierosolymam proficisci velint; hoc eis, ex regia benignitate, cui pro tempore in regnis suis sunt subiecti; facere liceat.

Hâc enim fini ESDRAM à rege illhuc dimitti, ut partim in Iudæorū mores inquirat, legemque edoceat; ritusque sacros, si quà lapsi, instauret. partim ut votiva regis & principum munera, Deo summo, quem Iudæi Hierosolymæ colerent, ritè offerat. *Dari præterea copiam, ut quidquid auri & argenti, populus, cui in regnis suis remanere lubuerit, elargiri velit*; id omne accipiat & auferat: atque eo *victimas, resq;* alias *ad sacrificia*, in Templo Dei, *necessarias, coëmat. Siquid ex collatitiâ pecuniâ reliquum fuerit*; cum ex Dei voluntate, tum pro arbitratu suo, *id expendere integrum sit. Vasa* etiam, quæ *ad rem divinam in eodem Templo procurandam*, à regijs ministris traduntur; ibi ut præstò sint, elaboret. Siquid porrò insuper abesse aut deesse, quod quidem opus sit, comperiatur; id, à præfectis, quos rex trans flumen fisco suo & ærarijs præposuerit, petendum: quibus edicto regio imperatum sit: *Ne fortè Deus cœli in regem, & liberos eius, graviùs consulat.*

Velle item, quicumque in rei divinæ procuratione, & in Templi ministerijs versaturi sint; *ab omni vectigalis & annonæ onere esse immuneis.* Esdræ quoque fas esse, pro potestate statuere; & pro sapientiâ, quâ divinitùs est præditus, *Iudices ac præfectos dare*, qui populo Trans-amnensi (Ioseph. & 3. Esdr. 8. Syris & Phœnicibus) Dei veri, eiusque legum gnaro, iura reddant: & imperitos [illegible] bere pari disciplina instituant. *Qui Legi Dei, & regis edicto non paruerint; in eos pœnam sive exsilij sive carceris, sive capitis, constituere, & multam dicere, ius esto.*

ESDRAS. hoc accepto diplomate, cum regi coràm gratias egisset; tum Deo etiam per se grates peregit, qui regis animum, ad augendum Templi sui decus, inflexisset; & pro suâ in ipsum benignitate effecisset, ut apud regem, eiusque Principes & consiliarios, eâ in re, gratiâ polleret.

Deinde accitâ Iudæorum, qui Babylone degebant, concione; & epistolâ Legis regiæ recitatâ; exemplar in Mediam, ad suos contribuleis, transmisit.

Ex quibus permulti, tàm insperatæ rei nuntio exhilarati, reculis suis convasatis, Babylonem venêrunt; inde, duce ESDRA, Hierosolymam petituri.

Ipse vero, primo die, mensis primi, quo dictum est anno, discedens, omnem eorum, qui ultrò nomina huic profectioni dedissent, multitudinem, ad fluvium, (Ioseph. malè, Euphratem. 3. Esdr. 8. à flumine THIA) qui in Ahavam influit, convenire iussit. Ibique triduum cum eis commoratus, quum Levitas in populo & Sacerdotibus conquisitos non invenisset: & missis ad EDDONEM, qui cæterorum in Chaspiâ regione principatum obtinebat, legatis, ab eodem confestim impetrâsset; indicto publicè omnibus, ad Ahavam, ieiunio, & precibus ad Deū fusis, votisque conceptis, ut sibi omnia in itinere prospera evenire vellet. (Neque enim ausus erat petere à rege cohortem, aut equitatum auxiliarem, à quibus in tuta deducerentur; sed sibi suisque præsidium Dei non defuturum confirmarat.)

Inde XII. die digressus est. quùm anteà sacerdotibus, è vulgo exemtis, aurum & argentum, Vasa sacra, & votiva tàm regis ac procerum, quàm Iudæorum Babyloniorum, munera; uti res sacras, hominibus sacris, tradidisset; & ceu depositarijs adservanda sedulò commendâsset; dùm in Templi Hierosolymitani ærarium salva inferrentur.

Quod autem ipse, cum cæteris, à Deo fuerat precatus; id, ità evenit. ut quùm V. demum mensis die primo, Hierosolymam pervenissent; nihil in itinere mali passi, neque tot hostium & æmulorum insidijs oppressi sint.

Hierosolymæ autem, IV. ab adventu die, omnia in Templo, ex Edicto regis, perficienda curavit, & munera recensuit; sacrisque Gazophylacij custodibus in manus tradidit. Et ipse, cum universo populo, è captivitate reduce, holocautomata, ex Legis præscripto, Deo immolavit.

Satrapæ verò regij, & regionis Trans-euphratensis præfecti, postquàm regis literas accepissent, & non parêre non possent; Iudæos omni honore & benivolentiâ sunt prosecuti; & Templo amplificando opem præsidiumque adtulêrunt.

3498. | His ità ritè perfectis, (paullo post, fortè anno, vel eo ampliùs, consequente.) | 452.

Quùm ex Principibus Civitatis ESDRAS intellexisset, & comperisset, multos ex Israelitis, Sacerdotibus etiam & Levitis, populique primoribus, coniugia cum externæ stirpis mulieribus, præter patria instituta, contraxisse; Ipse, præ rei indignitate, & vehementi animi mærore, discissâ veste, & pilis capitis barbæq; evulsis, squallore horrens, & humi proiectus, in cōspectu Templi cōsedit: eodēque vultus habitu ad vesperam usque perseveravit.

Dum ad eum tandem convenirent omnes, qui Deum religiosè colebant, & parem populi vicem scelusque miserabantur. Tum demum, quùm Sacrum vesperi perageretur; flexis ipse poplitibus, vultuque demisso, & palmis in cœlum expassis supplex, Deo professus est.

Se pudore prohiberi, quo minus ad ipsum sublimè vultum attolleret; quòd flagitia & maiorum, & populi præsentis, multitudine & gravitate infinita esse, perspiceret. Eorumq; caussâ, iure ipsos profanarum nationum lubidini & ludibrio, ceu noxâ deditos fuisse. Et quùm Deus pro suâ nihilo-minus clementiâ, & piorū quorūdam precibus, gētis ut calamitosæ, ità ingratæ, seminarium aliquod, & reliquias superstites cōservare decrevisset; & Hierosolymis in

antiquam patriam restituere. Ipsósque adeò reges, sub quibus longinquam illi servierant servitutem, itè inflexisset; ut non modò tutos liberósque è regno dimitterent; sed ipsum etiam Templum, ceu recidivum, è ruinis, excitandum curarent.

Quâ fronte nunc Deum compellare audeant; usque & usque refractarij, & novis sceleribus coopertri; quibus æternâ lege, mutua cum profanis gentibus nuptiarum commercia interdixerit?

Quùm hæc, multaque eius generis alia, ESDRAS Deo cum precibus & lacrymis profiteretur: & ingens turba virorum, mulierumque & puerorum, acerbè flentium, convenisset; accessit ad eum Sechenias (al. Achonias) Hierosolymita. 3. Esdr. 8. Iechonias) qui unus pro omnibus verba faceret, & erratum palàm confiteretur.

Se, atque cæteros omneis, Dei legē violâsse, & alieni generis uxores accepisse. Si tamen pœnitentiæ locus detur; se, atque cæteros, cum Deo fedus esse percussuros, quo promitterent; Vxores, eiusmodi, cum prole ex ijs natâ, repudiaturos esse, ex Dei cõsilio, & hominum eius reverentium: & divinæ legi omnes morigeros fore.

Itaque surgeret ipse, penes quem absoluta esset de toto hoc negotio statuendi potestas. Se in partē adiututos: ipse ducem modò auctorémque præstaret.

Posteaquam surrexisset, & iureiurando adegisset, primos Sacerdotes & Levitas; omnemque Israëlitarum deinde turbam, se, quod Sechenias receperat, esse facturos; Ipse è templo quidem recessit; & ad IOANNEM, Eliasibi F. divertit; sed in mærorem datus, non antè cibum cepit, neque bibit; quàm publico præconis edicto, & maiorum natu consensione, imperatum esset; ut intrà triduum, omnes è Iudæâ & Beniamitide Tribubus, reduces, Hierosolymam convenirent. Pœnaque esset ijs, qui ad diem non venissent, ut facultates eorum publicè possiderentur; & ipsi è populi, Deo consecrati, cœtu tabulisque expungerentur.

Tertius autem ille dies, in XX. mensis IX. eodem anno incidebat. (quem mensem Hebræi Thebethum, Macedones Apellæum nominant. Ioseph. Nos Novembrem, Caiet.) Quo, uti sancitum pœnâ fuerat, universi Hierosolymam confluxère.

Quumque illi in Areâ Templi consedissent; & partim præ scelerum conscientiâ, partim præ hibernâ frigoris pluvij molestiâ, contremiscerent: exsurgens ESDRAS, palàm ijs exposuit; quàm gravi scelere obstricti essent, quòd Vxores peregrinas sibi coniunxissent.

Sed tamen veniam à Deo ità denique eos impetratuтos esse, si Vxores illas à se repudiarent, & à profanis nationum commercijs se seiungerent.

Quod postquam illi omnes magnis vocibus, & æquis animis se facturos respondissent. Sed, quoniam ingens reorū esset multitudo; neque res tàm multiplex uno die, tempore præsertim hiberno, cõstitui possit, eum rogâssent; Vt aliquot Principes familiarum, ab istâ culpâ alieni, deligerentur, qui cum Senioribus, in eos, qui seorsim vocarentur, inquirerent & statuerent. Idque universè placuisset: Ipse ijs, domos quoque suas, abire permissis; cū delectis Iudicibus, primo die mensis X. constitutis in locis, sedére, & quæstionem exercére cæpit.

Eaque diligentia ab eis adhibita est, ut Kalendis I. mensis (hoc est, trimestri exacto, à Decembri ad Martium,) confectum sit negotium. Vt probabile sit, præter sacerdotes, ex Iesu Pontificis cognatione; quid sanctè promisisse, & arietem piacularem immolâsse traduntur: permultos è cætera multitudine, Vxores, & natos ex eis liberos, sine morâ abiecisse.

Caietan. contrà putat (ex Nehem. c. 10. & ult.) emendationem istam, ad ea Nehemiæ tempora dilatam.

Ioseph. ità huiusce, circa promiscua connubia, consuetudinis pravitatem, ab ESDRA abolitam; ut stabile & firmum in posterum permanserit, quod ille sanxerat.

Et sic certè 3. Esdr. c. 9 *Omnes isti coniunxérunt sibi Vxores alienigenas: & dimisérunt eas cum filijs.*

Alexandr. Chron. MARDOCHÆVM, Estheræ patruum; sub hoc tempus ARTAXERXIS regnantis, natum ferunt. Cuius nomen, & res gestas, si prior ævo fuisset, ESDRAS silentio non prætermisisset.

3499. | Expiatis eo, quo dixi, modo omnibus, ESDRAS, Kalendis mensis VII. (Septembris qui erat ferè totus, apud Iudæos, religioni & Dei cultui, ob dies festos, dicatus.) | 451.

Quùm infinitus numerus, utroque sexu, & ex utrâque, quam dixi, Tribu, hominum, ex urbibus & vicis, Hierosolymam, ad Aream Templi, haud procul ab Orientali portâ Aquarum, convenisset. rogatu omnium, & factâ audientiâ; à primâ luce ad meridiem, ipse LEGEM MOSAICAM ex scripto recitavit.

Ex quâ lectione, quùm adstantes memoriam præteriti temporis, vitæque perperam actæ repeterent, & uberrim illacrymarentur; ESDRAS, hâc subitâ ante-actorum in populo pœnitentiâ contentus, quâ in futurum se munirent; domos pro tempore abire, & cibum cum gaudio sumere; & diem (Neomeniam, & festum Tubarum) qui Deo consecratus esset, fletu funestare vetuit.

Et quoniam sacerdotes scriptum legerant; Præcepisse Deum Moysi, ut Hebræi die festo Tabernaculorum, (*σκηνοπηγίων*) qui à plenilunio eius, quem dixi, mensis, VII. dies continenteis complectebatur; Tentoria sibi ex virgultis, frondibusque arborum, contexerent, in ijsque habitarent; Ipse ESDRAS, idem, pro tempore, ut facerent, imperavit: & quotidie VERBA LEGIS eis est interpretatus. Quum antè, ex ritu, die à Neomeniâ X. qui Expiationum dictus est, cilicijs amicti, & pulvere operti, solenni Ieiunio sese expiâssent.

(Nehem. tamen cap. 9. *In die XXIV. mensis VII. convenisse dicuntur filij Israël in Ieiunio, & in Saccis.*)

De somnijs, & Visis eidem ESDRÆ obiectis, quas Vriel, Angelus Dei, requirenti explanâsse traditur, 4. libro; prætermitto dicere. quod Liber ille in Apocryphos sit relatus.

ESDRAS AN LEGIS MOSAICÆ INTERPOLATOR!

Quod verò quidam, & inter cæteros Rupertus, Volumen LEGIS MOSAICÆ, unà cum Vrbe, Babylonicis flammis absumtam, & ab eo instauratam, an interpolatam, velint:

Et Sigon. l. 5. de Rep. Hebr. Legis Codices, superiore exsilio ac clade amissos investigâsse, & depravatos emendâsse; atque, ut nunc sunt, ex Hebræor. traditione distinxisse; & populo ignaro legem tradidisse:

Ab eodem alij instituti putantur, qui Legem explanarent; difficultates tollerent; librósque custodirent, ne iterùm corrumperentur. Hi ab Esdra advocati, communi cum eo consilio, quędam Librorum sacrorum loca, malè adfecta, sanârunt: Et Canonem scripsérunt eorum librorum, qui maximè probarentur. Sic Thalmudistæ.

Ea quidem sic confutat Caietan. Absurdũ planè videri; Si qui Volumen vnicum Legis; & non multis etiam sæculis, antè Templi deflagrationem, in multa exemplaria diffusum & transcriptum fuisse, putent.

Quonam enim pacto Sacerdotes, qui procul ab Hierosolymâ sedes haberent, absque Voluminis copiâ, Legis intelligentiam habere, eiusque sententiam interpretari potuissent?

Cuius regis violentiâ; cuius legis auctoritate; hoc incommodi Sacerdotibus aut Levitis, aut alijs Legis divinæ studiosis, adlatum?

Deinde ex eo consectarium fit? Si lex singulari volumine comprehensa, semel exusta; nos Lege & Prophetis carere, qui id dumtaxat accepimus, quod Esdras ex ijsdem tradiderit.

Huc accedit, quod Cyro, primo regni anno, Codex Esaiæ oblatus & lectus fuisse prodatur. quo tempore Esdram nendum natum, constat.

Eumdem tamen Hebraicos characteres immutâsse, B. Hieron. Euseb. & Beda, tradidérunt. Et Genebr. Academiam Hierosolymis ab eo institutã, omni disciplinarũ genere refertam. ex quâ cum alij insignes viri; tum Scribæ & Legisperiti prodierint.

Ipse (teste Ioseph.) comparatâ sibi ex tot rebus præclarè gestis, apud populum, auctoritatis & existimationis gloriâ, senex vita defunctus est; & Hierosolymæ magnificè sepultus. Quo tempore, IOACIMO Pontifici, ELIASIBVS F. in sacerdotium successit.

RES GRÆCORVM.

Quum Lacedæmonij bellum, quod cum Helotis alijsque. ad Ithomam obsessis, gerebant; longiùs quàm sperârant duci viderent. & Athenienseis, cò cum alijs socijs evocatos, quorum in oppugnandâ eâ arce, operâ uterentur: obortâ iam suspicione, ignominiosè; cum duce CIMONE, dimisissent. hi nõ modò societati, quam cum illis Medico bello coierant, renuntiârunt; & pecuniam, quæ erat in stipendium belli Persici ab universâ Græciâ collata; è Delo, ærario publico, Athenas transtulérunt; sed cum Argivis etiam, veteribus illorum hostibus, fœdus iniérunt. Et Ithomitas, qui x. demum anno Lacedæmonijs se eâ lege dediderant, ut è Peloponneso perpetuùm excederent; cum liberis & cõiugibus amicè excepérunt: & in Naupacto, quam nuper ipsi Locris Ozolis ademerant, collocârunt.

Megarenses quoque, quòd à Corinthijs bello premerentur, à Lacedæmonijs ad eosdem Athenienseis defecérunt.

BELLVM ÆGYPTIVM.

Bellum autem Ægyptium, quod Inaro, Libyæ rege, auctore, motum suprà attigimus; ab ann. VII. ARTAXERXIS in XIII. vario Marte est protractum.

Ille, PSAMMETICHI F. & Libyum, qui Ægypto sunt contermini, rex, promotis ex Marêa copijs, maiorem Ægypti partem, ut ab ARTAXERXE, bellis implicato, desciscerct, adegit: & parto facilè imperio, Athenienseis, qui tunc CC. cum navibus apud Cyprum agebant, magnis præmijs & promissis in belli societatem adscivit. Qui cæso cum ingentibus copijs ACHÆMENE, Darij F. & regis patruo, quem frater XERXES Ægyptijs, tum recèns & iterùm subactis, præfecerat: & dissipatâ adversariorũ classe; Nilo flumine, & duabus Memphidis partibus, potiti; tertiam, quæ λευκὸν-τεῖχος, sive Albimurium dicta est; quæque à Persis & fidis Ægyptijs tenebatur; ferociter oppugnabant.

Dum ipsi intereà domi cum Corinthijs, variâ Martis aleâ, & cum Æginetis, bellum gererent. Et à Lacedæmonijs, quos ipsi reditu, à Phocensi pro Doribus expeditione, revertenteis, intercludere fuerant adnixi; ad Tanagram Bœotiæ, magnâ clade cæderentur.

Sed bimestri pòst, victis vicissim, duce MIRONIDA, ad Oenophyta, Bœotis, regione Bœotiâ, prętcr Thebas; & Phocide potiti, Æginetas quoque, muris & navibus multatos, vectigaleis sibi subijcerent. Et Peloponnesum, duce Tolmidâ, circumvecti, Lacedæmoniorum navalia incenderent. & captâ Acarnanũ Chalcide, factâque escensione, & Zacyntho Cephaleniâque pervastatis; Sicyonios aperto prœlio profligarent.

3502. | Anno circiter XII. | 448.

ARTAXERXES, quùm frustrà Megabazum Persam cum pecuniâ Lacedæmonem misisset, quâ eos ad bellum Atticæ inferendum, & Athenienseis ex Ægypto avertendos, induceret; ARTABAZVM, & alterum MEGABYZVM, ZOPYRI F. cum innumerabili exercitu (CCC. Millib. hominũ, & CCC.

& ccc triremibus) in Ægyptum amandat. (quos Dio. Sic. annum solidum in exercendo terra marique milite, prius consumsisse narrat. nec secius Athenienses in obsidione Leuco-teicheos, quò pulsi è reliquâ Memphide se concluserant, desisse.)

Qui, simul atque Memphim perventum est, ad solvendam Albi-muri obsidionem totis viribus côtendunt: & Grecos prœlio victos; vel (ut Diod.) præ subito terrore in fugam actos, totâ Memphide expellunt.

Et ad extremum, in Prosopitide insulâ, quo, ceu in tutam stationem, naveis suas Athenienses coegerant; conclusos, & ad sesqui-annum obsessos, tenent. Donec aversâ fluminis aquâ, & alveo exsiccato, naves subsiderent; & insula, jam continens, peditatui hostili transitum præberet. Eâque re consternati Ægyptij, desertis Atheniensibus & INARO, ad Persas inde transfugerent.

Athenienses nihilo-minus, quùm naveis suas, bello iam inutileis, concremâssent; & magnâ animorum constantiâ, ad manus cum hoste victore conserendas, se compararent; ab Imperatoribus Persicis, qui, cum obstinatis viris, & de salute desperantibus, iterùm congredi reformidarent; certâ conditione ex Ægypto abire sunt permissi: Et peragratâ ad Cyrenen usque Libyâ, pauci & inopes in patriam sunt reversi.

Hic exitus belli in Ægypto sexennalis. quem nova L. triremium, quæ ab Atheniensibus & socijs, rerum gestarum ignaris, auxilio submittebantur, & ad Mendesium Nili ostium erant adpulsæ; clades nobilitavit. Illarum enim pleras que, terrâ, peditatus Persicus; & à mari, Phœnicum classis, adgressi, aut depresserunt, aut in fugam verterunt.

Et sic iterum Ægyptus in ARTAXERXIS ditionem concessit: præter AMYRTÆVM, in Palustri solo regnantem.

INARVS verò huiusce belli auctor, per proditionem captus, & in crucem actus est.

Ctesias tradit, INARVM, Græcosque prœlio à Persis victos, Byblum, munitam Ægypti Vrbem, fugisse. Et MEGABYZVM, qui Vrbem illam facilè expugnari posse diffideret; cum ijsdem Græcis, quorum VI. Mill. erant & amplius, incolumitatem pactis, transegisse, & fidem dedisse, nullâ eos à rege iniuriâ adfectum iri; & domum salvos, dum luberet, redituros.

Et illum quidem, postquam SARSAMEM Ægypto itâ debellatæ præfecisset, unà cum captivis ad ARTAXERXEM profectum, impunitatem ijs in præsentia à rege impetrâsse. Sed v. post annis, eumdem regem, ab Amyti aviâ, quæ Achamenis filij, ab INARO cæsi, vicem doleret; & pœnas reposceret; importunis precibus expugnatum, eius lubidini, captivos tradidisse. Ex quibus INARVM III. crucibus illa suffixerit; & Græcis L. quot capere potuerat, capita absciderit.

Quâ ex re Megabyzus, quem & illa ad pœnam depoposcerat; mærens, & in Syriam, cui præerat, profectus, cum alijs Græcis à rege defecerit: & bis prœlio adversus regios duces victor, in gratiam cum eo redierit.

Quà iterum, levi de caussâ, ob leonem, à rege, quem inter venandum adortus esset, aversum, & à se interfectum, excidens; & in Cyrtam, ad Mare Rubrum, relegatus; & denuò reconciliatus, non sine magno regis dolore, octogenario propinquus, decesserit.

Huius F. Zopyrum, ex Amytide iuniore, Patre & matre orbum, quum à rege defecisset, Athenas profectum, unà cum illis ad Caunum renavigâsse. Vbi dum cives Zopyro quidem deditionem, non autem Atheniensibus, comitibus, facere promitterent; saxo in ipsius, murum subeuntis, caput coniecto, mortem obijsse. Sed hæc posteà.

LEGES, ET X. VIRATVS ROMÆ.

Circà idem Tempus, Romæ leges XII. Tabularum publicatæ à X. Viris. A quibus Legati Athenas missi fuerant, ad Solonis, aliorumque Græcorum leges cognoscendas & describendas.

3504. | An. V. C. ccc. Post quinquennium Lex in æs incisa, & in publico posita est. An. V. C. ccci. Decemviri ibidem cum potestate Consulari creati; pòst Consulatum Augurini, abdicati. Sic forma Civitatis à Consulibus ad X. Viros transijt. Anno autem ccc v. & cccv. abdicatis denuò Decemviris, suffecti sunt Consules. Vid. Orosij Excerpta. | 446.

INDVCIÆ INTER GRÆCOS.

Athenienses, nihil præ gloriæ, & Imperij ampliandi cupiditate intentatum relinquentes, quùm pænè universos Græcorum populos inimicos cepissent: neque tamen ad Pharsalum Thessaliæ, neque ad Oeniadas Acarnaniæ, duce PERICLE, Xanthippi F. quidquam prosperè promovissent; exacto triennio, Quinquennaleis cum Lacedæmoniis inducias, CIMONE (quem virû optimum, ipsi uti φιλολάκωνα, sive Spartanis faventiorem, ostracismo antè, & x. annorum exsilio multârant; & quinquennio pòst in patriam revocârant) auctore pacti; à bello quidem in Græcos supersedêrunt; sed in Cyprum arma convertêrunt, cc. navibus, duce eodem CIMONE, transvecti, ut iniurias sociorum, & navium iacturam in Ægypto nuperam, ulciscerentur.

3508. | ———————— | 442.

(Diod. hic confundere videtur res à CIMONE XVI. plus minus, antè annis gestas, cum ijs quæ hoc demum anno gesta sunt.)

NOVVM

NOVVM IN ÆGYPTO BELLVM.

Athenienses in Ægyptum LX. è classe sua navibus, vocatu AMYRTÆI, qui Paluſtri regione fretus, rebellione petſtabat: cum cæteris, Citiũ, Cypri, obſederunt. (Diod. vi expugnatũ, dicit. Prob. maiorem Inſulæ partem à Cimone devictam.)

Verùm poſteaquàm Cim[on] morbo implicitus (al. è vulnere) ibi mortuus eſt, & fames exorta; indè profecti, & directò ſuprà Salaminem, Cypri, curſu; cum Phœnicibus ac Cilicibus, navali & pedeſtri pugnâ certàrunt: & utrobique victores, cum navibus ijs, quæ ſalvæ ex Ægypto redierant, domũ ſunt reverſi.

Diod. verò, Cimonem, tradit, claſſis prætorem, Maris victoriâ imperioque potitum, & cunctas Cypri urbeis in poteſtatem ſuam redigere molitum eſſe. Et [d]um Salaminem, urbem ab omni armorum rerumque neceſſariarum adparatu inſtructiſſimã, (quâ capt[a] non modò Cyprus tota in deditionem veniret; ſed [r]es Perſica etiam periclitàretur) omni ope oppugnandam ſibi ſumſiſſet;

ARTAXERXES, de ſuo & Cypriorum periculo ſolicitus, & graviorem acerbitatem Aſiæ vicinæ ſubmetuens; pacem cum Græcis componere inſtituit. A quo, quùm eâ de re ARTABAZVS & MEGABY[Z]VS mandata accepiſſent; Athenienſes, qui pacem ab hoſte quæſitam non reſpuerent; legatos viciſſim ad ferienda federa, cum ſummi iuris poteſtate miſerunt.

Cuius legationis Princeps & caput fuiſſe CALLIAS, Hipponici F. & eum collegis ſuis Suſa adſcendiſſe, memoratur, Herod. lib. 7.

Quo etiam tempore Argivi eódem, ad regem, nuntios miſerint, qui rogarent; *An amicitiam, quæ ipſis cum Xerxe Patre interceſſiſſet, perſeverare vellet!* Quibus ille reſpondent, *Nullam ſibi, præ Argis, civitatem cariorem eſſe.*

PAX CVM PERSIS.

His autem ſummatim conditionibus Pax illa inter Perſas, & Athenienſeis, cum ſocijs, per federum Interpretes, conſtituta traditur. „ *Omnes Græcorum in Aſiâ Coloniæ libertate ac legibus ſuis uti, permittuntor.*

„ *Nulli è Perſis Satrapæ, ultrà tridui iter, in mare excurrere, liceto. Nullus navi roſtratâ, Phaſelida inter & Cyaneas, in mari Pamphylio, navigato.*

„ *Athenienſes viciſſim, in nullius provinciæ, quæ regiâ ditione teneatur, fineis umquàm vim aut arma inferunto.*

His ità compoſitis, & utrimque firmatis, Athenienſes honoratiſſimè ab rege expediti, copias è Cypro abducunt: & clariſſimæ ſimul victoriæ, & honeſtæ pacificationis inſignia, domum reportantes. Et tum demum, apud Cyprum, deceſſiſſe Cimonem, Diod. tradit, anno IV. Olympiad. LXXXII.

NOVVM GRÆCORVM DISSCIDIVM.

Sopito utcumque bello Perſico, nunc quaſi impunè & certatim Græcia omnis, ducibus Lacedæmonijs & Athenienſibus, ex æmulatione virium, in duas diviſa parteis, ab externis bellis, velut in viſcera ſua, arma convertit.

3509. | | 440.

Et Lacedæmonij quibem bello, quod Sacrum dixere, ſuſcepto; & Templo, quod in Delphis eſt; cuiuſque iuriſdictio controvertebatur; pouti; illud veteribus poſſeſſoribus, Delphis, tradiderunt.

Athenienſes verò, illis digreſſis, eò cum exercitu profecti, & victores, Phocenſibus reſtituérunt. Et Megarenſium agros, qui à ſe ad Lacedæmonios defecerant, rapinis, cædibus & incendijs, evaſtàrunt. Quùm intereà Lacedæmonij, irruptione in Atticam factâ, tedhoſtirent.

Neque ità multopoſt, quum Athenienſes, duce TOLMIDE, expeditionem, validâ ex ſuis & ſocijs manu, adverſus rebelleis Bœotorum exſules, qui Chæronéam & Orchomenon, aliaque in Bœotis loca, inſidebant, ſuſcepiſſent; & ex ijs, Chæroneâ captâ & direptâ, præſidioque Vrbi impoſito, reverterentur; exſules Bœoti, & Eubœênſes cum Locris, facto in eos, ex Orchomeno, impetu, (per inſidias, Diodor.) & atroci pugnâ adorti, TOLMIDE inter pugnandũ cæſo, reliquos partim occidérunt, partim vivos cepérunt. Eâque clade coacti ſunt Athenienſes, quò captivos redimerent, cunctas Bœotiæ Vrbeis, quas ceperant, cedere, & libertati legibuſque ſuis reſtituere.

Iam opibus Athenienſium iſtâ ad Chæronéam clade debilitatis, inter cæteras Vrbeis, tota pænè Eubœa ab ijs defecit. quam illi mox, duce PERICLE, eò tranſgreſſi, iterum ſubegérunt.

Et Heſtiæam quidem, civibus ejectis, ſibi vindicàrunt: cæteris verò Vrbibus priſtini federis leges, ex pacto, impoſuérunt.

ANNVS XX. ARTAXERXIS. Initium LXX. Hebdomad.

3510. | | 449.

Nun mihi ad memorabilem illum ARTAXERXIS regis annum, XX. (de quo Daniel. c. 9. Et à quo, LXX. eius Hebdomadum initium ducitur, *Quo exijt ſermo ex ore regis, ut Hieroſolymæ muri reſtaûque inſtaurarentur)* redeundum eſt.

A quo ſermonis exitu, ad circiter XXXIV. uſque CHRISTI nati annum, quo pro nobis mortem perpeti dignatus eſt, (ſive verius, ad IV. ab eiuſdẽ Paſſione annum,) anni tot, illis Hebdomadis deſignati, effluxiſſe putantur.

Hic

Hic annus, Eusebio, coincidit cum anno CXV. regni Persici, à Cyro; cui ille dat XXX. Imperij annos. Nobis est LXXXIIX. ab eodem Cyro; cui tantùm III. Monarchiæ annos tribuimus. Vid. I. annum Cyri.

Et de hoc eodem anno, vide annum Orb. Cond. 3420. qui est primus & ultimus DARII MEDI. ubi de anno, quo hic sermo exijt; & de Hebdomadibus DANIELIS, fusè disputatum est.

Præter eà autem, quæ sup. dicta sunt; hoc tantum, ex Chron. Alexandr.

Africanus numerum LXX. in vaticinio Daniel. Hebdomadum, extendit non solùm ad salutaris prædicationis (CHRISTI) initium; sed etiam inchoat à CCXC. annis, qui hinc initium cepérunt: & desinunt in XXII. annum Imperij TIBERII CÆS. sive in IV. annum CCI. Olympiadis.

Ità ut LXIX. Hebdomades implerentur, XIV. anno dicti Tiberij. Et I. anno CCII. Olympiad. ageretur, quo & Iordane tinctus est à IOANNE CHRISTVS; & eiusdem salutaris incepit Euangelij promulgatio.

Reliquum autem dimidiæ Hebdomadis unius, *quæ confirmatura esset Testamentum, multis.* exactum in anno Tiber. Cæsaris XXII.

Dimidium verò alterum, quo ut dixit Propheta, *Tolletur Hostia mea*, &c. inciderit in XIX. eiusdem: Sive in IV. annum CCII. Olympiadis. Quo CHRISTVS, verus Deus noster, sponte suâ vivificam subijt crucem. Hæc nostris ex parte sunt consentanea.

NEHEMIÀS, POPVLI IVDAICI DVX.

Anno itaque, quem dixi, XX. Artaxerxis, (XIII. Post ESDRÆ adventum) mense Chasleuo (Novembri) NEHEMIAS, Helciæ (al. Chachaliæ) Fil. (Hierosolymita, Iosep. & Sacerdos, Caietan. Rabbinus, è stirpe Davidis. Genebr.) è captivis unus. qui Susis primariâ Persarum Vrbe, habitabat, & Regi à poculis erat:

Quum fortè ex HANANI Iudæo, eiusque comitibus (in quos, recens in Persidem, ex Iudæâ, & Hierosolymis, advenienteis, & Hebræo sermone inter se colloquenteis, inciderat) cognovisset miserabilè Hierosolymæ, & populi à captivitate reducis, statum & conditionem. quòd mœnibus sacræ Vrbis, & portis, quæ Chaldæi everterant, neque-dum instauratis, ab infestâ viciniâ non modò multis incommodis adfligerentur; sed ex agris etiam, atque adeò ex ipsis Templi penetralibus, captivi abducerentur: Ad Deum, non sine vehementi gemitu, & multis lacrymis, & longinquo ieiunio, conversus; & sua populique peccata (quorum iustissimas pœnas, tot pro tempore malis oppressi, expenderent) ingenuè & demissè confessus; eius tamen misericordiam. quâ pænitenteis complecti soleret, & promisisset; supplex imploravit. Et ut regis animum, cui ipse ministter erat, inflectere, sibique propitium efficere dignaretur; obnixè rogavit.

Quùm itaque, mense Nisan, (Martio) regi iam accubanti, vinum de more misceret: & vultu squalidiore, inter epulas, mærorem introrsus latentem proderet. Rex à cœnâ hilarior, ministrum, non ægrum quidem, sed solitò subtristiorem conspicatus; Quid caussæ esset, ex eo quæsivit.

Ill- metu primùm perplexus; deinde, regiæ gratiæ fiduciâ audacior, rege iterum salutato, & æternùm vivere iusso, in h s voces erupit.

Qui possim, ô rex, simulato ad alia vultu, premere altum & reconditum cordis mei dolorem; qui audiam patriæ meæ, Hierosolymorum, (in quâ Patris & maiorum meorum sepulcra ac monimenta exstant) & portas etiamdum igni succensas, & mœnia disiecta iacere!

(Sever. Quæ iam per annos ferè CCL. solo tenus strata, malorum testimonium, spectaculum inimicis præbeat.' Sic ille. sed qui hæc NEHEMIÆ acta, ad XX. annum ARTAXERXIS MNEMONIS referat.)

Quare hoc unum mihi à te, ô rex, præstari postulem, ut illuc profectus muros illius Vrbis restituere, & Templi fabricam perficere, impunè permittar.

Quod ubi rex, unà cum reginâ, quamvis longiorem tàm fidi ministri absentiam ægrè laturi essent; sereno ore annuissent; & litteras simul, cum ad Satrapas, regionis Trans-euphratensis prætores, à quibus tutò ipse cum suis in Iudæam deduceretur; tum ad ASAPHVM, regiorum saltuum custodem, qui ligna fabricandis Templi, Murorum Turrium que Vrbis, & domorum tàm publicarum, quàm privatarum, contignationibus, præberet; haud gravatè dedissent.

Ibi NEHEMIAS. Deo adorato, & actis regi gratijs, quùm Babylonem venisset; & multos è popularibus comites sibi adsciviss et. Et iam-tum magnâ militum regiorum manu stipatus, Satrapis Trans-amnensibus, (Iosep. SADÆO, Syriæ; & Phœnices Samariæque, præfectis) litteras, regiæ voluntatis testeis, reddidisset; Tandem (Iosf. XXV. anno regni Xerxis. Nobis sub eiusdem anni, quo regnavit Artaxerxes, XX. exitum. licet alter iam vulgò annus à Nisan inijsset) Hierosolymam pervenit.

Vbi quùm triduum obduxisset; neque cuiquam animi sui institutum, quod & Deus inspirârat, & rex comprobârat, patefecisset. sed cum paucis, clàm & noctu, murorum Vrbis, & portarum penè singularum ruinas oculis explorasset; ad extremum magistratui & populo se prodidit. & quæ Dei regisque voluntas, se auspice, esset, indicavit.

Eosque gravi oratione cohortatus, ut novis murorũ portarumque munitionibus incùberent; & eo pacto omnem vim & iniuriam æmulæ & infestæ viciniatis à cervicibus suis arcerent. *Sic in Deo fiduciam collocarent; tam pios eorum & præclaros conatus, ab importuno hoste nequaquam impeditum iri; sed prosperè & ex sententiâ successuros.*

Tàm

Tàm insperato illos regis favore, & suâ, novi Principis, alacritate, itâ animavit; ut ad opus se certatim, & mutuis exhortationibus, accingerent: & neque interdiu, neque noctu, cæptam structuram, nec sine bono omine, intermitterent.

(Hîc observat Ioseph. Iudææ, & Iudæorum, appellationem, tunc primùm invaluisse, quando è Babylone reversi sunt. quùm anteà communi nomine Hebræi, aut Israëlitæ, dicerentur: quòd Iudæ Tribus ea olim loca occupâsset. Nos id potiùs ad superiora ROBOAMI tempora referamus, discisso iam & bipertito regno.)

Huius autem rei fama, quum perlata esset ad SANABALLATEN Horoniten, ex Moabitide; & THOBIAM Ammaniten, & GOSEMVM Arabem; quibus ægrè fuerat submissum esse à rege virum, qui fiduciam auctoritate res Iudæorum iacenteis excitaret. non sine operis, ceu vani cæpti, irrisione, adfectatæ etiam rebellionis crimen Iudæis intentabant.

NEHAMIAS verò, non tàm regis, quàm Dei ergà se benivolentiâ & præsidio, hoc opus à se susceptum esse; & in eo perficiendo constanter, vel invitis æmulis, perstaturum, respondit.

Ipsos, qui numquam de Hierosolymis benè mereri contendissent: neque, uti æternâ stirpe prosati, & è Cuthæâ in Samanam olim transducti, Iudæis umquam accensi essent: in partem regij beneficij, aut civitatis, cultûsque Hierosolymitani, vocari non oportere.

Neque propterea segniùs ad opera accingebant Iudæi. Quod ut commodiùs & æquabilius fieret; Iussi sunt magistratus, sacri & profani, mœnia ipsa cum portis, & pristinos Vrbis vicos, dimetiri; & operas in populum familiasque virtim partiri. Certo quodam modo agrestibus etiam, & vicinis opidanis attributo. Ipse autem dux,

Iura dabat, legesque viris: operumque laborem
Partibus æquabat iustis, aut sorte trahebat.
Instant ardentes: pars ducere muros, &c.

PORTÆ VRBIS HIEROSOLYMÆ.

Et quoniam in ista operum ædificiorumque distributione (c. 3.) mentio fit XII. Portarum, hisce nominibus;

Gregis, Piscium, Vetus, Vallis, Sterquilinij, Fontis, Aquarum, Equorum, Orientalis, Iudicialis, Regis, Domûs Eliasibi.

Præter Turreis, Hananeëlis & Furnorum; & Piscinam Siloë. Lectori, istiusmodi deliciarum, & Hierosolymitanæ Topographiæ cupido, ut satisfiat, XII. Portas, primæ notæ, distinctiùs ob oculos proponemus.

Ab Ortu	1. Porta Fictilis. 2. Aquarum. 3. Equorum. 4. Gregis.	Ab Aquilone	1. Porta Beniamin inferior. 2. Piscium. 3. Vetus. 4. Ephraim.	Ab Occasu	1. Anguli. 2. Vallis. 3. Stercoris. 4. Fontis.

Per has XII. Portas, ea Vrbe Hierosolymâ, in omneis Terræ Israëlitidis parteis, hoc modo, via patebat.

PER PORTAM FIGVLINAM; in Vallem Gehennon, Agrum Acheldema; & in Austrinas regiones, ad montem usque Sinæum.

AB AQVARVM PORTA; in Hortos regios, & alios Vallis Iosaphat. Indeque plana & æquabilis via in Bethaniam ducebat.

A PORTA EQVORVM; in Torrentem Cedron, cui erat proxima, equi regis aquatum deducebantur.

A PORTA GREGIS; in Vallem Iosaphat, montem Oliveti, & in Bethaniam, Hierichuntem, Desertum, & Orient. regionem, usque ad Iordanem.

A PORTA BENIAMIN; in Anathot Desertum, aliasque Vrbeis eiusdem Tribus. Via item extrà hanc portam ducebat in Galilæam, Cæsaréam Philippi, & Damascum.

A PORTA PISCIVM; in Mare Galilææ, Iordanem, totamque Orientalem & Aquilonarem regionem.

A PORTA VETERI; iter patebat ad omnes Aquilonates regiones.

A PORTA EPHRAIM; in cognominem montem, in Sichem, Samariam, & Galilæam.

A PORTA ANGVLI; in Arabiam, indè conspicuam.

A PORTA VALLIS; in Calvatiæ montem, Silonem, Bethoron, Gabaon.

A PORTA STERCORIS; ad Ioppen, Mare, & omneis Occid. partes.

A PORTA FONTIS; in agrum Fullonis, Bethlehem, Hebron, Gazam, & Ægyptum. De his hactenus.

SANABALLATÆ HOSTIS IVDÆOR. INSIDIÆ.

Dum vero SANABALLATES opus nihilo-minus procedere: & ab imbecilli gente, in summâ materiæ penuriâ, tamque infestâ profanarum nationum viciniâ, vrbis tam vastæ munitiones, summâ cum ædificantium alacritate, iam dimidiâ parte ampliùs perfectas, & in altum eductas esse, ægerrimè ferret: unà cum THOBIA, sibi adfine, Arabes, Ammanitas, Azotios, (Ioseph. Moabitas, & Samaritas, Cavæ-Syriæ incolas) operis interrumpendi, & belli, per insidias, in fabros operi intentos, inferendi, flagrante passim invidiâ, concitârunt.

Cuius rei terrore quùm nonnihil Iudæi commoverentur; & de reliqui operis perfectione, ob difficultates & assiduos labores, propè desperarent: Tunc NEHEMIAS, de hostium conatu per exploratores factus certior, & suos ad fortiter pro patriâ & lare pugnandum cohortatus; locatisque per muros nocte & die custodijs, & dispositis adversus incursanteis præsidijs, unà cum Deo, insidias adversariorum elusit.

Atque ita ipsi, metu liberi, ad opus quidem iterùm accingebantur. sed ne inermes de-improviso ab intentis usque hostibus opprimerentur, solicitus princeps, dimidiam populi partem operi incumbere; alteros gladijs accinctos, alijsque armis tectos, vigilare iussit. sic tamen ut duces primi, operumque exactores, duplicato onere, dextrâ ipsi opus vrguerent, lævâ gladios gestarent.

Et ne tàm magno locorum intervallo inter se seiuncti, alteri alteris suppetias ire non possent, ad tubæ clangorem concurrere, & stata loca tueri, sub suis quisque ducibus, iussi sunt.

Atque adeò, ne agrestibus, sub vesperam, ex urbe, ad sedeis suas, quotidie & de more, dilabentibus, Hierosolyma, ab incolis infrequentior & immunita, periclitaretur; ut ex ipsis singuli saltim, uno cum famulo, in civitate remanerent; & diurnæ operæ custodiam etiam nocturnam adderent; imperatum est.

Ipse autem NEHEMIAS, cum suis, quò reliquis exemplo præiret; & noctu Vrbis mœnia obibat; & nullâ operum ærumnâ, nulla victûs aut illuviei duritiâ, deterrebatur.

POPVLARIS SEDITIO.

Intereà populus, qui fame & fenore laborabat, adversus divitum feneratorum impotentiam, non sine promiscuo murmure, & re ad seditionem inclinante, passim subtumultuari cæpit. Eoque indignationis prorupit, ut alij proletarij liberos sibi venum exponendos quiritarentur, quò frumento indè coempto vitam miseram sustentarent. Alij domos & fundos fenori obligandos, quo famem solari possent. Alij denique pecuniæ mutuatione agros vineasque suas alienare, aut perpetuis regis vectigalibus subijcere, non defugerent.

Quùm pati, inquiebant illi, omnes conditione, & generis prærogativâ censendi simus, Divites tamen sibi & suis probè consulunt. Nos, tenue vulgus, liberos nostros, præ necessitate etiam in nexum dare, aut servituti mancipare, cogimur. Nec fundis iam alienatis, eorum redimendi ulla in posterum spes adfulget.

Dementes! qui Babylonici exsilij delicias & cōmoda, huic ærumnosæ in patriam, Iudæam, reversioni & molestissimæ Templi Vrbisque ædificationi, postposuerimus.

Quodnam nobis, è captivitate illâ, in libertatem, regiâ liberalitate adsertis, operæ pretium? Aut quis, præ ijs, qui remanere illic elegerint, fructus exoptatior?

His clamoribus, & iustis forte-an querellis commotus NEHEMIAS; & cognito, à Magistratibus pecuniam fenori dari, & usuras acerbè exigi Cœtu populi universi indicto, *Rem indignam esse, aiebat, Iudæos artissimo sanguinis vinculo inter se coniunctos, quos nuper ipsi a profanis in Babylone heris, pro virili quisque parte, redemissent; nunc à tribulibus, in patriâ, quasi venales haberi, ut iterum ab ipsis reciperentur.*

Quis hic divini Numinis metus? Quibus non opprobrijs impiæ vicinorum nationes in nos insultent?

Pecuniam & frumentum, quæ ego, cum meis, mutua permultis dedimus, libenter & in solidum condonamus. Vos pariter æquum est, non fundos modo vobis oppigneratos liberare; sed usuram etiam Vnciariam, quam quot-mensibus, aut annis, pro frumento & vino, pensitandam imponitis; acceptò ferre, & remittere.

Id autem quùm illi universè facturos se recepissent; & Sacerdotes evocati, & propositi iuris-iurandi religione obstricti, ut idem præstarent, nihil liberaliter respondissent; ipse NEHEMIAS vestis suæ sinum, de more, in vacuum excussit. Et eo pacto, ut quicumque quod decretum erat, non præstitisset, aut defugeret; à domesticis commodis, & laborum suorum fructibus vacuus existeret, imprecatus est. Quod populus quidem, non sine summo adplausu, & Dei laudatione, comprobavit; & facto ipso testatus est.

NEHEMIAS profectò, vir ad virtutem & iustitiam natus, & in populareis suos beneficentissimus; per annos XII. ab anno XX. ad alterum & tricesimum regis Artaxerxis, ex quo, illius & iussu eiusdem, Iudæis, uti dux, præfuit. quantumvis decessores eius quotidianis annonæ, aut pecuniæ (ad XL. siclos) præbitionibus; & impotenti, ac dissimulatâ ministeriorum suorum licentiâ, populum oppressisse sciret. Et ipse contrà, cum suis, in publico Vrbis & murorum opere, adsiduus, & nequaquam immunis, sine ullius iniuriâ aut molestiâ, fuisset; adduci tamen, præ divini Numinis metu, numquam potuit, ut non modò sportulas, iure etiam sibi, & contubernio, debitas; aliudve quidpiam, sordibus adfine, non consectaretur. sed singulari etiam cum liberalitatis

laude & gratiâ, Magistratus & Principes familiarũ, ad centena & quinquagena capita, qui è propinquo Hierosolymam ventitabant, rectâ cœnâ, ferculis & vino opiparâ, quotidie acciperet.

NOVA HOSTIVM CONSPIRATIO.

Sed veteres iterum æmuli, SANABALLATES & cæteri, quùm murum perpetuâ serie constructum, & valvis tantùm portarum defectum, audijssent, quòd vi apertâ non possent; dolo agere ,cum NEHEMIA, cumque à cæptis operibus revocare, constituerunt.

Et ut loco destinato, (Campo, seu Valle Ono, hoc est, Iniquitatis) fœdus secum percuteret, invitárunt.

Quibus quùm ipse serias (ædificandi fortè, aut quotidianæ iuris-dictionis,) occupationes, excusâsset: & illi importunius crebriúsque urguerent; & missis etiam per certum hominem litteris; ob rumores, qui de adfectato ab ipso Iudææ regno passim sparsi essent, & à Vatibus iactarentur; quibus & rex ipse graviter commoveri posset. eum terrére, & ad communicanda inter se, de pacando rege, consilia, inducere conarentur.

Ipse fraudes & malignitatem detexit; & intrepidus, neque ab incepto destitit, neque insidiosis hostilium consiliorum machinationibus acquievit.

Quinetiam quùm consultandi gratiâ, ad domũ SEMAHIÆ (Prophetæ, & Anachoretæ) Accessisset; Et ille, ut in Templum ingrederetur; & valvis ibi obseptis se contineret, (de nocte namque sicarios ad cædem eius faciendam venturos esse) suasisset. Ipse verò & fugam, duce indignam; & anquisita mortis in Templo latibula, quâdam animi generositate, detestaretur; cum vaticinij illius vanitas; tum Vatis illius ab hostibus corrupti, malitia, palàm facta est.

Postquàm verò murus omni ex parte, LII. dierum spatio absolutus est, quod in XXV. diem mensis Elul, (Sextilis, sive Augusti) incidit.

(Ioseph. lib. 11. c. 5. Hunc in modum, inquit, NEHEMIAS, perduravit II. annis, & III. mensib. Tantum enim temporis elapsum est, donec mœnia absolverentur, XXIIX. regni XERXIS anno, mense IX. Vult enim idem, NEHEMIAM, anno XXV. XERXIS, è Babylone Hierosolymam pervenisse.

Caietan. putat LII. dies illos, non à muri ædificati, sed perfecti eiusdem, initio; hoc est, ex quo suprema manus adposita est, & valvæ portis additæ. Fallique addit Iosephum, in eo; quod à XX. ARTAXERXIS anno, quo Nehemias venit; usque ad XXIIX, eiusdem, anni XII. non effluxérint.

EMANVEL SA, interpretatur LII. dies, post missam à SANABALLATE epistolam.

SAMER. Cæpta à Nehemiâ instaurari Hierosolymorum mœnia IV. die mensis, Ab (2. Esdr. 3.) & XXV. Elul absoluta, LII. diebus (2. Esdr. 6. Sic & Malla.)

Opere tantâ celeritate & industriâ consummato, hostes, & vicinæ nationes, animis propè consternati sunt. Et in rêm exiguis Iudæorum facultatibus, non nisi ope divinâ id perfici potuisse, sunt confessi. Laborabant nihilo-minus intestinâ æmulatione, quidam è Iudæis Optimates: & mutuâ epistolarum missitatione, cum TOBIA Ammanite; qui & SECHENIÆ gener, & MOSOLLÆ consocer esset; contesserabant. Non veriti eius laudes coràm NEHEMIA efferre & celebrare: & non facta modò, sed dicta etiam, ex ore Nehemiæ excepta, ei renuntiare; & sparsis rumoribus ac libellis, terrorem Duci suo incutere.

Quæ consequuntur, certum est annis proximis, sed ijs non satis certis, gesta fuisse.

CVSTODIÆ VRBIS.

3510. | ——— | 440.

NEHEMIAS verò, qui latus sibi à domesticorum hostium insidijs muniendum duceret; opere murorum, & valvarum in portis perfecto: & inito Ianitorum & Cantorum numero; negotium dedit fratri suo HANANI: & HANANIÆ viro religioso & Palatij Hierosolymitani præfecto, ne portæ Vrbis antè Solis exortum aperirentur: ijsdemque nisi præsentibus obserarentur. Et ex incolis custodes delecti, qui suam quisque vicem, haud procul à domibus suis excubarent.

Quùm autem Vrbs tàm vasta, & amplissimo spatio cincta, habitatoribus & tectis esset infrequentior: & NEHEMIAS populum recensere vellet: Censum omnem eorum, qui priores unà cum ZOROBABELE, deinde ESDRA, è captivitate Babyloniâ in Iudæam adscenderant, in commentario censuali, (qui exstat 1. Esdr. 2. & 8.) descriptum comperit. Et vertente mense VII. eadem pænè, quæ suprà sub ESDRA sunt commemorata, peregit.

Populo scilicet, qui è civitatibus suis, summâ cùm animorum consensione, Hierosolymam ad solenneis ferias convenerat: & in plateâ, portæ Aquensi adversâ, considebat: Lex Moysis ab ESDRA, palàm & magnâ adstantium attentione, recitata est. & fletus, qui promiscuè obortus tum erat ex lectione, quique diem festum, dicti VII. mensis Kalendas, dedecebat: ab ATHERSATA (qui & NEHEMIAS) & ESDRA, & à Levitis, compressus est: & Hilaribus, epulique publici celebritate, mutari iussus.

Deinde, universi Scenopegia, sive Tabernacula, omnigenis virentium arborum frondibus cõtexta, stato & continente septiduo, à plenilunio, non sine quotidianâ Divinæ Legis explicatione, & insuetatâ pietate ac lætitiâ, concelebrárunt.

Et biduò pòst, die mensis XXIV. iterum Hierosolymis collectis ciliciis amicti & cinere conspersi, publicum sibi ieiunium indixérunt.

Et seiuncti ab externis, suaque & maiorum suorum peccata confessi, quadrantem diei unum sacræ lectioni; alterum Dei adorationi, mane & vespere, alternis impendérunt. Levitis interea è loco editiore omnem cœtum, ad celebrandas Dei laudes, & grates pro beneficiis agendas, exhortantibus: & HYMNUM (quo ex alto repetita Dei in gentem Hebræam beneficia exaggerantur) contentâ voce decantantibus.

Illum solum Dominum, cælestium Orbium & Spirituum, Terræ & Maris, & eorum, quæ complectuntur, omnium, opificem.

Illum, vitæ datorem, & providum in rebus creatis conservatorem; à beatis Mentibus, quas in cælesti statione collocatas voluit, assiduè adorari.

Ab illo, rerum omnium procreatore ac rectore, ABRAMUM delectum; & ex Hurâ, Chaldæorum Urbe, ab idololatriâ, nobili, an infami! eductum. & Abrahamum feliciore omine, qui magnæ gentis prosator esset futurus, appellatum. Cuius eximiâ erga se fide delectatus, fedus cum eo percusserit: & se uberrimam Chananæorum regionem, eius, posterorumq; possessioni, esse transcripturum promiserit.

Illum, Hebræis gravi servitutis onere in Ægypto oppressis; & dum fugerent, ad Mare Rubrum, tantum-non à sequaci hoste interceptis, misericorditer opem tulisse. Pharaonem verò, & Ægyptios, qui superbè impiéque se ingesserant, portentosis cladibus; nec sine perpetuâ nominis sui memoriâ, ità adflixisse; ut quum illi metu antè trepidi, & cælum adspectantes, Mare, cedentibus in latera aquis, pervium, siccis quasi pedibus, permensi essent; tum hi cedêteis insecuti, & idem Mare, quà patebat, ingressi, profundis confestim coëuntium aquarum gurgitibus, saxi instar, demergerentur.

Et illis properè egressis, columna nubis, umbraculi adversus æstum, interdiu; & columna ignis, facis prælucentis & ὁδηγοῦ vicem, noctu præferretur.

Et à Domino, in montem Sinaum descendente, & è cælo cum eis colloquente; saluberrima de Iudiciis, moribus, & Cerimoniis, præcepta legésque, ipsi acceperint. & Sabbati, sive diei VII. quo ipse à rerum procreatione requiérat, sanctitatem; aliaq; mandata, Mose magistro, didicerint. Pane è cælo delapso, & aquâ è saxo elicitâ, dum fame sitiq;, per deserta vagi, laborarent; adfatim refecti. Et Terra sibi, non sine iureiurando promissa, hereditatem cernere & adire iussi.

Quumq; ipsi, non secus ac Patres fecerant, fastidio & contumaciâ elati, & dicto minimè audientes: neque tot admirandorum olim Dei operum, memores, & cum aperta quidem rebellionis notâ, ducem sibi quærerent, quo ad pristinas Ægypti delicias, hoc est, in meram servitutem, reverterentur; Deum tamen pro suâ misericordia & lenitate; ab eorum tutelâ numquam recessisse. Etiam post-quam Vitulum, ex auro collatitio conflatum, ceu numen aliquod, cuius, scilicet, ope ex Ægyptiâ servitute fuissent adserti, adorassent; & ipsum Deum blasphemis vocibus irritassent: non fuisse ab eo desertos; neque ab itineris ducibus, Igne & Nube, destitutos: neque interiore spiritu intelligentia, quâ se suaq; flagitia cognoscerent, defectos.

Manna cælestis, & Aqua fontana, rerumq; necessariarum copiam, iis per annos XL. quibus vasta Arabiæ loca peragrárint, usque suppeditásse. Neque vestimenta eorum situ obsolevisse; neque pedes attritis calceamentis intumuisse.

Regna primum, profanis anteà gentibus; & regibus, SEHONE, HESEBONE, ET OGE, trans Iordanem, infessa, ductis inter se sortibus, partitos esse; ibiq; prolem, immensùm, propagásse.

Deinde Chananæis regibus, & populis, in manus eorum transditis, & pro lubidine vexatis; urbeis munitissimas, & agros uberrimos, & domos omni rerum abundantiâ & commoditate refertas: villas, oleis, vitibus, & fructiferâ arbore consitas; non sine deliciosissimâ saturitate, possessum ivisse.

Nihilo seciùs, quum illi ad ingenium redeuntes, Deum rebellione & legum sacrarum contemtu irritarent: & Vates, qui ad resipiscendum cohortabantur, morti dederent; & detestabili idolorum cultu se pollucrent. atque adeò in potestatem vicinorum hostium subinde traditi, & gravissimè ab iis adflicti, miserabili vicissim clamore pristinam Dei clementiam implorarent, & quiritarent. Ille placatus, Principes & duces submisit, quorum armis & virtute è tantis calamitatibus erepti conquiescerent.

Donec iterùm post aliquantam à malis requietem, ad pristina propudia & Dei offensionem reversi; atque iterum in artiorem adversariorum ditionem redacti; iterum iterumq; & subinde, à Deo, ipsorum vicem & querellas semper-miserante, liberati fuérunt.

Quùm verò Deus, se-ipse, & cælum terramq; contestans, ut ad legis suæ observationem menteis adiungerent, eos exhortaretur; ne tum quidem, præ contumaciâ, paruérunt. & iudicia eius, in quorum studio & cultu vita hominum sita est; induratis & aversis animis, aspernati sunt.

In hâc autem cum obstinata illorum rebellionis; tum divinæ misericordia ac patientiæ longinquitate; quùm neque Spiritus-sancti Numini; neque Vatibus, divinæ voluntatis Interpretibus, concederent; traditi sunt partim in Assyriorum, partim in Chaldæorum manus. à quibus, quò latiùs patenti ditione terris populisq; dominabantur, eò duriùs impotentiùsque haberentur.

Deus tamen, qui potens iuxtà ac misericors est: nec minus pactorum memor & tenax. neque illos in Mediam à Sennacheribo, transductos, penitùs delevit: neque hos à Nabuchodonosore in captivitatem Babylonicam abstractos, planè deseruit.

Illum

Illum itaque Levitæ, cum cæterò populi, deprecabantur, ut oculos paulò placatiores adijceret ad calamitates, in quibus ex eo tempore, quo Assyrius dominatum tenere cœpisset, populus Hebræus, cum Principibus & Sacerdotibus, cæterique, versarentur. Se quidem impiè egisse; & tàm graveis pœnas esse promeritos: Ipsum autem pietate & iustitiâ usque pollentem, hæc omnia fuisse moderatum. Se mandata eius neglexisse: & dum bonis commodisque omnibus, in patriâ regione, longè uberrimâ, quam illo liberè possidendum fruendamque concesserat; circumfluerent: omnium eius beneficiorum immemores, neque à flagitijs destitisse; neque ad tàm benefici Dei cultum venerationemque se convertisse.

Se pro tempore, in eâdem regione, licet reduces, servitutem servire. fruges ex agris suis perceptas, Regibus (quibus illos Deus ob scelera subiecerit; & sub quorum arbitrio, tum corpora eorum, tum iumenta sint posita) cum emolumentis, cedere. Atque ideò in gravissimâ calamitate collocatos, iure conqueri; & ad eius clementiam confugere.

His ita peractis, & universorum animis ad resipiscendum, & in gratiam cum Deo redeundum, conversis; NEHEMIAS, cum principibus, sacerdotibus & Levitis, fidem quam ipsi à Deo depoposcerant; & populus, simul cum illis, palàm & certatim dederat; descriptam, & quasi in Acta relatam, sigillis suis obsignárunt.

Fides autem illa publica, his penè capitibus concludebatur.

„ *Vt deinceps promitterent singuli. Se neque à Lege Dei, quam Moyses tulisset; neque à Iudicijs & cerimonijs, alijsque preceptis umquam recessuros.* „ *Nullam sibi cum profanis gentibus, coniugiorum aut adfinitatum è nuptijs, societatem intercessuram.* „ *Commercia quoque cum illis, in mercium rerumq; venalium commutatione aut emtione, diebus præsertim Sabbatinis & festis, interdicta sibi fore.* „ *Anno quoq; VII. agros incultos & requietos pauperibus relictum iri; ex quibus, sponte suâ nata, sibi colligant: neque nomina ab ijs acerbè exigant.*

Passi sunt quoque hunc legem sibi imponi; „ Vt quot-annis sicli trientem singuli dependant, ad Templi sarta-tecta; ad panes gradiles, sive in Altari proponendos, ad sacrificia & holocausta, quibus divinum numen placetur. aliósve eius generis usus.

Et sortitione cum sacerdotibus & Levitis factâ; de Ligno etiam, quæ in Templum, perpetuo Altaris igni, statis anni temporibus, importarentur; inter se constituérunt.

Primigenia, ex liberis & pecoribus; præmetias frugum & panum, pomorum, vini & olei; Templo eiusque ministerijs, obnoxias. Decimas item suorum, & ex agris & ex operibus, emolumentorum; Levitis, sese persoluturos. ea lege, ut hi Sacerdotibus decumam vicissim ex ijsdem partem dehbent.

NEHEMIAS præterea, ut sanctæ & novæ Civitatis infrequentiæ consuleret; quùm primates quique è populo sedes in eâ sibi statuissent; reliquam multitudinem induxit, uti iactis sortibus, ex Decem, nónus quisque, ad Civitates suas habitatum concederent: unus verò ex ijs Hierosolymis domicilium haberet. Illis verò, qui ultrò, & extrà fortunæ iudicium, ibidem incolendi causâ remansissent; præter civilem benivolentiam, populus benè & ominatò est precatus.

Habitárunt itaque Vrbem, ex Iudæa Tribu, CDLXIX. ex Beniamitis DCCCCXXIX. Ex Sacerdotibus, triplici classe distinctis, M.CIXC I. Levitæ, CCLXXXIV. Ianitores, CLXXII. ijque primariæ ferè dignitatis. Hebræorum cæteri, ex Tribubus Iudæâ & Beniamitide, per Civitates, municipia & vicos, cum Levitis, ritè sunt sub principibus constituti.

Hic Sulpit. ex 2. Esdr. & 7. Nehem. tradit, Non ampliùs quàm ad L. Millia, promiscui sexus atque ordinis; ex censuali commentario, reperta fuisse. Tantum ex immani illo quondam numero, frequentibus bellis absumtum, aut captivitate detentum. quùm olim II. illæ Tribus, quarum hæ reliquiæ fuérunt, CCCXX. Millia (ex lib. reg. CLXXX. Mill.) armárint.

Probabile est tamen, quod ille negat; Ex Decem Tribub. quæ prius abductæ, & per Medos atque Indos, dispersæ fuerant; quam-plurimos ZOROBABELI, ESDRÆ, & NEHEMIÆ comitatos, in solum patrium redijsse; & ad extremum usque Civitatis excidium remansisse.

Commemorantur, cap. 12. Sacerdotes & Levitæ, qui sub IOSVE, Iosedeci Filio; & IOACIMO Nepote; ELIASIBO Pronepote, IOIADA abnep. & IONATHANE atnep. IEDDOA trinepote; summis, suam quisque vicem, Pontificibus; & sub alijs populi ducibus, floruérunt. Sed hi posteriores, quos NEHEMIAS non vidit, ab alio scriptore huc videntur adiecti.

Reliqua de NEHEMIA; ad annum ARTAXERXIS XXXII. quo ad eumdem ille in Persidem redijt.

RES GESTÆ IN GRÆCIA.

Nunc iterum ad res in Græcis gestas, redimus.

Paullo-post-quam Eubœam Athenienses iterum, duce PERICLE, sibi subegissent. quâ de re sup. Lacedæmonij, cum socijs, tractl alijs incommodis, cum illis in annos XXX. pacem, sive (ut alij volunt) fedus pepigerant.

Thucydid. tradit, Nisæam, Achaiam, Pagas & Troezenem, ab Atheniensibus, ex pacto, redditas, quas Peloponnesijs ademerant. Et hanc, inter cæteras, conditionem, federi adiectam;

„ *Siqua Græcarum Civitatum, ex socialibus non sit; licere ei ad Viros-libuerit, accedere.* Quod quidem Corcyræi postmodò sunt pro se interpretati.

Sed tàm longum otium, inimicitiæ & invidia, quòd illi Imperij magnitudine invalescerent; his eadem formidolosa esset; non tulérunt.

MOTVS IN SICILIA.

Sub idem ferè tempus, Sicilia omnis intestino inter se bello conflictabatur, ob Dvcetivm. Qui è duce Siculorum in tyrannum degenerans, & communibus eorumdem viribus victus, inque ordinem redactus, & Corinthum à Syracusanis relegatus; per simulationem coloniæ in Insulam, è Græcis, deducendæ; & Pulcri-Littoris (loci nomen) in ea ædificandi, ruptis exsilij pactis, magnâ cum manu redierat, resque novas moliebatur.

Acragantini itaque Syracusanis, qui impunitum utrorumque hostem dimiserant, bellum indicunt: & Siciliam brevi in diversa factionum studia distrahunt. Donec collatis ad Himeram signis, victi illi, & à Syracusanis pacis conditiones accipere coacti.

Et in Italiâ, in ipsis quasi veteris Sybaris, (quam Crotoniatæ funditùs olim deleverant) vestigijs; à Sybaritis exsulibus; sed Atheniensium, & novæ è Peloponnesijs Coloniæ, auspicijs, Thvria, fonti cognominis, condita est, & legibus à Charonda præscriptis egregiè constituta.

Athenienses eò in cæteris, Lysiam, Cephali, à Syracusis oriundi, Filium, cum fratre Polemarcho, misérũt. Ibidem Herodotvs Halicarn. historiam suam conscripsit.

Eodem pænè tẽpore, Zalevcvs Messenius, Pythagoræ discipulus, Locris Epizephyrijs leges dedit. Et Protagoras Sophista floret.

TRIBVNORVM PLEBEIORVM APVD ROMM. ORIGO.

Romæ verò, quum primum Decem-Viri Legum populo conscribendarum fuissent lecti & designati. (Diod. lxxxiv. Olympiad.) & ob Appii Clavdii, ex illis unius, impotentem lubidinem amoris, quo Virginiam, civis Romani filiam, quam deperibat, & potestate fretus, stupro iam destinârat: neque ullâ tamen arte suæ cupiditati obsequentem facere poterat: Sed priùs calumniosâ actione de statu ingenuitatis deijcere, & in servitutem trahere tentârat. Deinde Patrem Virginis, plebeij quidem generis, sed Patricij spiritus virum, frustrà pro filiæ libertate renitentem, præ dolore iniuriæ, & contumeliæ gravioris metu, ne probro domus sua contaminaretur; ad cædem eiusdem, & manus sanguine suo polluendas, adegerat. Plebes accensa, armis sumtis, ex castris, quæ tum in Algido erant, in montem Vrbis Aventinum secessisset; x. Plebeij Tribuni, cum summâ potestate, ceu publicæ libertatis custodes, ex convento, creati sunt.

Et quùm illa, quam dixi, Legum Iurisque publici descriptio, ob seditionem, perfici nequiisset; Consulib. M. Horatio Barbato, & L. Valerio Potito, eius rei exsequendæ potestas data est.

Et ius universum in xii. Tabulas æreas incisum, & pro Rostris fixum est. Observat hîc Diodor. eâ tempestate, universas propè Europæ gentes, altâ aliquot annorum pace conquievisse. Et istiusmodi pacis securitate, homines passim, cæteris curis solutos, partim ad otium & recreationem; partim ad labores & civilia officia, & honestas ingeniorum artiumque exercitationes, fuisse traductos.

SAMIORVM CVM MILESIIS CONTENTIO.

3520. | VI. autem, ab Induciis illis, quas dixi, tricennalibus, anno qui fuit Artaxerxis, xxx. | 430.

Quùm bellum, Samios inter & Milesios, ob Prienes controversiam, exortum esset. Et Samij, quòd maiore Atheniensium gratiâ parteis Milesiorum sustentari ægrè ferrent; (Tradunt Periclem, ut Aspasiæ Milesiæ, nobili apud Athenienseis scorto, gratificaretur; Milesijs impensiùs, hâc in caussâ, favisse.) Samij, inquam, ab ijs descivissent. (Sic Diod.) sive (ut Thucyd.) Milesij bellò impares, cum aliquot diversæ factionis Samijs, Athenas profecti, & acerbè invecti, Samiorum nomen detulissent. Athenienses quidem, Periclem ducem, quadraginta cum navibus, eò confestim misérunt: Et ille, urbe in potestatem redactâ, res populari statu composuit: & obsidibus c. quos acceperat. (Diod. lxxx. talenta; totidem obsides, Samijs imperârat) apud Lemnum depositis, & præsidio Vrbi imposito; re, ut opinabatur, pacatâ, domum fuerat reversus.

At contrà, nonnulli ex Samijs, quibus præsens, reip. status non adlubéret; inita mox cum potentissimis civibus, qui in continentem, antè cladem, profugerant; & cum Pissvthna, Hystaspis Filio, Sardium Satrapâ, societate; cum dcc. Militum manu, noctu & clàm adversarijs, in Samum transmittentes, & urbe potiti; præsidium Atheniense, eiusque præfectos, Persis tradidérunt.

Et postquam suos obsides è Lemno furtim recipérassent; Samo præsidijs novis communitâ, & viribus undequaque contractis; propalàm se Atheniensium hosteis ostentárunt; &, socijs rebellionis Byzantijs, in Miletum expeditionem adparárunt.

Pericles autem dux iterum, cum lx. Navibus, creatus, ex eâ classe, xvi. partim in Cariam, explorandi: partim in Chium & Lesbum, au-

xiliorum evocandi caussâ, dimissis; cum reliquâ parte, adversùs LXX. Samiorum naveis, milite benè instructas, & à Mileto reverteneis, ad TRAGIAM Insulam, conflixit & vicit. Et acceptis posteà ab Atheniensibus, XL. à Chijs verò & Mitylenæis, XXV. navium supplemento; in terram regressi, & pedestri pugnâ victores; Samum terra marique obsedêrunt.

Verùm paullo post, quùm PERICLES de auxiliaris Phœnicum classis adventu certior factus, LX. naveis ex ijs, quæ in statione erant, sumsisset; & in Caunum Cariamque contenderet; Samij, repentinâ enavigationis impressione, castra immunita invadunt; & naveis præsidiarias, cæterasque in aciem progressas, profligant.

PERICLES verò, accepto stragis suorum nuntio, & ingenti mox undique navium classe contractâ; ex quibus LX. Athenis; XXX. è Chio & Lesbo fuerant submissæ: Samios prœlio navali, intrà portus & mœnia conclusos, iterùm obsedit. Et IX. pòst mense, Vrbe, novo tormentorum (arietum & scorpionum) genere, expugnatâ, ad deditionem compulit. Et muros deijcere, obsides & naveis tradere, pecuniam impensam, ad CC. talenta, luere coêgit.

Byzantij quoque, qui unà rebellârant, ad pristinam obedientiam reducti, imperata fecêrunt.

Intereà Syracusani, DVCETIO, singularis imperij æmulo, iàm mortè sublato; & Trinacijs, quorum in Siculis ingentes tùm erant & opes & spiritus, non iueruento prœlio penitùs profligatis; à triremibus, milite & pecuniâ, abundè instructi, iam spebus & animis totius Siciliæ imperium præcipiebant. Ibi paullo-ante, plærique eorum qui à Gelone aut Hierone in exsilium pulsi fuerant, patriam & bona sua, invasoribus eiectis, postliminij iure recepêrunt.

BELLVM CORINTHIACVM.

3522. | Biennio pòst, belli in Græcia, quod CORINTHIACVM appellatum est, initium factum, | 428.

Ex eo, quòd Epidamnij (quorum olim coloniam Corcyræi, ducè Metropoli, de more, adscito, PHALIO, Eratoclidæ Filio, Corinthio, deduxerant) propterea quòd adversùs vicinos Barbaros, à quibus, & exsulibus simul suis, premebantur; nihil ab illis auxilij impetrare quivissent; in solorum Corinthiorum, qui præsidijs & novis colonis suppetias venerant, fidem tutelamque sese tradidissent.

Quam rei indignitatem, & sociorum licentiam, quùm Corcyræi iniquissimè ferrent: neque classe ad Epidamnum adpulsâ, ut exsules, qui ad se indè perfugerant, restituerentur; neque ut præsidia, cum colonis Corintho submissis, expellerentur; inducere possent. ad urbis obsidionem, & oppugnationem se accingunt.

Et ad bellici apud Corinthios, cum ex suis, tum ex socija, adparatûs rumorem, ultrò cum Lacedæmonijs & Sicyonijs, tamquam sequestris, Corinthum profecti, amicè rem & controversiam, in Peloponneso, ex fœdere, componi postulabant.

Corinthij contrà, viribus iam paratis freti, bellum indicunt: & ad Actium, in faucibus Sinûs Ambracij, pugnâ navâli congressi, à Corcyræis egregiè vincuntur. Et urbe Epidamno, eâdem die, oppugnantibus deditâ, ipsorum ibidem præsidiarij in custodiam traduntur: & maritimi sociorum agri impunè evastantur.

Altero post pugnam anno, quùm Corinthij quidem intereà magnos bello persequendo adparatus fecissent; Corcyræi verò in Atheniensium, qui Corinthios, idem postulanteis, reiecerant, societatem, (quæ salvo cum Peloponnesijs fœdere, subsidiaria tantùm esset) sese insinuâssent. Et illi, CL. navium classe in Corcyram contenderent; hi verò cum suis CXX. & X. Atticis navibus obviàm irent: primùm ancipiti inter eos pugnâ, fortunâ tamen Corinthijs initiò prosperiore, dimicatum est. Deinde ijsdem, improvisò XX. aliarum ex Atticâ navium, inter pugnandum, adventu, deterritis, Corcyræi animis aucti, cum Atheniensibus, hostem pertinaciùs premere cæpêrunt.

Et eductâ postridie utrimque in pugnam acie, Corinthij, quùm ex Atheniensibus cognovissent, liberam, per se, redeundi facultatem fore, nisi hostile quid iterum in Corcyræos ipsi molirentur; Anactorio, quod illis cum Corcyræis erat commune, per fraudem obiter capto, domum, cum captivis revertêrunt. Tropæis tamen apud Sybota ex-adversum erectis, utrique sibi victoriæ decus vindicabant.

Hæc prima Corinthijs belli adversùs Athenienseis caussa.

Illi itaque, ut nuperam è societate iniuriam ulciscerentur; multorum in Athenienseis odia exacuêrunt.

Quorum tunc hostis PERDICCAS, Alexandri F. Macedonum rex, propterea quòd cum ipsius fratre PHILIPPO, & DERDA consanguineo, perduellibus suis, societatem iunxissent; missis Lacedæmona legatis, Peloponnesios ad bellum ijs faciendum concitavit.

Et ijsdem Corinthijs, ut Potidæatium, coloporum suorum, quos Athenienses, uti socios vectigaleis, duro tùc imperio habebant, patrocinium tuerentur; persuasit.

Chalcidensibus quoque Thraciæ, & Bottyæis, ad rebellandum; & sedes Olynthi, potenti & opportunâ urbe, ponendas, impulsit.

Transmiserant namque Athenienses in Macedoniam XXX. naveis, Mille peditibus armatas, quibus urbium defectionem ante-verterent.

Et quùm à Corinthijs, Potidææ, quæ defecerat, tuendæ, bina armatorum Millia, præter Volones, submissa cognovissent; ipsi alteros bis mille, ex suis, itidem, cum XL. navibus e-vestigio misêrunt.

Qui prioribus copijs, quæ iam THERMA potitæ, PYDNAM oppugnabant, coniunctis; & cum PERDICCA, ex necessitate, pacificati, è Macedonia solvêrunt. Et frustrà ex itinere tentatâ Berrhoeâ, Potidæam, terrestri cum exercitu, dum naves terram legunt, perrexêrunt.

Corinthij verò, cum socijs (quibus indignum videretur, Potidæatas Dores, ab Ionibus obsideri) castris, Olynthum versùs, in Isthmo, positis, hostem opperiebantur.

Confertâ itaque, haud procul Pallenijs, pugnâ, in qua Corinthij uno cornu; Athenienses altero, victores fuêre, & illis tandem intrà Potidæam è fuga conclusis, hi tropæum statuêrunt: & novis aucti copijs, Potidæates, strenuè se tutanteis, terrâ marique infestârunt.

Hoc cardine res Græcorum versabatur, antè bellum Peloponnesiacum, quod Corinthiorum, qui de Potidæa & suis solicíti essent; & sociorum Æginetarum, & Megatensium, adversùs Atheniensium iniurias, querellæ, Lacedæmonem delatæ; paullatim conflârûnt.

Athenienses Amphipolim condunt in Thraciâ, inter Toronaicû & Singiticum, Sinus, duce AGNONE, Niciæ F. Et Isocrates urator nalcitur 22. ann. post Lysiam. 7. ann. antè Platonem. 5. ann. antè bellum Peloponn. Pindarus anno pòst mortuus.

Diodor. putat ann. V. Cond. CCCXX. Romæ creatos Tribb. Militareis consulari potestate. Sed ipsis magistratu se abdicantibus, quadrimestri pòst iterùm electos Coss.

METON ASTROLOGVS.

Sub idem tempus, exitû scilicet anni IV, Olympiadis LXXXVI. cum initio fere belli Peloponnes. Athenis, METON, Pausaniæ F. vir singulari Astrologiæ, ut rum Græcorum captus, eruditione, ἐννεαδεκαετηρίδα, sive Tabulam Cycli Decemnovennalis, condidit. Quam quia Romani poste à suo Calendario Aureis litteris, ad Novilunia investiganda, inseruêrunt; ei Aurei Numeri nomen remansit.

Eius Periodi initium putatur à Solstitio Cancri; sive (ut Diodor. à XIII. die mensis Scirrophorionis, qui postremus est ex Vernis.

In eo autem annorum numero, Astra in eumdem statum reverti, & quasi Magni Anni Orbem confici, putavêrunt veteres.

Fit autem (Scalig.) ἀνακατάστασις, ut censebant, sive Conversio cœli universa; quando Neomenia redit in eumdem diem & horam, in quâ anteà fuit. Dies autem sunt eo anno, 6440.

Hæc Metonis ἐννεαδεκαετηρίς, cum Cyclo Paschali, & vulgari Aureo numero tantum VII. Embolismos, & XIX. annos communeis habet; in multis discrepat. Quæ vid. apud Scalig. lib. 2. Emp. Temp.

3523. | Anno ARTAXERXIS XXXII. Nehemias, qui post XII. ab adventu in patriam annos, perfectis iam Hierosolymorum muris, ad Longimanum, uti facturum fidem dederat, fuerat in Persidem reversus; octennio pòst iterum à rege dimissus ad suos rediit, Nehem. 5. 6. 12. 13. | 427.

BELLVM PELOPONNESIACVM.

3535. | Anno vertente, qui VII. ante ARTAXERXIS mortem, seu XXXIII. regni eiusdem. | 415.

Erupit, hulceris diu dissimulati in morem, BELLVM PELOPONNESIACVM. Quod tum sui longinquitate, (annor. XXIIX.) terump. excidijs; urbium vastitate, hominum exsilijs & mortibus; tum cœli aërisque prodigijs & calamitatibus, fame & pestilentiâ; longè omnium, quæ umquàm memoriæ prodita sint, toti Græciæ, & vicinitati fuit funestissimum.

Federatæ namque Peloponnesiæ factionis civitates, cum quibusdam alijs, conventu Spartæ iterùm habito, ubi & Athenienses auditi; bellum adversùs eosdem, uti federum violatores & iniustos, suscipiendum plebiscito decrevêrunt, ann. XIV. (Iustin. XV.) post fedus in annos XXX. utrimque anteà percussum. & à discessu XERXIS, ferme L.

Tantum spatium Atheniensibus propagandæ potentiæ, & imperio stabiliendo, datum erat.

Intereà dum rerum bello gerendo necessariarum adparatus à federatis instituerctur: & per speciem pacis tentandæ, missis inter se legatis, Lacedæmonij cum Atheniensibus, de piaculis quibusdâ, ob CYLONEM & PAVSANIAM in Templis, hic, ibi, interfectos, procurandis, rixati essent potiùs, quàm seriò contendissent; Illi iterùm à Potidæâ eos abstinere & discedere; & Æginam suis permittere legibus, iubent. Et antè omnia, belli caussam fore negant; si Decretum, quo Megarensibus, portubus & foro Attico, erat interdictum, rescindatur.

Quæ quùm Athenienses præfractè recusarent; tum Megarensibus crimini, inter cætera, verterent; sacri Agri, & limitibus non circumscripti, culturam; & fugitivi servitij receptaculum.

Atque ad extremum Lacedæmonij summatim significâssent; *Se pacem quidem velle: eámque stabilem*

stabilem fore, si modò Græci liberi esse, & suis vivere legibus, sinantur. Alij, quibus non satis certum esset, quid de re tantâ, in præsens, statueretur. & uni civitati, adeò imperiosæ, obtemperare incommodum videbatur, iuxtà, atque ignominiosum: Repudiatis verò conditionibus; bellum suscipere, laboris & difficultatis plenum, rem ad concionem detulérunt. Vbi quùm variæ, & discrepantes inter se dictæ essent sententiæ; PERICLES, civitatis eà tempestate facilè Princeps, & dicendi agendique facultate præstantissimus, gravi & copiosâ oratione, belli sustinendi potius, quàm tàm iniquæ conditionis subeundæ, auctorem se præbuit.

Illius autem Viri, qui generis vetustate ac potentiâ, & in rebus agendis dexteritate, atque ingenij acumine cæteris antecellebat; fidei & custodiæ, Athenienses pecuniam, à Communi Græciæ pridem in Delo depositam, & Athenas, sedere in bellum inclinante, asportatam, committere non dubitárant.

Cuius quidem quùm magnam ipse partem privatâ auctoritate expendisset; & expensi rationem die dictâ à populo exigeretur: ALCIBIADIS, ferè pueri, qui & privignus (f. pupillus) & sororis filius esset; suasione, Iudicium elusit. Et summâ ope eniti cœpit, quo pacto populum Atheniensem aliquâ gravis expeditionis aut belli necessitate implicaret: & ab institutâ in se nummariæ rei caussæque persecutione, averteret.

Hinc illud adversùs Megarenseis Decretum. hinc, Lacedæmonijs, pro ijs, intercedentibus; &, si negaretur, bellum denuntiantibus; accensi, ad sui iuris & pristinæ maiestatis defensionem, Atheniensium animi.

Apud quos ille, & ærarij publici opulentiam, & militum virumque auxiliarium, ac triremium multitudinem: Contrà apud hosteis, earum rerum inopiam, exaggerárat. Hinc bello, ex communi omnium pæne Peloponnesiorum consensione, & per secialeis, indicto; abrupta commercia; & Græcia in duas factiones divisa.

FACTIONES GRÆCORVM.

A Lacedæmonijs stabant, Peloponnesij, præter Argivos & Achæos, omnes. Et extrà Peloponnesum; Megarenses, Ambraciotæ, Leucadij, Phocenses, Bœoti, Locri, & Eubœensium plerique.

Ex quibus, Corinthij, Megarenses, Sicyonij, Pellenenses, Elei, Ambraciotę, Leucadij, classem: Bœoti, Phocenses, Locri, equitatum; cæteri, peditatum præbuére.

Atheniensium autem parteis sequebantur, maritimæ Asiæ accolæ; Cares, Dores, Iones, Hellespontij, Insulanique omnes, (præter Melios & Theræos:) Thraces, (præter Potidæatas & Chalcidenseis.) Messenij, qui Naupactum tenebant; & Corcyræi.

Vtrique prætereà, missis ad ARTAXERXEM, Persarum regem, legatis, societatem & auxilia exambibant.

Hi Corcyræos, Cephallenios, Acarnanas, & Zacynthios, qui Peloponnesum cingunt, sollicitabant.

Illi Italis, Siculisque socijs, triremeis pecuniamque imperabant. & priores, bellum, hoc initio, inferebant.

Platæas, urbem Atheniensium sociam, sibique infestam, CCC. Thebani, proditorum quorumdam ope, occupárant. Quibus vel mòx eiectis, vel intùs captis & interfectis; & à cætero Thebanorum exercitu, agris vicissim Platæensium circum-vastari cœptis; res utcumque ex mutuo interdum pacto erat composita; nisi Athenienses, qui auxilio socijs adcurrerant, inutili incolarum turbâ aliò traductâ, Vrbem ampliore præsidio & commeatu confirmássent.

Hinc omnia belli ardore perfundi. Oraculis, vaticinijs, & prodigijs, ad res gerendas, utrimque excitari. Maiore tamen hominum & animorum, ob duriora Atheniensium imperia, in Lacedæmonios, publicæ libertatis cupidiores, & moderatiores, inclinatione, ac benevolentiâ.

Iam procinctus ad iter, magno cum suorum, tum sociorum, exercitu, ARCHIDAMVS, Lacedæmoniorum rex, cui belli imperium erat attributum; antè quàm ex Isthmo in Atticam violentus irrumperet; MELESIPPO, ex suis, Athenas amandato, tentandum sibi duxit; *An terrore impendentis sibi belli, Athenienses à pertinaciâ desisterent.*

Quùm autem ille indignè habitus, neque auditus, & finibus e-vestigio excedere iussus, hoc tantùm, additis sibi exploratoribus, edixisset; *Diem illum Græcis ingentium, malorum fore initium.*

Et imperatori, hostium obstinationem renuntiásset; Ipse, LXXX. post die, à tentatis per Thebanos Platæis; promotis tunc demùm castris, in interiora Atticæ progressus est. Bœotis, cum reliquâ copiarum parte, in Platæensium agrum incursantibus.

PERICLES intereà, in confirmandis civium suorum, & eorum, quos gravatè ex agris intrà mœnia contraxerat, animis, deditus. & Vrbem, quæ XIII. armatorum Millib. & importato frumento, munita esset; tueri tantùm; neque acie decernere: sed rem nauticam, pro tempore, industriè curare iubet. Et agros sibi privatos, ac villas, quibus ARCHIDAMVS, veteris hospitij iure, aut memoriâ, in cæterorum populatione, parciturus, aut intactos relicturus, crederetur; (ne invidiæ sibi, aut suspicioni essent) reip. condonat. Et id illi, undè periculum quærebatur, pòst in maximam gloriam vertit.

Athenienses nihilò seciùs, dum è propinquo agros & villas suas ferri rapique prospicerent, & dolerent; & vix ab eruptione coërceri possent. & ARCHIDAMVS contrà, ex Acharnis ulteriùs provectus, vastitate & incendijs impunè pergrassaretur; C. naveis, M. & CO. Militibus completas, in adversam Peloponnesi oram, emiserunt.

Et adscitis L. Corcyræorum navibus, Peloponnesios, ad sua tutanda, ex Attica redire coëgérunt. Et præter alias clades, Methonen in Laconicâ, adorti sunt, BRASIDÆ, Spartani ducis, virtute egregiè defensam. Déinde Phiâ, Elidis urbe, potiti, magnâ insolentiâ passim perbacchati sunt, varijs pugnis victores.

Æginetis, quos illi, colonia suorum eódem submissâ, ceu belli incentores, cum liberis & uxoribus, è sedibus suis eiecerant; Lacedæmonij Thyræam, cum agro, possidendam dedére.

Illi præterea, Solio Corinthiorum, & Astaco, & Cephalleniâ, subactis, cum classe Athenas revertentes, copijs universis, quæ tum forté in agrum Megaricum irruptionem fecerant; sese adiunxére.

Corinthij EVARCHVM Acarnanem, quem Athenienses ex Astaco eiecerant, reduxére quidem; sed in cæteris Acarnaniæ & Cephalleniæ locis, frustrà fuére.

Athenienses autem, ex vetere patriæ instituto, ijs, qui primi hoc bello mortem oppetíssent; funera & busta publicè, in sub-urbijs, non sine funebri cuiusque laude, & PERICLE quidem tum orante, fecérunt, primo belli anno commodùm exeunte.

GRAVIS PESTILENTIA.

3525. | Æstate ineunte (XXXIV. ARTAXERXIS anno.) | 425.

Dum ARCHIDAMVS iterùm cum copijs in Atticam ingressus, regionem latè populatur; morbus pestilens apud Athenienses grassari cæpit, non sine diuturnâ Atticæ & incolarum pernicie.

Qui principium, ex Æthiopiâ, quæ suprà Ægyptum est, duxisse traditur. Deinde in Ægyptum Libyamque proserpsisse; & in maiorem Asiæ; & regionum, regi Persæ parentium, partem. Atque hinc confestim Athenas invasisse. Vt vulgari apud Pyræum fama iactaretur, à Lacedæmonijs puteos veneno vitiatos fuisse.

HIPPOCRATES Cous, paterno genere ab Æsculapio, materno, ab Hercule oriundus; pestis in Atticam invalituræ ex coniecturâ præsagus, eò se contulisse & remedia adhibuisse proditur.

Lacedæmonij intereà, campestribus in Atticâ locis direptis, ad maritima conversi sunt.

Et Athenienses, licet morbo domi forisque vexarentur; cum C. navibus & hippagonibus, quæ IV. Millia armatorum civium, cum CCC. equitibus vehebant; unà cum Chijs, & Lesbijs navibus, L. duce eodem PERICLE, solventes, & in Peloponnesum adpulsi; Epidauro tentatâ, Troezenide, & Haliade, & Hermionide orâ pervastatâ, & Prasijs direptis; ARCHIDAMVM ab Atticæ depopulatione desistere, & domum redire compulérunt. Quámlibet hi metu morbi potiùs illinc recessisse existimarentur.

Illi verò iam reduces, atque adversus Chalcidenseis Thraciæ; & Potidæam, quæ adhuc obsidebatur, classe eâdem profecti; ob morbum in castris invalescentem, re infectâ, in patriam itidem renavigare sunt coacti.

Et in PERICLEM, ceu belli externi, & intestinæ calamitatis auctorem, publicis convitijs invecti; vix eiusdem oratione ita sunt animati, ut neque legatos pacificatorios Spartam mitterent; & in bellum impensiùs incumberent.

Et obortâ rursum plebeiorum, & opulentiorum, ex privatis fortunarum incommodis, indignatione; priùs pecuniâ & magistratûs abrogatione mulctatum; mox eumdem, uti prudentissimum, & reip. utilissimum civem, quùm frustrà Spartanos legatione prensássent; ducem delegérunt. Qui paullo-post exstinctus, grave sui desiderium toti civitati reliquit.

Lacedæmonij classe frustrà Zacynthum, Atheniensibus federatam, Nauarcho CNEMO, tentárunt. Et simul suos, unà cum Aristæo Corinthio, & Polide Argivo, legatos ad regem ARTAXERXEM, in Asiam, societatis secum ineundæ, transmisérunt. Qui tamen itinere, per SITALCÆ Thracis regnum, instituto, antè quàm Hellespontum transiissent, à SADOCO, Sitalcæ Filio, intercepti, & Atheniensibus traditi, & ibi in fossas (lautumias) deiecti sunt. Quali supplicio Lacedæmonij in negotiatores ipsorum, & socios, circà Peloponnesum, captivos, anteà sævierant.

PHORMIO dux, PERICLI forté suffectus, cum XXX. navibus, Athenis auxilio submissus; Ambraciotis, ex Argo Amphilochico, eiectis; Vrbem veteribus incolis, Argivis & Acarnanibus, restituit; & societatem cum ijs coniunxit.

Alterâ ex parte, Potidæatæ, fame expugnati, Atheniensibus, longæ etiam obsidionis & morbi molestiâ attenuatis, se dedunt. Et illis in Chalcidem Thraciæ commigrantibus, Vrbs vacua coloniæ Atheniensi cessit.

3526. | Anno ARTAXERXIS XXXV. & belli III. | 424.

ARCHIDAMVS Platæenseis, qui ab Atheniensium societate desciscere obstinatè nollent, artè obsedit, & oppugnavit.

Athenienses vicissim, ducibus XENOPHONTE & PHANOMACHO, bis mille è suis armatos, cum CC. equitibus, in Chalcidenseis, & Bottyæos Thraciæ, immisérunt. Qui pugnâ priore victores; déinde, conversâ belli aleâ, & auxilij ex

Olyntho superventu, non sine militum strage & ducum morte, profligati sunt. Et Potidæam fugâ perlati, Athenas indè, cum reliquijs exercitus, inglorij reverterunt.

Lacedæmonij præterea; ab Ambraciotis & Chaonibus, Acarnanum & Atheniensium hostibus, persuasi; quùm CNEMVM adhuc Nauarchum, & naveis à milite instructas, in Leucada (ubi Ambraciotarum classis, Corinthiorum & Sicyoniorum auxilia præstolabatur) rectà ire jussissent. Et ille, freto traiecto, in terrâ, suas & sociorum, barbarorumque auxiliariorum, copias in aciem eduxisset: Atque ad Stratum, primariam Acarnaniæ Vrbem, iter contenderet; cæsâ Chaonum, qui temerè præcurrerant, à Stratijs erumpentibus, manu; irrita, & ignominiæ adfinis, fugientibus fuit expeditio.

Et ijsdem pænè diebus, classis XLVII. navium, quam è Corintho, & alijs in Crisæo Sinu socijs, CNEMO maturiùs adesse oportuerat: cum PHORMIONE Atheniense, qui navibus XX. ad tutelam Naupacti præerat; pugnâ contendere coacta est.

Ipse namque illos ex-adversum prætervehi; & è Patris, Achaiæ opido, in oppositam Acarnaniæ continentem transmittere conspicatus; suos à Chalcide, & Eueno fluv. infestis proris in hostem educit. Et signo, ad consueti, sub auroram, venti flatum, dato, naveis Corinthiorum, inter se vento & fluctibus collisas, in fugam vertit, deprimit; & Patras usque, & Dymen persecutus, XII. capit, & Naupactum abducit.

Corinthijs verò, qui ad Cyllenen, Eleorum navale, è fugâ se receperant, CNEMVS è Leucade cum navibus, à prælio Stratensi, se coniunxit. Cui quùm submissi Lacedæmone Collegæ essent; & novi prœlij fortunam, imperatis & instauratis navibus, tentare juberetur: & PHORMIO vicissim; qui XX. alteras naveis ab Atheniensibus exspectabat; (sed quæ in Cretam delatæ, obiter Cydonios vexabant) in Rhium Molycricum profectus esset. ad easdem rursus Crissæi Sinûs angustias, impari licet navium numero, sed peditatu utrimque ad littora prospectante; inter se sunt congressi. Et victoria priùs ad Lacedæmonios; deinde ad Athenienseis inclinavit.

Atque illi novarum è Creta navium ad Phormionem accessione deterriti, & Corinthum revecti; deinceps à fortunæ navalis periclitatione, sibi supersedendum censuérunt.

Neque meliore fortunâ, sed audaciâ spectatiores, ijdem à Megarensibus, ut PIRÆVM, Atheniensium portum, à custodiâ claustrisque tunc vacuum, tentarent, invitati: atque à Corintho pedibus iter, ad Mare Atticum, permensi; Megaram quidem pervenére; & XL. naveis, è Nisæâ, Megarensium navali; & turremeis III. è castello Budoro, deduxére; ijsque conscensis, Salaminem cæteram adorti diripuérunt. Sed Atheniensibus, summâ cum celeritate, ex Piræo, ad hostem pellendum, succurrentibus; eò, undè venerant, redire sunt coacti.

SITALCÆ THRACIS EXPEDITIO IN MACEDON.

(Hoc ferè tempore, Plato natus esse putatur: V. circiter mensibus antè Periclis obitum.)

SITALCES verò Odryses, Teris (al. Terei) F. Thracum rex potentissimus: Cuius regnum, hinc ab Abderis, maritimâ urbe, ad Hellespontum: Indè ab Istro fluvio; ad Pontum Euxinum extendebatur. adversùs PERDICCAM, Alexandri F. Macedoniæ regem; & Chalcidenseis, Thraciæ attributos, expeditionem suscepit. Quòd ex duobus promissis, unum à rege, quem dixi, reposceret; alterum Atheniensibus socijs vellet persolvere.

Ille namque SITALCI, rebus initio belli fraterni adflictis, si ipsum eum Atheniensibus in gratiam reduceret; & à PHILIPPO fratre in regnum restituendo abstineret; promissa facta, non exsolverat.

His verò idem Thrax, ubi societatem cum PERDICCA inijsset, receperat se Chalcidicum in Thraciâ bellum esse compositurum. Et ipse hâc fini AMYNTAM, Philippi F. in regni spem, cum legatis, & duce Atheniensium AGNONE, secum adducebat. Et Athenienses cum classe, & magno peditatu, adversus Chalcidenseis, præstò esse oportebat.

Conflato itaque ex suis, & vicinis gentibus, ingenti exercitu, ad CL. hominum millia; cuius tertia pars equites essent, ex Odrysis & Getis; in Macedoniam trajecit.

Et quùm Macedones, hosti impares, se suaque munitis castellis includerent; & ancipiti per equites Marte, antè, haud satis prosperè prœliati, à dimicatione sibi omninò abstinendum ducerent; Thrax, opida quædam vi, quædam deditione cepit. Et copijs partim in interiora Macedoniæ; partim in Chalcidenseis & Bottyæos; Atheniensium hosteis, immissis; incredibilem agris circum-quaque vastitatem invexit.

Dum autem intereà Thessali, Magnetes; & alij, Macedoniæ Thermopylisque interjecti, Græci; metu vicini periculi, exercitum compararent: & è Thracibus, ij, qui ad Aquilonem vergunt, in pari trepidatione versarentur. & ipse SITALCES rei frumentariæ inopiâ, hiemisque asperitate adflictari exercitum suum sentiret: à SEVTHE, Sparadoci (fortè, Sadoci) Fratre Patruele, & Principe à se secundo, (quem PERDICCAS rex sororij matrimonij, & pecuniarum promissis impulerat) persuasus; post obductas in expeditione Macedonicâ sex, aut eò amplius, dierum hebdomades, copias in Thraciam reduxit.

Athenienses verò, quos duce Phormione apud Naupactum agere diximus, unà cum Messenijs in Mediterranea Acarnaniæ progressi; è Strato, Corontis, alijsque opidis, incolas sibi infidos ejecêrunt; & Athenas cum captivis eorum liberis, navibusque, renavigârunt.

PESTIS CAVSSÆ.

3527. | Pestilentiæ illius, dequa supr quæ etiam-dum hoc anno recrudescebat: & suâ sævitie ad XV. Mil. Militum, CD. equites: & è ceterâ multitudine, liberorum capitum, ac servorum, decies Mill. & ampliùs, abstulerat; caussas Diodor. lib. 12. hasce in primis explicat. | 423.

Quùm hieme antegressâ ingens vis imbrium defluxisset, & omne terræ solum perfudisset; eaque diutiùs perstitisset. factum esse, ait, ut humefacta cuncta ac diluta, in limum cœnosum colliquarentur: & pleræque etiam locorum cavernæ aquarum colluvie complerentur.

Et stagnantibus ibidem Paludibus, ijsque æstivo pòst Sole effervescentibus; è contaminato, per æstum & desidiam longinquiorem, liquore, auræ indè crassiores, tetro cùm odore, exhalarent. Quibus ex imo exsurgentibus, & vento diffusis; (quod in pestiferâ intemperie fieri amat) aër circumquaque proximus tabifico & penetrabili spiritu inquinaretur. & ob inevitabilem promiscui, in Vrbe, Athenis, vulgi inter se consuetudinem, an contagem! vis veneni immanè augeretur.

Huc accessit pabuli passim infecti virus. quòd hornæ fruges humectæ, & crudo succo insalubres, vescentium corpora corrumperent.

Postremò, Venti Etesiæ, quorum recenti flatu, magna pars æstivi fervoris remitti; & maligni aëris intemperies dissipari solebat; eo anno, quâ soliti erant, tempestate, minimè adspirârunt.

BELLVM LESBIVM.

Quo autem tempore Archidamus iterum in Atticam, irrito licet conatu, incursavit; Lesbij pænè omnes, quamvis rejectâ à Lacedæmonijs eorum societate, & rebus ad bellum imparatis, ab Atheniensibus defecêrunt. De quorum defectione: & clàm tentatâ Lacedæmoniorum, Bœotorumque societate, Athenienses, à Tenedijs, Methymnæis, & quibusdam è Mitylene hospitibus, facti certiores: quantumvis morbo belloque nupero vexarentur: CLEIPPIDEN, Diniæ F. XL. cum navibus, ab expeditione Peloponnesiâ revocatum, eò transmittunt.

Ibi post varias dubiæ reconciliationis, & dimicationis vicissitudines; & solicitatas à Lesbijs, totius, ad Olympiam confluentis, Peloponnesi, ex iure novæ societatis, suppetias; ad conditiones, ab obsessis aliquamdiu Mitylenæis, accipiendas, deventum erat; & inducias, dum publicè Athenis super re totâ deliberaretur, paciscendas.

Verùm Athenienses, ostentatâ classis suæ multitudine, ac potentiâ (quartùm CCL. navium erat) Lacedæmonios ab ope ferendâ deterruêrunt.

Et quantumvis Mitylenæi, vicinis sibi opidis, Antissâ, Pyrrâ, Eresso, subiugatis; terra totius potirentur; PACHETEM ducem, cum mille, è suis, milites misêrunt; & Mitylenen terrâ marique concludere iusserunt.

PLATÆENSIVM VIRTVS, ET DEDITIO.

Intereà Platæenses, quos à Peloponnesijs & Bœotis obsessos diximus; ad extremam rei frumentariæ penuriam redacti; & omni auxilio, ab Atheniensibus, spe destituti: partim audaci ex Vrbe exitu; & muris hostilium vallorum superatis, incolumes (ad, CCXII.) Athenas perfugêrunt. Partim anno consecuto, post urbem deditam, instigantibus maximè Thebanis; totidem numero interemti: & urbe paullo-post funditùs eversâ; agri sub hastâ venumdati. (Id factum tradunt, anno XCIII. pòst initam cum Atheniensibus societatem.)

3529. | Anno ARTAXERXIS XXXIIX. sive Belli V. | 421.

(Quo tempore, Mitylenæi, adventu & promissis Salæthi Spartani, fidentiores, ab Atheniensibus planè averti sunt.) Lacedæmonij, quùm ALCIDAM Nauarchum, XL. cum navibus, Lesbum misissent; & infestâ simul in Atticam incursatione CLEOMENES, Regis Pausaniæ patruus, irrumperet: irrito utrimque conatu, frustrà fuêre.

Mitylenæi itaq; inter se discordes, & proditione victi, cum Pachete pacti sunt. ,, *Vt missâ pro se Athenas legatione, certas ab Atheniensibus deditionis, & multa pecuniaria conditiones, acciperent.*

Re Athenis in consilium propositâ, quum prius acerbissimè in omneis universè Mitylenæos consulendum esse, missâ triremi, constituissent: Deinde, tàm vehementis decreti pœnitudine ducti, re iterùm ad consilium delatâ; & hinc CLEONIS, civis violentissimi; indè DIODOTI, in mitiorem sententiam inclinantis, orationibus, utramque in partem agitatâ: Sic decrevêrunt. ,, *Vt eos, quos Paches, ceu præcipuos defectionis auctores cum Salætho, præmiserat, morte afficerent: ceteris porrò parceretur,*

Et Vrbis

Et, Vrbs muris detectis, municipijs navibusq́, traditis, agri Lesbiorum in posterum vectigales essent.

EXPEDITIO LACEDÆMONIOR. in Corcyram.

Lacedæmonij Lesbo iam exclusi, Corcyram, intestinis dissidijs, & factiosis inter se cædibus, laborantem: quamque ex plebiscito nuper placuerat, & Atheniensibus sociam, & Peloponnesijs amicam manere; adoriri constituunt.

Et quantumvis NICOSTRATVS, Atheniensium dux, qui è Naupacto cum navibus XII. & D. Messenijs, ad opem ferendam venerat; & ad pristinum cum suâ rep. fedus, discordem populum adegerat; rem non infeliciter composuisse videretur. Nova nihilo-minus, inter primores & plebeios, dissensione exortâ; ALCIDAS, cum BRASIDA collegâ, & LIII. navibus, è Cyllene, ubi, post reditum ex Ioniâ, stativa habuerant; in Corcyram tendit; & Vrbem nova trepidatione complevit.

Pugnaque navali tumultuariè commissa; ne qnid gravius, Corcyræi, in-composito agmine pugnantes; aliquot navibus amissis, paterentur; Atheniensium disciplinâ atque industriâ procuratum est.

Victori agros vastare satis fuit. Et is adventante, è Leucade, nova LX. navium classe, quam Athenienses, duce EVRYMEDONTE, submiserant; domum, oram legendo, repedavit.

Corcyræi, admissis tum intrà mœnia Messenijs, suos ex adversâ factione Civcis, quos, per speciem hostis persequendi, ad naveis conscendendas induxerant; excluserunt. Et cæterorum, qui ad Deorum templa & aras confugerant; partim morte damnârunt; partim ad vim sibi ultrò consciscendam, adegérunt: Et nihil-non diritatis in adversarios designârunt.

Cuiusmodi seditionis domesticæ, & sævitiæ ex eâ consecutæ, malum, & exemplum, in Græciam cæteram mòx proserpsit.

Quòd nimirum primores populi, Atheniensium; Optimates, Lacedæmoniorum, opem undique quiritarent. Et hinc anquisito partium & inimicitiarum colore, crudeliter, & plus-quam civilibus odijs, inter se conflictarentur.

BELLVM INTER SICVLOS.

Sub idem tempus, Leontini in Siciliâ, bellum cum Syracusanis gerebant: quòd ab ijs terræ marisque usu prohiberentur.

Dum itaque sub belli Peloponnesiaci exordium, cæteræ, præter Camarinam, Doricæ Civitates, Lacedæmonijs quidem sociæ, non autem auxiliares, à Syracusanis starent; à Leontinis verò, Chalcidicæ Vrbes, & Camarina: Et ex Italia, illis Locri; his Rhegini, studerent. Leontinorum socij, pro vetusto cognationis, Ionum; & societatis iure, Athenis navale auxilium, per legatos, (quorum tum Princeps, GORGIAS Leontinus, rhetor suæ ætatis præstantissimus) implorárunt.

Et illi, non tàm frumenti in Peloponnesum indè exportádi opportunitatem prohibituri: quam Siciliæ totius sibi quandoque subijciendæ cupidi; bellum pro socijs amplexi sunt. Et præcipitante huius anni æstate, XX. naveis, ducibus LACHETE & CHAROEADA, in Siciliam dimisérunt. Licet domi & morbo pestifero, & terræ-motu crebriore, præter belli incommoda, adfligerentur.

Rhegium itaque adpulsi; & unà cum socijs Æolias insulas (quas Liparæi, Cnidiorum coloni, possidebant) hyeme adorti; quum deditionem ab urbibus non extorquerent, agros pervastárunt.

Peloponnesij verò, appetente æstate, ad Isthmum usque, duce AGIDE, Arcbidami regis Filio, progressi; ab Atticâ invadendâ, terræ, & in Atticâ, & in Eubœâ, & alibi, moventis, prodigio, sunt absterriti.

LACHES verò, inter alia, Messanios, in Sicilia, & ad deditionem, & ad obsides dandos, adegit.

Et NICIAS, alterius LX. navium classis ductor, Melios, in Thessaliâ, frustrà ad pactionês mutuas solicitat. Atque adeò ex ijs Trachinij, ab Oetéis finitimis bello vexati, Lacedæmoniorum fidei se crediderunt. Et hi, missis confestim colonis, urbem ex-integro muris cinctam, Heracléam nominarunt.

Sed & ipsi à Thessalis, in quorum solo urbs ea condita erat, assiduè infestati; & à Laconibus præfectis duriùs habiti, adque infrequentiam redacti; Atheniensibus haud ità multùm, in posterum, incommodárunt.

DEMOSTHENIS, ATHENIENS. ducis, expeditiones.

Quo tempore NICIAS apud Melum distinebatur; DEMOSTHENES, Alcisthenis F. unà cum Procle, & alteris XXX. Atheniensium navibus, Peloponnesum circumire iussus: Et cum Acarnanibus, Zacynthijs, alijsque socijs in Leucadem ingressus: quùm ijsdem Acarnanibus, qui urbem eam sibi semper infestam facilè capi posse confirmabant, nô auscultaret: & Messeniorum, sibi gratiosiorû, consilium & vota secutus, Ætolis, qui Naupacto imminerent; & quibus debellatis, cætera Epirus patere conseretur; arma intulit. Spe prætereà & animo præsumens, terrestre ad Bœotos usque iter, per Locros Ozolas, ad Cytinium Doricum; donec ad Phocenseis, Atheniensium amicos, Bœotisque conterminos, descenderet.

Et primo quidem impetu aliquot Ætolorum oppida vi expugnant: sed ab hostibus, quiiàm vireis totius gentis ad Ægitium contraxerant, in fugam versi, & miserandâ cæde profligati sunt.

Atque ita victores vicissim, missis Corinthum ac Lacedæmonem legatis, eos in bellum, adversus Athenienseis, & Naupactios, facilè concitárunt.

Qui.

Qui coacto apud Delphos exercitu: & misso ad Locros Ozolas, quâ in Naupactum iter erat solicitationis ergô, caduceatore, postquam, duce EVRYLOCHO, multas civitates in Locride, & viciniâ, terrore armorum in deditionem accepissent; & in agrum Naupactium, ubi Ætolorum auxilia ipsis accessére, penetrâssent. Cognito, Vrbem M. armatis, quos DEMOSTHENES, ab Ætolicâ clade incolumis, ex Acarnanum Iuventute lectos, navibus submiserat, satis munitam esse; in propinquarum urbium hiberna, ex Ambraciorum suasione, se recepérunt; & ad Amphilochos, atque Acarnanas è propinquo tutandos, comparárunt.

Athenienses, qui cum socijs Nessam, in Siciliâ, frustrà oppugnárant; à Syracusanis, qui eius opidi arcem tenebant, fugati & cæsi sunt: Et in Italiâ, à Locris, qui vim LACHETIS & naviculariorum à se summâ ope arcebant, armis exuti.

DELVS EXPIATA.

DELVM autem Insulam, oraculo quodam moniti, Athenienses sic expiavérunt: Vt universa mortuorum monimenta sustulerint; & edicto caverint; *Ne quis in posterum in Insulâ aut moreretur, aut partu ederetur: sed in propinquam Rheniam mortui, puerperæque transportarentur.* Et tunc primùm ab eâ Lustratione, Penteterida, hoc est, Lustrum, sive Quinquennales ferias, DELIA, instituérunt, & concelebrârunt. Nam prisca Iadorum celebritas, ab Iönibus ibidem olim frequentata, cuius Homer. meminit, adversis, ut pleraque, casibus exoleverat.

BELLVM IN AMBRACIA, ET ACARNANIA.

Ambraciotæ, uti facturos receperant, cum III. CIↃ. armatis, in Argivum agrum profecti, Olpas cepérunt: castellum mari imminens, quo Acarnanes, Iudicij conventûs loco, utebantur. Hi verò ad Fonteis Amphilochiæ castrametati, DEMOSTHENEM ad se evocarunt, quem copijs suis præficiant: & xx. Atheniensium naveis, quæ circa Peloponnesum versabantur, sibi adsciverunt.

Illi vicissim, qui metuerent, ne EVRYLOCHVS cum suis tutò per Acarnaniam transire posset; neve sibi, aut destitutis prœliandum, aut redire volentibus minimè tutum foret; omnem suæ civitatis populum auxilio sibi advenire iussérunt. Et tunc demùm EVRYLOCHVS, educto ex hibernis exercitu, & transmisso, infra Stratum, Achelöo, per Acarnaniam, ob missum Argos auxilium, iam penè vacuam; perque Agræorum regionem, sibi amicam, Thyamum montem superat.

Vnde itinere, inter Argos, & Acarnanum ad Fonteis præsidium, furtim facto; cum Ambracijs, qui ad Olpas sedebant, se coniungit; & ad Metropolim, Vrbem, conferto agmine, positisque tutò castris, consédit.

Neque ita multo-post, hinc xx. quas dixi, Atheniensium naves in sinum Ambracium invectæ sunt: Illinc Demosthenes, cum cc. Messenijs, paucisque Atheniensibus & classiarijs, tumulum circà Olpas invadunt. Et Acarnanes, cum Amphilochis aliquot, postquam Argos iam convenissent, sese cum cæteris ad pugnandum instruunt.

Sexto post die, quùm utrimque ad manus ventum esset; & DEMOSTHENES antea, quòd à maiore Peloponnesiorum acie ne circumveniretur, metueret; CD. ex suis in insidijs collocâsset. Fortè accidit, ut hinc dextrum cornu, in quo erat DEMOSTHENES, supervenientibus hosti à tergo Acarnanibus, EVRYLOCHVM & Lacedæmonios vinceret; Illinc Acarnanes & Amphilochi, qui sinistrum cornu tenebât, ab Ambracijs, omnium pugnacissimis victi ad Argos usque fugarentur.

Sed quùm & hi, à persequendo reversi, suos maximâ ex parte profligatos esse, & victores in se tendere, conspicarentur; ægrè fugâ ad Olpas salutem sibi pepererere.

MENEDÆVS, qui Eurylocho defuncto, imperium susceperat, clam pactus à DEMOSTHENE, & Acarnanum prætoribus, sibi cæterisque Peloponnesiorum ducibus, & Mantinæis, tutam abeundi facultatem; & socios prodidisse, & sibi invidiam apud gentem illam conflâsse, existimatus est.

Acarnanes namque, clàm quibus, fides de libero decessu data erat; illos promiscuè, & nullo federis iure abire rati; hostiliter insecuti sunt: & vix, ducum admonitu, manus à Mantinëis & Peloponnesijs abstinentes, aut dissimulantes; aut dicimen gentiû facientes; effusâ in Ambracios cæde grassati sunt, dum cæteri in Agræidem diffugerent.

Nec parem cladem evasére Ambraciotæ, qui ex Vrbe evocati, & rei gestæ ignari, per Amphilochos, se suis, quos ad Olpas sessitare etiamnum rebantur, coniungere properabant.

De eorum namque itinere certior factus DEMOSTHENES, artem copiarum ad obsidendas insidijs vias, & unum ex Idomenes tumulis occupandum, præmittit. & cæteri exercitûs dimidium secum adducens, altero dimidio per Amphilochicos monteis penetrare iusso; Ambracios illos, qui de viâ fessi in altero Idomenes tumulo pernoctârant, iacentes adhuc in stratis, invadit. Qui in fugam versi, occupatis iam itineribus, aut ab Amphilochis cæsi sunt, aut è littore in naveis Atticas impacti. Vt pauci è multis salvi in Vrbem evaserint.

Quam haud difficiliter victores cepissent, nisi Acarnanes & Amphilochi, molestiores sibi accolas, Athenienseis, si eius fortè Vrbis potirentur, pertimuissent.

Illi namque, simul-atque xx. illæ naves Naupactum; & Athenienses cû Demosthene, tertiâ spoliorum parte donati, domum abiére; publicâ fide interpositâ, Ambracijs & Peloponnesijs, qui ad SALYNTHIVM, Agræorum regem, confugerant, veniam dedére tutò ex Oeniadis discedendi. Et cum Ambracijs in posterum, ad c. annos sponsam, societatem inierunt. his legibus. „*Vt neque cum Acarnanibus Ambracij, Peloponesijs neq; cum Ambracijs Acarnanes, Atheniensibus, arma inferrent. sed mutuo sibi auxilio forent.* „*Redderentque Ambracij quidquid aut opidorum, aut finium, ex Amphilochiâ ditione cepissent: neque Anactorio, arci Acarnanibus infestæ, subsidium mitterent.*

NEHE-

NEHEMIAS E PERSIDE REDVX.

3530. | Anno ARTAXERXIS. XL. qui & ultimus. | 420.

Tradunt plerique NEHEMIAM, quem XII. antè annis ad regem, ex Iudæâ, ubi spoponderat, reversum fuisse in Persidem diximus; Hierosolymam postremùm redijsse. Quod ex cap. 13. eiusdem, probabiliter colligitur: *Anno XXXII. Artaxerxis, regis Babylonis, veni ad regem. & in fine dierum rogavi regem.* Quod Caietan. interpretatur de extremâ ætate, sive regis, sive ipsius Nehemiæ: quùm à rege redeundi in patriam potestatem sibi fieri supplicavit.

Quæcumque in libro eius, qui II. ESDRÆ vulgò dicitur, ad cap. usque XIII. commemorantur, vero-simile est, antè peracta esse, quàm ad Regem, muris Vrbis iam perfectis, & rep. constitutâ, abiret. Quæ ultimo capite consequuntur; certum est à reditu gesta esse; & ex parte cum antegressis cohærere.

Ipso namque apud Persas absente, non modò stata sacrificia, & Laudes divinæ, in Templo deinceps, uti cautum erat, continuabantur: sed & adsiduâ sacri Codicis Lectione, populus ad omnem pietatem; & ad præceptorum Dei, Legisque Mosaicæ observationem, informabatur.

Eo autem everso, contigit fortè, inter cætera, ut ex Deuteron. XXIII. caput palam legeretur: *Omnibus universè, & æternùm, Ammonitis & Moabitis, interdictum esse ingressum in Ecclesiam Dei.* (hoc est, In censum Israelitarum non esse referendos; neque Coniugiorum, aut munerum publicorum participes esse posse) Quod non modò Hebræis, sibi consanguineis, ex Ægypto, ad cernendam ex Chananææ possessionem, olim properantibus; & longinquo difficilique itinere fatigatis, panem & aquam non impertierint: verùm etiam BALAAMUM mercede conduxerint; qui diro carmine illis male diceret. Licet, Deo instigante, bene precari illis fuerit coactus.

(Numeror. 24. Nulla Ammonitarum, ex in re, mentio.)

Huius autem legis recitatione ita affectus est populus, ut omneis à stirpe Hebræâ alienos, & advenas, qui se cæteris Hebræis permiscuerant; ab omni coniugiorum iure, & civitatum Iudaicarum concilijs, segregârint.

Quumque ELIASIBUS, sacerdotum princeps; & inter alios sanctioris in Templo Ærarij (in quod votiva populi munera, thura, & rei divinæ sacrorumque instrumenta; & vini, olei, frumentique, decimæ & primitiæ. ex quibus hæ Sacerdotibus; illæ Levitis, in partem cedebant, coacervari fas erat) præfectus: TOBIÆ Ammanitæ, adfinitate sibi coniuncto, eiusmodi gazophylacij curam & emolumenta; non sine manifestâ legitimorum ministeriorum defraudatione; transcripsisset: idque impunè, absente tam peregrè NEHEMIA fecisset.

Hic de tanti flagitij & sacrilegij indignitate factus certior, Tobiæ officinam disturbavit; & vasa omnia foràs ex ærario proiecit. & loco rite expurgato, unà cum thure, & sacrificio cibario, vasa Templo Dei consecrata reposuit.

Levitas quoque, cum ministerijs, qui statis sportulis hactenus defraudati, in agrum quisque suum, se ex urbe receperant; recollegit: & in pristinas stationes gradusque restituit.

Cellis autem, in quas populus frugum decumas summâ fide & alacritate comportabat; Viros fide spectatos, & fratrum suorum studiosos, præfecit.

Et quoniam ad hæc publicæ corruptelæ mala accesserat Sabbathi profanatio: ut passim eo die, & uvæ prælis exprimerentur; & dossuarijs iumentis omnis generis fruges Hierosolymam venum importarentur: Et Tyrij, sedibus in ipsâ urbe fixis, pisceis incolis venaleis exponerent.

Ille increpitis graviter magistratibus, qui ea tolerarent. neque pristinas calamitates, quas Deus maioribus ipsorum, & eidem Vrbi, consimilium vitiorum obnoxiæ, paullo-antè invexisset; satis recordarentur. portis civitatis semel atque iterum, pridie sabbathi, sub occasum solem, occlusis; & negotiatoribus foris & sub dio, pernoctare, in vesperam usque consequentem, coactis; effecit, ut suus sacro diei honos haberetur; & debita, à sordidis mercimonijs, quies servaretur.

Et quia istiusmodi portarum custodia, ad sanctiorem diei Sabbatini celebrationem pertinebat; etiam Levitis imperavit; Vt pro ritu expurgati, & ad ea munia obeunda intenti essent.

Compertum quoque habens, à Iudæis nonnullis, profanæ stirpis, ex Azoto, Moabitide, & Ammonitide, mulieres, in matrimonium adscitas. sic ut liberi à patrio Hebræorum sermone degeneres, peregrinam, & vernaculam, suæ quisque gentis, linguam sonarent. eos graviter verbis & verberibus castigatos, & ignominiosâ calvitie deturpatos, exsecratus est. & iure-iurando adstrinxit, ut in posterum à mutuo istiusmodi coniugiorum fœdere abstinerent.

Et SALOMONEM regem memoriâ repeterent: qui licet imperij gloriâ cæteris regibus longè antecelleret, & Deo suo carissimus esset; externarum tamen mulierum amoribus & illecebris, in fraudem inductus, rem nefariam commiserit.

Quùm autem inter eos, qui tali flagitio se devinxerant; unus esset ex filijs IOIADÆ (qui ipse Eliasibi, sacerdotis primarij, filius erat) & is SANABALLATIS Oronitæ, ex Arabiâ, filiam, sibi coniugem adscivisset: eoque facto sacerdotij ius polluisset; illum procul à se, è republicâ & Templi ministerio, exterminavit.

(In vulgato est : Gener erat Sanaballat Oronites. ut sacerdos ille socer fuisse externi hominis intelligatur. Caiet. & Scalig. Gener erat Sanaballat Oronitæ, quod exprimimus.

Hic autem Sanaballat , avus fortè-an sit alterius cognominis , sub Dario Codomano , & Alex. Magno.) Vid inf.

Sacerdotes autem & Levitas , à tali labe expurgatos , NEHEMIAS , certis ordinibus & sacri ministerij vicibus discriminavit. Vtque ad æternum Altaris Ignem ligna statis temporibus suppeterent ; & frugum primitiæ sedulò penderentur ; curavit.

Scalig. l. 6. Em. Temp. hinc colligere nititur, argumentis in speciem probabilibus : NEHEMIAM nostrum ad ALEXANDRI MAGNI tempora pertigisse. quod eiusdem Nehem. cap. 12. v. 22. nominetur DARIVS , sub quo IADVAS summo apud Iudæos sacerdotio sit perfunctus : quique Alexandro , Hierosolymam ingredienti , obviam, Pontificio cum ornatu , processerit.

DARIVM itaque istum æqualem ALEXANDRI fuisse, quem ultimum Persarum regem iste vicerit.

Deinde , Sanbelletes Samaritanus , vir gratiâ & opibus pollens , NEHEMIAM , Hierosolymorum moenia reficientem , omni ope interpellare conatus est. (Nehem. cap. 4.) Is Sanbelletes secutus est castra ALEXANDRI ; eique Gazam oppugnanti , cum auxiliari popularium militum manu, suppetias venit. ac paullo-post morte obijt, antequàm Gazam expugnaret Alexander , anno 1. Olympiadis CXII. (Vid. Iosep.)

Atque ita Nehemiæ æqualis Sanbelletes Alexandrum Macedonem vidit. Et Darius ille ; sub quo IADVAS sacerdos fuit, non alius ab illo ; quem Alexander vicit.

Postremò, Sanbelletes filiam suam , nomine Nicasôn , in matrimonium dedit MANASSÆ , fratri Iaduæ Pontificis Maximi. (Iosep. lib. 11.) Quod quùm videret NEHEMIAS , Manassen è rep. Hebræorum expulit , (ἀκοινωνητόν ἐποίησε. cap. 13. Nehem.)

IADVA verò filius erat Iohannis , IOHANNES. Ioiadæ Is erat illi nepos ex filio Iohanne, &c. *(VI. Pontifices , sub XIV. Persarum regibus , à Cyro ad Alex. Magnum.)*

Atque hinc rectè se colligere putat Scal. an. 11. DARII NOTHI , opus Templi repetitum & continuatum : quod sub regibus , Dario Hystaspis, Xerxe, & Artaxerxe Longimano, fuerat intermissum. Et ab Artaxerxe Mnemone Esdram & Nehemiam esse in Iudæam missos.

Sed hæc pleraque sic facilè refelli posse censeantur. Neque NEHEMIAM tam longævum esse potuisse, ut post Longimani decessum , qui hoc an. contigit, supervixerit ad Alexan. Magni tempora . qui tunc non minor quadragenario fuerit, quùm rex ille decessit. & utrimque intervallum vitæ eius evadat, ad CXXX. annos.

(Genebr. quidem vult illum totidem , quot dixi , annis vixisse ; sed initio sumto à Cyro I. ad VI. aut VII. ALEXANDRI MAGNI annum.

Verùm, si NEHEMIAS ; sive Athersata , (quod est officij regij nomen) unà cum ZOROBABELE venerit , & ad Alexandri tempora pertigerit ; amplius CC. annos vixisse convincetur. Iosephus libro 11. vult mortuum sub Xerxe , Darii Hystaspis Filio.)

Alterum est : Nehem. c. 12. contexi quidem seriem genealogicam summorum sacerdotum , IOSVÆ , IOACIMI , ELIASIBI , IOIADÆ , IONATHANI ; & IEDDOA . Verùm non insolens adijci à posteris quædam, quæ priorum scriptorum ætatem & mortem sunt consecuta. Hinc duo illi postremi, ad seriem historiæ adtexti.

Tertium : Sanaballatum , sive Sanbelleten, illum, cuius meminit Nehem. c. 14. & 13. alium esse ab eo , cuius Joseph. lib. 11. capp. 7. & 8. meminerit. Vt hic filius , aut venus nepos prioris fuerit. De quo sub Dario ultimo agetur.

Et I. Capellius (cuius historia , sive chronicon, serius ; & hoc opere pænè adiecto , in manus meas pervenit. qui cum miram mecum in Græcis præsertim historijs consensionem esse deprehendi. Nam Mathematicas observationes, & si quid à Catholica religione dissideat , alius sunt curæ) hic etiam nos iuvat.

Scaliger , inquit ille, hunc Sannaballathum vult eum esse, cuius meminit NEHEMIAS passim , & maximè, cap. 4. v. 1. & 8. 28. Si ita est , qui fit ut assaris , à Sannaballatho genero adversus altare erecti , non meminerit Nehemias ? Omninò duo fuerunt Sannaballathi ; Samaritani duo, ambo impij Iudæorum hostes ; & tamen adfinitatem sacerdotum ambientes . Primi generum , Ioadhæ Filium , Nehemias : alterius generum , Ioadhæ Nepotem , frater IADDVA, amovit. Sic illi.

Hic idem NEHEMIAS Ignem, quo sacrificia accendi antiquitùs solebant , à sacerdotibus olim, iussu Hieremiæ prophetæ , quo tempore captivi in Babyloniam , sive Persidem abducebantur , absconditum, operâ eorumdem Nepotum , qui iam è captivitate redierant, in loco , qui Nephtar ab eo dictus , invenit ; licet in aquam concretum.

(2. Machab. 1. & 2. Vbi mentio Ionathæ , qui cæteris sacerdotibus , inter preces, voce præibat. Qui si is est , qui filius Ioiadæ , & pater Iaddi ; pro Scaligero certè faceret.)

Huius de Igne miraculi famam, volunt ad regem pervenisse : cumque in Sacerdotes & Templum, beneficentiorem , exinde, facto scilicet rei tam novæ , luminis ex aqua accensi , experimento ; evasisse.

Eodem 2. lib. Machab. c. 2. memoratur idem in commentarios retulisse , quæ de Hieremiâ illic initiò narrantur. & bibliothecam instruxisse ; librosque varijs è regionibus collegisse ; Davidis & Prophetarum , & Regum Epistolas ; de donarijs Templo offerendis , &c.

THALMVD BABYLON. ET HIEROSOLYMIT.

Quùm autem altera quædam exsulum, ex Hebræis (qui Babyloniam patriæ anteponebant; & formâ reip. liberæ à regibus Persis redemtâ, principem sibi è Davidicâ familiâ, ÆCHMALOTARCHAM, præfecerant) multitudo. (Ioseph. lib. 18. cap. 12.) urbem ad Euphratis ripam, Chaldaicè Neardéa dictam, quasi FLVVIVM SCIENTIÆ, condidissent: Ibique Synagogas & Academias construxissent, quæ omni disciplinarum genere, per multa sæcula, floruérunt. Vnde longo post tempore, sub annum CHRISTI CDLXX. THALMVD Babylonicum, multiplici rerum cognitione refertum ediderint.

Tum ad eorum exemplum, cæteri, quos ZOROBABEL, ESDRAS, & NEHEMIAS, in Iudæam reduxérunt: Hierosolymis multa litterarum Gymnasia instituérunt, unde Scribæ & Pharisæi: & Thalmuld Hierosolymitanum, c. ante Babylonicum annis, evulgarunt. Sic Genebrardus.

Libri, qui NEHEMIÆ nomine publicatus est, quique vulgò II. ESDRÆ inscribitur, auctorem Esdram, putat Genebr. Massæus verò ipsum Nehemiam.

Non igitur iniuriâ RVPERT. lib. 7. de Vict. Dei. *Quadrigam illum Domini, in quâ residens ad locum suum properabat Verbum Domini: Quatuor-viros*, dico, auctores præcipuos, & capita illius Reditûs, IESVM sacerdotem, & ZOROBABELEM ducem, ESDRAM, & NEHEMIAM. prophetas verò, AGGÆVM & ZACHARIAM, Aurigas, & quasi Quadrigæ armigeros, existimari contendit.

Et Ecclesiastici 49. *Nehemiam in memoriâ multi temporis. qui erexit nobis muros eversos: & stare fecit portas, & seras. qui erexit domos nostras, &c.*

BELLVM NOVVM IN SICILIA.

3930. | Hoc eodem anno, qui ultimus ARTAXERXIS, & VII. belli Peloponn. | 420.

Messana, in Siciliâ, à Syracusanis, (qui id opidum, invadendæ Siciliæ opportunum, Atheniensibus invidèrent & à Locrensibus) qui Rheginos sibi invisos utrumque oppugnari vellent) non invitis civibus, recepta est,

Athenienses verò, licet à Peloponnesijs, & ab AGIDE Lacedæmoniorum rege vexarentur: XL. naveis, ducibus EVRYMEDONTE & SOPHOCLE, in Siciliam (quò PYTHODORVS iam antè abierat) misérunt,

Atque ut obiter Corcyræis, qui tum ab exsulibus montanis infestabantur; cum auxiliarem ijsdem e Peloponneso LX. navium classem reformidabant, auxilio essent, mandárunt.

PYLOS CAPTA AB ATHENIENS.

Illi verò tempestate Pylum delati. quò maximè spectabat DEMOSTHENES, cui potestas ijs navibus circa Peloponnesum utendi publicè erat demandata: opidum illud, cum portu, vallis & munitionibus conclusérunt. Et Demosthene ad eius tutelam, cum V. navibus relicto; ipsi cum cæteris in Corcyram, ac Siciliam ire perrexérunt.

Peloponnesij, qui in Atticâ erant, domestico infortunio: & commeatûs, nondum maturâ messe: penuriâ, & graviore cœli intemperie, inducti, domum properè reversi sunt. Naves item eorum, quæ apud Corcyram erant, in Leucadium Isthmum transportatæ; & clam Atticâ classe, quæ Zacynthum iam tenebat, Pylon, ut iussæ; & quidem sub idem tempus, quo pedester ex Spartâ exercitus; quasi de-composito, pervenérunt. Et armatis in Sphacteriam Insulam, portui urbis Pyli, prætentam, transvectis; & alijs in continente collocatis; ab introitu arcére Athenienses, si adventarent; & obsessos, peditatu pariter ac classe adgredi moliebantur.

DEMOSTHENES, parte suorum muris defendendis relictâ, cum paucis ex urbe ad mare descendit; hostem exscensione in terram prohibiturus. Quâ in re triduum, editis utrimque facinoribus, consumtum.

At simul-atque evocatæ è Zacyntho, Atticorum naves adfuerunt; & in Lacedæmonios, qui fauceis portûs angusti confertis carinis insidebant, invectæ sunt; plerasque eorum naveis in fugam vertunt, capiunt; vacuas ad se pertrahere contendunt.

Quas dum Lacedæmonij, cum armis in mare ingressi, adprehensas vicissim retrahunt; & commutatâ dimicandi formâ, illi pedestre quasi è navibus prœlium; hi e terrâ navale, non sine ingenti tumultu, gerunt: vix longâ molestiâ, & multis hinc inde vulneribus exhausti, ac diremti sunt; Lacedæmonijs quidem vacuarum navium potitis: Atheniensibus verò tropæum, è naufragijs & spolijs, erigentibus.

Dum verò Lacedæmonij de eorum, quos in Sphacteriâ collocárant; & victrices Atheniensium naves iam circumvenerant; salute, soliciti essent: Inducias cum Atheniensium ducibus pacti sunt; dum missâ Athenas legatione, de pacis conditionibus ageretur. Atque ita intereà conventum:

Vt Lacedæmonij naveis; & quibus pugnâssent, & quæcunque in orâ Laconicâ longa essent, ad

Pylum advectas, Atheniensibus traderent.

„ *Nullam vim, neque terrâ, neque mari, novis urbis munitionibus inferrent.* „ *Suis è continente, in Sphacteriam, certum farina, vini & carnis modum, conscijs Atheniensibus, importare sinerentur, neque ullum furtim navigium illuc ingrederetur.*

Et Athenienses nihilo-minus Insulam custodirent; nequa fuga fiat, aut armorum in castra exportatio. Ratas fore has induciarum conditiones, si nulla fraus intercesserit. & stabileis, dum Legati, quos Athenienses vehant suâ triremi & revehant, Athenis redierint. Tunc naveis, cuicuimodi acce perint, ab Atheniensibus ex pacti fide reciperaturos.

Legati, qui ancipiti adhuc rerum apud Pylum eventu, æquabilem ab Atheniensibus pacificationem expetebant: quæque cum eorum gloria & benivolentiâ, ac tolerabili, ante dedecus, Spartanorum iacturâ, coniuncta esset. Quæque pax ceteræ Græciæ, quæ ab utrisque penderat, malorum finem esset adlatura. quùm nihil æqui obtinerent; sed CLEONIS, viri popularis & diserti, instigatione, ab Atheniensibus responsum esset: *Eos, qui in Insulâ conclusi essent, armis priùs & seipsis traditis, Athenas deportari oportere.*

Deinde, ubi Lacedæmonij Nisæam, Pegas, Troezena, & Achaiam quæ ex superiore tricennalium induciarum pactione receperant) *sibi restituissent; tum verò suos, è Sphagiâ, reciperarent: & federa tam diuturna, quantum utrisque placuisset, inirent.*

Illis reversis, quùm induciæ exijssent: & Athenienses, nescio quid caussati, naveis ex pacto, reddere recusarent; ad arma reditum est.

Et Athenienses xx. navium accessione aucti, ut lx. iam essent, latè mari illo potiebantur: Lacedæmonij verò muros Pyli, è terrâ, subinde adoriebantur.

VARII PRÆLIORVM IN SICILIA CASVS.

Intereà alteri Athenienses, cum Rheginis, in freto Siculo, quod Rhegium & Messanam interiacet, Syracusanos vicere. Sed vicissim, ad Peloridem, vacuas naveis adgressi, & repulsi, aliquot ex suis amisêre.

Quumque Messeniorum multitudo, à Naxijs, quos illi obsessum ibant, erumpentibus, cæsa esset: & naves, quæ Messanam tenuerant, domum esssent dilapsæ: Leontini, cum Atheniensibus, urbem, recenti calamitate attonitam, oppugnarunt contendebant. Sed clade utrimque acceptâ, discessum est.

LACEDÆMONIORVM AD SPHAGIAM CLADES.

Apud PYLVM verò certamen unum erat: Atheniensibus, ne quid in Insulam Sphagiam commeatûs importaretur. Lacedæmonijs, ut per quoslibet, vel impenso pretio, vel proposito etiam libertatis præmio, res obsessis necessariæ transmitterentur.

Athenienseis nihilo-minus, de eventu solicitos, federis præfractè repudiati, iam pœnitebat. Et quùm CLEON, adversæ sententiæ auctor, vulgò traduceretur; NICIA imperatorium munus abdicante, ipse illuc profectus, re cum cum DEMOSTHENE communicatâ: & voluntariæ eorum, qui in Insulâ erant, deditionis: & liberalis ad tempus custodiæ; conditione, à duabus Lacedæmonijs, recusatâ, cum DCCC. ferè armatis, noctu in Insulam transmittit: & primæ stationis custodes trucidat.

Sub Auroram verò, reliquus exercitus, duce DEMOSTHENE, LXX. navibus traiectus, sagittarij & peltati, ad bis pænè mille. hostem, quem à tergo & à fronte, levis armaturæ milites, infestarent; neque in adversos iustâ acie ferri sinerent; in extremum Insulæ castellum propellunt: & undique circumventum ad sese, cum armis, tradendum adegêrunt.

Et CLON, præter omnium, saniorum, opinionem, quod temerè in concione promiserat, ut intra xx. dies, hostem captivum ex Insulâ Athenas adduceret; fortunæ beneficio, an Demosthenis industriâ! perfecit.

Atque adeo Athenienses, quoscumque ille in fidem acceperat, in vinculis adservandos decreverunt; dum aliquid cum Peloponnesijs conveniret: Sin illi priores in agrum suum invaderent; occidendos.

Et præsidium in Pylo, è Messenijs potissimùm collocârunt: quò illi, uti in patrium solum restituti, & linguæ Doricæ concordes, Laconicam latrocinijs, & consuetis servitiorum ad se transfugijs, maximè infestarent.

Secundum hæc NICIAS Atheniensis, cum LXXX. navibus, & aliquot hippagogis, magna & Atticorum & socialium militum manu, in agrum Corinthium profectus, variâ initiò pugnæ aleâ, bis Corinthios fudit, & regionem populatus est. Isthmum Cherronesi (ubi Methone; Epidauro & Troezeni, interiecta est) muro obsepsit: positoque ibi præsidio, vicinum agrum latè diuque pervastavit.

CORCYRÆORVM CLADES.

EVRYMEDON verò & SOPHOCLES, instituto tandem è Pylo, in Siciliam, quò priùs tendebant, navigationis cursu, in Corcyram obiter, uti iussum erat, profecti, adversus exsules, montis Istones insessores, qui Urbi molesti imminebant; unà cum oppidanis, in aciem prodiérunt: & munitione expugnatâ, ex pacto, vivos ceperunt: cognitione de se Atheniensium populo permissâ.

Qui malignâ Corcyræorum fraude ad fugam, è Ptychiâ Insulâ, ubi adservabantur; tentandam inducti; & ex convento mòx condemnati; Corcyræisque ipsis ad libidinem, ab Imperatoribus Atticis, fraudis haud ignaris, & privati decoris, an emolumenti! cupidis, ultrò traditi; indigno & miserabili mortis genere perierunt.

Et qui

Et qui apud Naupactum erant Athenienses, Anactorium, Corinthiorum oppidum, in Sinus Ambracij faucibus situm, & proditione captum, Acarnanibus incolendum tradiderunt.

Aristides verò, cum classe ad socios, pecuniæ ex communi decreto exigendæ, missus, apud Eionem, quæ Strymoni adiacet, ARTAPHERNEN, Persam, à rege Lacedæmonem missum, capit. & inter cætera, epistolam, ad Lacedæmonios, Assyrijs litteris scriptam, deprehendit. quâ ille in magnâ priorum legatorum perplexitate, & inconstantiâ, viros, eodem cum Persâ, ad se mitti postulabat, ex quibus & certiora cognosceret, & constitueret.

Hunc autem quùm posteà Athenienses, unà cum Legatis, triremi Ephesum remisissent: ibique Artaxerxem, Longimanum, proximè è vitâ decessisse audiissent; re infectâ redierunt.

3530. | Regnavit autem rex ille XL. annos. non ut putat Chytr. XLIV. neque, ut Ctes. XLII. | 420.

XERXES eo nomine II. PERSARVM REX VI.

Illi succedit XERXES, II. dictus, è filijs solus legitimus, ex Damaspia. quæ eodem cum Xerxe F. die mortua est) Sic Ctes.

Ex XVII. ARTAXERXIS spurijs, superfuére, SOGDIANVS, (qui & Secundianus) ex Alogune Babyloniâ: & OCHVS, qui posteà DARIVS NOTHVS: quemque pater vivens Hyrcanis præfecerat: & coniugem dederat PARYSATIDEM, Xerxis filiam, & sororem sibi germanam, (quæ ARTAXERXIS Mnemonis, & Cyri mater fuit.) Et ARSITES, eâdem matre, Cosmartidene Babyloniâ, progenitus.

SOGDIANVS, VII. Persarum Rex.

XERXES, V. & XL. à morte patris, diebus, per Eunuchos, quos sibi SOGDIANVS, promissis præmijs, conciliarat, inter festi cuiusdam epulas, interfecto; (Diod. l. 12. tradit annum 1. regnâsse. Ab alijs tamen fæctor, II. tantùm illi menseis attribui.) Ipse regno potitus est.

Qui ob cædem tum fratris, tum Bagorazi Eunuchi, militibus exosus, ab Ocho fratre, (quem frustrà sæpiùs ad se, nec sine insidiarum fraude arcesserat; & ad quem plerique ex primarijs Satrapis defecerant) postquam menseis VI. & XV. dies regnâsset, (Diodor. illi rotundè VII. menseis. Alij, utrique, Xerxi & Sogdiano, coniunctè, annum I. attribuére) captus & interfectus est.

NICIÆ IN LACONICAM EXPEDITIO.

Agebatur annus belli Peloponnés. IIX: quùm NICIAS in Cythera, Insulam Laconicæ imminentem, & perpetuo Lacedæmoniorum præsidio munitam; ducit. Et Scandeâ priùs subactâ, Cytherijsque pugnâ victis, urbem cognominem, ex convento; & salvâ civium, qui è sedibus suis aliò sunt translati, vitæ incolumitate, occupavit. Et inde ad Asinam provectus, & militibus in terram egressis, regionem maritimam populando vastavit.

Et Thyream, quam Æginctæ patriâ, ut diximus, eiecti, incolebant; direptam incendit; magnamque captivorum vim secum asportavit.

SICVLORVM SYNCRETISMVS.

Sub id tempus Legatis singularum in Siciliâ civitatum ad Gelam coactis, Camarinæi & Geloi primùm; deinde Siculi cæteri, ex HERMOCRATIS Syracusani sententiâ, inter se convenérunt: *Vt ab armis & intestino bello discederetur: & sibi quisque retinerent, quod usurpâssent.*

Quod quum Atheniensium primores, à socijs persuasi, fœdera, quæ tum inibantur, fore secum communia, ratum haberent; cum navibus è Siciliâ discesserunt.

Hos duces tamen, quasi muneribus corrupti à Siciliâ subigendâ abstinuissent; partim exsilio, partim pecunia, civitas multavit. *Tanta virium, & perpetua in rebus gerendis prosperitatis, in illo tunc populo fiducia.*

MEGARENSIVM OLIGARCHIA.

Megarenseis veró, hinc ab Atheniensibus bis quot-annis toto urbanarum copiarum robore; illinc ab exsulibus suis, è Pegis, latrocinio infestati; ne utrimque, & usque, periclitarentur; varia pro diversis factionum studijs, consilia agitabant. His exsules revocandos censentibus; illis Atheniensium dominationem, præ exsulum impotentiâ, minùs sibi periculosam, ducentibus.

Et priùs quidem cum Atheniensibus magistratus populi ita convenerat: *Vt ipsi μακρὰ τείχη, sive Longos-muros, qui ab Vrbe ad Nisæam, eorum portum, VIII. ferè stadijs protendebantur, demolirentur; & Arcem in edito sitam, atque à Peloponnesijs infessam, tentarent.*

Illi verò intereà ad Minoam profecti, & occasioni intenti, ex insidijs portas oppidi, sibi proditas, occupárunt; & præsidiarios Peloponnesios, qui auxilio adcurrerant, intra Nisææ mœnia propulérunt.

Et tumultuantibus inter se Megarensibus, IV. CIↄ. pedites, & DC. equites Atheniensium, qui ab Eleusine advenerant; neque ob incolarum dissensionem, statim in urbem fuerant admissi; Nisæam ipsam muro concluserunt, eiusque custodes ad deditionem adegerunt.

Contigit porrò, ut sub idem tempus BRASIDAS Lacon, qui in agro Sicyonis & Corinthi, exercitum, in Thraciam, comparabat; nuntio rei ad Megara gestæ accepto, vel Nisææ opitulaturus; vel Megara confirmaturus, eodem adcurreret.

Sed dum Megarenses dubium victoriæ eventum exspectare è re suâ existimarent: & post Boeotorum, quos BRASIDAS pro re natâ evocârat, quasi in Vrbis suæ conspectu, cum Atheniensi equitatu, prœlium; utrimque à Megaris discessum esset: BRASIDAS tandem, & civitatum primores, intrò, & sine noxâ, recepti sunt.

Ipsique adversarijs iam potiores, revocatâ & reconciliatâ sibi, è Pegis, exsulum manu: & exercitâ in factionis Atticæ consorteis sævitie, civitatem in Oligarchiæ statum redegêrunt.

Athenienses, alterâ ex parte, Antandro, quam anteà Mitylenæi exsules, uti fabricandæ classi idoneam, interceperant, & munire moliebantur; ex ijs receptâ; DEMOSTHENES iterum cum LX. navibus, in Naupactum, præ vanæ, auctore PTOEODORO Thebano, ad res Boeotorum turbandas, seditionis intelligentiâ, missus est, ut inde, unà cum Acarnanum auxilijs, ad Siphas, opidum soli Thespiei, in sinu Crissæo, maritimum, (cuius, uti & Chæroneæ, proditio ea pacto futura esset) adnavigaret: Et HIPPOCRATI, alteri duci; ad Delium in Tanagræâ se coniungeret.

BRASIDAS LACEDÆMON. DVX.

BRASIDAS autem, uti initio instituerat, ad res Thraciæ obeundas pergens; per Thessaliam, utcumque amicam, ad PERDICCAM regem, regionemque Chalcidicam pervenit. qui vel odio, vel metu Atheniensium, iam secundis rebus exsultantium, opem à Lacedæmonijs postulâssent. Et hi, HELOTVM suorum suspicione, ne quid illi, captâ Pylo, rerum novârum molirentur, se liberare; partim clam submotis, partim & tenuissimis in longinquam hanc expeditionem, ceu certam lanienam, amandatis, vehementer cuperent.

Gratus itaque dux, & moderatione & æquitate erga Civitates usus, multa opida ad deditionem coëgit; multa ex promtâ proditione cepit.

Athenienses contrà, PERDICCAM hostem pronuntiant, & ad sociorum custodiam se comparant.

LACON verò ad bellum ARRIBÆO, Lyncestarum regi, faciendum inductus; quùm is eumdem controversiæ suæ disceptatorem delegisset; invito PERDICCA, ab iniuriâ abstitit. Et inde traijciens, Acanthios & Stagiræos. Andriorum colonos, modò terrore minis incusso; modò blando sermone, & æquabilis libertatis pollicitatione, ut ab Atheniensium societatate desciscant; tandem impulit.

DEMOSTHENES, quùm prior ad Siphas adpulisset: neque HIPPOCRATES, uti conventum erat, ad Delium compareret, aut Boeotiæ negotium facesseret; detectis iam insidijs, frustrà fuit. Et Siphæ, eum Chæroneâ, à Boeotis, ad opem ferendam excitis, præoccupatæ, proditionis molitoribus frenum iniecêrunt.

Dum autem HIPPOCRATES, qui excitatis ex urbe civibus & peregrinis, posteriùs ad Delium contenderat; idem Apollinis Templum muro conclusisset; & cum gravis armaturæ militibus ad custodiam loci, & reliquam propugnaculorum munitionem, relictus esset: Boeoti, in Tanagrâ coacti, exercitum in Athenienseis, qui in Oropiæ limite erant, levi armaturâ destitutos, educunt.

Ille autem è Delio adcurrens, & aciem instruens, à Boeotis, duce PAGONDA, invaditur. Et pòst anceps, initiò certamen, Athenienses utrimque circumventi in fugam vertuntur. quorum plerisque noctis interventus salutem maximè attulit.

Et post aliquantam verborum inter caduceatores, de mortuis restituendis, alijsque iuribus, contentionem; Boeoti Delium, novâ & admirabili machinâ, quæ flatu ignem commoveret, expugnant. Præsidiariorum, præter eos, qui navibus conscensis evadere poterant, partim cædunt, partim capiunt.

Nec feliciùs DEMOSTHENES, cum suis, & Acarnanibus atque Agræis, factâ in agrum Sicyonium escensione, rem gessit. multis ibidem amissis aut captis.

AMPHIPOLIS CAPTA.

BRASIDAS verò in Thraciâ Amphipolim, Atheniensium coloniam, adortus; ante-quàm THVCYDIDES è Thaso cum navibus auxilium adferre posset; æquabili pactione obtinuit. Eione quoque potiturus, nisi eodem die THVCYDIDES, (hic ille est Historicus, testis oculatus, Olori F.) illuc adpulsus, victorem, qui eodem iam rectà tendebat, reppulisset. Ad illum nihilo-minus MYRCINVS, in Edonis; & PERDICCA transigente, GAPSELVS & OESYMA, defecêrunt.

Athenienses verò, captâ ab hoste Amphipoli, in magnum metum sunt coniecti. quòd ea Civitas, & materiæ ad fabricandas naveis; & pecuniæ proventu, sibi perutilis esset: & BRASIDÆ, ob dexteram imperij moderationem passim accepto, pateret ad Strymonem usque, deducentibus Thessalis, transitus.

Ille namque, cum sociorum exercitu, in Actam, haud procul à Fossâ-regiâ, & Atho monte, traijciens; plerasque ibi urbeis sibi parête coëgit. Et Toronâ quorumdam proditione captâ, Athenienses, qui in ipso tumultu, cum alijs fraudis ignaris, in Lecythum, (quod præsidium tenebant ipsi) se receperant; paucis fugâ in naveis ad Pallenen elapsis, interfecti sunt.

DARIVS

DARIVS NOTHVS, VII. Perſarum REX.

3531. OCHVS, Artaxerxis Longim. F. qui DARIVS NOTHVS, nomine, poſt-quàm ad imperium acceſſit, ex inſtituto & conſuetudine Perſarum, mutato; fratre Secundiano, uti diximus, ſublato; regnum capeſſivit, tenuitque XIX. annis. Cteſias, XXXV. ann. tribuit. 419.

I. Carion, neſcio ex quo, hunc non Longimani F. fuiſſe tradit; ſed eius tantùm ſororem in matrimonio habuiſſe.

Plutarc. Artaxerxe; Artaxerxem Mnemonem, huius filium, vocat Artaxerxis Longim. ex filiâ nepotem.

Genebr. more ſuo, in Hebræorum magiſtrorum verba iurate addictus, confundit Artaxerxem Longimanum cum Dario. quem Darium Longimanum, & Artaxerxem II. Pium appellat. cuius ſcilicet Annus XXXII. Nehem. c. 13. memoretur: quique reliquerit ARTAXERXEM & CYRVM filios. Quo mortuo, ex multis in Perſide motibus, confuſa ſit Regum apud hiſtoricos ſucceſſio. Quùm Euſebius mox Xerxem & Sogdianum regnâſſe adſerat; Thucydides Darium.

Et Artaxerxem III. regnâſſe dicit annis XLIX. ſub quo, ut quibuſdā placitum, Vrbs Hieroſolyma muris cincta ſit. & ESDRAS eum mandaus, ad res populi componendas, XIII. ante NEHEMIAM annis, in Iudæam venerit.

Ante hunc, Tertium, à profanis hiſtoricis, ſtatui, DARIVM NOTHVM: pòſt verò, OCHVM ARSAMEN. Sed ab illis ignorari hiſtoriam Perſicam. quæ ſic habeat.

ARTAXERXE III. (quem & Darium Perſam nominari, Nehem. 12. plerique putant) puero admodum, à Longimano, ſive patre, ſive avo; relicto; Satraparum ambitione, & varijs caſibus iactatum fuiſſe imperium; ut neſcias penes quos rerum ſumma foret.

Nam primùm DARIVS NOTHVS gubernacula invaſit. Hinc fratribus in ſeſe invicem armatis, OCHVS & ARSAMES. donec BAGOAS Eunuchus, Arſame interfecto, ARTAXERXEM iam virum, omni tyrannorum metu liberaret.

Iſtos titulo regio Græcis innotuiſſe, quòd foris bella gererent; dum intùs imperaret Artaxerxes, ex lege Perſicâ apud Herod.

Huic Darium Codomanum, Arſamis F. ſucceſſiſſe, quem ALEXANDER Macedo vicerit. Hæc Genebr. & Fregevil. in eàdem pænè inſiſtens veſtigia. Quæ refutare non eſt operæ-pretium. Et certa ex probatis ſcriptoribus Regum ſeries quam ſequimur & exprimimus, facilè convicerit.

DARIO NOTHO, ante-quam regnum adijſſet, II. ex Pariſatide (regis Artaxerxis ſorore) ſuſcepti erant liberi: AMISTRIS femina; & ARSACAS, qui poſteà Artaxerxes.

Ex eâdem, ſed regni iam compos, idem tulit CYRVM, à Sole nominatum. deinde ARTOSTEM, aliosque XIII.

At reliquis, è vitâ præpoperè migrantibus, tres ſuperfuére, quorum meminimus: & quartus OXENDRAS.

Sed poſtquam ARSITES, frater regis germanus: & ARTYPHIVS, Megabyzi F. à rege deſciviſſent; & ab ARTASYRA victore, eâ de cauſsâ, uterque morte multati eſſent: ea ſunt conſecuta, quæ pòſt memorabuntur, XIII. & XV. huius DARII annis.

INDVCIÆ IN GRÆCIS ANNVÆ.

Eodem anno, quùm Lacedæmonij atque Athenienſes annuas feciſſent inducias, hi quidem, ut BRASIDAM à recto proclivis victoriæ curſu revocarent: illi verò, ut quodam malorum laxamento, hoſtem caſibus adverſis iam fatiſcentem, ducerent; & longinquioris pactionis cupiditate, modò captivi apud Pylum redditi eſſent, inflammarent. Relictâ interim omnibus, ex patrio ritu, Apollinis Pythij, ad Delium, conſulendi; & in eos, qui pecuniam ſacram diripuiſſent, inquirendi atque animadvertendi, ex legibus, poteſtate. Et ut quæcumque pro tempore, ſuâ utrivis ditione, aut iure belli, tenèrent; eorum proprium alteutris ius, impenumque eſſet. Salvâ quoque caduceatori & legatis, ultrò citroque, terrâ ſeu mari, diſſolvendi belli, commeantibus, federum pacta ſervarentur.

Contigit interim, dum aſſiduè in colloquium ab utriſque, de maioris momenti, & federum conditionibus, ventitaretur; ut Scione urbs, Pellenæis vicina, ab Athenienſibus, biduo pòſt inita pacta; ad Braſidam deficeret.

Quam cum ille, licet de inducijs commonitus, reſtituere nollet; & præterea Mendenſeis, quos anteà clam tentárat, ultro ſe dedenteis, in fidem accepiſſet: eiuſque factum Lacedæmonij comprobarent. Tot iniurijs irritati Athenienſes, ſe adverſus utramque civitatem inſtruebant.

A quibus propediem claſsis, militumque adventum, in ſe, exſpectans BRASIDAS, liberos coniugeſque è dedititijs civitatibus, in Olynthum Chalcidicam, cum præſidio ſatis idoneo, traduxit. Ipſe intereà loci, unà cum Perdiccâ rege, in ARRHIBOEVM Lynceſten iterum contendens, & prœlio victor; dum fruſtrà & diutiùs Illyrij, Macedoni auxiliares, exſpectantur; de Mendâ, alijſque ſollicitus, regredi conſtituerat.

Macedones verò, alijque barbari, ubi nuntiatum eſt Illyrios, prodito Perdiccâ, ab Arrhiboeo ſtare, & iam-iam adfore; ſubito terrore perculſi, & in fugam effuſi, regem, vel inſalutato Braſidâ, illinc diſcedere coëgerunt.

BRASIDAS verò, ubi id reſcivit, quadrato agmine

suos pedetentim reducens barbarorum impetum egregiè sustinuit & elusit. & obvijs Perdiccæ militibus, qui regem sequi deseruissent, insultans, & iratus, vel iugis boum, vel vasis, eos spoliavit.

Vnde animorum, & in rege, & in subiectis, à Laconibus aversio; & pristinæ cum Atheniensibus amicitiæ consociatio, est consecuta.

Reversus autem è Macedonià, Toronam, Brasidas, Mendam ab Atheniensibus teneri offendit. Ipsi namque quo tempore res apud Lyncum gerebantur, classe L. navium, ducibus NICIA & NICOSTRATO, ad Mendam & Scionem missâ; post levia aliquot certamina, portis per seditionem apertis, & Peloponnesijs in Arcem profugientibus, in opidum admissi; & mox cum copijs irrumpentes; eam diripiunt; & vix à cæde sibi temperârunt. Iussique Mendenses pristinis legibus remp. administrare; & de defectionis auctoribus, per se, supplicium sumere.

Arce verò opidi, muro conclusâ, præsidioque ibidem imposito, adversus Scionen tetendêrunt. Vbi opidanis, qui cum Peloponnesio milite obviam prodierant; pugnâ intra mœnia compulsis; dum hi in muri similiter educendi opere occupantur; præsidiarij Lacones, qui in Arce Mendæâ obsidebantur; vi custodibus, ad mare collocatis, adlarâ, elapsi; & in Scionen, per hostium castra, ingressi sunt.

Tunc demum PERDICCAS, fœdere cum Atheniensium ducibus inito; qui Peloponnesijs in regnum suum posthàc patère aditum nollet; ISCHAGORAM Lacedæmonium, qui terrestri itinere exercitum ad Brasidam erat deducturus; ut neque per regnum suum; neque per Thessaliam, cum copijs & bellico apparatu transiret, prohibuit.

Lacedæmonij tamen, Civitatum, quas cœperant, præfecturis constitutis; & Athenienses, Scione muro vallisque obseptâ; ad tempus, ob inducias, ab ulteriore iniuriâ conquievêrunt.

Pet induciarium verò tempus, Delij, qui ab Atheniensibus ex Insulâ, & patriâ Vrbe, Delo, ob vetustum neglectæ expiationis crimen, fuerant summoti; à PHARNACE, Persâ, Atramyttæum in Asiâ incolendum accepêrunt.

BRASIDAS ET CLEON IN THRACIA CÆSI.

3532. | Annua fœderum, quæ utrimque intercessisse diximus, die, ad Pythia exeunte, | 418.

CLEON Atheniensis XXX. cum navibus, & lecto milite, in Thraciam profectus; Toronam, non sine civium & Laconum cæde, & miserabili superstitum captivitate; & deinde Galepsum, Thasiorum coloniam, intercepit.

Tum evocatis, PERDICCA Macedonum, & POLLE Odomantum regibus; neque exspectato copiarum auxiliariorum ab ijs adventu. quod sui, quos invitos domo abstraxerat, mussitarent; & ducis ferocis imperitiam graviter ferrent; ad Amphipolim, quasi expugnaturus, proximè accessit.

BRASIDAS autem clam in urbem ingressus, dum hostis vasa ad fugam colligit, & signum dat receptui; ipse, hinc factâ è portis eruptione, medium Atheniensium agmen adortus in fugam vertit. Inde, CLEARIDAS, alter dux, aliâ urbis parte, uti convenerat, cum altero exercitu, egressus; ex-inopinato utrimque hostem perturbavit. Quo in tumultu BRASIDAS quidem letali vulnere est adfectus: CLEON verò inter fugiendum interfectus. Et Athenienses, quos DC. pænè amissis, belli alea reliquos fecerat; Eionen se subduxêrunt: & inde domum renavigârunt.

PAX QVINQVAGENNALIS.

Sublatis itaque duobus principibus, qui præcipuè paci, è diverso, fuerant hactenus adversati. ille, ob honores, quos rebus bello prosperè gestis adsequi speraret. hic ob flagitia, quæ turbato civitatis statu latère faciliùs posse tebatur. animi, utroque in populo, ad pacem inclinare; & à duobus alijs, qui ad suæ uterque civitatis principatum, nec malis artibus, properabant, magis magisque alicæperunt.

Hi autem fuere NICIAS, Nicerati; & PLISTOANAX, Pausaniæ, Lacedæmoniorum regis, Filij: pacis uterque cupidi. Ille bello felix, & nullius cladis reip. auctor, sartam-tectam inter suos auctoritatem, cum felicitatis opinione coniunctam, retinère: Hic, ob inglorium, & suspicioni adfinem, ex Atticâ, nuper regressum, suis odiosior, se belli detrimentis, & inimicorum insidiæ, per pacem, eximere, avebant.

Coacto itaque semel atque iterum Senatu, postquam de alternis controversijs diu multumque disputassent: Lacedæmonij, socijs (præter Beotos & Corinthios, Eleos & Megarenseis, qui istius compositionis nuntio offendebantur) advocatis, cum Atheniensibus, his summatim conditionibus, pacem in L. annos fecere.

„ *Templa publica, & Oracula, adire & consulere, more maiorum, liberum cuilibet tutumq́, esto.*

„ *Fanum Apollinis, apud Delphos; ipsiq́, cives, cum subiectis; suis legibus indicijsq́,, & vectigalibus, utuntor.*

„ *Federa in annos L. Atheniensibus & Lacedæmonijs, & alterutrorum socijs, terrâ mariq́, doli damniq́, expertia, duranto.*

Si quid inter eos controversum; iure deciditor.

Amphipolim Lacedæmonij Atheniensibus restituunto.

„ *Et quascumque urbeis ij tradiderint, civibus, quò lubet, cum suis facultatibus, abire liceto.*

„ *Et quibus* ARISTIDES *tributi onus imposuisset; libera, & neutris sociæ sunto. nisi ultrò, vel amicè inductæ, Atheniensium societatem amplecti velint.*

Athenien-

,, *Athenienses, prater urbeis ex Laconicâ interceptas, captivos omneis Lacedamonijs : & hi vicissim Atheniensibus, quos haberent redonanto.*

,, *Iure-iurando, & publico & domestico, sese utrique, pactis hisce iustè & sedulò staturos, obstringunto. Quod, quot-annis, ab utrisque renovetur. & cippis lapideis, utrâque in civitate ; & in Olympys, Pythijs, & Isthmo incisum exstet.*

3533. Hæc federa icta, x. solidis pôst annis, (sive post x. æstates, totidemque hyemes, Thucyd.) & pauculis diebus, à I. in Atticam incursatione, huiusque belli initio. Verum ea, VI. tantùm annos, totidemque menseis, (Thucyd. x. ann. & alijs, VI. præterea mens.) durárunt. 417.

Sed quùm socij Lacedæmoniorum, & in primis Argivi, federa ea rata habere nollent ; Illi cum Atheniensibus societatem, etiam iure-iurando, & hisce conditionibus, inierunt. ,, *Vt si quis, intra L. annos, hostis in Laconicum agrum cum noxâ invaserit ; Athenienses pro virili, & sine dolo, opem ferant, vimq; arceant : Et paria Lacedamonij Atheniensibus prastent.*

,, *Adversùm servitia si insurgant, idem ius mutua tutela esto.* ,, *Et societatis ita inita, haud secus quàm federis, monimenta utrimque erigantor.*

At quantumvis ex convento, utrique, per annos VI. & menses X. ab invadendâ alterorum terrâ, temperárint ; Inducijs tamen non ita firmis & liquidis, foris alteri alteris, vehementissimè incommodare non destitérunt. Et exactis paullo-pòst, quos dixi, annis, in apertum, & priore acerbius, mòx bellum erupérunt.

Quare non iniuriâ fides habita oraculo, quo, *ter novenis annis* (XXVII.) *bellum hoc gerendum* ; & licet interruptè, *duraturum* esse, fuerat prędictum.

Et certè pactio, quę intercessit ; spatio belli adscribenda censeatur. quòd ea omnia, de quibus convenerat, neque tradita fuerint tempori, neque recepta.

Corinthij in primis, qui Lacedæmone, inter ceteras Peloponnesiorum legationes, malè pacati discesserant ; Argos profecti, servitutis universè impendentis ex novo federe, & Lacedæmoniorum Atheniensiumque inter se societate, (quæ, sine perfurij culpâ sibi indulsisset, addere vel demere, quod utrisque visum esset) metum obtendere ; & nova malo remedia quærere cœpérunt.

Et Argivi (quorum federa cum Lacedæmonijs tricennalia in exitu erant ; & Peloponnesi principatum, ex præsenti rerum statu, spe animisque præsumebant) XII. Viris, è suo corpore delectis, potestatem fecérunt ; ut quam-libet Græci nominis, (præter eos, quos commemoraui) civitatem, novâ secum societate adiungerent.

Et ad eos primi Mantinéi, cum socijs ; & deinde plerique Peloponnesijs transiérunt. Postremò Eléi cum Corinthijs ; & utrique mòx cum ijsdem Argivis societate sunt coniuncti. & Corinthiorum exemplo, Chalcidenses Thraciæ.

Boeoti & Megarenses ; à Lacedæmonijs in federe contemti, licet idem sentirent ; hâc caussâ quievérunt, quòd popularem Argivorum statum, ipsi paucorum dominationi insueti, Laconicę reip. posthaberent.

Eâdem æstate, postquam Athenienses Scionen expugnássent ; & puberibus interfectis, pueros mulieresque in servitutem redegissent ; agrum, vagis adhuc à patriæ ruinâ, Platæensibus ; incolendum attribuérunt. Et Delios, ipsi cladibus, & Oraculo Delphico, admoniti, in Insulam, & urbem natalem, ex Asiâ reduxérunt.

Corinthij, quùm frustrà, unà cum Argivis, Tegeates ad defectionem, à Lacedæmonijs, solicitassent ; Boeotorum intercessione, inducias tantùm, extra fedus, ab Atheniensibus sunt consecuti.

Lacedęmonij verò Parrasios in Arcadiâ, Mantinéis obnoxios, in libertatem adseruérunt. & murum in Cypselis, Mantineorum præsidio insessum, & Sciritidi regioni infestum, excidérunt.

Servos, sive Helotas, qui Brasidæ, in Thraciâ, fidelem militiæ operam navárant ; in Lepræo, quod ipsi ex Mantinéis interceperant, collocárunt.

Eos verò, qui in Spagiâ, cum armis, hosti se tradiderant, iam ex pacto receptos, ignominiâ adfecérunt, & capite in præsentiâ imminuérunt.

Et dum illi Amphipolim Atheniensibus restituere cunctantur ; hi vicissim à reddendâ Pylo supersedérunt : Messenijs tantùm, & transfugis, inde, in Cephalleniam, translatis.

Intereà verò Boeotorum & Corinthiorum legati, hinc ab Ephoris, Cleobvlo & Xenareto, Spartæ clam interpellati, ut unà cum Argivis ad Lacedæmoniorum societatem redirent. Et Boeoti quidem Panactum sibi traderent ; ut receptâ, pro eo, Pylo & captivis, bellum Atheniensibus expeditiùs facesseretur. Et inde ab Argivis obiter ad parem secum, cum Corinthijs, Eléis & Mantinéis, societatem invitarentur. quæ sive bello gerendo ; sive paci cum quibuscumque componendę, par esset futura. re ad IV. Boeotorum Curias delatâ ; incuriâ quâdam, & negotiorum procrastinatione ; utrique frustrà fuére.

At Boeoti iterum à Lacedæmonijs rogati, ut sibi Panactum (medium, Thebas inter & Athenas, castellum) cum captivis Atheniensibus, traderent ; dum illi coitâ secum separatim societate, reddituros negássent ; Lacedæmonij, tum præ Pyli recuperandæ desiderio ; tum pro expromtiore in Boeotos animorum inclinatione, summâ cum Atheniensium & mutui federis iniuriâ, societatem fecére. & illi tamen Panactum funditùs excidére.

His de caussis Argivi, qui se ab omnibus deseri & Athenienses istius novę societatis conscios esse, opinarentur ; missis Lacedæmonem Legatis, de federe faciendo agere cœperant. Sed quùm Athenienses, non modò ob Panacti excidium ; verùm ob nuperam etiam, cum Boeotis, pręter fas, societatem, à Lacedæmonijs alienati essent ; & ad federa cum

ra cum ijs ſolvenda, (ALCIBIADE, Cliniæ F. acerrimo NICIÆ, qui Laconici federis auctor fuerat; adverſario, inter cæteros, ſatagente) proclives; Argivi, ab eodem Cliniâ ſolicitati, omiſſo compoſitionis, cum Lacedæmonijs inſtitutæ, negotio, ad Athenienſeis animum advertérunt: civitatem olim ſibi amicam, & pari ſecum popularitatis ſtatu degentem.

Quùm itaque ipſorum legati, cum Eléis & Mantinéis, Athenas venuſſent: & Lacedæmonij, miſſâ properè & viciſſim legatione, intercederent. Et hi, quod in Senatu apertè confirmárant; *Se ſcilicet cum abſolutâ de rebus controverſis tranſigendis poteſtate veniſſe*; idem verſutâ ALCIBIADIS machinatione, & Pyli à ſe reddendæ pollicitatione perſuaſi, palam populo pernegarent; ceu leves & vani, exploſi eſſent.

Neque NICIAS, Alcibiadis adverſarius, Spartam è-veſtigio ſubmiſſus, æqui quidquam reportâſſet: Athenienſes, auctore, quem dixi, ALCIBIADE, cum Argivis alijſque ſocijs, federa & ſocietatem, in annos C. pepigérunt. eâ ferè formâ, quâ anteà inter ſe Lacedæmonij & Athenienſes pacificârant.

3535. | Idque anno DARII V. & belli Peloponneſ. XII. | 415.

Quùm tamen ob hæc federa, ea quæ inter Spartanos & Athenienſeis convenerant, à neutris abolerentur; Corinthij, mutui auxilij, quod antè inter ſe promiſerant, conventione contenti, haſce, de belligerando, deque pacificando cum ijſdem hoſtibus, leges accipere renuérunt. Atque ita rurſus ad Lacedæmonios animum adpulérunt.

Poſteà verò quàm Boeoti, Heracleam, in Trachine, à vicinis Dolopibus & Melienſibus, prœlio adverſo graviter adflictam, in fidem ſuam accepiſſent; veriti ne ea Athenienſibus patéret; nihilque tempeſtivi à Lacedæmonijs, novo bello implicitis, ſubſidij adferretur.

Et Olynthij Mecybernam, præſidio Athenienſium eiecto, ſibi ſubegiſſent:

ALCIBIADES, cum paucis Athenienſium armatis, & Argivis, eorumque ſocijs auxiliantibus; in Peloponneſum profectus; priùs apud Patras; deinde apud Epidaurum, quam occupatam vellent; multa molitus, fruſtrà fuit.

Quemadmodum & Lacedæmonijs, eodem tempore, adverſus Lycéum & Caryas, expeditio, irrita exſtitit.

Sed quùm hi, clam Athenienſibus, CCC. milites mari Epidaurum præſidio ſubmiſiſſent; Athenienſes, ut & Argivis gratificarentur, & periurium ulciſcerentur; ſervitia è Cranijs Cephalleniæ, ad latrocinandum, in Pylum iterum transduxére. cætera quieti.

3537. | Hic annus DARII VII. & bell. Pelopon. XIV. | 413.

BELLVM EX FEDERE VIOLATO.

Lacedæmonij nihilo-minus, deteriora veriti, duce AGIDE, Archidami F. rege ſuo, cum Tegeatis & Arcadibus, (dum cæteri è Peloponneſo, & extrà, ſocij, (Corinthij, Boeoti, Megarenſes, &c.) ad Phliuntem cogerentur) adverſus Argos contendunt.

ET PVGNA AD MANTINEAM.

Et Argivi, cum Mantinéis & Eléis, in aciem progreſſi, (nondum enim Athenienſium copiæ, CIↃ. armati, & CCC. equites advenerant) locis & cornibus utrimque ſubinde mutatis, & levibus prœlijs commiſſis; tandem circumventi, & pænè ab urbe ſuâ (cuius propinquitate & receptu maximè fidebant) ſecluſi. (quos ex parte campeſtri, Lacedæmonij: & ſupernè Corinthij, cum Phliaſijs & Pellenenſibus; atque ex Nemeâ, Boeoti, cum Sicyonijs & Megarenſibus; tam atrocis periculi improuidos, undique cingebant, & tantum-non ad manus cominùs conſerendas veniebant) inopinato & ſalutari duorum è ſuis virorum, THRASYLLI ducis, & ALCIPHRONIS Lacedæmoniorum hoſpitis, conſilio prudentiâque, cladem apparentem effugérunt.

Quùm illi namque, vel multitudinis iniuſſu, & pro re natâ, cum Agide collocuti, ne prœlium fieret; pacem ab Argivis, icto federe, æquiſque legibus colendam, propoſuiſſent: tum AGIS, nemine è ſuis, præter unum è magiſtratu; neque è ſocijs ullo, in conſilium adhibitis; IV. menſeis pactus, (intra quos ea, quæ ſibi propoſita erant, conſtituerentur) exercitum abduxit.

Vnde graves utrimque, ob tam inopinati ex acie deceſſus, & clandeſtini de federe colloquij molimen; querelæ tam Lacedæmoniorum in Agidem regem; quàm Argivorum in THRASYLLVM ducem; (quorum utrique de alteris, quaſi certam ex eo prælio victoriam, animis tum præcepiſſent, & elapſam ſibi occaſionem delerent) exortæ ſunt.

Athenienſes, qui iam cum copijs, ducibus LACHETE & NICOSTRATO, in tempore advenerant; ab Argivis, quos ducum ſuorum pacta ſolvere pigéret, pænè reiecti, tandem & ipſos & ſocios, coram ALCIBIADE tum legato, induxére, ut adversùs ORCHOMENVM Arcadicam univerſi contenderent. Quam ubi, datis obſidibus, & pactâ ſocietate, cepiſſent; ad Tegeam obſidendam, Mantineis gratificaturi, ſeſe accinxérunt. Eléis tantùm, qui Lepréum tentari maluiſſent, indignantibus, & domum reverſis.

Lacedæmonij hiſce nuntijs perculſi, vix à vi in AGIDEM (à multâ irrogandâ, & ædibus eius diruendis) abſtinuére.

Erad-

Et adlectis x. Spartiatis, à quorum consilio ipse penderet, regiam in militiâ potestatem coercuérunt.

Deinde summâ cum celeritate, omnibusque Ilberorum & servorum copijs, manuque Arcadum adscitâ, & socijs ad Mantineam evocatis; ad Tegeam, quam defecturam à se metuerent, perveniunt. Et depopulato Mantineorum agro, ad Herculis Templum castra metantur.

Argivi eos conspicati, quùm locum munitum arduumque insiderent, & ad pugnam se instruérent: ijsque sine morâ, ab AGIDE, intra teli iactum, obviam iretur. atque is, mutato mòx, & prudenter, consilio, copias aliò abduceret: & aquam, utrisque, ob damnum & vastitatem agrorum, controversam, ex agro Tegeatico in Mantinicum, eo consilio deriváret; ut hostem è colle, quem tenebat, ad aquam à se divertendam eliceret, & sic in plano prœlium faceret.

Illi astutæ molitionis ignari; & in duces, à quibus se iterùm proditos, & hostem elabi permissum opinabantur; militari tumultu concitati; ab ijsdem istiusmodi insectatione perturbatis, è tumulo, in planum; & acie instructâ, ad manus cum hoste, quà-quà nacti essent, conserendas, educti sunt.

Lacedæmonij vicissim, ab aquâ, quam dixi, in eadem, ad Herculis-Templum, castra reversi: & in hostem, ex-adverso, & instructâ cominùs acie iam compositum, delapsi, summoperè trepidare cœpérunt. quibus exiguum sui instruendi momentum relinqueretur.

AGIS nihilo-minus, ex imperio & disciplinâ quàm celerrimè suos sociosque instruxit. Et licet Sciritæ, cum Brasidianis, qui in sinistro erant cornu, à Mantinéis, & CIↃ. Argivorũ delectis, in fugam versi cederentur; ipse in medio versans agmine, factâ in veteranos, & v. cohortaleis Argivorum, & in Atheniensium ordines, impressione; plerosque loco pellit, aut proculcat.

Sed eodem, ad cornu suorum, quod iam loco cesserat, universis cum copiis, digresso; Athenienses, cum Argivis iam profligatis, per otium in tuta evasérunt.

Quin & Mantinei, cum Argivis alteris, quos dixi; alterâ ex parte victores, destinatum in se solos Lacedæmoniorum impetum, paucis desideratis, neque hoste diu aut procul persequente; lentâ fugâ declinârunt.

Hoc maximè memorabili prœlio, amissum diu bellicæ laudis decus Lacedæmonij, cum AGIDE, recuperasse visi.

Quùm verò intereà Epidaurij in agrum Argivum, à præsidio vacuum, incurrissent: & Lacedæmonij, à victoriâ, Carneorum celebritatem agitarent: Athenienses, quibus CIↃ. ex suis recentes, & III. Eleorum CIↃ. Mantinéo prœlio iam gesto, auxiliaria accesserant: opus inter se partiti, adversus Epidaurum contendérunt: & Vrbem muro cingere, & arcem Iunoniam exstruere, gnaviter sunt adgressi.

FEDVS ARGIVORVM CVM LACEDÆMONIIS.

Lacedæmonij autem, Carneis peractis, ad expeditionem accincti, quùm in Tegeam venissent, ultrò Argivos ad pactionem invitârunt. Quod ijs, qui à statu populari inter eos abhorrebant: & post prœlium, in vulgum erant validiores, gratum fuit. & pactum hâc formulâ inter utrosque est constitutum.

Argivi, Orchomenijs liberos; viros Mænalijs, & eos, qui in Mantineâ; Lacedæmonijs redderent.

„ *Ex Epidauro præsidium, muro exciso, educerent.*

„ *Athenienses, nisi illinc decessissent, communes cum Lacedæmonijs hosteis caperent.*

„ *Lacedæmonij vicissim, si quem puerum penes se habeant, sua quemque civitati restituerent.*

„ *Libertas Peloponnesijs civitatibus sarta-tecta esset.*

„ *Mutui auxilij & defensionis, adversus vim hostilem, ratio constaret.*

His ita constitutis, & Lacedæmonijs è Tegeâ domum reversis, quùm mutuum inter se commercium haberent; rursùs viris utrinque delectis inter se transegérunt. Vt Argivi, missâ Mantineorum, Atheniensium & Eleorum societate, cum Lacedæmonijs hoc federe in annos L. consociarentur.

„ *Vt æquo & pari iure, & ex patrijs moribus, pœnas darent.* (rei dederentur, ut in eos animadvertatur.)

„ *Liberæ & sui iuris civitates, quibus hoc fedus commune, sui territorij iurisdictionem obtinerent: & paribus pœnarum legibus obstringerentur.*

„ *Socij utrorumque, extra Peloponnesum, æquali cum illis, in suo quisque territorio, conditione essent.*

Sicubi communi opus exercitu, utrique de sociorum iudicio consultent; & de controversijs rerum disceptent.

Siqua sociarum civitas cum alterâ dissideat; ad eam civitatem accederet, quæ æqua utrisque videatur.

„ *Civium dissidia patrio ritu dirimerentur.*

Adiectum federi: Atheniensium legationem neutiquam admittendam, nisi relictis ad Epidaurum muris, è Peloponneso excessissent. Pactionem cum nullo ineundam; neque bellum, nisi communibus auspicijs, suscipiendum.

Athenienses verò ab Argivis eâ de re interpellati, Epidaurijs ipsis, renovato priùs cum illis federe, murum restituérunt. Mantinéi, ab Argivis ita deserti, vel reluctantes, cum Lacedæmonijs, dimisso urbium municipalium principatu, pepigérunt.

Et ipsi utrique, ceu susceptâ cum bis-millenis expeditione, Sicyoniorum statum ad paucos redegérunt. Deinde sublato apud Argos populi dominatu, parem Oligarchiam constituérunt.

POPVLA-

POPVLARIS APVD ARGIVOS SEDITIO.

3538. | 412.

Verùm anno consequente, plebes Argiva, resumtis animis conspirans, eo tempore, quo Lacedæmonij Gymnicum certamen exercére instituebant; impetu in paucos præpotentes facto, & pugnâ commissâ, victrix, partim adversariorum obtruncat, partim relegat.

Et Lacedæmoniorum, qui ab exsulibus solicitabantur, metu, resartâ rursus cum Atheniensibus societate, Longos ad mare usque Muros excitârunt; quò mari, ad se, ex Athenis commeatus inveheretur.

Illos nihilominus Lacedæmonij, nondum adfectos, bello illato, diruérunt: & Hysias, agri Argivi, ad Inachum, opidum, cepérunt. Quam iniuriam Argivi, regione Phliasiorum, qui exsules receperant, depopulatâ, redhostiérunt.

3539. | 411.

Athenienses, postquam PERDICCAM, uti suspectum hostem, à Macedoniâ exclusissent: & misso cum navibus ALCIBIADE, rem Argivam, ccc. eorum, qui cum Lacedæmonijs sentire putabantur, comprehensis, constituissent; ad Melum Insulam, Lacedæmoniorum coloniam; ut ab Atheniensium imperio, inter cæteros eo in tractu Insulanos, abhorrentem; ita neque-dum hostilem, cum suâ & sociorum classe, militibusque, navigárunt.

BELLVM MELIVM.

Et missis ante noxam legatis; in colloquium cum Melijs venére. quod novo more, clam multitudine, in consessu paucorum; adpositis ad ea, quæ in medium proponebantur, utrinque & breviter responsis de Æquo & Utili præsertim, fuit institutum.

Quumque ab ijs Athenienses ad postremum postularent: *Ut societatem secum inirent; & sub tributo, patriâ regione porrò potirentur:* Illi verò verò *civitatis* à se iam DCC. per annos habitatę, *libertatem* tam brevi tempore, *amittere, an prodere!* recusarent. sed & fortunâ, quæ ad eum usque diem ipsos divinitùs esset tutata; & ope sociorum, præsertim Lacedæmoniorum, fretos, se eamdem conservaturos esse sperarent. res ad bellum conversa, & urbs muro conclusa est.

Et quantumvis initiò Melij graviter se tuerentur; & semel iterumque erumpentes murum, quo obsepti tenebantur, non sine clade hostium, cepissent. ad extremum, omni ope ab Atheniensibus, iam novo copiarum supplemento auctis, oppugnati, non sine intestinâ inter ipsos simultate, sese hostis arbitrio dedidére.

Ex quibus quùm illi puberes interfecissent; pueros autem & feminas in servitutem redegissent; Insulam cum opido, missis paulo-pòst D. colonis, sibi vindicárunt.

BELLVM SICVLVM.

Tunc temporis Athenienses in bellum, haud multò minus, quam quod cum Peloponnesijs susceperant, sese ultrò præcipitárunt. (Diodor. Sic. lib. 13. hoc bellum susceptum tradit, DCCC. post Troiæ excidium, annis) sive studio maioris imperij, quo Asiam Græciamque penitùs occupârant: seu metu crescentis Syracusanorum, qui Lacedæmonijs amici atque obnoxij essent; potentiæ. specie certè ferendi socijs, & cognatis Chalcidensium civitatibus, auxilij, Siciliæ imperium, maiore denuò classe, & robustiore exercitu, quàm anteà, tentare decreverunt.

Ad quod eos in primis, qui aderant, Egestæorum legati, acriùs opem adversùs Selinuntios & Syracusanos implorantes; & metum de mutuis Dorum auxilijs; exaggerantes, magnamque pecuniæ vim à se pollicentes, impulérunt: Ut Legati ex ipsis, in Siciliam, tum de pecuniæ, tum de belli statu cogniturі, mitterentur.

Intereà cum Lacedæmonij Argivorum exsules in Orneas transscripsissent; Athenienses, cum DC. Armatis, & omni Argivorum populo, urbem eam, fugientibus civibus vacuam, cepérunt & diruérunt. Deinde, transportatis mari ad Methonen, Macedoniæ conterminam, equitibus, PERDICCÆ, sibi infesti, regionem obiter sunt depopulati.

3540. | Et anno demum consequente, (qui XVII. belli, & DARII X.) | 410.

Classem LX navium, in Siciliam, ducibus, summâ cum potestate delectis, ALCIBIADE, NICIA & LAMA-

LAMACHO; mittendam decrevérunt.

Qui non modo Egestanis opem ferrent; sed & Leontinos, urbe suâ pulsos, in pristinas sedes restituerent: & pro re natâ, alia reip. suæ utilia, in ea Insulâ, transigerent & patrarent.

NICIAS, qui Civitatis suæ consilium, delatumque sibi imperium, non probaret; quod exili in speciem prætextu tota Sicilia (res ardua) peteretur: & bellum ipse patriæ periculosum prospiceret. Nullis-dum finitimorum pacatis; & bello Peloponnesiaco, quod negotij erat plenum, ardente: populum ab illâ expeditione dehortari conatus est. Monuitque, ne rerum novarum cupidis, & adolescentibus hominibus, qui nihil libentiùs faciant, quàm ut rem & gloriam privatam ex reip. detrimentis, aut perturbatione, quærant; in præsentia auscultarent, aut morem gererent.

ALCIBIADES contrà, qui concioni illi intererat; genere, opibus, eloquentiâ florens; sed iuvenili insolentiâ ferox. (Dux etiam designatus, si populus, uti cæperat, eam expeditionem sciscere pergeret) quòd oratione NICIÆ, & se, & aliquot secum Iuvenum immodicam magnificentiam atque ostentationem, non obscurè carpi senserat; populo eam navigationem & expeditionem, uti utilem & necessariam, suadere adnixus est.

Necessariam quidem; ne socij deserantur; neve Atheniense imperium, propter inertiam, minuatur.

Vtilem verò; quia confirmatis sociorum, in Siciliâ rebus, hosteis Atheniensium debilitari necesse sit. *Sic enim, multis iuvandis, Atheniensium opes crevisse.*

NICIAS, qui vehementi Alcibiadis oratione, & Siculorum, qui aderant, lacrymis precibusque, commotos esse Cives, & pænè inductos senserat; quùm se dissuadendo nihil profecturum intelligeret; accessit ad dicendam de-integro sententiam: Quâ adparatûs, in id bellum quam-copiosissimi, decernendi auctor videri, an esse! voluit.

Eo quidem consilio; ut sive non probasset, quod ipse malebat; populus, rei sumtuumque difficultate deterritus, consilium belli abijceret. Sive persuasisset; saluti suæ, & imperij delati dignitati atque existimationi, cautum esset: instructiorque ad res gerendas accederet. Se, si cui secùs videatur, magistratum non illubenter cedere.

Athenienses verò ne propter difficultatem quidem instruendi adparatûs, à cupiditate navigandi destitérunt. Sed magis magisque animati, e-vestigio summam Imperatoribus delectis, tum quo-ad copiarum numerum; tum quoad navigandi rationem, potestatem attribuérunt.

Prius-quam classis iam procincta exiret; accidit, ut unâ nocte omnes Hermæ (quadratæ Mercurij statuæ, tàm in privatarum, quàm sacrarum ædium vestibulis, collocari solitæ) capitibus detruncatis circumciderentur.

Hoc quùm adparéret, non sine magnâ multorum consensione, esse factum. quod non ad privatam, sed ad publicam rem pertineret: magnus multitudini timor est iniectus, ne-qua repentina vis in Civitate exsisteret; & libertatem populi opprimeret.

Id maximè expetere in ALCIBIADEM videbatur; quòd & potentior, & maior, quàm privato Civi satis esset, existimaretur.

Multos enim liberalitate devinxerat; & plureis patrocinio operâque forensi, suos reddiderat.

Quâ re fiebat, ut omnium oculi, quotiescumque in publicum prodiisset, in eum converterentur: & ipsi in eo, ut spem maximam; ita timorem vicissim haberent. quod & obesse plurimum, & prodesse poterat.

(Vti Athenis Veneres omnes, ad Phrynes, Thespiacæ meretricis, formam à pictoribus effingebantur; ita statuarij Hermas Alcibiadi simileis efficiebant. Quod probro sibi vertebat Alcibiades.)

Hâc præthereà infamiæ notâ adspersus est; quod in domo suâ facere mysteria traduceretur: idque non ad religionem, sed ad coniurationem pertinere censeretur.

Quo crimine quùm in contione ab inimicis compellaretur: & tempus ad bellum proficiscendi instaret. ille non ignarus popularis consuetudinis, postulabat; siquid de se agi vellent; potius in præsentem quæstio haberetur, quàm absens invidiâ criminis oneraretur.

Inimici verò eius, veriti, ne si in contentione persisterent, militum ab eo animi abalienarentur; neve plebes eidem obsequens relanguesceret; (eius enim caussâ Argivi, & nonnulli ex Mantinéis, comites erant expeditionis futuri) quiescendum in præsenti, quia nocére ei non posse intelligebant, sibi duxérunt. Maturè navigaret: sed reversus ad diem iudicio se sisteret. Illud autem tempus exspectandum decrevérunt, quo exísset: ut sic absentem adgrederentur; & convictum, conflatâ iam invidiæ atrocitate, revocarent & damnarent.

Adultâ itaque æstate, in Siciliam, non sine solennibus votis, pulcerrimâ & instructissimâ classe, navigatum est. Et primùm, ex Ægina, in Corcyram, quò cætera sociorum manus iussa erat convenire, cursu contendérunt; ut ad Iapygiam promontorium, Iönio mari, frequentes transmitterent.

Syracusani, licet de belli in se adparatu, & classe deductâ, rescivissent; bonam tamen partem falsâ de illorum navigatione adferri putabant. atque ita omnis apud ipsos defendendi suî adparatio iacebat.

Erant alij, qui adseverarent, hosteis ita, uti iactabatur, instructos venire, & brevi adfore. In his HERMOCRATES erat. qui concione habitâ, illis tum inanem confidentiam, tum metum eripere adnixus est. Et quas societates adiungi; quam belli administrandi rationem esse velit, ostendit.

In reliquam Siciliam, in Italiam, Carthaginem, Lacedæmona & Corinthum, mittendos esse, qui vel ad opem sibi ferendam: vel ad bellum communibus hostibus è propinquo facessendum, omneis adhortentur.

ATHENAGORAS veró, qui Tribunatum plebei gerebat, & eloquentiâ gratiâque haud minùs pollebat: expeditionem autem illam Atheniensium commentitiam putabat. graviter adversatâ oratione in eos invectus est, qui in diversâ erant sententiâ. Illos rumorum istiusmodi auctores increpans, atque adfectati dominatus insimulans.

Et, si fortè, ut fertur, hostes adveniant; Syracusas ipsas, ne-dum Siciliam omnem, ijs, qui ab equitatu sint imparati, debellandis; viribusve eorum paullatim consumendis, pares fore. Neque exscensionem eos facere ausuros, quos equitatus indigena facilè à litoribus arcére possit.

Quidam nihilo-minus è magistratu, cæteris prudentiores, & hostium consilia foris exploranda, & minimè negligendum domi armorum adparatum censebant.

Intereà Athenienses è Corcyrâ in Siciliam transfretabant, cum triremibus xxxiv. suprà c. Et st. Rhodiorum biremibus. (Quâ classe amplius v. armatorum CIↃ. vehebantur. Diod. Sic. l. 13. scutatorum, funditorum & equitum, πλείους ἑπτακισχιλίων, hoc est, plus septies-mille. Male Interpr. suprà Decem & Septem millia) præter naves frumentarias, & alias onerariarum adseclas.

At illi dum Italiæ oram legunt, neque à Tarentinis, neque à Locris in Vrbem recepti; ad Rhegium castra communiérunt; & navibus subductis aliquantisper conquievérunt. Non quidem intrá muros admissi; sed foro rerum venalium præbito recreati.

Ibi quùm & Rhegini Leontinis, cognatis, opem ferre, & unà militare recusâssent; & dromades, quæ præcurrere iussæ erant, ab Egestâ iam reversæ; Atheniensibus renuntiâssent, exiguam illic pecuniæ vim, vix ad xxx. talenta, repræsentari. qui monteis anteà aureos polliciti essent, & per Legatos in speciem obiecissent. mira inter duces de belli ratione & eventu, consultationum & sententiarum fuit perplexitas.

Tandem, licet Alcibiades, præter spem, Messanenseis ad societatem impellere nequisset; Duces, LXX. ex omni numero navibus, milite & rebus necessarijs completis, (uno ex ipsis cùm cæterâ classe ad Rhegium relicto) in Naxum transmittunt: & ab ijs intrà Vrbem recepti, Catanam navigant.

Et hic, præter aliquot duces, non admissi, cursu ad Syracusas converso; & caussâ adventûs sui, per caduceatorem, navi egressum, palàm denuntiatâ; LEONTINOS scilicet in patriam suam reductos velle. Et situ Vrbis portuumque explorato, ad Catanam reversi; & valvis cuiusdam posticæ effractis introgressi, ad faciendam secum societatem eos adegerunt: & accitis exercitûs è Rhegio reliquijs, ibidem castra communiérunt.

Hinc inani quodam nuntio exciti, & ad Camarinam tentandam frustrà profecti, quum in agrum Syracusanum descendissent, prædasque egissent: & nonnulli ex palantibus ab equitatu Syracusano cæsi essent; Catanam repedárunt.

At ijs autem à classis discessu, Quæstio de Hermis, & Mysterijs violatis, institui cœpta erat. Et quùm improbis iudicibus fides publicè haberetur; probi permulti cives comprehensi & in vincula fuerant coniecti. Et instigantibus, quos dixi, æmulis, Alcibiades quoque, qui insimularetur mysteria Initiorum Cereris, nullo magis quàm silentio solennia, enuntiavisse; absens, sacrilegij reus factus est.

Quam suspicionem circà idem tempus auxerat levis quædam Lacedæmoniorum, ad Isthmum usque, expeditio; quæ non Bœotorum caussâ, ut iactabatur; sed illius & coniuratorum operâ, de-composito venisse ad urbem capiendam, iudicaretur. & exortus de Alcibiadis apud Argos hospitibus metus, ne in plebem grassarentur.

Navi itaque ille Salaminiâ in Siciliam missâ; domum ad caussam dicendam, una cum aliquot militibus, criminum consciis, redire iussus; & Thurios in Italiam pervectus, quod utilissimum sibi ratus esset impendentem ab immoderatâ invidorum civium licentia & crudelitate; tempestatem evitare; clàm se à custodibus nauticis subduxit. & indè primùm Elidem, dein Thebas pervenit. Quo nomine ipse, ceu vadimonio deserto, capite ab Atheniensibus est condemnatus.

(Iustin. Sive conscientiam, seu rei indignitatem non ferens, tacitus in exsilium, Elidem, profectus est. Indè ubi non damnatum se tantùm, verum diris etiam, per omnium sacerdotum Eumolpidarum religiones devotum, cognovit; Lacedæmona se contulit.)

Reliqui Atheniensium in Siciliâ duces, in Selinuntem atque Egestam navigant. hic quidem de pecuniâ stipendiariâ cognituri: illic verò, de rebus & controversijs illorum exploraturi.

Et peditatus quidem, Siciliâ peragratâ, Catanam redijt: Naves verò, quæ prædam centenûm talentum portabant, oram sociorum maritimam circumvectæ, & Hyblam frustrà adgressæ sunt.

Intereà Syracusani equites, resumtis ex Atheniensium ignaviâ, & infelici rerum successu, animis, ad castra usque provecti insultabant.

Sed ijsdem vanâ proditionis fiduciâ, cum toto urbanarum copiarum robore, ad Catanam profectis; Athenienses, omnibus suis in naves de nocte impositis, & intrà portum Magnum transmissis; haud procul ab Vrbe idoneum castris metandis locum, versùs Olympeium, occuparunt; & stationes saxis arboribusque communiérunt.

Et postridie in adversarios, iam Catanâ reduces, & ex-adversum tendenteis, iustâ acie & collato pede prœliati, turbatos in fugam vertére. & cæsis iam ad CC. ab equitatu hostili prohibiti sunt, quò minus longè persequerentur, & cladem maiorem inferrent.

Illi hâc re gestâ, quùm pro foribus esset hiems, anni tempus incommodum; & ab equitatu imparati essent; Naxum & Catanam, in hiberna, concessêre. Viribus undique per otium contractis; & civitatibus ad societatem, aut defectionem solicitatis; maiore cum adparatu, sub veris initium, Syracusas tentaturi.

At Syracusani delectos, & summæ rei præpositos, Imperatores III. HERMOCRATEM, HERACLIDEM, ET SICANVM, Legatorum nomine, Corinthum & Spartam, confirmandæ societatis, & auxilij adversùs communem hostem implorandi, dimisere.

Et Vrbem ipsam eductis aliè muris; Megara quoque & Olympeion, præsidio firmârunt. & ad Catanam profecti, non modò agrum vastárunt; sed castra etiam Atheniensium, & deserta tabernacula, incendérunt.

Postquam suscepta ad Messanam expeditio, Alcibiade iam exsule, proditionem, cuius illic institutæ conscius fuerat, Syracusanorum amicis patefactam; Atheniensibus irrita cecidisset. Et ipsi à Camarinæis verba tantùm, pro societate, quam ambierant, accepissent. Commo[illegible] cum Syracusanis bellaturos rati, [illegible] Siciliæ ab ijs avertissent, & ad suas partes deduxissent; dabant operam, ut eum quam-plurimis societates contraherent. & in his Camarinam præcipuè solicitabant.

At Syracusani, missâ vicissim legatione, quam HERMOCRATIS [illegible], contrà nitebantur: & à societate externâ eos deterrebant. Qui dicerent; Atheniensium expeditionem, in totius Siciliæ perniciem esse comparatam.

Ex adverso EVPHEMVS, Atheniensium legatus, suæ reip. Imperium honestissimis rationibus partum, & ab omni iniquitate alienum esse ostendit: & suspicionem appetitæ à se in Sicilia dominationis infirmat. qui potiùs rogati patronum Insulæ, adversùs impotentiam & opes Syracusanorum, susceperint: & securitati etiam suæ consultum, ijs in ordinem redactis, voluerint.

Camarinæi verò, qui præter adfectati imperij suspicionem, ergà Athenienseis quidem benivoli essent: cum Syracusanis verò, uti conterminis, semper controversias haberent; æquale utrisque responsum dedére. Quoniam bellum inter eos gereretur, qui ipsis æquali societate essent coniuncti; videri sibi è iure-iurando esse, neutris in præsentiâ contrà alteros auxilium ferre. Licet modico posteà equitatu, ne absque se superiores illi evasisse gloriarentur, rem Syracusanam levárint.

Et vicissim è Siculis Mediterraneis complures, ab Atheniensibus steterint: & commeatum in castra, iterum ad Catanam posita, comportárint.

Legati verò Syracusanorum, quos Corinthum Spartamque missos diximus; & præter-vehentes, Italicas civitates solicitárant: à Corinthijs primum, pro vetustæ, ab ARCHIA usque Heraclide, urbis conditore, cognationis iure, amicè accepti, & de auxilio benè sperare iussi: deinde, ijsdem ad intercedendum comitantibus, Lacedæmonem venérunt. Quò & ALCIBIADES, cum exsilij socijs, priùs è Thurijs in Cyllenen Eleorum navi onerariâ advectus: deinde ab ipsis Lacedæmonijs, datâ fide, accitus, è-vestigio concessit. Et quùm eadem unà cum Syracusanis Corinthijsque in concilio postularet, ac suaderet; neque Ephori & magistratus, quantumvis dissidium cum Atheniensibus probarent, ad ferenda peregrè auxilia satis inclinarent. Oratione tamen Alcibiadis, qui vindictâ in Athenienseis ardens, anteactæ vitæ invidiam, & præsentem fraudulenti animi suspicionem facilè exemisset; & consilia hominum, quorum penitissimè particeps esset, aperuisset; ad infringendum atque adeò opprimendum hoc bello eorum dominatum, animis & spe sunt concitati. Et ad Deceléam muro cingendam; & ad aliquid pro tempore auxilij, duce GYLIPPO, in Siciliam submittendum, se compárant. Postquam Athenienses vicissim suis commeatum eódem, unà cum equitatu, mittendum decrevissent.

3541. 18. belli, & 1. Darij. | Ineunte itaque vere, | 409.

Athenienses, qui ad Catanam erant, agro Megarensi, quem Syracusani possidebant, evastato; & Centuripa opido sibi adiuncto; incensisque Hyblæorum segetibus; in castra revecti; CCL. equites, cum equestri ornatu (sed sine equis, quos ipsa Sicilia faciliùs promtiusque suppeditatura putaretur) & CCC. argenti talenta, Athenis advecta, offendérunt.

Hoc cognito Syracusani, opportunos sibi Epipolarum (qui locus præruptus Vrbi imminet; & eatenus declivis, introrsùm omninò patet) aditus, præsidio insideri iubent. Quùm postridie Athenienses è Catanâ cum omnibus copijs profecti, ad locum, cui Leoni nomen, VI. circiter stadijs ab Epipolis dissitum, clàm hoste, peditatum in terram exponunt.

Et, dum classis Thapsum, quæ peninsula angusto terræ limite in mare prominet, subiret; & cancellato vallo obsepta, illic conquiesceret; ad Epipolas concito cursu contendunt. Et priusquam Syracusani è prato, ubi urbanæ copiæ ad Anapum recensebantur, & præsidiarij deligebantur, adessent; locum occupant.

In quos incompositè, & è longinquo illati, inter cæteros, DC. delecti præsidiarij, & apud Epipolas prœlio victi; amissis, cum duce DIOMILO, ferè CCC. trepidè in urbem refugérunt.

Victores verò castellum apud Labdalum, vicem armamentarij, in summâ Epipolarum crepidine, excitárunt. & ab idoneo, tum suorum, tum sociorum equitatu, ad DCL. instructi; & repulsis è plano hostium equitibus, liberiores: murum à Portu-Magno, ad alterum mare, exstruere, urbemque ità concludere moliebantur.

Cui operi quùm adversum murum obiecissent Syracusani,& turreis è ligno erexissent: ijsdem munitionibus mòx ab hoste sunt deiectis.

Atque adeò postquàm iterum Athenienses locum arduum, qui Paludi immineret; & undè ex Epipolis in Magnum-Portum prospectus esset; muro cinxissent. Et vicissim Syracusani vallum, ab urbe inchoatum, per mediam Paludem, & fossam pariter aggeremque duxissent. Illi, classe nûc suâ,ex Thapso, in Magnum-portum circumactâ, ex Epipolis in planum delapsi, & Paludem substratis aggeribus emensi, fossâ recente & vallo potiti sunt; & Syracusanos prœlio congressos vicérunt.

Dum verò ardentiùs hosti, quem ab urbe interclusum vellent, instarent; pauci pedites ab equitatu, & in cæteris LAMACHVS, concisi; plures in fugam sunt coniecti.

Athenienses nihilo-minus, quibus omnis terrâ marique exercitus præstò esset, Syracusas duplici muro, ab Epipolis rupibusque ad mare perducto, circum-dedére; & marinis commercijs, in urbe constrictos interclusére.

Ad ipsos verò, ex Italiâ sociâque Siciliâ commeatûs adfatim comportabatur. ut victoriam quasi certam spe iam præsumerent: Et Syracusani contrà, quibus nihil-dum è Peloponneso auxilij advenisset; animis caderent, rebusque suis pænè diffiderent. & alteri alteris in Vrbe suspecti, duces etiam ipsos, quorum aut culpâ, aut imperitiâ, clades esset accepta, abdicarent.

Colloquia quidem tum inter se, tum cum Niciâ, qui solus iam supererat apud Athenienses Imperator, de componendâ pace, haberi cæpta sunt: sed de conditionibus, quibus utrique standum sibi putarent, transigi nihil potuit.

GYLIPPVS intereà Lacedæmonius, Cleandridæ F. cum navibus è Corintho, circà Leucadem erat; & in Siciliam traijcere quam-celerrimè maturabat. quùm nuntiorum, de circumvallatis Syracusis, atrocitate absterritus, & de tutandâ Italiâ solicitus, cum PYTHENE Corinthio, Tarenti substint.

Quùm autem Argivi, à Lacedæmonijs vexati, ut XXX. naves ab Atheniensibus auxilio sibi mitterentur, impetrâssent; & communi manu in Epidaurium ingressi, Limeram & Prasiam, locaque vicina, essent depopulati; Lacedæmonij federa, quæ cum ipsis sibi essent, palàm violata interpretati; idoneam sui defendendi, & belli adversùs illos suscipiendi, excusationem nactos se esse existimárunt.

GYLIPPVS itaque cum PYTHENE, è Tarento, ad Locros Epizephyrios, profecti; & certiores facti nondum circumvallatas undique esse Syracusas; ad Imeram navigárunt: & civeis ad societatem, & ad præbenda nautis suis arma, induxérunt.

Indè GYLIPPVS, adsumtis è suorum epibatarum numero, DCC. & MCCCC. Imeræis peditibus,& equitibus C. tum aliquot levis armaturæ Selinuntijs, & paucis Geloorum equitibus; & CIↃ. hinc indè, Siculis; Syracusas rectà contendit.

Quo tempore Corinthij, è Leucade moventes, cum reliquis navibus, auxilio eódem properabant. Ex quibus GONGYLVS, unus è classis destinatæ ducibus, reliquos suâ navi antevertens, Syracusanós à pacificando absterruit & auxilia tùm à Corinthijs, tum à Gylippo Lacone, adventare, indicavit.

Quibus animo, & spe, iam confirmatis, GYLIPPVS, omnibus cũ copijs, hosti obviàm, & acie tamquam ad prœlium instructâ, ex Vrbe egressus; ad Epipolas cõtendit. atque indè adversùs Atheniensium munitionem, sive murum, per IIX. propè stadia, ad Portum-Magnum usque, perductum, ire perrexit.

Et caduceatore, quem cum mandatis, præmiserat; *Si intrà V. dies Siciliâ decedere vellent, federa se cùm eis pãgere paratum*; ab Atheniensibus, sine responso, contemtuu remisso: acies ab utrisque ad pugnæ aleam est instructa.

Sed pugnæ copiâ, neutris in æquum locum progressis, detrectatâ; Gylippus, cum parte copiarum, Labdalum castellum, cæsis prælidiarijs, cepit.

Nicias, qui auxilijs è Mediterraneâ regione, ob Gylippi industrij ducis, adventum, desperatis, omnem in navali bello spem posuerat; Plemmyrium (promontorium, quod ex-adversum Vrbi in Magnum-portum prominens, fauceis eius coartat) muro sepiendum, ob faciliorem commeatûs rerumque necessariarum receptum, sibi duxit. Et instructâ classe III. præsidia communivit: quæ & navalium, & armamentarij vicem essent.

Quâ ex re oborta, ob loci longinquitatem, aquationis & lignationis difficultas, multos e classiarijs militibus paullatim absumsit.

Sed quùm GYLIPPVS, muro iam inter Epipolas exstructo, intrà munitiones Atheniensium, ubi equitatus Syracusanorum sociorumque nulli usui esse poterat, pugnam conseruisset, (hác demùm pugnâ LAMACHVM cecidisse narrat Diodor.) & victus esset. Iterùm suos, sed loco patentiore, in aciem eduxit. ubi, simulac equitatus sinistrum Atheniensium cornu in fugam vertisset, reliqui, disturbatis ordinibus, in sua munimenta sunt compulsi.

Adpulsis, secundum hæc, Corinthiorum & sociorum reliquis navibus, XII. duce ERASINIDE; quæ navium Atticarum, à Nicia submissarum, stationem custodiamque, Rhegium inter & Siciliam, effugerant: cùm GYLIPPVS, ad solicitandas aliorum Siculorum societates, operamque ab ijs implorandam, Vrbe digressus est: tum Syracusani, unà cum Corinthijs, legatos alios, Lacedæmonem Corinthumque, eiusdem rei gratiâ, amandárunt.

Nicias verò, auctis hostium viribus, copiarum suarum imbecillitatem animadvertens; præter legatos, qui de præsenti rerum statu populum Atheniensem edocerent, epistolam quoque perscripsit. quâ de se actum esse significabat; nisi aut secum, (qui corpore invalidus, è renibus laboraret) copiæ è Siciliâ revocarentur; aut amplior, alio Imperatore subrogato, exercitus submitteretur.

His auditis Athenienses, & adiuvis Niciæ in-præsens datis; EVRYMEDONTEM, cum navibus

navibus x. & cxx. argenti talentis, in Siciliam ablegârunt, qui ventura mox ipsis auxilia nunciaret.

Missæ quoque ab ijs circà Peloponnesum naves; ne quis indè, aut è Corintho, uti facturos receperant, in Siciliam trajceret.

Neque seciùs, tum Corinthij, navalem, adversus illas Atheniensium ad Naupactum speculatorias, pugnam experturi, ne suarum illæ onerariarum profectioni impedimentum adferrent; xxv. naves milite complebant. tum Lacedæmonij expeditionem in Atticam, quà subsidiorum illinc peregrè missionem prohiberent, adparabant.

Atque hi, qui duplici & antario bello impareis fore Athenienseis; eosque priores fedeta rupisse, & disceptationem ex iure subinde abnuisse, arbitrarentur: Quòd anteà Thebanis, Platææ invasoribus, ipsi, præter fas, favissent: neque iudicio, ad quod evocati ab illis essent, stare voluissent; suà se culpà narare defunctos esse; & pristinam culpam nunc in eos recidisse, rebantur. Ideóque, quasi religione soluti, alacriore in hoc bellum animo ferebantur.

3542. 29. belli, & 12. Darij. | Primo itaque vere, | 408.

Ipsi, duce & rege AGIDE, incursationem in Atticam fecère. & Deceléam, uti ALCIBIADES monuerat, muro intersepire cæpêrunt. Et è Peloponneso iustas [illegible] rum, tùm ex suis, quàm ex socijs, copias, sub electis ducibus, ad CI Ↄ. [illegible] Siciliam navibus transmisêrunt.

Ab Atheniensibus contrà, CHARICLES, xxx. cum navibus, quas Argivi armatis explere iubebantur; in Peloponnesum: DEMOSTHENES, cum LXV. quæ CIↃ. CC. Atheniensium, & valido Insulanorum delectu, in[illegible]uctæ erant; in Siciliam; dimissi sunt. Eriusi, prius, ac simul, oram Laconicam infestare.

GYLIPPUS interea coacto ex Civitatibus Siciliæ, quas induxerat, maximo exercitu: & Syracusanis ad tentandum pugnæ navalis periculum concitatis: dum illi se navibus procinctis ad prœliandum expediunt; & ex utroque portu in adversum aut tendunt, aut circumaguntur. Ipse quidem pedestre agmen ad muros, in Plemmyrio, admovet: eique Atheniensibus, qui illic erant, pugnæ navalis spectaculo intentis, adortus, capit.

Syracusani verò, quùm initiò prosperè pro fauci[illegible] portûs pugnassent; & obstanteis Atheniensium naveis perrupissent; quòd illorum naves nullo posteà ordine ingressæ, & mutuà inter se concursatione turbatæ essent; hosti præbuére victoriam. Cui Plemmyrij tamen expugnatio, maximum deinceps in rebus necessarijs importandis, detrimentum adtulit, & metum.

DEMOSTHENES, diversà ex parte, unà cum CHARICLE, in Laconicam pergrassati; hic cum navibus, & Argivis, domum se recepit: ille, in Corcyram, copias sociales sibi indè adsciturus, [illegible].

Deceleà tum primum muro à Lacedæmonijs conclusà, magnam res Atheniensis, & pecuniarum & hominum fecit iacturam. Quod neque ex agris fruges, aut pecuniaria emolumenta percipere liceret; & servitia magno numero ad hostem tranlirent.

Ab his tum auxiliaribus Thracibus, dum ob & serum eorum adventum, digresso iam DEMOSTHENE; & ob rei pecuniariæ, sive stipendij, inopiam, dimissi; in patriam, duce DEITREPHE, per Bœotiam reducerentur; Mycalessus immaniter est direpta. Quos Thebani tamen & prædæ parte exuerunt; & ad mare persecuti, non paucos ex ijs ceciderunt.

DEMOSTHENES è Corcyrâ in Zacynthum Cephalleniamque profectus, armatis inde adsumtis, & Messenijs è Naupacto arcessitis; ab EVRYMEDONTE, qui è Sicilia remeans occurrerat, fit certior, de Plemmyrio à Syracusanis recepto. Et ambo, acto ex Corcyræis & Acarnanibus delectu, in Iapygiam transvecti; ex Messapijs etiam, Metapontinis & Thurinis, copiolas contraxêrunt.

Atque interea à Mediterraneis, Atheniensium in Sicilià socijs, quos NICIAS, in omnem eventum intentus, eà de re mature commonefecerat, & ad hostem transitu prohibendum erat cohortatus; copiæ, quas legati iidem Syracusanorum ex alijs, sibi amicis, Siciliensium Vrbibus, comparârant, & iam-tum adducebant; in itinere per insidias exceptæ sunt; & magna clade, cæsis Militum nece, & legatis pænè omnibus, adfectæ. Neque exigua interim à Camarinæis, Gelois, alijsque, auxilia Syracusanis accessêre.

Tum quoque haud procul ab Erinéo, Achaiæ opido, Peloponnesij & Athenienses, qui ad Naupactum diu alteri alteris imminebant: & mittendis in Siciliam utrimque, auxilijs, remoram, uti diximus, iniecerant: pugnà navali & ancipiti Marte, & tropæis hinc undè erectis, decertâruut: tandemque eà ex statione diremti sunt.

Syracusani verò, antequam novæ, ducibus DEMOSTHENE & EVRYMEDONTE, copiæ advenirent, bis tertià marique, pedestri & Nautico exercitu, Athenienseis in angusto sinu adgressi, vii. ex ijs naveis depressêre: & multas, non sine vectorum cæde & captivitate, dilacerârunt. Vt qui se classe iam Atheniensibus præstare confidebant; eorum quoque mox peditatum concisuros sperarent.

Postquàm autem Atheniensium, quos dixi, Imperatores, cum suis LXXIII. & aliquot peregrinis, navibus; v. ferè armatorum, tàm popularium, quam socialium, CIↃ. præter infinitam, è suis & Barbaris, iaculatorum & funditorum, multitudinem; aliumque adparatum, adduxissent. facta est utrisque in castris magna animorum commutatio.

Et Syracusanis pavore percusis, Athenienses è malis sese in spem meliorem recollegêrunt.

DEMOSTHENES, qui primo sui etiam adventûs die, horribilis hosti esse, & bello propediem defungi

defungi vellet: Vt vel prosperè pugnans Syracusis potiretur; vel spe suâ frustratus, copias maturè abduceret; neque temerè, aut incassùm res Atheniensium, domi & peregrè, adfligeret: Epipolas sibi invadendas censuit, & sumsit. quò directùm Syracusanorum murum, quo Athenienses à circumvallandâ Vrbe prohibebantur, faciliùs expugnaret.

Sed quùm munitionibus aliquot captis, & custodibus occisis; & cæteris inexspectatâ per noctem hostium audaciâ attonitis: ipsi, ceu victores, longiùs & nullo ordine progrederentur; à Syracusanis, Thebanisque, alijsque Græcis socijs, qui ad rumorem se conglobarant, excepti, nec sine perturbatione fusi; & confusâ inter se tesserâ, atque inter Dores Pæane, minùs tuti & ignoti, scutis armisque abiectis, in certam perniciem præcipitârunt.

Et cum veterani, locorumque gnari, in castra notis tramitibus confugerent; tum qui recentiores venerant, & à viâ aberrarant; ab equitibus indigenis, ubi illuxit, passim obtruncati sunt.

(Diodor. ad bis Mille & Quingentos cecidisse tradit.)

Syracusani prospero pugnæ successu elati, in certam murorum etiam, quos Athenienses insidebant, expugnandi, spem inducebantur.

Duces verò Atheniensium, de ijs, quæ facto post-hàc opus forent, consultabant. quòd & terrestri prœlio victi essent; & exercitum, tum ex anni tempestate, tum ex palustri loci situ, pessimè adfectum intelligerent.

Et quùm inter eos DEMOSTHENES censére cæpisset, è Sicilia, rebus nondùm deploratis, abeundum esse: neque in bello malè auspicato, & difficili urbis munitæ obsidione, perseverandum. *Domi graviora, & forte-an infeliciora, esse bella: in quæ servare reliquias militum, & adparatus oporteat.*

Tum NICIAS, vel novæ classis supplemento fretus; vel ancipiti cogitatione, inter spem & metum, hærens, (Iustin. *Seu pudore malè actæ rei; seu metu destitutæ spei Civium; seu impellente fato;* manére contendit) xercitum se illinc abductorum pernegat. quòd Atheniensium ingenijs & moribus id factum non probatum iri certò sciret; ad crimina, & ducum suorum condemnationes, proclivibus.

Quin & res Syracusanorum haud meliore esse, quàm suas, conditione. qui & in milite mercenario alendo, & in militari vicinorum opidorum custodiâ, ingentem pecuniæ vim absumsissent: & mòx in gravioribus futuri essent angustijs.

Quùm adderet DEMOSTHENES; Si civitatis iniussu excedere non placeret; in Thapsum saltim, aut Catanam, castra promovenda: Vndè in hosticum incursari, & in libero mari commodiùs decertari posfit. Et eamdem prætereà sententiam EVRYMEDON comprobaret: NICIA præfractè obstante, in loco perstatum est.

At simul GYLIPPVS magnam denuò è Siculis vim militum, & armatos è Peloponneso cos, qui priùs in Libyam ventis delati, & indè Selinuntem adpulsi erant; adduxit: Et Syracusani, ut classe & pedestri agmine hostem utrimque adgrederentur, se compararunt: Atheniensium ducibus sera longioris moræ pænitudo incessit.

Dum itaque, NICIA non adversante, signum edictæ abitionis datum esset; atque omnia, vasis collectis, ad profectionem quam-celerrimè & occultissimè expedita. & Luna tum plena fortè defecisset; NICIAS, re cum plerisque in omen sinistrum versâ; negat se antè ter-novem dies, ex Vatum prædictis; castra è loco moturum.

Syracusani verò cognito, illos furtivam moliti abitionem, & præmeditatâ fugâ timorem suum prodidisse; quos nollent illinc digressos, alibi in Siciliâ, considére, undè hostes in se forent infestiores. quam-citissimè ad pugnâ secum navali dimicandum cogere, quoad commodo suo facere possent, decreverunt.

Quod ubi, post aliquantàm à navibus completis requietem, adgredi visum est; primo die in muros Atheniensium insultant: & equitum, armatorumque hostium, qui angustijs portis egressi ad manus venerant, partim in fugam vertunt, partim intercipiunt, aut cædunt.

Postridie, simul & classe LXXVI. navium in aciem processére; & cum peditatu ad muros eosdem subiére.

Et classiarij quidem prœlio cum Atheniensibus, qui LXXXVI. naveis eduxerant, conserto; & ijs, qui medium ruebantur, primùm superatis; EVRYMEDONTEM, qui dextrum cornu tenebat, & naveis imperitiùs, propiusque terram, circumducebat, HAD concava portus. (Diod. intrà Sinum Dascona) adepti, cum comitibus confodiunt. (Iustin. EVRYMEDON dux in prima acie fortissimè dimicans, primus cadit. XXX. naves, quibus præfuerat, incenduntur.) Et deinde reliquam classem insecuti, terræ propè impingunt.

GYLIPPVS verò, qui ad fauceis portûs, cum alterâ copiarum parte, tum suis opem laturus, tum hosteis in terram egredi conanteis malè perditurus, adcurrerat; primùm à Tyrrhenis, Atheniensium illic præsidiarijs, animosè exceptus est: & multi ex eius militibus, qui incompositè irruebant, in fugam versi, atque in Paludem Lysimeliam deturbati sunt.

Deinde pluribus hinc inde adglomeratis, Athenienses, de navibus antè soliciti, supperias venére: & multis armatorum in conflictu cæsis, navium etiam suarum plerasque salvas in castra reduxérunt. Ex earum tamen numero XIIX. defensoribus interfectis, captæ sunt: & reliquæ, vix flammæ, & incendij, quod vetusta triremis, sarmentis & pice infarcta, & ab hoste immissa, excitabat, & secundo vento in ipsorum classem deferebatur; periculum effugérunt.

Secundum hæc, quamvis tropæa utrique statuissent; quòd hi peditatus repulsâ; illi navali

valt victoriâ gloriarentur. Atbenienses tamen, quos illati in populareis civitates belli tandem pæniteret; & crebris atque inopinatis cladibus adflictos se cernerent: animis pæuè consternatis, expavescere cæpérunt.

Syracusani contrà, faucibus portûs præclusis, & castra obsidére, & trepidanteis ad deditionem cogere: Et finem bello, cuius victoria memorabilem sibi nominis, famæque apud omneis claritatem adlatura; & cæteram Græciam servitutis metu liberatura esset; imponere satagebant.

Atheniensium duces & præfecti, quod, in cæteris difficultatibus, commeatûs inopiâ laborarent; & de re totâ, ac salute, nisi classe hostium superatâ, desperarent; coacto concilio, censuérunt. Vt vasis, & ægris, angusto pro navibus muro conclusis, præsidioque idoneo custoditis; & cætero peditatu in naveis (quæ cx. supererant) conscendere adacto, prœlio navali extremam aleam experirentur: Et victores quidem Catanam se reciperent: Secus, incensâ classe, pedestri itinere atque agmine, tutum, in proximo, sive apud Græcos, sive Barbaros, locum capesserent.

Nicias, prœlij huiusce suasor, quùm videret suos, superiorum pugnarum cladiumque memoriâ consternatos, hærere; gravi oratione languenteis eorum animos erigere conatus; præter firmiorem rerum omnium ad pugnam, quàm anteà, adparatum; præsentem etiam pro suâ cuiusque, & reip. salute dimicandi necessitatem; & amplissimos victoriæ, si eam in præsens reportent; fructus proponebat.

Gylippus vicissim suos ad pugnam cohortatus, superiorum prœliorum, quibus Athenienses, tàm strenuè, & inveteratâ navalis rei gloriâ præstantes, à se victi fuissent; felicitatem commemorabat. Illos nunc non spe, sed desperatione, ad dimicandum impelli. Præ quibus, omnia sibi & Syracusanis, quæ pugnæ usui essent, magè fiut prævisa. Persequendas, hoc extremo conatu, ab hostibus, & belli iniquissimè concitati, & impotenter appetitæ Siciliæ, pœnas.

Peditatu, quem Nicias ad mare adduxerat, quique fiduciam classiarijs è propinquo adferre debebat; in ordines, quam-citissimè potuit, distributo: Demosthenes quidem, cum Menandro & Euthydemo (al. Eudemo) è loco castrorum moventes, ad fauceis Portûs, iam præclusas, adnavigarunt, ut in exteriora perrumperent.

Syracusani verò, ducibus Sicano & Agatharcho in suo utroque cornu, (medium namque Pythen, & Corinthij tenebant: quibus pariter peditatus, quocumque in loco naves substitissent, auxilio aderat,) totidem ferè navibus, & quidem priùs egressi; parte earum unâ portûs fauceis; parte alterâ reliquum portum circum-circà tutabantur.

Et in Athenienseis, qui primo ad faucium angustias impetu congressi, collocatum exadverso navium agmen superaverant; undique invecti, atrox utrimque prœlium fecére. Tot, exiguo loci spatio, navibus (cc.) inter se confligentibus: & vix ullâ retrocedendi, aut excedendi facultate relictâ. Alteris in alterorum naveis transilientibus; & gubernatoribus modò suarum tutelâ, modò alienarum insidiatione, inter strepitum & pavorem, distractis.

Atque his ità dubio diu inter se Marte dimicantibus; non impar, peditatum utrorumque, certamen, & animorum contentio distinebat. quorum caussa & spes isto ex prœlio pendéret: & modò fugienteis, modò victores, hos aut illos, vario adfectu gestuque è terra intuerentur.

Cæterùm Syracusani, postquàm perdiu & obstinatè pugnatum esset, classe Atheniensium in fugam versâ, strenuè invecti, & magno cum exhortantium clamore, terram versùs, sunt persecuti.

Et nautæ quidem, qui salvi evaserant, alij aliâ, citato in castra cursu, subiérunt. Pedites verò, qui in litore stabant, perplexi, uno impetu, partim ad opem navibus ferendam, aut ad muniones tuendas, contendérunt: partim, quâ saluti suæ consulatur, circumspectabant.

Atque ità Syracusani, à pugnâ, quâ permulti utrimque cum navibus periérunt, naufragijs & cæsorum corporibus potiti, cum victoriæ insignibus, & ingenti civium adplausu, in urbem sunt revecti. (Diod. L x. Atheniensium triremeis eo conflictu dissipatas esse; Syracusiorum, ad summum, xx. tradit.)

Atheniensibus contrà, qui malis præsentibus ità permovebantur, ut neque de mortuis, neque de naufragijs repetendis, cogitarent; furtiva iterum per noctem abitio placebat.

Er quùm Demostheni videretur, reliquijs navium, quæ lx. supererant, expletis, sub auroram, è portu erumpendum esse; eidemque Nicias adsentiretur. Nautæ verò, animis adhuc perculsi, in naveis ingredi abnuerent; universi ad terrestre iter mentem adiecérunt.

Quod eorum consilium subodoratus Hermocrates; & minimè è re, aut dignitate civitatis esse ratus, si tantus exercitus impunè abiret; atque in Siciliâ uspiam subsidens, bellum ipsis denuò facesseret. Idque magistratus Vibanus, ea de re commonitus, adprobaret quidem; sed homines ab arduo & recenti certamine reversos & fessos: quique præterea diem festum pro tempore celebrarent, & non sine compotatione sacra Herculi facerent; persuaderi posse, ut sumtis in præsens armis hostem fugacem de nocte persequerentur, non immeritò dubitaret: Ille per se hoc est commentus.

Appetente iam nocte, quâ illi proficisci constituerant, suos cum equitibus sodaleis ad hostium castra dimittit: qui simulatâ ergà Athenienseis benivolentiâ, è longinquo Niciam moneant:

„Insidéri à Syracusanis itinera, tá nocte castra ne moveat:

moveat: sed postridie, instructo per otium agmine, proficiscatur.

Qua nuntij fraude decepti duces, quùm sibi cunctandum esse censuissent; Syracusani, duce Gylippo, cum peditatu priores egressi, viarum angustias, quà transituros esse illos erat credibile, obsedérunt: & fluminum vada, aliaque opportuna, præsidijs muniérunt.

Naves ad hæc eorum ab litore abstractas in urbem asportárunt. (Diod. L. triremeis relictas; Iustin. cxxx.)

Nicias, qui tertio demùm à pugna navali die moverat; & acerbo, quà mortuorum, qui insepulti iacebant; quà ægrorum sauciorumque, qui in itinere deserebantur, spectaculo, suos adflictari; & impendentis periculi metu, dum perfugio locus quæritur; & hostis infestus fugæ intercludendæ imminet; relanguisse perspiceret,

Cum suo, qui corpore æger nullum laborem detrectabat, exemplo, bono & forti animo esse iubebat: atque adeò rebus tàm adflictis Numinis alicuius misericordiam sperare.

Tum, siqua vis ingruat; aut animosè se, patriæque commune decus tueri; aut generosâ morte illustrare.

His ad concionem dictis, copiæ quidem, sub Niciâ, in fronte, quadrato agmine ibant. Qui verò Demosthenem a tergo sequebantur, armati, impedimenta & lixarum turbam suis ordinibus erant complexi.

Hinc ad vada Anapi, pulsâ adversariorum manu, transitum potiti; & quantumvis equitatu Syracusanorum adsectante, iaculisque incessente, ulteriùs ad xl. ferè stadia progressi, tumulum quemdam insedêrunt. Ex quo postridie digressi, & post exiguum iter, castris loco campestri positis, ex quo cibaria & aquam secum ferrent; postero etiam die, iaculatoribus hostium utrimque obequitantibus. post aliquantam dimicationem, pergere prohibiti, in eadem castra, non sine commeatûs pænuria, sunt compulsi.

Atque hinc manè moventes, dum vi pervadere nituntur. in tumulum, cui Acréo Lepadi nomen; quemque Syracusani præoccupatum muro præcluserant, & pedestri scutatorum cohorte insederant; se recipere, & propiùs campum considere, ibique conquiescere, sunt coacti.

Die consequente, dum longè immaniùs ab hostibus undique circumfusis infestarentur; & non modò inediâ, sed sauciorum etiam curâ adfligerentur. & propterea ducibus placitum esset; *Sub noctem, accensis circumquaq; ignibus, & diversâ,* qu. [illegible] ipsi [illegible] uerant. & [illegible] obſervarant; *viâ, versus mare exercitum abducere.* quà non in Catanam, sed in adversam Siciliæ oram, Camarinam aut Gelam, & vicinas urbeis, ferrentur; Repentina quædam & Panica trepidatio eis universe incessit.

Et quùm Nicianæ quidem copiæ, eodem quo anteibant ordine, perstarent, longeque præcederent: pleraque verò Demosthenicorum pars lentiùs & dissolutiùs pergeret; primâ simul luce ad mare pervenére: & viam, quæ Helorina dicitur, ingressi sunt.

Verùm ubi ad flumen Cacyparim (secundùm quem in mediterranea cogitabant; & Siculos illàc, quos sibi socios arcessissent, occursuros sibi sperabant) deventum esset: & Syracusanorum præsidia, quæ vada vallo obsepta tenebant, ipsi vi summovissent: fluvio transmisso, ad alterum, nomine Erinéum, penetravérunt.

Hìc Gylippus & Syracusani, cognito demùm, ubi illuxit, Athenienseis abijsse; raptim persecuti, & sub horam prandij adepti, Demosthenicos lentiùs & incompositiùs, Nicianis iam longiùs progressis, incedenteis; prœlio, & circumfuso equitatu, adorti, in easdem loci ad flumen angustias compulere, & missilibus è longinquo incessére. Quòd homines de salute desperanteis pugnâ statariâ adgredi; & de summâ rerum periclitari, minus tutum videretur: quos velitari prœlio perdomare possent.

Vbi namque illos toto die iaculis impetitos, & vulneribus alijsque ærumnis exhaustos, conspexere; missi [illegible] caduceatore primùm denunciari iusserunt; *Siqui ex Insulanis ad se transire vellent; liberum fore.* Qua spe, paucæ civitates defluxere.

Deinde, quùm cæteris omnibus, qui cum Demosthene erant, oblata conditio esset; *Si arma traderent, neminem ex ijs morte violentâ, aut vinculis, aut fame, multatum iri;* Sexies Mille numero, se ipsi, cum pecuniâ omni, dedidére. in urbem confestim abducti.

Nicias autem, qui eo ipso die, transmisso Erinéo, edito loco consederat; & postridie à Syracusanis deprehensus iuberetur, exemplo Demosthenis, se dedere Neque æquis ipse conditionibus. *ut dimisso liberè exercitu, Athenienses sumtus belli luerent,* transigere potuisset. sed ad vesperum usque, & postridie itidem, ipse agmen ducens, telis undique obrueretur, & ab equitatu urgeretur. Et milites eius, postquàm ad amnem Assinarum perventum est, siti confecti; & metu hostium, undique è ripis adsultantium, pavidi, promiscuâ inter se cæde magnâ partem profligati essent; se Gylippo dedidit; & ut à reliquorum occisione abstineretur, postularit.

Præter eos, qui passim celabantur, & qui Catanam confugerant; vivi omnes sunt capti, & à victoribus, unà cum spolijs, in urbem traducti.

Ex quibus Athenienses & eorum socij, in latumias demissi, & durissimè habiti sunt. Cæteri, præter Sicilienseis & Italicos commilitones; divenditi, aut in prædam dati.

Plut. debellatum tradit xvii. die mensis Carnéi, sive Metagitnionis: & festum, à fluvio, Assinarium dictum.

Thucydid. putat non pauciores vii. cIↃ. fuisse captivos: & in itinere, Diodor. triduo, ad xiix. cIↃ. cæsos.

Nicias & Demosthenes, populari decreto, (quod vide, apud Diodor. & simul adversarias super ea re Nicolai Syracusij, & Gylippi Laconis orationes) invitis Hermocrate & Gylippo, morte [illegible] ad[illegible]ecti.

Plutarc. Demosthenem ense di[illegible]cto se percussisse; sed vulnere non letali, mox ab hostibus esse comprehensum, tradidit.

Timæus;

Timæus; utrumque, mortem sibi antè cõsciviſſe; quòd publico decreto lapidibus ſe obruendos eſſe, ex Hermocrate reſciſſent.

Iuſtin. tamen, DEMOSTHENEM, ait, amiſſo exercitu, à captivitate ſe gladio & voluntariâ morte vindicaſſe. NICIAM autem, ne DEMOSTHENIS quidem exemplo, ut ſibi conſuleret, admonitum; cladem ſuorum auxiſſe, dedecore captivitatis.

Et quidem huius belli, quod in Siciliâ per biennium continenter, cupidiùs, quam felicius, Athenienſes, concitore ALCIBIADE, ſuſcepére, & per alios geſſére, hic fuit exitus.

Athenienſibus antè, ſuper eventu belli conſulentibus, reſponderat Ἀσξίας, Syracuſanos omneis ab ijs capium iri.

Et vt vera dicere videretur, effecit caſus. capta eſt ſcilicet ab Athenienſibus navis, in qua Syracuſanorum omnium, per familias & Tribus, deſcriptio comprehendebatur.

Meton certè Aſtrologus id bellum patriæ perniciosum fore proſpiciens, ne adſcriptus cum alijs in Siciliam mitteretur, inſaniam ſimulavit, & ſuas ipſe ædeis incendit.

Res ea Athenas nuntiata diu fide caruit. Sed veritate tandem compertâ, in Oratores, Ariolos & Vates, expeditionis tam infauſtæ ſuaſores, ira populi exarſit.

Et qui militie, navibus, & pecuniâ, exhauſti iam eſſent; hoſtilem in ſe, & Siculorum, & Græcorum æmulorum, adventum, non ſine pavore, præcipiebant.

Animis deinde recollectis, & naveis comparant; & ſociorum civitates, Eubœam in primis, ſtabileis in fide retinere contendunt. Suniúque muro præcludunt. Et magiſtratum quemdam è maioribus natu (Diodor. XII. Viros) delegére, qui de ſtatu præſenti, prout opportunum eſſet, præ cæteris, conſultarent.

Iam enim univerſi propè Græci ſeſe erexerãt. Et quò fortuna, eodem favor hominum ſe inclinabat.

Qui neutri fuerant; manifeſtam impotẽtioris in Athenienſibus imperij cupiditatem abhorrebant; eóſque in ordinem penitùs redactos cupiebant.

Lacedæmoniorum ſocij, longinquis belli ærũnis liberati impenſiùs properabant.

Qui Athenienſium imperio paruerant; ad rebellandum eò fuére promtiores, quò magis de eorum fortunâ & potentiâ iam planè actum exiſtimarent.

BELLVM DECELLEICVM X. ANNOR.

At Lacedæmonij, hâc animorum abalienatione, & claſſis Sociorum è Sicilia venturæ ſpe freti, bellum ſine morâ in eos capeſſere ſtatuérunt. quibus everſis, futurum eſſet, ut univerſæ Græciæ imperio ipſi potirentur.

AGIS itaque eorum rex, è Deceléa cum exercitu profectus, ab Oetéis, Phthiotis & Theſſalis pecuniam, claſſi comparandæ, exigit; & civitatibus ſocijs, c. navium ædificationem imperat.

Ad illum, primi omnium Eubœenſes, de ſuâ ab Athenienſibus defectione, legatos mittunt: deinde Lesbij. Cum Chijs autem & Erythræis, codem ſpectantibus, venit etiam à TISSAPHERNE, Darij regis, in infernate Aſiâ, prætore, Legatus; qui in id bellũ Peloponneſios incitaret: & præbiturũ à ſe ſtipendium (Iuſtin. omnem belli ſumtum) pollicéretur.

Miſſi eodem & alij à PHARNABAZO, Helleſponti Satrapâ, qui idem & ſuo & regis nomine poſtularent.

(Iuſtin. vult Darium, memorem paterni avitíque in Athenas odij, ſocietatem cum Lacedæmonijs per Tiſſaphernem, præfectum Lydiæ, feciſſe; quòd timeret, ne victis illi Athenienſibus ad ſe arma transferrent.)

3553. 20. Belli & 13. Darij. | 407.

Quùm verò Lacedæmonij, ſocijque eorũ, Chijs, Lesbijs, & Helleſpontijs, certa auxilia, & naviũ duces deſtinaſſent: Et Athenienſes, Ludis Iſthmicis, occultos Chiorum conatus deprehendiſſent; VII. naveis eo ſidei obſides, ab ijs extorſérunt. Et naveis hoſtium, quæ XXI. per Iſthmum, à Corinthijs tranſportatæ, & è Cenchréis profectæ erant; pari navium numero perſecuti; & ad Piræum Corinthium, haud procul Epidauro, nacti; eaſque cum à mari, tum à terra adorti, pleraſque dilacerárunt: & ALCAMENEM ducem interfecérunt. Et quædam veluti ſpeculatoria, in propinquo, reliquæ claſſi caſtra oppoſuére. adeò ut Corinthij, qui poſtero die, cum finitimis alijs, auxiliares comparuerant, non ſatis idoneum ſubducendis in tutum navibus conſilium reperirent.

Et Lacedæmonij, nuntio de ſuorum ad Pyræum fugâ conſternati, naveis V. duce CHALCIDEO, unà cum ALCIBIADE, iam ſubmiſſas, à cæpto itinere revocaſſent, ni Alcibiades, Ephoris, ne relanguéſcerent, perſuaſiſſet, ad curſum in Ioniam tenendum, & famam cladis anticipandam, animáſſet. Quò adpulſi, Chios, & mòx Erythræos, maioris claſſis, quæ auxilio ſcilicet ventura eſſet, ſpe, & oſtentatione inductos; & deinde Clazomenios, ad ſe pertraxérunt.

Athenienſes eâ ex re in magnum ſe veniſſe periculum rati: neque ſocios, poſt magnæ civitatis rebellionem, conquieturos; omiſsâ ad Piræum claſſis hoſtilis obſidione, naveis ſummo ſtudio, quæ Chiorum rebus ſuccurrerent, contrahebant.

Ex quibus, quùm STROMBICHIDES, IIX. cũ navibus, in Samũ, & illinc in Teum traieciſſet; & incolas, ut in priſtinâ Athenienſium fide quietè ſe continerent, exoráſſet: ALCIBIADEM, cum Peloponneſijs, ſe eò loci perſequentem, cõtentâ in Samũ fugâ, evaſit.

Et illi, Alcibiade ſuaſore, cui cum primoribus Mileſiorum erat neceſſitudo, Miletũ profecti; haud ità multum, STROMBICHIDEM, & THRASYCLEM (qui illum ſecutus XII. cum navibus, ex Athenis, aderat; & eodem collimabant) ante-occupárunt; & Mileſios ad defectionem induxérunt.

FEDVS LACEDÆMONIOR. CVM PERSIS.

A quâ defectione, prima inter regem Persarum, & Lacedæmonios, Tissapherne & Chalcideo auspicibus, hæc inita societas.

„ *Vt regiones & Vrbes, quæcumq; pro tempere sub potestate sint regis, eiusq; olim progenitorum fuerint; ea regis essent.*

„ *Ex ijs Vrbibus, nequid pecuniæ aut subsidij Atheniensibus in posterum pendatur; federati de communi sententiâ curarent: cum ijsdem, hostibus, bellum gererent; neque id dissolvere liceret, nisi utrisq; visum esset.*

„ *Siqui ab rege, vel Lacedemonijs, defecerint; hi utrorumvis hostes essent.* Hæc formula nonnihil pòst interpolata.

BELLA ATHENIENS. IN ASIA.

DIOMEDON intereà, XVI. cum navibus, post THRASYCLEM, Athenis profectus, IV. vacuas, nautis in terramq; elapsis, Chiorum naveis. ad Teon intercepit; & in Samum navigavit. Illi verò, adiunctis sibi peditibus, Lebedum & Eras ad defectionem induxérunt.

Sed DIOMEDON à Teijs (quorum urbis murum, à se structum, Peloponnesij, cum Barbaris, fuerant demoliti) pactus est; tutum sibi & Atheniensibus receptum.

Et Samijs, qui sumtis adversus primores armis, alios interemerant; alios exsilio multárant; prædiaque illorum inter se distribuerant: Atheniensium, qui III. cum navibus adfuére, decreto, libertas, uti in fide perstat ris, est indulta.

Et quùm iàm Chij, in Lesbû profecti, Methymnam & Mitylenen ad deficiendum impulissent: & ASTYOCHVS Lacedæmon. cui summa rei navalis erat credita, è Cenchréis (ubi, post pulsas e Piræo Atticorum naveis, in statione fuerat) III. cum navibus in Chium traiecisset, XXV. Atticæ naves, ducibus DIOMEDONTE, & LEONTE (qui posterior X. naveis auxilio adduxerat) ad Lesbum adpulsę sunt. & Chiorum navibus, & ijs qui in terra obstiterant, prœlio victis, uno quasi impetu Mitylenen recepérunt.

Atque adeò, quantumlibet ASTYOCHO, qui eòdem se contulerat, multa moliente; Athenienses, rebus in Lesbo, de-integro, ritè constitutis, Clazomenios etiam, Vrbi suæ restitutos, in ditionem suam fidemque accepérunt.

Et qui ex ijs apud Miletum, in Ladâ, stationem servabant; CHALCIDEVM, alterum Lacedæmonior. ducem, qui ad vim, quam Panhormo Athenienses adferre parabant, arcendam adcurrerat; interfecérunt.

LEON verò & DIOMEDON, suis cum navibus, è Lesbo in Chium transmittentes, crebris adversus Chios prœlijs victores, cultissimam, & intactam à Medicis usque bellis regionem, fœdè evastárunt.

At postquam novi ex Athenis duces, PHRYNICHVS, ONOMACLES ET SCIRONIDES, naveis XLIIX. quibus III. ampliùs armatorum, CIↃ. portabantur, in Samum transmisissent; & ad Miletum castra posuissent; DCCC. ex urbe, unà cum Peloponnesijs CHALCIDEI militibus, & mercenariâ Tissaphernis manu, atque equitatu; erumpentibus; prœlioque conserto; licet Argivorum sociorum cornu Milesij iam fudissent; Athenienses tamen, Peloponnesijs & Barbaris loco motis & dissipatis, vicisse sunt gloriati.

Et urbi artè circumvallandæ sese iam accingebant; quùm occasu commodum sole, nuntius ad eos adfertur, LV. è Peloponneso, atque è Siciliâ, (quos HERMOCRATES ille Syracusanus, ad reliquias Atheniensium evertendas, & auxilium mutuò Lacedæmonijs ferendum, instigárat) naveis, quæ ad ASTYOCHVM perducantur, in propinquo esse.

Quorum duces, ab Alcibiade de prœlio, cui interfuerat, edocti; & nisi ocyus Mileto, iam pænè obsessæ, mature succurrant; de Ioniâ, & cætero Asiæ tuendæ successu, actum fore, admoniti; primâ luce, subsidio socijs proficisci constituerant.

Atque ità Athenienses, Phrynicho certaminis aleam prudenter detrectante, sub vesperam, Mileto relictâ, Samum se recepérunt.

Postquam autem Peloponnesij illi in Tichiusam, oræ Milesiæ, venissent; à Tissapherne persuasi, Iasum de-improviso expugnárunt. Et AMORGEM, Pissuthnæ nothum, regis perduellem, quem vivum in eâ ceperant; Tissapherni, cum opido prius iam direpto, & captivis omnibus, tradidérunt. Ipse vicissim menstruum navibus stipendium, singulas viritim drachmas, adnumeravit. sic ut LV. navibus terna talenta quot-mensibus penderentur.

Ctesias tradit, PISSVTHNEN à rege Darío, post ARTYPHVM & ARSITEN, de quibus sup. descivisse: & adversus Tissaphernem atque Spitradatem, quos in eum rex immiserat, tetendisse: Et LYCONEM, Atheniensem genere, Græcorum militum ducem, socium sibi comitemque adscivisse, Regios verò duces, pecunijs LYCONEM & Græcos captâsse; & ut PISSVTHNEN desererent, induxisse. A quibus, fide datâ inter se & acceptâ, ad regem sit perductus, & ab eo flammis exustus, Satrapiâ eius Tissapherni traditâ; Lycon, urbeis & agros, ceu proditionis mercedem, acceperit.

FEDVS PERSICVM INTERPOLATVM.

Quum autem fedus, quod auspicibus, Chalcideo & Tissapherne initum antè fuisse diximus, Lacedæmonijs mancū videretur; neque tàm pro suâ, quàm alterâ parte facere: placuit eorùm THERAMENE pactionem federis & amicitiæ, inter Lacedæmonios sociosque; & DARIVM regem eiusque liberos, ac Tissaphernem, de-integro, his summatim conditionibus, sancire.

„ *Ne in ullam provinciam aut Vrbem, quæ regis Darij esset, aut patris maiorumve eius fuisset; Lacedæmonij,*

Lacedæmonij, eorŭmve socij, belli aut noxæ caussâ, inirent. Néve tributa ex ijs urbibus exigerent.

,, Ne vicissim rex, aut eius subiecti, adversùs Lacedæmonios, eorŭmve socios, paria tentarent.

,, Siquid alteri ab alteris rogâssint, quod alterutrorum commodo fieri posse sit persuasum; id præstarent.

,, Bellum cum Atheniensibus, illorumve socijs, communibus utrorumq; auspicijs gereretur. neq; id dissolvere, nisi de communi sententiâ, liceret.

,, Copijs, quantascumq; in suam provinciam, è Græcia, acciverit: stipendium à rege solveretur.

,, Si qua ex civitatibus, regi federatis, in regis provinciam invaserit; ceteri prohiberent; & regi, quoad possint; opitularentur.

,, Paria Lacedæmonijs socijsve, adversus pareis ab eius federatis aut subiectis iniurias, rex præstaret.

Athenienses intereà, qui apud Samum agebant, alterâ XXXV. navium classe, ducibus, CHARMINO, STROMBICHIDE, ET EVCTEMONE, recens adpulsâ; & contractis à Chio & aliundè navibus; statuerant, inter se sortiri, navalibus copijs Miletum invadere: & classem atque peditatum in Chium dimittere. Et hi è Lesbo de-inopinato Chium adpulsi, & terræ marisque potentes, Delphinium muro & vallis concluserunt.

Chij verò sic undique oppressi, & domesticorum servitiorum transfugijs damnisque perterriti, ASTYOCHVM, qui Mileti erat, ad opem ferendam solicitârunt.

Sed ille certior factus XXVII. naveis, quas Lacedæmonij Pharnabazo armârant, & in Hellespontum destinârant, è Peloponneso in Caunum adpulisse; eodem navigavit. & obiter cùm XX. Atheniensium navibus, quæ, duce Charmino, Peloponnesiæ classis cursum, circà Symam & Rhodum, observare erant iussæ; ancipiti eventu conflixit. Illis tamen indè fugatis, Peloponnesij in Cnidum classem suam adpulerunt; & laceras naveis resarserunt. & per XI. Viros Lacedæmonios, cum Tissapherne, de totâ belli in posterum gerendi ratione consultarunt.

Vbi quùm LICHAS, ex XI. Viris unus, Arcesilæ F. indignum esse contestaretur, regem ex federe nupero sibi vindicare velle, aut posse, quamcumque provinciam; in quam aut ipse, aut eius maiores, imperium olim tenuissent. (Ita enim Insulas omneis, Thessaliam & Locros, & cætera ad Bœotos usque, imperio eius aut servituti pristinæ addici. Et à Lacedæmonijs, pro libertate, imperij Medici iugum Græciæ, per imprudentiam, importari) pactis istiusmodi stari minimè oportere: federa alia ineunda: stipendio sibi externo potiùs opus non fore.

Tum Tissapherne, ob eius rei novitatem stomachante; re infectâ indè discessum esset. Illi interim à Rhodijs, & quidem civitatis suæ primoribus, publicè arcessiti, in spem venerant Insulæ, quæ nautis & peditatu polléret, recipiendæ. cuius societate & opibus, neglecto Persâ, exercitum alere possent.

Quattuor itaque, & XC. navibus ad Camirum adpulsi, eamdem præ terrore iam vacuam, cum duobus alijs eiusdem Insulæ opidis, Lindo & Ialyso, ad defectionem induxérunt. Quod subodorati tardiùs Athenienses, è Co & Samo, eodem traiecérunt, belloque eos sunt insectati.

CALLIDA ALCIBIADIS CONSILIA, ET CONATVS.

Intereà ALCIBIADES, qui motum adversus patriam bellum imperatorijs etiam virtutibus, apud hostem, iamdiu adiuverat; & post Chalcidei necem, & pugnam ad Miletum, invidiam, cum suspicione coniunctam, (ne patriæ caritate ductus, desertor, aliquandò cum suis in gratiam rediret) apud Peloponnesios contraxerat. quùm se ab æmulis gloriæ suæ principibus, & in primis AGIDE rege, peti; & sui interficiendi mandatum ASTYOCHO datum. (Iustin. per Vxorem regis Agidis, quam adulterio cognoverat) intellexisset: ad Tissaphernem, Lacedæmonijs pro re natâ subiratum, se contulit, & in intimam eius amicitiam pervenit.

Huic callidè persuadet, ne tanta stipendia (singulæ Atticæ viritim drachmæ) classi Lacedæmoniorum penderentur: quùm Athenienses, è vetustâ rei navalis peritiâ, ternos dumtaxat obolos classiarijs suis adnumerent. Vocandas etiam in portionem muneris Ioniæ civitates. quarum pro libertate, postquam tributa Atheniensibus péndere gravarentur, bellum sit susceptum.

Neque Lacedæmonios tàm enixè auxilijs, & conductitijs Phœnicum aut Græcorum navibus iuvandos; quæ alienam, non regis sui, instruant victoriam. Et bellum eátenus sustinendum, ne inopiâ deseratur. Regem Persarum, ex Græcorum dissidio, pacis bellique arbitrum fore. Et qui alienis non possint; suis ipsorum armis inter se collidi & vinci sinendos.

Domesticis itaque bellis Græciam obterendam, ne externis vacet. Vireis partium exæquandas: & inferiores, ne succumbant, auxilio opportuno levandos. Perfecto alioqui bello, statim ei cum victoribus dimicandum.

Si res tamen ità ferret; commodiores regi fore socios imperij, Athenienseis: quibus minor sit terrestris in Asiâ dominatûs cupido, si pars maris obtingat.

Spartanos verò post victoriam non conquieturos; qui vindices se libertatis Græciæ terrâ marique sint professi.

Hæc non ingrata Tissapherni, qui idem pænè sentiret, fuit oratio. Commeatus itaque malignè præbére; classem regiam, è Phœniciâ & Ægypto, non iteram mittere: ne aut victoriam daret, aut necessitatem belli deponendi imponeret.

ALCIBIADES verò, simul & ea suadebat, quæ Tissapherni & regi conducibilia pro tempore existimaret: & simul sibi in patriam reditum (cuius

(cuius impetrandi, si eam penitus eversum non isset; & non inutilis eius cum Tissapherne familiaritas innotesceret; aliquando facultatem datum iri, haud ambigeret) istiusmodi consilia procurabat.

Et hanc interim operam civibus suis, prius apud Samum, tum in patriâ ipsâ optimatibus, & potentissimis quibusque, per internuncios, venditabat. Et de reditu suo mentionem, aut spem faciebat.

Ad quem ubi è Samo nonnulli, colloquendi causâ, venissent; pollicetur eis regis amicitiam, si remp. à populo, ad Senatum sive optimateis, transferri paterentur. Sperabat autem ille, aut concordante civitate, ducem se belli ab omnibus lectũ; aut discordiâ inter ordines ortâ, ab alterâ factione in auxilium vocatum iri.

Et certè Atheniensium plerique, aut imminente periculo, & spe regij stipendij propositâ; aut Oligarchiæ nomine: maior aut salutis & mercedis; aut privati commodi & splendoris; quam dignitatis publicæ, cura fuisse censeatur.

Et licet unus PHRYNICHVS, qui dux erat, dissentiret: & ea quæ ab Alcibiade in præsentiâ proponebantur, incerta esse, & multum difficultatis haberes præter intestinæ in civitate seditionis periculum; prudenter differeret. missi tamen Athenas à sodalitate Samiâ sunt legati, inter quos PISANDER; qui & de Alcibiade reducendo; statuque populari antiquando: & de contrahendâ, cum Tissapherne, regis Persici vicario, amicitiâ, tractarent.

PHRYNICHVS, ut à capite suo inimici sibi Alcibiadis discrimê perniciemque averteret; ASTYOCHO Lacedæmonio duci, occultos eiusdem apud Tissaphernem conatus patefecerat.

Et manifesto litterarum suarum indicio, in summum apud suos vitæ periculum, ceu proditor, adductus, Sami etiam, quæ à muris nuda esset, intercipiendę viam hosti demonstrârat. Sed Samo interim sedulò ab eodem munitâ, tum alteram sui ab Alcibiade criminationem; tum Astyochi exspectationem, eluit. & pristinam suæ fidei industriæque existimationem conservavit.

Athenis verò Pisander, qui in primis Alcibiadi studeret, multis argumentis populum induxit, ut imperium ad optimateis, pro re natâ, transferri pateretur. Et sibi cum x. collegis, Phrynicho amoto, transigendi cum Alcibiade & Tissapherne, quod ex usu reip. esset, ex publico decreto, potestas permitteretur.

Quùm itaque LEON & DIOMEDON, in Phrynichi & Scironidis locum subrogati, & Athenis ad classem missi, bellum Rhodijs ex Co inferrent, & Peloponnesiorum naveis obsertarent; PEDARITVS, qui perfecto Atheniensium ad Chium muro, Peloponnesios, qui Rhodi erant, ad opem sibi & Chijs, universâ cum classe, celeriter ferendam, sollicitârat; & admotis auxiliarium Chiorumque copijs, aliquantam munitionum partem, quâ classis circumdabatur, expugnârat: ab Atheniensibus, qui subsidio suis venerant, reliquis circa fusis, occubuit. & urbe artius undique obsessâ, fames invaluit.

Vbi PISANDER verò, cum collegis ad Tissaphernem venit; astutiâ Alcibiadis, & ipsius Tissaphernis diffidentiâ, qui duriores conditiones (Ioniæ totius & Insularum restitutionem, & liberam regijs navigandi potestatem) Atheniensibus proponeret; à pactione destitit. Tissaphernes contrà cum Peloponnesijs fœdera, tertiùm, stipendio etiam adnumerato, apud Mæandri campum, in vit.

„ *Vt quevis in Asiâ regio, regis esset; & ipse de eâ pro arbitratu suo constitueret.*

„ *Alteri ab alterorum provincijs vim noxamq; abstinerent: & nocenteis coercêrent.*

„ *Tissaphernes navibus, quæ pro tempore præstò sint, stipendium ex pacto præberet; donec regiæ naves advenissent. Quæ ubi advenerint; Lacedæmonijs quidem, si velint, classem suam stipendijs alere, liberum esset. Sin à Tissapherne stipendium accipere maluerint; Tissaphernes præberet. Lacedæmonij verò socijq;, bello confecto, quantam pecuniam acceperint, Tissapherni redderent.*

„ *Postquam classis regia advenerit; illâ, cum Lacedæmoniorum sociorumq; classe, bellum communiter, & ex utrorumq; sententiâ, gereretur.*

„ *Si cum Atheniensibus concordare, aut in gratiam redire, libeat; ex æquo id fieret.*

Hieme huius anni iam præcipitatâ. Bœoti Oropũ ex Atheniensibus, qui Eubœæ defectioni intenti essent, Eretriensium proditione & operâ, intercepére.

3544. Belli 21. Darij 14. | 406.

Chij, quùm artè obsessi, & pænè ab Astyocho derelicti, LEONTEM Spartiatam, ducem, Pedarito succidaneum, & xii. è Mileto præsidiarias, adepti essent; cum suis, iam simul xxxvi. navibus, adversus xxxii. Atheniensium, confligere ausi, exiguo cum successu, in urbem sunt reiecti.

DERCYLLIDAS verò, itidem Spartanus, qui haud magnâ cum manu, & itinere terrestri, in Hellespontum, & ad Pharnabazum fuerat ammandatus; Abydum & Lampsacum ad defectionem compulerat.

Verum STROMBICHIDES, quam-celerrimè è Co suppetias veniens, Lampsacum quidem immunitam recepit: & frustrà tentatâ Abydo, Sesti, urbe adversâ, præsidium, Hellesponti tutamen, imposuit.

CONTROVERSIA OB OLIGARCHIAM.

Res intereà nova & consideratione dignâ, ad res Atheniensium turbandas, accidit.

PISANDER, cum collegis, qui se ab Alcibiade apud Tissaphernem elusos fuisse rebantur; animos & consilia, ad PAVCORVM DOMINATVM, uti suo instituto commodum, in patriâ & Vrbibus

soeijs

ſocijs conſtituendam, planè adiecérunt.

Et dimidiam Legatorum, quos dixi, partem, unà cum PISANDRO, eius rei conficiendæ cauſſâ, domum; alteros, in alia populorum ſibi ſubiectorum opida, dimiſérunt. Samijs eodem inclinatis; & Thaſijs per Diotrephem inductis. (Hi tamen mox ad Lacedæmonios deſcivérunt: & ingenuam libertatem ſunt amplexi.)

Athenis verò, ANDROCLE quodam, ſtatûs-popularis principe, & Alcibiadéi exſilij auctore, per iuniores, novæ coniurationis conſcios, cum nonnullis, antè ſublato; quùm ſubornati ſodales, compoſitâ oratione & in ſpeciem decorâ, concioni perſuaſiſſent: *Nemini niſi militia nomen profeſſo; mercedem è publico præberi; neque plureis è civibus, quàm V. CIƆ. qui & pecunijs & corporibus validi eſſent, rerum & civitatis adminiſtrationi adhiberi, oportere.* Et hac viâ tragulam populo, & popularis-ſtatus fautoribus, inieciſſent. adeò, ut ſi quis contrà hiſceret; is aut idoneâ excuſatione, & impunitâ cęde necaretur: aut etiam ſi ſileret, neque vim pateretur; id in lucro deputaret.

Iidem, poſtquàm PISANDER & legati advéniſſent; commodiùs cætera peregérunt. Et coacto primùm populo, ſententiam dixére, de X. Scribis, penes quos liberum imperium eſſet, deligendis. qui conſcriptam rogationem certâ die ad populum ferrent, quâ tandem ratione reſp. optimè ordinaretur.

Et decreto in ſpeciem plauſibili promulgato, de liberâ ſententiarum refutatione; & impunitâ quorumvis intercesſione; veteris magiſtratûs iura apertè abrogárunt.

Et V. Præſides legendos curárunt, qui C. Viros deligerent: & ex ijs iterum ſinguli ternos ſibi cooptarent. penes quos, numero CD. quùm in Curiam venerint, imperium merum ſit exſequendi, quæ optima ſacta eſſe cenſuiſſent: & quoties eis viſum ſit; Pentacis-chilios, ſeu V. civium CIƆ. congregandi.

(Huius sciti rogatorem, PISANDRUM; auctorem, ANTIPHONTEM fuiſſe, tradit Thucyd.)

Sic populus Athenienſis, C. ferè, ab exactis Tyrannis, anno, libertate excidit. Qui non modò nullius imperio ſubiectus eſſe; ſed plus-quàm eius temporis dimidio alijs ipſe imperare adſueverat.

Nam CD. viri illi, diſpoſito opportunis per urbem locis armatorum præſidio: & occulto quiſque pugione in curiam ingreſſi, Senatores, qui fabis de more electi fuerant, circumſiſtunt: & egredi, ſibique decedere iubent. Quęſtores è ſuo corpore ſortiuntur.

Deinde immutato vehementer ſtatûs-popularis ritu, imperioſiùs ſe gerere: & ex ſibi ſuſpectis civibus, hos interficere; illos in vincula conijcere; alios exſilio multare.

AGIS, ad quem illi caduceatorem miſerant, qui diceret, velle eos in gratiam redire; hâc motûs inteſtini occaſione uſus. & cum ſuis, quæ ad Decelêam excubabant; & cum alteris, quas è Peloponneſo exciverat, copijs; ad portas uſque Athenarum progreſſus; dum non modò nullius intra Vrbem motûs ſignum daretur; ſed aberumpente etiam forâs equitatu, ſui qui propiùs acceſſiſſent inceſſerentur; exercitum reduxit.

SAMIORVM SEDITIO, BELLVM, ET CLADES.

Illi nihilo-minus, quùm miſſâ iterum legatione apud eumdem regem parùm promoverent; cupidi tamen pacificandi, Lacedæmonem certos homines ad paciſcendum miſére. tum Samum X. Viros amandárunt, qui milites leniant, & novâ ſui inſtituti utilitatem atque æquitatem, verbis exaggerent.

Sed Samij ſub idem pænè tempus, remp. quæ PISANDRI, & aliorum in Samo coniuratorum perſuaſione, ad paucos paullo-antè reciderat; quibuſdam primorum, non ſine tumultu & magnâ vi interfectis; & aliquot Athenienſium ducibus adſcitis, iterum ad populum reduxerant.

Et CHÆREAM Athenienſem, navis Parali (ſacræ & publicæ) præfectum, cum liberis vectoribus, quàm-citiſſimè Athenas tranſmiſerant, qui ea, quæ illic acta eſſent, nuntiarent. ipſi ſtatûs, in patriâ deſubito immutati, penitùs ignari.

Quadringenti illi itaque navim in portum adpulſam ſibi protinùs vindicárunt: & ex Paralis, aliquot in vincula coniectis, reliquos, in navem militarem impoſitos, Eubocæ, iam rebellaturientis, cuſtodiæ deſtinárunt.

At CHÆREAS elapſus, & in Samum reverſus, quæ Athenis gererentur; ſed omnia vi orationis exacerbans, multaque adfingens; militibus denuntiat.

Illi iam cædi eorum, quos facti participes fuiſſe cenſebant, imminentes, metu propinquæ hoſtium claſſis vix abſtitérunt.

Et THRASYBVLO THRASYLLOque auſpicibus, cæteros iure-iurando obſtrinxérunt; ut pro populari Rep. ſtarent, ſecumque ſentirent; & bellum interim, atque alacriter, adversùs Peloponneſios perſeverarent. CD. illos, hoſtium loco haberent: neque quidquam cum illis per caduceatores tranſigerent.

Et quùm Samij quoque omnes, qui per ætatem arma ferre poſſent, in eamdem cum Athenienſibus ſententiam, & negotiorum periculorumque ſocietatem iuráſſent; X. legati, qui in Delo ſubſtiterant, ulterius progredi non ſunt auſi.

Peloponneſij verò, qui Mileti erant, quod maligniùs à THISSAPHERNA ſtipendiũ ſibi eaſolvi infremerent, & futurorum metu percellerentur, ad Pharnabazum, qui eos evocárat, & ſupra ſtipendiũ, Byzantij defectionem fuerat pollicitus: CLEARCHVM, XL. cum navibus, tranſmiſérunt. Et licet naves coortâ tempeſtate, in diverſa iactatæ eſſent, urbe eâ ſunt potiti. Athenienſibus ſeriùs è Samo, ſubſidij cauſſâ, profectis.

ALCIBIADIS IN PATRIAM REDITVS, ET CONATVS.

THRASYBVLVS, ex præfectorum & militum decreto de ALCIBIADE, promiſſâ impunitate, reducendo; ad Tiſſaphernem navigat: & Alcibiadem

ab eo in Samum devexit.

Illi, regiæ apud TISSAPHERNEM gratiæ; & navium Phœnissarum, quæ in Aspendo iam essent, ad se defectionis, spe impleti; Prætorem ipsum classis, & primariorum Imperatorum collegam designárunt. animis de-subito in CD. illos ita incitatis, ut Piræum navigare instarent; nisi ille & metum propinqui hostis obiecisset; & adito TISSAPHERNE, se reliqui belli rationes explicaturum, & ante omnia curaturum, promisisset.

Peloponnesij verò, audito ALCIBIADIS ad suos reditu, qui & ASTYOCHO cunctatore, & TISSAPHERNE infido, uterentur; cum ab illo, quem ad aram confugere per tumultum compulerant, apertè desecerunt; tum castellum, ab eodem illic exstructum, furtim per Milesios adorti, eiecto præsidio, occupárunt.

Sed hâc rerum perturbatione, ASTYOCHO subrogatus, MINDARVS imperium suscepit. apud quem TISSAPHERNES, & Milesiorum factum insimulavit; & eorum, HERMOCRATISQVE Syracusij crimina à se removere contendit.

Postea-quàm ALCIBIADES à TISSAPHERNE Samum revertisset; Legati à CD. Viris, uti dixi, missi, Samum tandem advenére. Qui ægrè à milite irato auditi, præsentem reip. Atheniensis statum mirificè extollebant; & crimina à CHÆREA obiecta refellebant.

Eosque ALCIBIADES militum indignationi ereptos; & aversâ iterum indignantium in Piræum, quam moliebantur, excursione; hoc cum responso dimisit.

„Quinquies illos mille-Viros à reip. administratione non prohiberi. „Quadringentos verò ex-templò amovendos. „Et Senatui, uti priùs, Quingentorum, iura populi reddenda. „Ærarij curam, & sumtus in parcimoniam contractos, sibi non improbari. „Hosti utrimque & gnaviter obsistendum. ne si semel alterutri, sive qui Sami, sive qui Athenis essent, per mutua dissidia, succumbant; incolumis civitas stare non possit.

TISSAPHERNES, ut invidiam à se removeret, ad classem, quæ Aspendu tenus venerat, CXL. navium Phœnissarum; tanquam eas ad Peloponnesios adducturus, se contulerat: quùm ALCIBIADES è Samo eòdem navigavit. ut Persæ ducis dissimulationem, & eius erga se atque Athenienseis studium foveret: & inde illi aut suspicionem, aut invidiam apud Lacedæmonios conflaret.

Athenis verò, ubi mandata ALCIBIADIS à Legatis exposita essent, cæperunt nonnulli ex ijs, quos Oligarchiæ pertæsum erat, principibus THERAMENE & ARISTOCRATE, coitiones facere; & de æquabiliore per Pentacis-chilios reip. statu consultare. animis, ex validis ALCIBIADIS apud Samum rebus, erecti.

PHRYNICHVS contrà, ANTIPHON & PISANDER, cum alijs popularis statûs adversarijs, nec à Lacedæmonia societate abhorrentibus, murum in Eetioneâ (qui Forceps, sive promontorium Piræi portûs & navalis) excitabant. quo, ut conijciebat THERAMENES, & classis, & peditatus, in euentum, excipi posset: & in porticum proximam vis omnis frumenti, pro eorum arbitratu, comportaretur, & venum exponeretur.

Illi prætereà missis è Tetracosiorum corpore legatis, quacumque conditione, modò tolerabili, cum Lacedæmonijs pacisci contendebant.

Sed quùm illis re infectâ reversis, XLII. naves, ab Euboeensibus accitæ, sub idem tempus in orâ Laconicâ stationem haberent; & ad transeundum, duce HEGESANDRIDA, instruerentur; & deinde ex Epidauro Æginam excursionibus infestarent; magno ex suspicione, inter utriusque factionis homines, tumultu ad Piræum excitato; & armis, Seniorum intercessione, positis. THERAMENE in primis armatos & vulgus exhortante: *Vt quicumque Pentacischilios, loco Tetracosiorum, civitati præesse malit, ad opus sese accingeret*; murus ille cum Pirgo dirutus est.

Vnde nova inter CD. & milites, qui muro everso, armis accincti ex Munychiâ in urbem venerant; seditione coortâ; dum concilium in Æde DIONYSII, de cōcordiâ, ex pacto, haberetur; & è vestigio nuntius adferretur, illas, quas dixi, Peloponnesiorum naveis à Megaris cursum in Salaminem tenere: citato universi cursu in Piræum contendérunt. Alij naveis deducere, alij in eas ingredi, alij muros & ostia portûs tueri. Et cognito, classem hostilem, superato iam Sunio, ad Oropum adpulsam esse; nautis, qui ad manus erant, coactis, THYMOCHAREM ducem cum XXXVI. navium classe, in Eretriam misére.

PVGNA AD ERETRIAM.

Hic, unà cum ijs, qui priùs in Euboeâ erant, coniunctus militibus suis, fraude Eretriensium, adhuc à cibo imparatis: cum HEGESANDRIDA, qui curatis tempori militum suorum corporibus, ea Oropo classem Laconicâ ducebat, proximùs dimicare coactus est.

Vnde Athenienses, pugnâ ad Eretriæ portum commissâ, in fugam versi. & qui in urbem, uti amicam, confugiebant, indignissimè ab Eretriensibus trucidati sunt. ijs tantùm incolumibus, qui vel in munitiones Eretriæ, vel in Chalcidem, evasérunt.

Peloponnesij verò, XXII. navibus, virisque potiti, quorum partim interfecti sunt, partim servati; omnem, præter Oréum, Euboeam, in potestatem suam redegérunt.

Atheniensibus, ex hâc clade, pavor, omnium ad eum usque diem maximus, incessit. qui nautis navibusque destituti, infestum sibi ad Samum, ex civibus, exercitum haberent; & Piræum ab hoste victore, dum intestinâ ipsi inter se seditione colluctantur, quam-primùm invasum iri, suspicarentur.

Aut si è Samo, sui, relictâ Asiæ statione, ad opem civitati ferendam accirentur; Hellespontum & Ioniam, Insulasque, statim in hostium ditionem concessuras esse prospicerent.

Ipsi nihilo-minus armatis mòx XX. navibus, & cōcione coactâ, Quadringentos illos magistratu movérunt: & Pentacischilijs rei administrandæ summam tradidérunt. Quod temperamentum civitatē adflictam recreavit. Nam pari decreto ALCIBIADES, cum alijs, in patriam revocatus est: & milites è Samo ad rem secum gerendam accedere iussi.

Sed in hâc rerum mutatione, principes-Paucorum quasi in exsilium profecti; PISANDER quidem, cum aliquot, in Deceléam se subduxit: ARISTARCHVS

chvs verò, Oenoen, à Corinthijs tum obsessam, ut se Boeotis, ceu federatis, ex pacto traderet, fraude induxit.

Quùm verò Peloponnesij, quos Tissaphernes vanâ hactenus auxilij nautici & stipendij spe lactârat, à Pharnabazo solicitarentur. & Mindarvs in Hellespontum, è Mileto cum LXXIII. navibus, solveret quidem, sed tempestate diutius distineretur: Thrasybvlvs & ipse è Samo. cum LV. navibus, ne ille prœverteret, eòdem adproperabat.

PVGNA MEMORABILIS AD HELLESPONTVM.

Sed dum ad Eressum, in Lesbo, quam exsules Methymnæi interceperât, cum Thrasyllo, qui ad eamdem stationem cum totâ classe accesserat, hæret, & urbi expugnandæ intentus est; Mindarvs è Chio profectus, longinquo secundum Asiæ continentem cursu, ad Rhoetium Sigæumque Hellesponti penetravit.

Et Atheniensium naveis XIIX. quæ è Sesto in Elæuntem navigârant, nactus, aliquot ex ijs, ad suæ classis conspectum fugienteis, cepit, impegit, aut exussit. & frustrà tentata LXXXVI. navibus Elæunte, Abydum petijt.

Athenienses, qui ad Eressum hærebant, facti certiores de hostium discessu, relictâ protinùs oppugnatione, in Hellespontum, suppetias suis abiére: & Elæuntem adpulsi, V. dies in apparatu navalis pugnæ consumsére.

Dum itaque Atheniensium classis LXXXVI. navium, in aciem cornuaque instructa, Sestum versùs, terram legeret; Peloponnesij & ipsi, cum LXXIX. navibus, obviam ex Abydo procedunt. Et in mediam classem invecti; Atheniensiumque navibus iam in siccū vi propulsis, potiores. quod neque illis Thrasyvlvs dextro cornu præfectus, ab hoste Mindaro undique & cominùs oppressus: neque Thrasyllvs, qui iam promontorium Cynossema excesserat, & rem oculis subiectam non habebat; a Syracusanis, alijsque acriter oppugnatus, à sinistro, succurrere possent: victoriam immodicâ fiduciâ corrupére.

Dum enim ipsi, dissolutis ordinibus, naveis Atheniensium fugienteis, alij aliam persequuntur; à Thrasybulo, in occasionem intento, vicissim in fugam terroremque coniecti, Syracusanos etiam secum traxére.

Athenienses, qui XV. naveis, ex suis, antè amiserant (Diod. V. depressas tradit) XXI. ex hostilibus cepére. (Idem Diod. l. 13. memorat, post anceps certamen, superventu XXV. navium à socijs Atheniensium, territos Peloponnesios cessisse.)

Hæc victoria Athenis nuntiata, ingentem civium animis alacritatem, & firmiorem rei in posterum bene gerendæ, spem iniecit.

Victores deinde Cyzicum, quæ ad Pharnabazum defecerat, recepérunt, Et Alcibiades, à Tissapherne reversus, Halicarnasseis ingentem pecuniæ vim imperavit: & Con muro conclusit.

Hactenus Thvcydides, qui XXII. annor. res bello Peloponnesiaco gestas, IIX. vel ut alij secant, IX. voluminibus perscripsit. Xenoph. deinceps XL. annor. tempus, libris VII. perstringit.

3545. bell. 22. 15. Dar. | 405.

Mindarvs Lacon, in laceratarum navium refectione occupatus, Epiclem popularē, in Euboeam, ut inde triremes ad se quam-citissimè deveherentur, dimiserat. Sed ille, L. navibus illicò coactis, renavigans, subitâ ventorum marisque tempestate, ad montem Athon impactas, omneis cum vectoribus, vix XII. eorum è naufragio salvis, amisit.

ANTANDRII IN LIBERTATEM ADSERTI.

Antandrij, quod ab Arsace, Tissaphernis vicario, duriter haberentur; & Deliorum, quos ille per fraudem ad se ex Atramyttéo, coloniâ, evocatos immaniter iaculis confoderat; exemplum reformidarent: acceptâ clam à Lacedæmonijs præsidiariorū manu, & hoste eiecto, in libertatem se adseruérunt.

Mindarvs, cognito Dorievm, suum Italicarum triremium præfectum, qui ex Rhodo, à se iam pacatâ, XIV. cum navibus in Hellespontum erat profectus; ab Atheniēsibus e Sesto, ad Dardanum (quò, subductis ille in Rhoetéum navibus, è pugnâ subitariâ profugerat) oppugnari; obviam hosti, & suis suppetias iens, ab ijsdem, prope Abydi littus, prœlio exceptus est.

PVGNA AD ABYDVM.

Et quùm ab ab ortu solis, ad occasum usque, ancipiti Marte inter se confligerent; & Alcibiades, qui fortè in Hellespontum tendebat; XIIX. cum navibus, in utriusque aciei conspectum se dedisset: consternati de-repente Lacedæmonij, in fugam ad Abydum se dedére. & cum Pharnabazi copijs coniuncti, Atheniensibus, qui navigia in litore destituta avellere moliebantur, è terrâ restitére. Hi verò suis, quas antè amiserant, reciperatis, XXX. etiam hostium navibus vacuis potiti, Sestum rediére.

ALTERA AD CYZICVM.

Alcibiades, è custodiâ, in quam à Tissapherne, Atheniensium, ut tum præferebat, hoste, quem muneribus tamen donatum veniebat; coniectus fuerat: & Sardibus elapsus, Clazomenas; atque Atheniensibus, qui Sesto, ob metum Mindari propinqui, in Cardiam profugerant, coniunctus, navibus inde circumagi iussis, Sestum cum peditibus contendit. Vbi edoctus Peloponnesiorum classem, ex Abydo, ad Cyzicum, solvisse, quùm Theramenes è Macedoniâ, & Thrasybvlvs è Thaso (quò ad exigendum tributū fuerant profecti) eòdem, pari cum XX. navium numero, commodùm accessissent; ad hostem persequendum ipse se accingit: & Cyzicum versùs, LXXXVI. navibus cursum instituit.

Ibi postquam in hostilis classis conspectum ventum est: Peloponnesij territi in terram fugére, & ex navium munimentis hosti restitére.

Quumque Alcibiades, XX. interim navibus

circumactis, in terram itidem milites exposuisset: idemque MINDARVS suos facere, & in litus desilire, iussisset: atque ipse inter primos pugnans occubuisset; cæteri in fugam sunt conversi.

Athenienses abductis, quas ceperant, in Proeconnesum navibus, Cyzicum postridie, auxilio destitutam & deditam, grandi pecuniâ multavére.

ALCIBIADES prætereà urbibus, Perintho & Selybriâ, parére iussis, & portorio ad Chrysopolim Chalcedoniæ constituto; THERAMENEM, & EVBVLVM, cum XXX. navium præsidio, ibi reliquit: & cum cæteris ducibus in Hellespontum processit.

NOVI LACEDÆMONIOR. CONATVS.

Peloponnesij, licet à PHARNABAZO ad bene sperandum, & ad classem, petitâ ex Idâ, proximo monte, materiâ, reparandam, stipendio ampliore & veste, animati: ducum tamen Syracusanorum, & laudatissimi inter cæteros HERMOCRATIS, (quos absenteis, civitas improbo plebiscito, domo exsilio damnârat, & magistratu abdicárat) discessu, quamvis novi subrogati essent, graviter perturbantur. Atque ETEONICO, qui cum Laconicæ factionis consortibus è Thaso fuerat expulsus; CRATESIPPIDAS, cum sociarum navium imperio, in Chio successit.

Et AGIS, qui ad Decelêam sessitans, tot iam annis Athenienses usu terræ prohibuisset, ne frumentum etiam mari in urbem importari posset, naveis militareis eâ fini socijs imperavit.

POENORVM IN SICILIAM EXPEDITIO.

Hoc anno (qui, ut notat Xenop. lib. I. Helllen. Olympiadem XCIII. antecessit) Poeni, duce ANNIBALE, Amilcaris eius, quem cum Gelone bellum gessisse memoravimus, Nepote, ab Egestanis adversûs Selinuntios sollicitati, duas Græcæ gentis civitates, Selinuntem ipsam, & Himeram, non sine miserabili incolarum internecione, cepére.

Selinuntij scilicet, Atheniensium nuperâ clade, & Syracusanorum societate turgidi, Segestanis iniquitabant; & de agris litem movebant.

Paucis antè annis GISCO Poenus, Amilcaris, qui anno Vrb. C. 274. à GELONE victus fuerat, F. odio patris in exsilium pulsus, à Selinuntijs benignè fuerat exceptus. Gisconis F. ANNIBAL, avitæ dignitati restitutus, principem Carthagine locum iam obtinebat. Ab hoc Segestani opem adversùs Selinuntios, sibi iniquos, implorant. Ille primùm modestò apud Syracusanos, de Selinuntijs, paternis licet hospitibus, conquestus, ubi modestiâ nihil proficit, palam armis agit, & ipse Segestanis opitulatur, Syracusani contra, Selinuntijs.

Ille urbibus, quas dixi, eversis, & tertiâ ferè Siciliæ parte perdomitâ, post trimestre, victor Carthaginem redijt.

THRASYLLI IN SAMVM EXPEDITIO.

THRASYLLVS, qui victoriæ prioris nuntius, & supplementa petiturus, Athenas venerat: AGIDEMQVE, mœnibus urbis adpropinquantem, recedere coegerat; acceptis, quæ sibi decretæ essent navibus; & v. nautarum CIↃ. quos cæteris militibus erat permisturus, armatis, in Samum navigavit. Et quùm depopulato Pygelensium agro, è Mileto quidam in palanteis impetum facerent; à cetratis Milesij pænè omnes, amissis scutis, interfecti sunt. Deinde ex Lydiâ, cedentibus Colophonijs, & vicis compluribus incensis, magna vis pecuniæ, & mortalium, in prædam abacta est.

PVGNA AD EPHESVM.

TISSAPHERNES de Ephesо sollicitus, auxilia undique contrahit: utque eam ad urbem conveniant, & opem DIANÆ ferant, per equites denuntiat. Quùm itaque THRASYLLVS, bipertitis copijs, hinc ex Coresso, inde ab Helo, urbem adgredi pararet; collecti undique à THISSAPHERNE commilitones, unà cum Syracusanis, veteribus & nuperis, eruptione ex urbe factâ; primùm gravem armaturam, quæ ad Coressum erat, in fugam vertunt; & c. circiter interfectis, ad mare usque sunt persecuti. Deinde equites & ferentanos, qui ad Helos erant; invadunt, & profligant. Syracusijs & Selinusijs, ob operam egregiè navatam, præter alia munera, Civitas Spartæ cum perpetuâ immunitate, data est.

Thrasylliani vicissim paullo-post, è Methymnæo portu, XXV. Syracusanorum naveis, ex Ephesо advenientes, conspicati, & impetu in eas invecti, IV. cum vectoribus, captis, reliquas Ephesum usque sunt insecuti. Captivi Athenas deportati, & in latomias coniecti, (ex quâdam talionis lege) petrâ clam perfossâ elapsi, in tuta perfugérunt.

IN ASIAM EXCVRSIO.

Toto iam exercitu Atheniensium ad Lampsacum coacto, ALCIBIADES cum THRASYLLO Abydum adgressus, Pharnabazum, qui magno cum equitatu Abydenis suppetias veniebat, prœlio superatum & fugientem, longè, & in serum persecutus est. Et milites, iam inter se, veterani cum tironibus Thrasyllianis, reconciliati, in continentem Asiæ populatione effusi, magnâ clade regis provincias adflixére.

Heracleenses, qui olim Trachinij, ab Achæis concivibus, in Oeotorum, perpetuorum hostium, lubidinem proditi; ad nec. unà cum LABOTE Lacedæmonio, urbis præfecto, variâ peste interiérunt.

MOTVS IN MEDIS.

Et diversa ex parte Medi, qui à Dario Persarum rege defecerant, iterum per vim subacti sunt.

Ctesias, ARTOXAREM Eunuchum regi molitum esse insidias; & de regno invadendo cogitâsse, scribit; moxque interfectum.

Deinde TERITVCHMEN, Idernis F. (cuius soror statira, Arsaci (qui & Artoxerxes) regis filio enupserat) Amistridis regiæ filiæ, maritum: quod Roxanes, eius sororis, amore captus, eam de illâ è medio tollendâ conturâsset; ab Vdiaste, non impunè tamen, cæsum. MITHRADATEM namque F. Teritucmis armigerum, patri Vdiasti diras imprecatum, urbe Zatin, quam occupârat, filio Teritucmis conservâsse.

A Parysatide, regis Darij uxore, matrem & fratres

tres d...os, totidemque sorores TERITVCHMIS, vivos terrâ obrutas fuisse, & ROXANEN dissectam. Statim..., pari pœnæ addictam, vix soceris multo fletu ... precatis, incolumem evasisse. Hæc forte-an illi Medorum defectioni, cuius Xenophon obiter meminit, adfinia. Qui & lib. 2. tradat, paullo antè mortem, bellum a DARIO gestum adversus Thamnerios Mediæ, qui Cadusijs adiacent, & ab eo defecerant.

3546. | Anno belli Peloponnes. ut putat Xenoph. altero & vicesimo (fort. exeunte. nam addit: Sub exitum hyemis.) qui DARII erat XXII. aut XXIII. | 404.

CHALCEDON OBSESSA.

Athenienses, universis cum copijs, è Proeconneso Chalcedonem Byzantiumque versùs, movêrunt. & illam priùs magnâ vi obsederunt. Cuius quùm incolæ, hostis ad propinquantis metu, fortunas suas apud vicinos, Bithyno-Thracas, deposuissent; ALCIBIADES, navibus subsequi iussis, cum equitatu, & aliquantâ peditum manu, eò profectus, spolia ab ijs fide datâ recepit: & Chalcedonem undique, totisque copijs, obsessam, quàm latè patet, vallo ligneo circumdedit.

Et quùm hinc HIPPOCRATES, Lacedæmoniorum præsidijsque præfectus, eductis ex urbe copijs, in certamen descenderet; Inde PHARNABAZVS, altero equitum peditumque exercitu, munitiones adoriretur: Ille quidem, suis in urbem refugientibus, cecidit. hic verò flumine & vallo prohibitus, in castra, ad Heracleam, inglorius recessit.

Digresso ab obsidione in Cherronesum ALCIBIADE, PHARNABAZVS cum cæteris ducibus de Chalcedone transegit.

„*Vt ipse XX. talentis persolutis, Atheniensium Legatos ad regem deduceret.* „ *Et fide utrimque datâ atque acceptâ, Chalcedonenses tributum de more Atheniensibus penderent, & nomina in solidum dissolverent.* „ *Athenienses illis, dum Legati à rege redeant, bellum aut molestiam ne facesserent.*

ALCIBIADES, qui intereà Selybriam ceperat, cum magnâ Cherronesiorum & Thracum manu, & CCC. equitibus, ad Byzantium venit. Et Chalcedonem evocatus, non nisi gravatè conditiones iure-iurando utrimque firmatas, à PHARNABAZO, accepit.

Ad Regem missi sunt, Athenienses V. cum II. Argivis: & PASIPPIDES Lacedæmonius, cum HERMOCRATE Syracusio, pro re natâ exsule. qui tamen in id iter ingressus fuisse non censeatur.

BYZANTII OBSIDIO.

Byzantium intereà magnis viribus ALCIBIADES obsidebat; quam CLEARCHVS Lacon, cum Megarensibus & Boeotis, ita tuatus est; ut Athenienses à vi, ad tentandæ proditionis consilia, se converterent. Clearcho itaque ex urbe egresso ad Pharnabazum, ut militi præsidiario stipendium procuraret; & arcessitis undique ex Hellesponto, Antandro, & Thraciâ navibus, Athenienses, illatâ socijs eorum clade, ab obsidione abstraheret. Ibi tum ANAXILAVS, præ cæteris, quod frumento inter milites solos à Clearcho malignè distributo, pueros & mulieres, civeis suos, inediâ perire non ferret; ALCIBIADEM apertis noctu portis, cum universo exercitu, in urbem recepit. HELIXVS & CIRATADES, ille Megarensium, hic Boeotorum, duces, postquam usque aliquò vim in foro sustinuissent; capti sunt cum suis, & Athenas transmissi.

Legati autem Atheniensium, iam è Gordio Phrygiæ, unà cum PHARNABAZO, in iter ingressi, obvios habuêre Lacedæmonior. Legatos, Boeotium, & alios, qui se reip. suæ nomine, à rege, quæ petierant, impetrâsse; & CYRVM, regis fratrem, universæ oræ maritimæ summâ cum potestate præfectum, & Lacedæmonios bello iuvare iussum esse, nuntiârunt. Quo cognito, Athenienses variè à Pharnabazo, & Cyro ipso, spemque metumque inter, habiti, & suspensi, vix triennio pòst ad suos rediêrunt.

ALCIBIADIS IN PATRIAM REDITVS.

3547. bell. 24 Dar. 17. | —————— | 403.

ALCIBIADES domum, quo à familiaribus evocabatur, & à civibus desiderabatur, redeundi cupidus. (Cui licet exsuli adhuc, unà cum THRASYBVLO in Thracia & Thaso, quam occupâtat, absente; & CONONE ad classem præsente; supremam Imperij militaris dignitatem detulerant) è Samo, cum pecunijs, & navibus XX. in Parum; & inde festo Plynteriorum die, in Piræum navigavit. Ubi tanta fuit omnium exspectatio eius videndi, ut ad torrentem eius vulgò confluerent, perinde-ac si ... adventaret. (Venerant enim & THRASYLLVS, cum reliquo exercitu, naves ex hostibus captas ac spolia ostentante, & tantum non triumphante. & THERAMENES cum THRASYBVLO, qui eisdem rebus præfuerant.)

Sic enim populo erat persuasum; Et *res adversas superiorum temporum, & in præsentia secundas, eius operâ accidisse. Et tantum uno in viro momenti fuisse*

ti fuisse : ut maximi Imperij, modò subversi, modò restituti, auctor esset. fieretq; cum eo mira quædam fortunæ inclinatio.

Pristhnas in eum contumelias, insitatis honoribus: detrimenta, muneribus; exsecrationes, precibus; explent, & compensant. Atque adeò decreto etiam publico, tota ei resp. domi bellique tradita, ut unius arbitrio gereretur. Et II. ipsi collegæ, quos postulárat, dati; THRASYBVLVS (Xenop. Aristocrates) & ADIMANTVS.

Ipse coacto CIↃ.D. peditum, & equitum CL. exercitu, & navibus C. tertio post reditum mense, in Andrum, quæ defecerat, profectus. & Andrijs pugnâ victis & Thrasybulo, in Gaurio, quod munierat, cum præsidiarijs relicto; indè in Samum navigavit; & bellum Cois, Rhodijsque facessivit.

LYSANDRI RES GESTÆ.

LYSANDER, qui paullo-ante Cratesippidæ in classis præfecturam subrogatus, Rhodum venerat; & inde in Con, Miletum, atque Ephesum traiecerat; cum CYRO. qui Sardibus tum, quasi ex condicto, eodem advenit, & pecuniam attulit; incusatâ TISSAPHERNIS segnitie, belli expeditiùs gerendi, & augendi nautis stipendij, consilia communicat.

Dum ipse itaque re navali constitutâ, XC. naveis, quas ad Ephesum subduxerat, instauraret: & Alcibiade ad Thrasybulum, qui Phocæam muniebat, enavigante; ANTIOCHVS, eius legatus, mandati immemor, Lysandri naveis, duabus cò triremibus provectus, lacesseret. ex tumultuariá paucorum pugnâ, multis hinc inde ad opem ferendam adfluentibus; ad Notium, iustum exarsit prœlium. Vt Lacedæmonij, qui servatis pugnárant ordinibus, XV. Atheniensium naveis, milite profugo iam vacuas, interceperint.

Non ausi tamen cum ALCIBIADE, qui regressus, instructâ ad portûs fauceis classe, ad pugnam provocabat; quod navium numero inferiores essent; iterum congredi. Delphinio nihilominus potiti sunt, & Eione.

ALCIBIADI IMPERIVM

ABROGATVR.

Xenophon tradit, ob huius cladis nuntium, ALCIBIADEM, apud Athenienseis, qui eius culpæ aut fraudi eam acceptam referrent, subiratos, in invidiam recidisse, & absenti magistratum abrogásse: & CONONAM, cum IX. alijs, in eius locum substituisse.

Æmyl. Prob & Diod. Sic. Illum classe è Samo eductâ Cumam petijsse: & urbem sociam, ex anquisitis criminibus, hostili agrorum hominumque direptione, lacessisse.

Et quùm opidanis, adversùs palanteis in pugnam egressis, subsidia ex agris accederent, & irruerent; Athenienseis captivis prædâque omni exutos esse, & ad naveis confugere coactos.

Illum iterum copijs ex Mitylene accitis, licet Cumæi à pugnâ abstinerent, animum furori submisisse, & agris eorum atrociorem depopulationis pestem intulisse.

Atque inde Atheniensium magistratus, tum iustis Cumæorum, qui ius sociale servássent, & iniuriâ adfecti essent, querelis tum militum Samiorum, de nimiâ & in posterum perniciosâ, cum PHARNABAZO eius familiaritate, criminibus: & æmulorum ducum calumnijs permotos, quæ omnia in eo credibilia, vigór ingenij & morum luxuria, faciebant) suspectam viri audaciam. seu malignitatem, habuisse. Qui se non fortunâ belli, sed fraude Imperatoris victos fuisse arbitrarentur: apud quem plus prior offensa valuisset, quàm recentia beneficia.

Iustin. lib. I. ALCIBIADEM, tradit, C. navibus in Asiam profectum, dum agros longâ pace divites securus populatur, & prædæ dulcedine, sine insidiarum metu, sparsos milites habet: repentino adventu LYSANDRI oppressum esse. tantamque cladem palantium fuisse, ut plus vulneris eo prœlio Athenienses acceperint, quàm superioribus dederant. Et præ desperatione, motos duces.

Ille autem veritus multitudinis impetum, aut malè sibi conscius, domum reverti noluit. sed denuò in voluntarium exilium profectus, in Pactiam Thraciæ; (alij, Perinthum; alij, Patara. Xenoph. in Chersonesum) unâ triremi se recepit.

Et III. ibi communitis castellis, manuque collecta. gloriosiùs sibi duxit barbarorum prædâ locupletari, quàm Græcorum.

CONON classem, cui tradente copias Alcibiade, præesse erat iussus, quàm potest maximâ industriâ exornare contendit. licet ea Centenis, vix LXX. naves instrui potuerint.

MOTVS SIRACVSIS.

Hoc anno HERMOCRATES ille Syracusius, qui & pro patriâ, & cum Lacedæmonijs, adversùs Athenienseis, tot iam annis res præclaras terrâ marique gesserat: & exsul ad Selinuntios, acceptâ à PHARNABAZO pecuniâ, confugerat: & Syracusanis æquior, in Carthaginensium tributarios & amicos fuerat grassatus, in ipso patriæ per vim recipiendæ conatu, & cum armatis ingressu, obtruncatus est. DIONYSIO, qui posteà dominatum sibi vindicavit, cum paucis coniuratis, e strage vix incolumi. Vel, ut alijs placet, clementer habito. cui Syracusani, scilicet, suæ in Hermocratem ingratitudinis pœnas aliquando luerent.

PEONORVM IN SICILIAM

EXPEDITIO.

At Carthaginienses, CXX. navibus, duodecimque hominum myriadibus in Siciliam, duce ANNIBALE, Hamilcaris F. Gisconis Nep. ingressi, licet à Syracusanis terrâ marique aliquot prœlijs victi fuissent; Agrigentinos, Selinuntiorum amicos, populum eâ tempestate ditissimum, & bis centies M, civium capitibus

pitibus sum florentem, intrà urbem compulsos, VIII. demum mense, fame domuerunt. & nullo non crudelitatis Punicæ genere diripuere.

Quod quidem bellum, Syracusanorum auxilia, quæ Lacedæmonijs hactenus præbuerant, domum ex Asiâ revocâsse censeatur.

Alij, ANNIBALEM à Syracusanis, unis castris & victâ spoliatum, volunt: Alteris castris HIMILCONEM præfuisse; qui naves frumentarias à Syracusanis Agrigentum submissas, interceperit: & obsessos ad deditionem adegerit.

HIMILCO (qui & Amilcar, sive Hamilcas) Agrigento diruto, Gelam obsedit.

CALLICRATIDES LACEDÆMON.

3549. bell. 25. Dar. 18.		402.

CALLICRATIDES, Lysandro illubenti, post annuam præturam, successor datus, præter eas, quas à decessore acceperat; ex Chio, Rhodo, alijsque, L. naveis instruxit; & univesè ad CLX. coëgit.

Ille autem Cyri, ad quem nauticum stipendium petiturus accesserat; & biduo colloquium cum eo demorari iussus fuerat; fastum barbaricum, moramque, ad fores principis, rebus suis inutilem, pertæsus; vicem Græcorum indoluisse fertur. qui, *Exiguæ pecuniæ causâ barbaris servire, aut adsentari cogerentur.* Se, si in patriam salvus unquam reverteretur; operam enixè daturum, ut Athenienses & Lacedæmonij in pristinam inter se gratiam, & adversus barbaros, societatem, redirent.

Naveis itaque è Mileto Spartam, petendæ pecuniæ, dimisit: & quam à Milesijs amicè mutuam exegerat, nautis in Chio exsolvit.

Vbi Delphinio, eiectis Atheniensibus, potitus; & ad Methymnam Lesbi navigans, eam vi cepit, & militi diripiendam concessit. Et civeis quidem liberos inde dimisit, urbemque restituit: præsidiarios verò Atheniensium, & servitia sub coronâ vendidit. Et Cononi, qui auxiliaturus accesserat, dixit: *Se eum ab ulteriore maris adulterio conquieturum.*

Hic tamen è portu egressus, in Mitylenen, CALLICRATIDE nequaquam ad portum usque insectari auso, evasit. Et Lesbijs instigantibus, ad fauceis confligere coactus, amissis XXX. vacuis, quarum vectores in littus erant elapsi, XL. naveis reliquas intra portûs munimenta, subduxit.

CALLICRATIDES portum, ne CONON elabatur, insedit; neve terrâ effugium pateat, THORACEM, cum gravi armaturâ, ad se pedestri itinere; & Chios è propinquo, accelerare iussit.

CONON terrâ marique artè obsessus. & ob hominum in urbe frequentiam, frumentique inopiam, de fame solicitus. quique ab Atheniensibus, tam subiti casûs ignaris, auxilium ne speraret quidem. triremeis II. lecto remige instructas, per medias hostium stationes, perrumpere; & ad suos nuntium præsentis periculi perferre iussit. Ex quibus unâ captâ, altera Athenas pervasit.

Neque DIOMEDONTI felicius successit. cui, dum per Euripum Mityleneum, XII. cum navibus, opem obsessis ferre nititur, obvius CALLICRATIDES X. naveis abstulit.

Athenienses interim cognitâ suorum clade, & ducis obsidione, intra XXX. dies, CX. armârunt naveis. Sed numerus militum, sine exercitûs robore expletur: delectu ex senibus & impuberibus, ex servis ac libertis, habito.

(Iustin. rebus prœlio perditis, ac desperatis; ad tantam inopiam rediguntur, ut consumtâ militari ætate, peregrinis civitatem, servis libertatem, damnatis impunitatem, darent. eâque ex colluvione hominum conscripto exercitu, vix libertatem tuebantur.)

Quæ copiæ, cum aliquam-multis equitibus, postquàm Samum adpulsæ; & naves præterea XL. è Samijs, alijsque socijs, collectæ, ut ad CL. evaderent; CALLICRATIDES, Eteonico quinquagenis cum navibus ad Mitylenes obsidionem relicto; ipse cum CXX. navium classe, ad Maleam Mityleneorum promontorium, adpulsus est; quo die Athenienses ad Arginusas, ex adversum Maleæ consederant.

PVGNA AD ARGINVSAS.

Illuc LACON, ubi primùm illuxit, cum classe progressus; & Athenienseis acie ordinibusque, sub IX. præfectis, instructos, nactus; pugnam conferto prius utrimque agmine, deinde rariore, commisit.

At postea quàm ipse, (quem HERMON Megarensis frustrà, ut prœlio, ob Atticæ classis magnitudinem, abstineret, commonuerat: & ille, *Se cadente, Spartam nihilo deteriorem fore; at fugere sibi esse turpissimum*, responderat) è navi excussus in mare decidisset: (Diod. telis confossum, in suâ navi exspirâsse, tradit)

Et PROTOMACHVS Atheniensis dextro, cui præerat, cornu sinistrum hostium vicisset. in fugam versi Peloponnesij, & alij in Chium, alij in Phocæam sunt delati. amissis Laconicarum IX. & socialium plus LX. navibus. quùm Athenienses, è suis XXV. unà cum vectoribus earum plerisque, desiderarent.

Hanc omnium maximam inter Græcos pugnam fuisse vult idem Diodor. Et THRASYBVLVM classis Atticæ Prætorem tunc fuisse primarium. cuius ne meminit quidem inter cæteros, Xenophon: neque Theramenis.

Attici duces, Arginusas reversi, quantumvis inter se constituissent, ut THERAMENES quidem & THRASYBVLVS, Trierarchæ, cum quibusdam ordinum ductoribus, & XLVI. navibus, naufragijs, hominumque fluitantium iacturæ, è vestigio succurrerent;

rerent; ipsi verò reliquâ cum classe ad ETEONICVM, in Mitylene oppugnendum, enavigarent. vento tamen & tempestate prohibiti, tropæo illic erecto, subsedérunt.

DVCVM ATHENIENSIVM INIQVVM SVPPLICIVM.

Nuntio victoriæ, & rei feliciter gestæ, Athenas perlato; populus lętitiâ simul & dolore distrahi cœpit. qui militum quidem virtutem extollerent: neglectam verò in sepeliendis ijs, qui pro imperio occubuerant, pietatem, dolenter ferrent: & ducibus, velut eius impietatis auctoribus, acriter infensi essent.

ETEONICVS autem, simulatâ suarum partium victoriâ, & sacris eo nomine peractis, naveis cum pecunijs Chium transmisit: & ipse, incensis ad Mitylenen castris, terrâ Methymnam (al. Thyræos) contendit. CONON verò, hoste iam digresso liber, obviu que ad Arginusas Atheniensibus, quę Eteonico acciderint, commemorat.

Quùm porrò THRASYBVLVS & THERAMENES ante Athenas redijssent, quàm Prætores cæteri eo, quod dixi, impietatis, ob cadavera suorum insepulta, crimine arcesserentur; Hi ab illis accusari se rati, epistolis ad populum missis, significant negotium ijs ipsis datum ex decreto fuisse, legendi humandique cadavera.

Atque eo pacto, ex amicis, & caussæ suæ, si res ita tulisset, defensoribus, qui & gratiâ pollerent, & ęquabile de rebus gestis, quibus interfuerant, testimonium dicere potuissent: ex istiusmodi litteris & criminatione, acerrimos cepére adversarios.

Postquam enim ipsi opportunè se purgárunt; multitudinis furor in cæteros duces iterum est accensus. Et CONONE à culpâ liberato, traditoque illi copiarum & classis imperio, (Xenoph. additis illi, ADIMANTO & PHILOCLE, administris) dies reliquis dicta est, quâ se sistere iubentur.

Sed ex ijs PROTOMACHVS & ARISTOGENES, fugâ populi furorem evitárunt. THRASYLLVS, CALLIADES, LYSIAS, PERICLES, & ARISTOCRATES (Xenoph. DIOMEDON & ERASINIDES) multis cum navibus, & pugnæ testibus, reversi sunt, quæ sibi, eo in iudicio, præsidio fore sperarent.

Vbi in concionem ventum est, & caussa agitari cœpta; illi è vinculis crimen diluere, & vim tempestatis ante omnia prætendere. quâ factum esset, quo minus, quùm ipsi in hostem rectà contenderent, ab ijs, quibus naufragis succurrendi negotium curamque dederant; THERAMENE scilicet, & THRASYBVLO, quod sui erat officij, præstari potuerit. qui pœnæ nihilo-minus, se condemnatis, eximantur.

Cæterum accendente populum, ferijs Apaturijs, propinquorum ijs, qui naufragio perierant, ploratu; & CALLIXENO homine improbo, omnem legitimi iudicij formam pervertente. & instante; *Vt si sortibus in hydrias à Tribu quâque coniectis, duces damnati essent; ipsi ulteriùs inauditi, & XI. Viris traditi, morte multarentur, eorumq́ bona publicarentur.*

Quantumvis SOCRATES, Sophronisci F. enixè intercederet; & tam pręcipitis iudicij iniquitatem publicè increparet.

Et EVRYPTOLEMVS præclara ducum facinora, quos inauditos damnari, eorumque decus, & victoriam dedecorari, nefas esset; & imperia de naufragijs colligendis, optimè quidem ordinata, sed subitâ tempestate impedita, commemoraret, & testibus confirmaret. ac proinde de illis iudicium, more maiorum & ex legum decretis, ferendum diceret:

Senatûs tamen impetus, & insana plebei, ab oratoribus incitatæ, lubido, à Iudicibus, quod voluit, extorsit. Et fortunis in publicum redactis. IIX. ex Prætoribus capite condemnatis & ex ijs VI. pręsentes morte sunt adfecti.

Quorum unus DIOMEDON, dum ad necem traheretur, excellenti animi præstantiâ casum suum contemnens. pro concione hæc tantùm:

„ *Atheniensis populi, in sua capita decretum, Dij bene verterent & fortunarent. Vota tamen, quæ pro victoriâ Dijs ipsi Prætores ante Prœlium nuncupárint, quos fortuna in præsentia prohibeat;* populi universi, & reip. interesse, ut ea rite solvantur; curare.

Sic viri, non supplicijs, sed coronis & præmijs digni, gloriosè, an sceleratè! occubuérunt. Sed Numinis cuiusdam potentia, scelus detestata, pœnas ab auctoribus & Iudicibus repoposcit.

Et populus Atheniensis, quem paullo-pòst maxima eius facti incesserat pœnitentia, eos omneis, qui se orationibus & sententijs suis in fraudem induxissent, reos peregit.

Et CALLIXENVS, inter cæteros, in vincula publica coniectus; & hostibus ipsis, ad quos perfugerat, exosus & detestabilis, malè perijt, & fame tandem exstinctus est.

ETEONICVS intereà suos in Chio milites, qui præ victûs vestisque inopiâ, seditiosa de urbe occupandâ consilia, quâdam calamorum tesserâ atque indicio, agitare cœperant; vix aliquot ex ijs cæde; & stipendijs, ex collatitiâ Chiorum pecuniâ, persolutis, compescuit.

Quùm autem Asiani, Lacedæmoniorum socij, conventu ad Ephesum indicto, & legatis Spartam missis, LYSANDRVM classis imperatorem exposcerent; & is legibus patrijs iam bis imperare vetaretur; illi ARACVM (al. Aratum) navali rei præfecérunt. eâ lege, ut ei LYSANDER legatus esset.

3549. | bell. 26. 19. Dar. | ——— | 401.

Hic verò navibus undequáque contractis, & pecunijs à CYRO (qui à rege patre in Persidem revocabatur; ob cædémne duorum agnatorum, quòd regios sibi honores non exhibuissent; an ad cernendam

dam hereditatem, quòd moribundus DARIVS domum suæ pro pectu in vellet; incertum, acceptis, (Alij & urbeis suas LYSANDRI fidei eum tradidisse, dixére. Cedreas in Cariâ, & Lapsacum in Hellespôto, urbeis Atheniensium socias, cepit ac diruit.

PVGNA MEMORABILIS AD ÆGOS-POTAMON.

Athenienses eâ clade excitati; & ex Elæunte, CLXXX. navium classe Sestum advecti; ad Ægos flumen, urbem Cherronesi, Lampsaco adversam, quam proximè enavigant.

Hic tradit Probus: ALCIBIADEM, qui exsul in Thraciâ, famâ opibusque creverat: & opportunam sibi cum quibusdam illic regibus amicitiam peperat; patriæ caritatem non potuisse exuere. (Diod. Ius sibi aliquod & potestatem magistratûs postulasse: & præclaro facinore edito, pristinam populi gratiam captâsse.)

Qui quùm sciret LYSANDRVM in eo uno esse, ut bellum quam diutissimè duceret; quòd ipsi pecunia à rege suppeditabatur: Atheniensibus contrà exhaustis, præter arma & naveis, nihil erat suprà. ad PHILOCLEM, Prætorem Cononi additum, venerit; & præsente militum vulgo, egerit; si vellent, coacturum se LYSANDRVM dimicare, aut pacê petere.

Lacedæmonios eò nolle classe confligere; quòd pedestribus copijs, plus quàm navibus, valerent. A SEVTHA, rege sibi amico, facile eos terrâ depulsum iri.

PHILOCLES, cum alijs (Xenoph. TYDEVM & MENANDRVM, Pro-prætores) contumelijs eum adpetijsse, & reiecisse. Alij CONONEM ipsum, exsulis opem & consilium aspernatum esse, tradiderunt.) ea verè dici quidem animadvertebant; sed eius petitioni, ut in partem imperij aut curarum vocaretur, non acquievérunt. Quòd sentirent se, ALCIBIADE *recepto, homine in vulgum gratioso, haud in magno apud exercitum momento futuros. Et si quid secundi evenisset: nullam eâ in re suam partem fore: contrà, si quid adversi, se eius delictis fore reos.*

Ille ad postremum eosdem admonuerat, ut proximè urbem castra saltim haberent nautica; ne ex immodestiâ militum, securè palantium, LYSANDRO opprimendi exercitûs occasio præberetur.

Neque ea res illum fefellit.

LYSANDER namque, consuetudine militum, per speculatores, iam quatriduum compertâ; vulgus militum, post ostentatam quotidie, explicatus ordinibus, & instructâ classe, ante portum, certaminis copiam; è navibus, ad commeatum emendum, in Cherronesi continentem egredi, & naveis pænè inaneis relinqui. tempus gerendæ rei non demisit, & uno quasi impetu totum bellum delevit.

Signo namque ille navigandi suis dato; & THORACE (Diodor. Eteonico) cum peditatu adesse iusso; omnia apud hostem imparata & perturbationis plena offendit.

Quantumvis enim CONON (Probus, eum ab illo prœlio abfuisse tradit; eoque peius rem administratam. Sed PHILOCLEM rum Prætorem fuisse ssive, ut vult Diod. eo die, ex convento, imperij summam gessisse) ingruentem conspicatus LYSANDRVM, signum vicissim navibus suis, ut omni ope succurrerent, proposuisset; militibus tamen undequáque dispalatis; & navibus præter paucas, à vectore vacuis, in proclivi fuit victoria.

Sic ut maior vectorum pars, inermis, in continente capta sit: reliquis fuga in Chidriâ (al. Sestum) se recipientibus. & naves cæteræ secundùm litus oppressæ.

Ipse CONON, IX. cum navibus, In Abarnidem; Lampsaci promontorium: & inde abreptis navium Lysandricarum malis, (Iustin. & Diodor. solennem civium suorum, post clades acceptas, crudelitatem fugiens) in Cyprum, ad Euagoram, regem sibi amicum, confugit, quùm ipsius collegæ, PHILOCLES & ADIMANTVS, in hostis venissent potestatem.

Qui accusati de severiore decreto; *Si prœlio ipsi navali vicissent, captivis omnibus, dextras amputaturos fuisse.* & duarum triremium, Corinthiæ & Andriæ, quas ipsi ceperant, vectores omneis in mare præcipiteis deiecisse. PHILOCLES quidem, qui prioris facinoris auctor fuerat, & suo se ipse indicio damnâratiiugulatus est: ADIMANTO verò qui posterioris decreti, & iniquissimæ mutilationis fuerat dissuasor, (quibusdam etiam, navium proditor, à suis incusatus) parcitum est.

Ab hâc victoriâ ingens, in Græciâ, Lacedæmoniorum potentia: initi quidem per X. annos; tertiâ per XXXIV. sive, ad pugnam usque Leuctricam, A quâ ad Philip. Macedon. an. XI.

Byzantij posthæc, & Chalcedonenses sponte suâ Lysandro se dedidére, dimissis Atheniensium, ex pacto, præsidiarijs. Et qui ALCIBIADI urbem anteà prudiderant; Athenas ex fugâ profecti, & civitate donati sunt.

LYSANDER, rebus feliciùs quàm prudentiûs gestis. qui non virtute sui exercitûs, sed immodestiâ adversariorum, qui minus dicto suis fuerant imperatoribus audientes, de repente vicerat: ad supremum Athenarum, inimicissimæ civitatis, excidium, consilia vitcisque convertit.

ATHENIENSIVM TREPIDATIO ET CLADES.

Præsidia omnia, & quoscumque civeis nactus, ex urbibus, Sesto & alijs) quas metu pristinæ fortunæ iam liberas, & voluntarias receperat; abire protenus Athenas iussit: atque ibi tantùm, veniæ & impunitatis, quam concesserat, fiuctum à se exspectare. Haud ignarus, *quò frequentior in urbem & Piræum hominum turba compelleretur, eò maiorem mox fore rerum necessariarum penuriam.*

Nuntia cladis acceptæ iam in urbem venerat Paralos, & ad omnem ætatem tanti mali sensus penetraverat.

Alij fratres, aut filios aut parentes deflere. cognatos alij, aut amicos cognatis cariores. & cum privatis casibus publicâ querelâ miscere. Ipsos seipsos, iam ipsam patriam perituram: miseriorem que incolumicm, quàm amissorum, fortunam iudicare.

Sibi quisque ante oculos obsidionem, famem, & victoriâ superbum hostem, proponere. Iam Vrbis ruinam & incendia; iam omnium captivitatem & miser-

miserrimam servitutem recordari.

Et quæ ipsi Melijs, quæ Istiæis, quæ Scionæis & Toronæis, quæ Æginetis, alijsque quam-plurimis Græcis, ex merâ dominatûs lubidine aut petulantiâ fecerant; paria à iusto Nemeseos, atque ultoris Numinis, iudicio, reformidare, aut exspectare.

Feliciores prorsus, priores illas ætate, urbis sub DARIO & MARDONIO, ruinas ducere; quæ incolumibus, filijs parentibusque, murorum & tectorum tantùm stragesint æstimatæ.

In præsentiâ verò, nec classem, in quam, sicut pridem, confugiant: neque exercitum superesse; cuius virtute servati, pulcriora sibi in posterum mœnia possint exstruere.

Concione tandem coactâ, visum est, portus omneis, præter unum, aggestâ terrâ obstruere: mœnia instaurare: custodes in muris collocare. & quæcumque obsidioni ferendæ, comparare.

LYSANDER autem, rebus per Asiam Insulasque constitutis; & ETEONICO in Thraciam, ubi omnia ad Lacedæmonios traduceret, dimisso; cum cætera Græcia confestim, post pugnam navalem, ab Atheniensibus, præter Samios, defecisset: captivas naveis, cum prædâ bellicâ, triumphi aut ovationis in modum, ornatas, quò fortunæ hostium acerbius insultaret, Lacedæmona mittit, duce GYLIPPO, Clearchi F. qui CCC. (al. XXX.) talenta ex eâ pecuniâ intervertisse proditur; MD. talenta, cum scytalâ, ei perferêda tradiderat. Sed scytalæ oblitus, quantum dixi, suffuratus est.

Hæc pænè prima disciplinæ Laconicæ CORRUPTELA, EX OPIBUS Atheniensium.

Lacedæmonij, minimo minus auri pellaciam detestari visi, aut Lysandro irasci: qui Lycurgi instituta, ante annos CDLXXX. sancita, & sanctè hactenus observata, temerasset. Vetant modò; *Ne cui privatim aurum possidere liceat.* Sic Lycurgo satis se fecisse arbitrati.

LYSANDER victoriam impigrè persequens, AGIM, qui ad Deceleam castra adhuc habebat, de suo, cum CC. navibus, accessu, certiorem facit.

Et Lacedæmonij confestim, cum Peloponnesiis, præter Argivos, duce PAVSANIA, altero rege, egressi, ad Academiam, Gymnasium haud procul Athenis, castra-metati sunt.

Ipse LYSANDER, Æginetis patriæ restitutis, & Salamine depopulatâ, Piræeum universâ classe circumcludit: omnemque Atheniensibus intrandi exeundique facultatem ademit.

Sic deflectæ, & propè perditæ urbi hostes undique, & de-subitò, supervenêre. & obsessos, quibus neque ex advectis copijs multum supererat; & ne novæ advehi possent, erat sedulò provisum; fame urgere cœpêrunt.

Illi initiò quidem obstinatiores, ut etiam decreto caverent: *Ne quis deditionis, aut concordiæ fedus cum hoste ineundum suaderet.*

Post longam deinde v. ampliùs mensium obsidionem, & famem, & assidua suorum funera fracti, pacem ab Agide, ab Ephoris, à Lysandro (sed vâ semper Piræi & Longimurij possessione frustrà petivêre.

Eam autem postremo THERAMENI (qui legatus Spartam missus, ut tolerabiliores conditiones impetraret; longâque ibi morâ, populum obsidionis & cladiû tædio ad accipiendas leges inflexerat: CLEOPHONTEM, denique acriorem libertatis vindicem, calumnijs circumscripserat. & AGORATUM, ad ducum quorumdam, qui occulta cum obsessis consilia scilicet haberent, nomina proferenda, subornarat, & suspicionibus Spartanos impleverat) industriâ & dexteritate, ipsi extrema iam calamitate deiecti, vix impetrârunt.

Quùm hinc Thebani & Corinthij refragarentur, & intercederent; & penitùs delendum Atheniensium nomen, urbemque incendio consumendam, censerent.

Inde Spartani, illis longè benigniores, urbem, è duobus Græciæ oculis alterum, & optimè de Græciâ, tot bellis adversus barbaros pridem gestis, promeritam, eversuros se negarent.

His autem summatim conditionibus pax data est & constituta,

„*Vt demissa Piræum versus muri longioris brachia deijcerentur.*

„*Naves, quæ reliquæ forent, præter XII. cum perfugis, traderentur.*

„*Ipsi eumdem hostem, & amicum cum Lacedæmonijs, haberent. & illos terrâ mariq́, quòcumque ducerent, sequerentur.*

(Iustin. Resque demum publica, ex semetipsis, XXX. rectores acciperet. atque ita Democratia in Oligarchiam mutaretur.)

Navibus itaque LYSANDRO ad Piræum traditis, & muris ad tibiarum cantum, & summâ æmulorum, ob restitutam scilicet eo die toti Græciæ libertatem, alacritate, eversis; mutatus est Athenarum status, & civium conditio. Delectis mox XXX. Viris, qui novas leges reip. gerendæ conscriberent.

Atque ita BELLUM PELOPONNESIACUM, tam, ut diuturnum, ita calamitosum; & pænè continentibus XXVII. annis decertatum. (Xenoph. debellatum anno XXVIII. mense VI.) tali exitu pacatum est, an finitum!

Diodor. Ab Ilij exscidio, ad finem huius belli, & Atheniensis Imperij casum, DCCLXXIX. ann. putat.

A XXX. Viror. tyrannide, usque ad Romam à Gallis captam, XV. ann.

Plutarch. Athenas die Munychionis XVI. captas ait, quod XXVI. Martij convenit.

Circa hoc tempus, Olymp. XCIII. Euripides, Mnesarchi & Cliûs F. moritur, ann. natus LXXV. In utero à matre gestabatur, quo tempore XERXES in Græciam traiecit: natus, quâ die idem à Græcis ad Euripum Eubœæ, (unde & nomen inditum) victus est. Hunc vel canes, vel mulieres, ab æmulis ob misogyniam poëtæ irritatæ, de nocte lacerâsse dicuntur.

3550.
Belli & Dar. ult.

Annus itaque sic exiens, & expugnatione Athenarum, & morte Darij regis Persar. & novâ Dionysij maioris apud Syracusanos, Atheniensium æmulos, tyrãnide (non exsilio, ut vult Iustin. quâ in re, & tempore, & personâ peccat) insignis fuit.

400.

DIONY-

DIONYSIVS SICILIÆ TYRANNVS.

Et DIONYSIVS quidem, Hermocratis F. in summâ S ulorum, ob Acragantem, ab HIMILCONE Carthaginensium duce, crudeliter eversum & direptum, perturbatione; apud Syracusanos popular arte & gratiâ invalescens, & Imperator exercitûs creatus. & dum sibi à nobilitate insidias strui fingit, DC. corporis custodibus stipatus; omnia facilè ad suum unius arbitrium revocavit.

Et Diodor. teste, qui eum illiteratum fuisse ait, & humili loco prognatum; HERMOCRATIS eius, qui Athenienseis, pro, & in patria, debellârat, & foris eosdem pro Lacedæmonijs oppugnârat; filiam in uxorem duxit; ut clarissimæ familiæ adfinitate dominationem magis magisque stabiliret.

Hic paullo-pòst prœlio à Carthaginiensibus, in quos, ad Gelam sedenteis, xxx. ∞. militum ducebat, superatus, Gelam & Camarinam amisit. sive, ut alij volunt, tanti non duxit, ut servari possent aut merere tur: sed omnes maturè Syracusas se recipere iussit. Leonti ni tamen in suam urbem ab illo reversi, d runt.

At quùm H ico, qui tot navali terrestrique bello secunda prœl fecerat, & permultas Siciliæ civitates ceperat; repente pestilentis sideris vi magnam exercitûs sui partem amisisset; & reliquias in patriam reducere contenderet; cum DIONYSIO, qui & ipse militum indigenarum, & Syracusiorum in se coniurationem tum expertus, formidaret; facillimè pacem fecit.

„*Vt sub Carthaginiensium ditione essent, prisci eorum coloni, & Sicani. Ex cæteris Siculis, alij vectigalia penderent; ali suis quisque legibus uterentur & viverent. Syracusani verò, Dionysij imperio obnoxij manerent.*

Hanc itaque ille urbem, belli sibi arcem in posterum futuram, egregiè communiens, de totius Insulæ imperio consilia agitabat.

DARIVS verò, regni iam unde-viginti ann. potitus (Ctesias xxxv. ann. attribuit. haud dubiè xvi. ex ijs cum patre regnâsse significans. nisi apud eum legendum putemus, ἔτη ιθ', ἡμέρας λε. Annos xix. dies xxxv.) Babylone e vitâ decessit (Diodor. xv. annum Olymp. xcv. Alij, xciii. adsignant.)

Relictis ex Parysatide liberis duobus; ARSACE, qui & Artisoas, sive Arsicas, & dein ARTAXERXES dici voluit; & CYRO. Illi regnum; huic totum illum Asiæ maritimæ tractum; & eorum, qui ad Castoli campos conveniunt, præfecturam, testamento legavit.

ARTAXERXES MNEMON REX PERSARVM IIX.

Ille annos xliii. (al. xliii.) regnavit. ut decessisse censeatur anno imperij xliv. ineunte. Plutarch. tradit decessisse anno ætatis xciv. & imperâsse lxii. quod fortè-an reliquos xix. supra xliii. unà cum patre regnârit. Sic Scalig.

Hic ARTAXERXES, à memoriæ præstantiâ, Μνήμων dictus, à quibusdam Estheræ maritus putatus est. Sulpitio in primis, qui & ESDRAM sub eo ponit, (post xx. ferè annos quàm Templum fuerat à ZOROBABELE consummatum, sexto DARII II. anno:) à quo disciplina fuerit restituta.

Et NEHEMIAM, qui à xx. eiusdem ARTAXERXIS, Dario succidanei, anno, usque ad xxxii, urbem instaurârit. Sic ille alucinans.

Genebrar. autem Tertium hunc ARTAXERXEM nominat, & regnâsse dicit xlix. annos. & quidem, post DARIVM Nothum, qui gubernacula regni à Longimano invaserit; post OCHVM & ARSAMIN fratres, bello intestino inter se commissos. Et operâ BAGOÆ Eunuchi, ipsum iam virum, omni tyrannorum metu liberatum regnâsse.

Ioseph. denique, l. xi c. vi. Hunc DARII Hystaspidæ, ex XERXE, Nepotem, CYRVM esse, quem Græci ARTAXERXEM nominârint, (*observa ab eo confundi fratres*) & repudiatâ VASTHE, ESTHERAM coniugio sibi iunxisse; & cætera, ex eâdem historiâ, perpetrâsse.

Ctesias, superiori sub DARIO narrationi satis convenienter: Ab hoc eodem, iam regnum adepto, VDIASTEN, Tarituchmæ interfectorem, linguâ ponè avulsâ (Statirâ, regiâ uxore, & Tarituchmæ filiâ, instigantibus) excarnificatum. eiusque filium MITRHIDATEM, qui Tarituchmæ filium strenuè, vel invito Dario, protexerat, paternâ Satrapiâ ab eâ donatum.

Qui tamen posteà exsatiandæ Parysatidis iræ datus, & ab eâ, Persicâ immanitate, tractatus est. Quùm iam Persicum esset: *Aleæ iactu virorum illustrium capita prostituere, an illudere!* Et quasi certatim contendere viderentur: *Virine fœminas luxu, an viros feminæ sævitiâ superarent.*

LYSANDER Samo, quam statim à captis Athenis, & rep. ibi constitutâ, obsederat, in deditionem acceptâ; & decem Prætoribus, veteribusque civibus attributâ; cum prædâ belliearum ex Atticâ, & aliunde, navium, coronis, argento & manubijs, Lacedæmonem reversus est.

XXX. ATHENIS TYRANNI.

3551. 2. Artax. Mnem.	————————	399.

Athenis verò, xxx. illi, quos dixi, Reip. rectores, à LYSANDRO constituti; & Senatu, ex hominibus sibi obnoxijs, creato; in tyrannidem prolapsi, quùm à principio, iii. sibi satellitum (Xenoph. consilij publici participum) millia, quantum ex tot cladibus propè nec civium quidem superfuerat, adsciviissent.

ſciviſſent. & continendæ in fide, an metu? civitatis (cuius, uti & Piræi, mœnia erant demolita) ſpecie, DCC. milites, ducemque CALLIBIVM, à victoribus Lacedæmonijs, accepiſſent.

Cædes civium ab improbis quibuſque, qui in populari ſtatu probos vexâſſent, & ex calumnijs vixiſſent, auſpicati ſunt quidem; ſed paullo-pòſt non locupletes modò, ſed bonos etiam & cordatos, quibus vim illam novæ poteſtatis iniucundam fore arbitrarentur, comprehendérunt.

Et in his THERAMENEM, Agnonis F. è ſuo numero unum, cui exoſa ſua perſpicerent conſilia; quique miſeras urbis patriæ reliquias cædibus quotidianis, & advenarum rapinis, exhauriri, an propinaril ægriùs ferret; morte multârunt.

Hic foro & tempori hactenus cedere doctus (unde Cothurni nomen, quaſi inconſtantis & duabus ſellis ſedentis; ſive Cothurno verſatilioris, accepit. quòd & contra popularem ſtatum, & pro eodem ſteriſſet) tandem collegarum improbitatem pertæſus, CRITIÆ, omnium peſſimo, fortiter obnititur; ſeriâ, ſed ſera conſtantia. unde calumnijs appetitus, & cicutam bibere coactus eſt. (A SOCRATE probè anteà inſtitutus fuiſſe traditur; & ab eodem pænè è carnificum manibus tunc ereptus.)

Illi nihilo-minus de ALCIBIADE ſoliciti, ne iterum remp. ſub liberationis obtentu, invaderet: qui victis ad Ægoſ-potamon Athenienſibus, in Thraciæ interiora ſe abdiderat; & ob Lacedæmoniorum potentiam, de quibus, uti & de civibus ſuis, optimè & peſſimè fuerat meritus; nullum ſibi locum in Græciâ tutum cernens, ad PHARNABAZVM in Aſiam tranſierat. & ad patriam, partâ recèns apud regem gratiâ, liberandam, omni ferebatur cogitatione. per LYSANDRVM egère; ut ſi ea, quæ Athenis ipſe conſtituiſſet, rata & propria eſſe velit; vivum illum, aut mortuum, ſibi tradendum curaret.

Illum itaque, ab itinere ad regem inſtituto, interceptum & occupatum, miniſtri à PHARNABAZO ſubmiſſi, & apertè adgredi non auſi, vivum in cubiculo, in quo dormiebat, concremârunt. Sive, ut tradit Probus; ex incendio effugientem, telis eminus iniectis, interfecérunt.

Huius viri virtutes & vitia, proſpera & adverſa, humanum modum propè exſuperâſſe vulgò exiſtimata ſunt.

Talibus igitur ultoribus, ad terrorem reliquorum, è medio ſublatis; & invaleſcente Tyrannorum impotentiâ; (mortuorum namque bona illi & publicarant, & inter ſe diviſerant) promiſcua fit ex urbe & Piræo, opulentiorum & bonorum civium, fuga. repleturque Græcia Athenienſium exſulibus: quorum partim Argos, partim Thebas ſe contulére. Ibique non modò tutum, contemto Lacedæmoniorum edicto: *Ne quis fugitivos recipiat*; exſilium egérunt; verùm-etiam ſpem recuperandæ patriæ recepérunt. Adeò iſta Lacedæmoniorum in victos ſævitia, & in ſocios impotentia, qui Athenienſeis, ceu fugitiva mancipia, obtorto collo in urbem retrahendos curarent; plerorumque animos alienârat: & novâ, in populum anteà ſibi infenſiſſimum, commiſeratione complexerat.

LACEDÆMONIORVM POTENTIA.

HARMOSTÆ.

Lacedæmonij nihilo-minus, Athenienſibus iam in ordinem redactis, totius Græciæ, extrà controvérſiam, domini, civitatibus ſingulis HARMOSTAS, ſeu optimatum & paucorum tutores, & popularis factionis adverſarios, ſummo cum imperio, & abſolutâ rerum omnium poteſtate, impoſuérunt.

Et quod reip. ſuæ planè in eum uſque diem inſolens; vectigalia à debellatis provincijs exigere, & in ærarium ſuum inferre, cæpérunt.

Et miſſo in Siciliam ARISTONE, non modò Iuris popularis ibi reliquias evertérunt; ſed DIONYSIO etiam, qui recèns à militari ſeditione, & urbium defectione fuerat periclitatus; imperium confirmárunt: quod magno ſibi in poſterum uſui fore exiſtimarent.

Huius autem *δεκαδαρχίας*, ſive X. Viralis in omnibus civitatibus poteſtatis, auctor LYSANDER, iam-tum adfectati regni ſuſpectus. qui in X. Virûm numerum neminem admitteret, niſi qui aut eius hoſpitio contineretur; aut ſe illius fore proprium fide confirmâſſet. atque ita ipſius nutu omnia gererentur.

TRASYBVLI VIRTVS ET CONATVS.

THRASYBVLVS intereà, inter exſules vir ſtrenuus, & domi bellique nobilis, aliquid pro patriâ, & pro communi ſalute, etiam cum periculo, audendum, ratus; impetu è Thebis facto, & adſcitis circiter 70. ſocijs Phylen, munitum Atticæ caſtellum, & C. ab Vrbe ſtadijs diſſitum, occupavit. *Hoc initium libertatis.*

Tradit Iuſtin. ISMENIAM, primatium inter Thebanos virum, cum publicè non poſſet; privatis tamen opibus exſules adiuviſſe. Et LYSIAM, Syracuſanum oratorem, licet pro tempore exſul eſſet; milites, ad D. ſtipendio ſuo auctoratos, in auxilium urbis, communis eloquentiæ parentis, miſiſſe.

Quibus copijs auctus THRASYBVLVS, impreſſione in caſtra XXX. Virûm, quæ haud procul Phylâ collocárant, factâ, aſperum fecit prœlium. Adeò, ut cum hinc pro patriæ libertate, ſummis viribus: inde, pro alienâ dominatione, ſecuriùs pugnaretur; magnâ clade Tyranni victi in urbem refugerunt.

Et licet eam, uti anteà cædibus & exſilijs pænè viduárant, ita nunc armis etiam ſpoliâſſent. tamen de Eleuſine, (cuius incolas ſceleratè occiderant) ceu tutiore in poſterum, ſi caſus ita ferret, receptaculo, communiendâ cogitabant. Civium ijs, quos proditionis ſuſpectos haberent, demigrare ex urbe; & in dirutis Piræi muris habitare iuſſis; externo milite imperium tueri contendebant.

Tentata etiam fidei in THRASYBVLO integritas, promiſsâ Imperij, ſive dominationis ſocietate.

Qui

Qui contrà noctu è Phyle, cum Mille circiter militibus, Piræum occupavit, & dein Munychiam.

Quam Tyranni bis oppugnare adorti, & turpiter repulsi, cæsis CRITIA ET HIPPOMACHO, (al. Hippolocho) ex eo numero, omnium crudelissimis; & è x. præfectis, CHARMIDE, alijsque permultis; in urbem, armis impedimentisque amissis, refugérunt.

Hàc in pugnâ THRASYBVLVS, non minore prudentiâ quàm fortitudine usus, cedenteis violari, & iacenteis veste spoliari vetuit. arma adimere, quæque ad victum pertinebant, contentus.

Atque adeò inter fugam, per CLEOCRITVM præconem, magnâ voce ad exercitum proclamari iusserat; *Cur se victorem fugerent potius; quàm, ut vindicem* communis libertatis, adiuvarent? *Se XXX.* iniquissimis *dominis, non civitati adflictæ, bellum inferre. Civium, non hostium, aciem esse,* sibi persuadeant, cum qua depugnent. *Neque se ideò arma cepisse, ut aliqua victis adimat; sed ut ademta restituat.*

Deinde ad memoriam eos excitat, cognationis, legum, sacrorum; tum vetusti & nuperi per tot bella commilitij. *Misereantur sui, innocentum, & exsulum civium. Si tàm patienter ipsi serviant; reddant sibi patriam, & accipiant vicissim libertatem.*

His vocibus tantùm promotum est, ut reversus in Vrbem exercitus, Tyrannos quidem magistratu abire iuberent; sed metu Laconicæ potentiæ, x. prætores, qui remp. dictatoriâ potestate regerent, & bellum æquis conditionibus pacarent; protinùs substituerent.

Et illi quidem Eleusinem emigrárunt: Hi verò, neglecto pacis negotio, & eamdem desitæ dominationis viam ingressi, cum Equitum præfectis, urbis adversùs exsules defendendæ, summâ cum trepidatione, rationes communicabant. ad quam scilicet Thrasybuliani, immanè iam aucti viribus, proximè, è Piræo, incursiones facere auderẽt: & xxx. Viri eiecti, ab Eleusine, foris, iam ipsis imminerent.

Dum hæc aguntur, Lacedæmonij, à Triginta illis. de bello, & populi scilicet à se defectione, commoniti, LYSANDRVM terrâ, & fratrem eius LIBYN, classe, bello comprimendo, & in subsidium, miséruntur.

A quibus ij, qui in Piræo, ita circumventi, & in maximas adducti difficultates, manus confestim dedissent; nisi PAVSANIAS rex, LYSANDRI gloriæ æmulus; & eius conatibus, de vindicandis sibi Athenis, obviàm ire adnitens, (sive, ut invidiam cupiditatis, an crudelitatis! à Spartano nomine averteret) cum exercitu sociali, (præter Corinthios & Bœotos, qui Atticam à Spartanis insideri nollent) advenisset. Et post levia aliquot ad Piræum prœlia, ipse ultrò, tàm eos qui in Civitate, quàm in Piræo erant, ad pacificandum invitâsset.

Illi namque missis communiter Lacedæmonem Legatis, qui se civitatemque traderent; & Piræo ac Munychiâ excedere paratos esse confirmarent; his conditionibus pacem, rebus ex æquo compositis, à PAVSANIA, accepérunt.

,, *Cuique tutò ad propria revertendi facultas esset;* Præter xxx. & xi. Viros, & x. priores Piræi præfectos.

,, *Si quibus minus secura in urbe habitatio videretur Eleusinem ad cæteros commigrarent.*

Addit Probus: Reip. procuratio populo redderetur. Sic Atheniensibus αὐτονομία, ac libertas restituta; Et Solonis legibus, mensuris ac ponderibus; & Draconis θεσμοῖς, uti, permissum.

(Isocrates ait; CLISTHENEM, Tyrannis iam exauctoratis, Democratiam restituisse, & usum legum SOLONIS revocâsse. Xenophon; prætorem EVCLIDEM creatum, cuius in posterum decreta viguerint.)

Pace ita constitutâ, PAVSANIAS exercitum reduxit. Et THRASYBVLVS, qui ob recentis beneficij memoriam, plurimùm in civitate poterat, legem tulit:

,, *Ne quis ante-actarum rerum accusaretur, néve multaretur.* Quam *ἀμνησίας, sive oblivionis nomine* appellavit. Eosque, ut, Senatu delecto, legibus uterentur antiquis, hortatus est.

Atque adeò, quum interiectis diebus, Tyranni in Eleusine, cum alijs, non minus, restitutos exsules, quàm se in perpetuum exsilium actos, & de gradu deiectos, indignati; (quasi verò aliorum libertas, sua servitus esset) milite clàm conducto, Atheniensibus bellum molirentur. Et illi pari fraude ad colloquium, veluti de reciperandâ dominatione leges accepturi, è loco progressi essent; per insidias comprehensi sunt, &, ut pacis victimæ, trucidati. reliquis ad reconciliationem, per necessarios, invitatis.

Atque ita Civitas, per multa membra dissipata, in unum tandem corpus redacta est. Et ne qua in posterum dissensio ex anteactis existeret; omnes iureiurando obstricti sunt: *Perpetuam discordiarum & iniuriarum,* oblitteratis etiam fundorum possessionibus, oblivionem fore.

3552. 3. Artaxerx. | Elidenses, ne isto quidem rerum statu induci potuerant, ut Lacedæmonios, totius licet iam Græciæ potenteis, semel à sacro prohibitos, annis antè xiix. admitterent; non offensæ, sed religionis prætextu. Quâ de re post. | 398.

CYRI IVNIORIS IN ARTAXERX. EXPEDITIO.

CYRVS, Darij F. Lydiæ, & oræ in Asia maritimæ, & cæterorum in propinquo Satraparum princeps, adversus fratrem ARTAXERXEM, quem iniuria sibi à Patre (quo regnante ipse natus esset; & fratrem eodem antè privato) prælatum censeret & indignaretur; initio & occultè, bellum & insidias, parárat.

Quod quùm ARTAXERXI à TISSAPHERNE esset nuntiatum;

nuntiatum; ille fratrem ex Asiâ ad se accersitum, licet innocentiam, belli dissimulatione, simularet, compedibus aureis vinxerat. Et ni mater Parysatis, quæ filium minorem impensiùs semper dilexerat; & in regni petitione cupidiùs faverat; & ad quam ille confugerat, deprecata esset; crimenque ætatis excusatione, & lacrymis suis diluisset; iamtum certâ nece erat mulctaturus.

Ille itaque dimissus, & periculi, fraternæque contumeliæ indignitate commotus; bellum palàm, contractis undique ex Europâ & Asiâ auxilijs, parare cæpit: & propensiore matris, & aliquot Satraparum in se studio fretus, regnum appetere.

Sic dum institutū suum, susceptâ partim in Tissaphernem criminatorem, qui Miletum tenebat; partim in Pisidas, quos finibus suis eiectos vellet, expeditione, celaret; magnam ex barbaris manum; sed firmiores ex Græcis, & selectis undecumque ducibus, (Inter quos CLEARCHUS Lacedæmonius, facilè Princeps. qui LYSANDRO suffectus, pace cum Atheniensibus factâ, bellum Thracibus, suprà Chersonesum sitis, intulerat; & ob remp. Byzantij summâ crudelitate oppressam, revocatus Spartam, neque parens, è Selybriâ ad CYRUM perfugerat.

Prætereà, ARISTIPPUS & MENON, Thessali: PROXENUS Bœotus. XENIAS & SOPHÆNETUS Arcades; & qui Miletum cum illo obsederant, SOCRATES & PASION; alijque) rege fratre nihildum gravius suspicante; copias, sedulò comparavit: & Sardeis convenire iussit. Apud Celænas, Phrygiæ urbem, XIII. è Græcâ Iuventute armatorum Millia recensuit.

Cumque Mysiam, & Cappadociam emensus, in Ciliciam venisset; ibi adlato ad se opportunè ab EPYAXA regina stipendio, militarem seditionem compescuit: & SYENNESIM, reginæ maritum, ut agrorum suorum à populatione immunitatem magnâ pecuniâ redimeret, adegit.

Diodor. addit; Hunc è filijs unum, iustâ cum Cilicum manu, auxiliarem, Cyro misisse: & alterum clàm ad regem adire iussum, qui ei fratris iter & conatus, & copiarum numerum significaret.

Tum demùm confirmatis amplâ mercede Græcorum militum animis, ut si non in regem ipsum, (quod eatenus fuerat celatum; & ægrè ab ijs, nec sine gravi in duces suos motu, acceptum) saltim in ABROCOMAN, regium ducem, sibi infestum, qui ad Euphratem sedebat; duci se finerent. ad Issum, maritimam civitatem, perventum est.

Lacedæmonij à Cyro priùs solicitati, & memores Atheniensi bello enixè se eius operâ & pecuniâ fuisse adiutos; decreverant auxilia ei in cuiusvis belli eventum, mittenda.

Hic itaque XXXV. è Peloponneso naves, Navarcho PYTHAGORA Lacone, præstò fuére. Earumque dux TAMUS Memphites, alteras XXV. ex Epheso; & ab irritâ Mileti obsidione; & simul in ijs CHIRISOPHUM Laconem, cum DCC. peditibus, adducebat.

Hinc Cyrus, superatis Portarum, quæ Ciliciæ Syriæque communes sunt, angustijs, ad Myriandrum, maritimam Phœnicum Vrbem, undè classem, minime sibi ad reliqua necessariam, Ephesum remisit) & castris per Syriam promotis, ad Euphratem amnem, & Thapsacum usque, pervenit.

Eo primùm loco, vocatis in colloquium ducibus, Babylonem se, adversùs regem ipsum, contendere palàm professus est: & ut idem, suis quisque militibus, denuntiarent; ne inviti sequerentur, imperavit.

Milites rem tantam, quasi de-industriâ sibi celatam, ægrè ferre & fremere; stipendium demùm longè auctius postulare.

At postquàm MENON, gratiæ à Cyro pro re natâ ineundæ cupidus, suos Euphratem primus transmisisset; reliqui, largis promissis deleniti, tentato vado (navigia namque omnia ABROCOMAS, è Phœnice fugiens, exusserat) priores sunt consecuti. Et multis itinerum difficultatibus, per Arabiæ deserta, exanclatis, ad Charmanden, quæ Transeuphratensis est civitas, devenérunt.

Hîc Xenoph. de ORONTE quodam, regiæ stirpis Persâ, qui alteras iam in Cyrum insidias moliri erat convictus, sumtum in castris supplicium, tradit. Quem Ctesias, aliâ de causâ, morte adfectum, in Aulâ, contendit. quod à SATIBARZANE insimulatus esset stupri consuetudinem cum Parysatide habere. licet illa castè viveret.

Posthæc per Babyloniam progressus Cyrus, & regem postridie cum exercitu adfuturum ex perfugis edoctus; suas tum Græcorum, tum barbarorum copias recensuit.

E Græcis, ad XIII. ∞. è barbaris, Centena. Et quùm dextro quidem Cornu Clearchum, & lævo MENONEM præfecisset; ipse mediam cum suis aciem tenuit.

In regijs castris, ad duodecies centena militum Millia, & CC. falcati currus esse ferebantur; & VI. equitum Mill. assiduum regij lateris præsidium.

Quaterni autem duces, singuli, summâ cum potestate, CCC. hominum Millibus imperabant. hi, ABROCOMAS & TISSAPHERNIS; GOBRYAS & ARBACES. Ex his tamen Abrocomas non nisi V. post pugnam die, è Phœnice, regem est adsecutus.

Cyrus autem, in summa prœlij exspectatione, instructus cum Ordinibus, fossam, quam rex, munimenti vicem, inter Eufratem & Tigrim, agendam curárat, transgressus; & quòd nemo prohiberet, regem à pugnâ destiturum omninò arbitratus; quatriduo ferè rem castrensem segniùs dissolutiusque curabat. Ipse curru vehere: & Milites, armis in plaustra impositis, liberiùs dispalari. quùm nondum loco castris ponendis designato, rex cum ingenti exercitu adesse nuntiatur, qui signa e vestigio esset collaturus.

Cyrus itaque, pro re natâ, è curru in equum desiliens, arma capere, & suo quemque in acie loco consistere iubet.

Acie III. aut IV. ad summum, stadijs inter se & utrimque distante, Græci signo dato priores in adversos provecti; & barbaros equites, qui antè telorum iactū effusè fugiebant, acerrimè sunt insectati. curribus sine offensa temerè delabentibus.

Et Cyrus veritus, ne rex cum mediâ aciei parte, quę incolumis erat, Græcorum, suis incumbentium,

tium, terga cæderet; in eum suo DC. globo invectus, ordines turbavit: & VI. illa equitum Millia, regis latus, duce ARTAGESE suâ manu cæso, in fugam vertit.

Reliquis ad eos persequendos conversis, fors prœlij utrumque fratrem pugnæ obtulit. Et prior Cyrus, viro conspecto, sui impotens, hastâ per-loricam in pectus adactâ, ARTAXERXEM vulnerat. Et quùm eum pernicis equi fuga periculo subtraxisset; Cyrum à suis pænè desertum, & incautiùs se gerentem, dum suum utráque pars regem protegere satagit; è cohorte regis prætoriâ, quis, incertum; sub oculum, (al. secundùm tempus) letali tragulæ ictu percussit. Quo ex vulnere, vertigine captus, & collapsus est.

DINON; ab ipso rege percussum: Ctesias, à Mithradate; deinde à Caunio quodam, venâ poplitis perfractâ; & quidem iaculo, sauciatum.

ARTAXERXES paullò contumeliosiùs in fratris cadaver sævijsse proditur. Cui & caput, & manum, quâ ab eo percussus fuerat, præciderit; & ad terrorem antè circumlatum palo suffixerit.

Hic CYRO vitæ exitus fuit. quem, secundùm CYRVM maiorem, maximè idoneis ad imperandum animi corporisque dotibus præditum fuisse tradit Xenophon, Grylli F. eius inter cæteros familiaris. Diodor. hâc pugnâ ex regijs ad XV. Mill. ex agmine CYRI, ter Mille. & è Græcis neminem cecidisse prodidit.

Rex iam victor, ut rebatur, castra CYRI, nec impunè diripuit quidem. CLEARCHVS verò, hostem sibi oppositum ad multa stadia persecutus, & CYRI casûs ignarus; ubi comperit regem ad impedimenta usque pertigisse; contractis in unum militibus, & agmine stipato constitit. ne cum suis, conversâ in se hostium, & aciei regiæ multitudine, circumventus, opprimeretur. Iam enim Tissaphernes regem in Græcorum castris versantem offenderat, & cum eo instructo agmine incedebat.

In hos, iam adpropinquanteis, Græci invecti, & alacerrimè pugnantes, barbaris mòx in præcipitem fugam dilapsis, & ordinibus dissipatis, victoriam alteram reportárunt.

Et ad pristinorum castrorum tabernacula, præter alias rerum copias, quas regij diripuerant, omni esculento & poculento nudata, se, Sole iam occaso, receperunt.

Postridie eius pugnæ, nescij quid Cyro factum esset, & vix sub vesperam certiores; ARIÆO (qui & Aridæus) barbarorum sub Cyro militantium, quos incolumeis in castra è pugnâ subduxerat, præfecto; qui in Iöniam rectà tum reverti velle simularet; si in castra sua veniret, ex iure victórum, regi solij se fastigium delaturos pollicentur. Et intereà in summâ rerum necessariarum inopiâ famem utcumque veterinâ carne solantur.

Veniunt intereà à rege & Tissapherne Legati, qui Regi ARTAXERXI, uti victori, occiso à se Cyro, arma tradere Græcos iubeant: & ad regiæ aulæ limina gratiam ab eo exspectare. Quæ mandata à Græcis ducibus constanter irrisa: Et conditio accepta, quâ vel ipso in loco manentibus, fedus; vel indè digressis, bellum proponebatur.

CLEARCHVS tacitâ pænè omnium consensione Imperator delectus, ad ARIÆVM (qui quòd in Persis complures essent dignitate superiores, regni decus nomenque delatum recusârat; & posteri diei primâ luce discessurum se minabatur) copias de nocte perduxit. Et federe inter se de fidâ societate percusso, ad iter se accingunt, longum & difficile.

Erat enim iter, quod ab Epheso Iöniæ confecerant, ad eum locum, ubi pugnatum, stadiûm Sedecies Mille, & L. Et à loco pugnæ, ad Babylonem usque; stadia ter Mille, & LX. (Hîc legendum alij putãt apud Xenoph. XIII. M. stadia, εἰς Σοῦσα, Nam Plut. ait Locum pugnæ distare à Babylone stadijs solùm D.)

Rex, qui nocturno vigilum strepitu perterrefactus, à castris Græcorum, quibus imminebat, invadendis abstinuerat; iterum legatos de pace ad eos misit. Quibus responsum est, non priùs se de federe ineundo cogitaturos, quàm commeatus præberentur impransis.

Deinde Tissaphernes impetratâ, uti iactabat, reducendi Græcorum facultate, his conditionibus, cum prætoribus eorum, datis utrimque dextris, pactus est.

„ *Vt itinera Græcis per regnum tuta; & libera commeatûs copia esset. Ipsi esculentis & poculentis contenti, nemini noxam, quácumque, transeuntes, inferrent.*

ARIÆVS interim, qui sua barbarorum castra cum Græcis coniunxerat; regijs de ante-actorum impunitate promissis illectus, & à Græcorum societate alienior; iam cum Tissapherne, qui copias quoque suas, uti domum, in Asiam minorem, rediturus, secum adduxerat; communibus usus castris, effecit; ut Græci fraudem suspicati, & suos duces secuti, iter seorsum facerent, & castra custodijs munirent.

GRÆCORVM EX ASIA REDITVS.

Postquam ad Zabatum flumen perventum esset; & CLEARCHVS, ut suspiciones, quæ magis magisque in dies invalescebant, ex animis tolleret, ad Tissaphernem ultrò accessisset: & paratum se diceret (quod ille in primis & fraudulentè petebat) prætores & centuriones omneis corâm adducere, ut vel mutui dissidij auctores deprehenderentur; vel ex eorum confessione crimen insidiarum, quod ipsi Persa intentabat, à se amoliretur: Tissaphernes, dato signo, in eum simul & IV. prætores, (PROXENVM Bœotum, MENONEM Thessalum, HAGIAM Arcadem, & SOCRATEM Achæum) in suum iam prætorium admissos, manum compedesque iniecit. Et XX. centuriones, qui pro foribus, cum CC. militibus, sed inermibus, remanserant; ad unũ cędi iussit. Barbari præterea equites, per agros effusi, obvium è Græcis quęque, sine discrimine trucidárũt.

Græcis, quos res inopinata perculerat, ad arma concurrentibus, ARIÆVS, cum alijs Persis, submissus, ut prætorum aut Centurionum reliquorum alicui regis mandata exponeret; pronuntiat: CLEARCHVM quidem, *manifesti periurij convictum, morte scelus luisse.* PROXENVM verò & MENONEM, insidiarum indices, in magnâ apud regem

Variatum hic inter praetores, de totius deinceps exercitus ratione, sententijs. Alijs, in Ponto, stabilitâ coloniâ, manendum: alijs, in Chersonnesum, vel ubi consisterent, vel undè in patriam quisque suam quam-facilimè se reciperent; porrò eundum. Alijs denique, campestri per Paphlagoniam itinere: alijs, mari ad Sinopen & Heracleam, copias omneis traducendas, censentibus.

Exercitus de more lustratus: & iudicia de iniurijs, deque omnibus, à Cyri interitu, perperam actis, in militiae castrorumque officialeis, constituta. Victusque interim castrensi turbae, partim è foro sociarum civitatum; partim è praedâ, quam è Paphlagonum finibus egerant; non sine periculo, quaesitus.

At postquam, pace cum Paphlagonibus factâ, & navibus conscensis, in Arménen, Sinopaeae ditionis vicum, adpulissent; à Sinopensibus hospitalia militaris annonae munera adfatim accepérunt.

CHIRISOPHO, re infectâ, & sine navigijs regresso; Imperatorem sibi unum summâ cum potestate renuntiari postulant. Et Xenophonte (cuius hactenus tanquam Vragi, singulari prudentiâ, tot montium abrupta, tot itinerum avia, evaserant) prae modestiâ imperium recusante; CHIRISOPHVM, qui agmen idem egerat, uti inter Lacedaemonios eximium, delegérunt.

Et indè solventes, oramque Iasonij litoris, ubi Argô in ancoris stetisse olim proditur, legentes; & fluminum, Thermodontis, Halyos, & Parthenij, ostia praetervecti; ad Heracleam, urbem Graecam, Megarensium coloniam, in Maryandinorum finibus suam, sunt adpulsi; & hospitalibus muneribus ab amicâ Vrbe donati.

Sed quùm iniquiora stipendia, CHIRISOPHO & XENOPHONTE inlubentibus, Miles, per seditionem castrensem, ab Heracleensibus, nec sine minis, exigeret; permoti illi, rerum suarum copias confestim omneis intrà oppidum comportandas curárunt: & mercatu submoto, clausisque Portus, cum armis, ad muros concurrérunt.

Ibi ex subito animorum, voluntatumque dissidio, Arcades & Achivi (dimidia ferè exercitûs pars) CALLIMACHO Parrhasio, & LYCONE Achaeo, instigantibus; coetus seorsim à caeteris habere. CHIRISOPHVM cum Xenophonte, illum Laconem, hunc Atticum, deserere. x. sibi de prisco more Imperatores creare. Atque ita diviso trifariam exercitu, (partem namque unam CHIRISOPHVS; qui Cleandrum Laconem Byzantio, cum triremibus, venturum exspectaret; cumque ad navigationem spectare iam accepisset: Partem Xenophon, cui iam alter imperium, & summae rei curam cesserat; sibi ducendam reservabant.)

Argivi cum Arcadibus, qui primi navigia ab Heracleensibus acceperant; & in Calpes Portum escensionem fecerant; factâ in Bithynorum vicos irruptione, & praedâ abactâ, Thracas inimicos cepérunt. & multis amissis & iniquis conditionibus paciscì coacti, obsidibus ab hoste non impetratis, in grave periculum incidére.

XENOPHON, qui, CHIRISOPHO ad eundem Calpes Portum adpulso, per Mediterranea iter cum suis fecerat; audito, Arcadas circumsideri; ad eos liberandos, delectâ manu, advolat. Et hoste mòx dilapso, eos liberos nactus, cum suis copijs ad Calpen iterum coniunxit.

CHIRISOPHO è febri mortuo; Neon, etiam Asinaeus, suffectus, & caeteris consociatus, cum II. Mille militibus, ad cibaria comparanda, in vicos profectus; à Pharnabazi Persae equitibus, qui se iam cum Bithynis, aditûs in Phrygiam prohibendi caussa, coniunxerant, D. è suis desideratis, in monteis confugere coactus est.

Illum Xenophon, suppetias advolans, utcumque sublevavit: & mòx pugnâ hosteis adortus, magnâ clade adfecit; suosque ad mare incolumeis reduxit. Et impunè in castra omnis generis commeatum, è vicis, comportavit.

DEXIPPI audaciâ, & calumniâ in Xenophontem, aliosque Graecos, praedis intentos, compressâ: & CLEANDRO, qui exercitum à Lacedaemonijs, omnium Graeciae civitatum, ut audire volebant, tunc dominis, defecisse, aut alienatum esse, opinatus, duriora socijs imperabat; placato; illi, facto per Bithyniam itinere, Chrysopolim, Chalcedoniae attributam, tandem, praedâ onusti, pervenére.

Quùm autem Pharnabazus, de suâ provinciâ solicitus, ne illae Graecorum vagorum copiae in eam invaderent; cum ANAXIBIO Navarcho transegisset, ut eas ex Asiâ quam-primùm traijciendas curaret; pollicitus omnia, quae eam ad rem usui essent, subministraturum. & universi iam in Byzantium transmisissent: ipsi, pecuniâ, promissâ ab ANAXIBIO fraudati, & ex urbe exire iussi, eam vi occupant. Atque iterum reconciliati, & egressi, sub ducibus quisque suis, praeter Xenophontem, qui se subduxerat; in proximis Byzantio vicis castra sunt metati.

Et dissidio inter praetores suborto, dum alij ad Seuthen, Thraciae regem, transire; alij in Cherronesum contenderent; alij in Asiam rursùm traijcere suaderent; Milites in eâ deliberandi morâ, partim armis divenditis aliò enavigarunt; partim in urbeis vicinas, civibus permixti, introiérunt.

Atque ita exercitus ille, in hostico fortis & cautus; apud socios effrenis: Barbaricum solum summâ felicitate, & *mirâ* (ita Xenophon) *Dei providentiâ*, emensus; in agro sociali propè dissipatus est. quùm vix VI. Millia Byzantium adpulissent. Diodor. ad III. Mill. & DCCC. redactos esse, tradidit.

Sed quùm Pharnabazus ANAXIBIO, cui classis imperium fuerat abrogatum, illusisset: & ARISTARCHVS, Cleandro suffectus, CD. ex ijsdem militibus, quos Byzantij offenderat, vendidisset: Xenophon, auctore eodem ANAXIBIO in castra, iterum coëuntia, revertit; è Perintho in Asiam traiecturus.

Verùm ab ARISTARCHO id facere prohibitus, ad Seuthen se contulit, qui frequenter eundem in-

vitárat, & societatem depopoſcerat. Quòd paterno Thynorum regno, è quo erat eiectus, bellum pro tempore faceſſeret, & reſtitui in idem cuperet. Atque ita firmato cum illo fœdere, exercitum ſibi parentem eò adduxit.

Primùm Thyni, multis belli incommodis fracti, ſe regis poteſtati tradidérunt; deinde Thraces, ad Salmideſſum maritimi, pari calamitate vexati.

Sed rex Seuthes, aucto iam ex finitimis Odryſis exercitu, à Xenophonte, ob popularitatem, & importuniorem debiti militi ſuo ſtipendij efflagitationem, odioſo, alienior; Legatis Lacedæmoniorum, qui bellum Tiſſapherni inferre parabant, lubens Græcum illum exercitum tradidit.

Copiæ itaque à Xenophonte (qui ſartam tectam, inter tot calumnias, ducis primarij auctoritatem conſervárat; & ſtipendia, ab illiberali Seuthe, militi ingrato, curárat) in Thimbronis, Lacedæmonij ducis, fidem manumque tranſdítæ; & è Thraciâ, in Lampſacum, claſſe ſunt traductæ: Et haud procul Pergamo, ijs, quas ipſe Thimbron adduxerat, Græcorum cohortibus, permiſtæ.

Hic iam commemorabilis Græcorum ἀναβάσεως, ſeu expeditionis, & reverſionis, uſque terminos patriæ, exitus.

Totius itineris ſpatium, quod Xenophon, cum Græcis, ſive in progreſſu, ſive in regreſſu, caſtris CCXV. admirabili virtute & conſtantiâ, inter tot indomitas & barbaras nationes, confecit; Paranſagæ fuére. Mil. CL. hoc eſt, ſtadia XXXIV. Mill. CCLV. Et milliaria circiter IV. Mil. & DC.

Quo in itinere, annus, trimeſtri ampliùs, conſumtus.

RES IN PERSIDE.

Vt ad priora revertamur, narrat Cteſias, Paryſatidem, matrem regiam, ingenti, ob Cyri filij caſum, luctu confectam; & è Suſis Babylonem profectam, vix tandem caput manumque cæſi recuperáſſe, & Suſis humanda curáſſe.

Et rege matri indulgente, (licet amplis ille muneribus eos ornáſſet, qui vel Cyrum vulnerárant; vel primi mortem eius nuntiáverant; occiſi à ſe nihilominus fratris, gloriam, alijs invidebat) hos, ceu victimas piacnlareis, lubidini mulieris deditos, ſævam ſuæ vanitatis & loquacitatis mercedem reportáſſe.

BAGAPATEN ſcilicet (alijs Meſabaten) qui iuſſu regis, caput manumque Cyri præciderat, pelle dereptâ, in cruce ſuffixum. Carem quemdam, ſive Caunium, qui letali vulnere Cyri gloriatus eſſet: & MITHRADATEM, qui cædis auctorem ſe ferret; acerbâ morte multatos.

SOCRATIS MORS.

Sub idem tempus SOCRATES, Sophroniſci F. Ethicæ Philoſophiæ parens, ann. natus LXX. Olympiad. XCV. ab Anyto & Melito, de impietate, & Iuventutis corruptelâ, accuſatus, & capite damnatus; Athenis, cicutæ potione, mortem ſibi conſciſcere coactus eſt.

Sed agnito errore, furens & irritata plebes, paullopoſt adverſarios fœdis ſupplicijs excarnificavit; & tantæ improbitatis pœnas exegit. Ipſe ſtatuâ honoratus eſt. Sed quòd populus eos indictâ cauſâ damnáſſet; peiorem, quàm pridem, SOCRATIS cauſſam feciſſe viſus eſt.

LACEDÆMONIOR. IN ASIA RES GESTÆ.

3553. 4. Artaxerx. | 397.

TISSAPHERNES verò, ex illo, quod narravimus, fratrum diſſidio & bello, magnum nomen adeptus, & Cyri Satrapiâ à rege honoratus; cæteras Ioniæ civitates, uti perduelleis, ſubijcere ſibi cæperat. Et Lacedæmonij ab iiſdem civitatibus, cum priſtinæ libertatis deſiderio; tum novi Satrapæ, & regis, quos, ſervatâ priùs Cyro fide, offendiſſe ſcirent, metu; ad avertendum à ſe ſervitutis, Græcis indignæ, iugum, ſollicitati; (qui & ipſi, more ingenij humani, quò plura habent, eò ampliora cupientes; non contenti, Athenienſium opum acceſſione, vireis ſibi duplicatas; totius Aſiæ imperium ſpe & animo præcipiebant) Thimbronem, ut diximus, cum Mille libertinis, & IV. Peloponneſiorum Millib. (quibus CCC, ab Athenis equites; & alij ex Græcis Aſiæ continentis Vrbibus: deinde Cyrianæ expeditionis, quas diximus, reliquiæ, acceſſerant) ducem creatum, amandárunt. Cui, poſtquam aliquot in Aſiâ civitates occupáſſet; & Lariſſam irrito conatu obſediſſet; quod militi indulgeret, & ſocijs iniurius eſſet; ſuffectus eſt DERCYLLIDES.

3554. 5. Artaxerx. | 396.

In hanc ille militiam electus, cum videret ſibi adverſus duos ARTAXERXIS regis duces, PHARNABAZVM & TISSAPHERNEM, maximarum gentium viribus ſuccinctos, dimicandum; cum altero ex ijs pacificandum ſibi ſtatuit.

Aptior viſus Tiſſaphernes; qui, licet infidus ergà

Lacedæmonios pridem veterator; vir tamen & industriâ potior; & à militibus, qui Cyro paullò ante militárant, instructior esset. Atque is in colloquiũ vocatus, statutis inter se conditionibus, ab armis immunis dimittitur. Ille verò infestũ, in PHARNABAZI, Lacedæmonijs hactenus amici & beneficis; sed privatis de caussis sibi odiosi, fineis; & in Æolidem, MANIÆ, Zenis Dardani viduæ, ab eo attributam; eàque à MIDIA genero sceleratè interemtâ, PHARNABAZO, ceu Carano, (hoc est, principi) addictam; exercitum immittit.

Multis denique urbibus potitus, Midiæque parricidiũ ultus; inducias à PHARNABAZO, Phrygiæ suę, à propinquæ Æolidis insessoribus & præsidijs, submetuente, extorquet, Et hibernis in Bithyniâ Thracicâ collocatis, communeis cum Odrysijs prędas agit.

Vere autem ineunte, inducias iterùm tum Persâ pactus, & à Seuthe sollicitatus, in Chersonesum, à Persis & Thracibus vicinis vastatam regionem, traiecit, Eamque, XII. Vrbeis complexam, muro XXXVII. stadijs longo, adversus Barbarorum incursationes, circumsepsit.

Quo opere perfecto, rursus in Asiam transcendens, Chiorum exsules, qui Atarnéam insidebant, & Ioniam vexabant, eiecit. Alij addunt, Chium, IIX. mensib. obsessam cepisse.

Hic, antè pugnam, quæ iam iamque, haud procul Mæandro, imminebat; à TISSAPHERNE & PHARNABAZO in colloquiũ vocatus; dum Lacedæmonij, (qui illi, quasi re præclarè gestâ, imperium in annum alterum prorogárant) & rex ipse, de pacis conditionibus, consulerentur; ab iniuriâ se abstinunt.

ELEI DOMITI.

Sub idem pænè tempus ijdem, Lacedæmonij, rege Agide, iterum Eléos, sibi ob veterem cum Atheniensibus societatem, & ob ignominiosam sui, à sacris Iovis Olympici, repulsam, alijsque nominibus, invisos; bello adgressi: Vt civitatibus sibi finitimis & subiectis, libertatem darent, legibus impositis, coëgerunt. Et rex agros populatus, sed urbe abstinens; sacris, quæ Iovi voverat, illic operatus, domum revertit.

AGESILAVS REX LACEDÆMONIORVM.

AGIDE è vivis exemto, AGESILAVS F. Leotychide fratre, ceu spurio, reiecto, (cuius matrem vitiásse Alcibiades olim ferebatur, unde is ortus esset. quod quidem factum & pater suspectárat, & mater risu domestico tantumnon erat confessa) in regnum, (licet pede claudus; quod oraculum abhorrebat) suffragante in-primis Lysandro, suffectus est. Et Cinadon, cum alijs ex Aulone, de insidijs eidem intentatis, convictus, pœnas luit.

Eventus certè regni is fuit, ut numquam altiùs evecta, numquam inferiùs depressa, fuerit ante-hàc res Spartana, quàm sub AGESILAO. ut dubium sit, uter sagaciùs senserit, LYSANDER, an Apollo!

PHARNABAZVS intereà Dercyllidæ, & ingratis Lacedæmonijs meritò succensens, ARTAXERXEN docuerat; Lacedæmoniorum potentiam regi multò damnosiorem & insolentiorem esse; quàm Atheniensium umquàm fuerit. Nec posse Græcos commodiùs, quàm ab ipsis Græcis debellari. Esse CONONEM Athenis rei nauticæ peritissimum, & deprimendo Spartanorum fastui aptissimum.

3555.
6. Artaxerx. | 395.

Lacedæmonij itaque de regis & Satraparum Asiaticorum conatibus, & classis in Phœniciâ adparatu, vicissim edocti; qui bella maritima hactenùs per Navarchos gesserant; nunc AGESILAVM ipsum, nec invitum, cum exercitu, qui ad Geræstum Eubœæ ex socijs erat collectus, in Asiam contendere iussérunt.

Is tantâ celeritate usus est, ut priùs illuc cum copijs venerit; quàm regij Satrapæ profectũ scirent. Et quùm ille à Tissapherne sui in Asiam adventûs & tumultûs caussam rogatus, subiecisset, *Vt Asiaticas suæ gentis civitates in parem cum ceteris Græcis libertatem vindicaret.* Neque cum latéret, fidem datam de rebus, ex regis sententiâ, per trimestreis inducias, constituendis, illum esse violaturum; & non pacem, sed maiores à rege copias, exspectaturum. Ipse nihilo-minus Ephesi, civitatibus, quę nec populari Atheniensium statu, nec Lysandri Decarchiâ adhuc regebantur; ordinandis, operam tempusque impendit.

Et cum ipse iusiurandum religiosè servaret; tum Tissapherni eo nomine gratias debere aiebat, quòd is federũ sanctitaté utilitate metiri semper edoctus, periurio suo, & homines suis rebus abalienaret; & Deos sibi ipsi iratos, Græcisque propitios, faceret.

Atque adeò à SPITHRIDATE Persâ, quem cum liberis, Lysander, Agesilai legatus, in Hellespontum missus, ad defectionem induxerat; de Tissaphernis conatibus perfidiáque coràm certior factus; à sociis civitatibus auxilia postulat. quòd exacto induciarum die, Tissaphernes, ipsi, ni Asiâ statim excederet, bellum indixisset.

Et Barbarus quidè non dubitans, quin in Cariam, regionem ijs temporibus locupletissimam; & ubi plurimas ipse, regifico luxu exstructas, haberet villas; hostis potissimùm facturus impetum esset. omneis eò suas copias, pedestreis, contraxerat. equitibus ad Mæandri Campum, ad circumveniendos planis locis Græcos, circumductis.

Verùm Agesilaus in Phrygiam se convertit: & agros urbeisque priùs depopulatus est, quàm Tissaphernes usquà se moveret: Et militibus ingenti prędâ locupletatis, Ephesũ in hiberna regressus; atque ibi officinis armorũ pedestrium equestriumq; institutis; magnâ industriâ bellũ adornavit: & ab equitatu indigenâ robur exercitui comparavit.

3556. 7. Artaxerx. | Anno exacto, & Lysandro cum xxx. consiliarijs domum reverso, successores cum Erippidâ adventarunt. | 394.

Et quùm Agesilao visum esset copias ex hibernaculis educere; vidit, si, quò esset iter facturus, palàm pronuntiasset, hosteis rumori fidem non habituros; quasi aliud facere solitus esset, ac pronuntiarat.

Quùm ille itaque Sardeis iturum se dixisset; Tissaphernes eamdem Cariam præsidijs occupandam sibi, defendendamque putavit. In quo quùm eum opinio fefellisset; antequàm suis præsidio venire posset; AGESILAVS, in Sardeis, uti dixerat, profectus, multis iam locis & magnâ prædâ erat potitus. Et quòd hostis equitatu superaret; ijs tantùm locis manum conseruit, quibus plus pedestres copiæ valerent.

At quùm, Tissapherne in Sardibus desidente, equites eius iustâ pugnâ fusi, & castris etiam essent exuti; ipse quidem à Persis de proditione insimulatus est: rex verò TITHRAVSTEN submisit, qui ei, uti malorum & offensionum auctori, caput præcideret. Sive veriùs, Parysatis, quæ Tissaphernem, fraterni anteà belli incentorem, meminerat & oderat; eius, apud filium, tàm ignavi, quàm perfidi ducis, criminandi, occasionem arripuit.

(Circà id tempus SAPHOCLES, Sophili F. Atheniensis Patricius, & Tragicorum princeps, sexennio post Euripidem mortuus est. Is quùm ultimæ senectutis Tragœdiam dixisset, & ancipiti sententiarum eventu diu solicitus fuisset, unâ aliquandò sententiâ victor, caussam mortis, gaudium habuisse proditur.)

TITHRAVSTES autem, eo, quod rex imperârat, peracto, legatos AGESILAO nuntiatum mittit: *Sublato dissensionum auctore, regi æquum videri, ut si ipse domum renaviget, Asiaticæ civitates liberæ essent, & veteri tantùm tributo obnoxiæ.*

Cuius rei deliberatione ad Ephoros, & Spartanum Senatum, reiectâ; AGESILAVS, TITHRAVSTE, qui belli sumtus subministrabat, instigante, in Phrygiam, adversus PHARNABAZVM, movére cæperat; quùm novo patriæ decreto, classi etiam & rei maritimæ, præter terrestreis copias, præesse iussus est.

Ipse confestim summâ Insulanorum, maritimarumque urbium, alacritate, fabricatæ recens, CXX. triremium classi, PISANORVM, uxoris fratrem, virum cætera egregium, sed rei classicæ, eiusque adparatûs, minimè experientem, præfecit.

TITHRAVSTES, qui videret AGESILAVM, rege contemto, bellum in Asiâ ducere, & spe in dies audaciâque crescere; ut Lacedæmonios, domestico Græcorum, (quos sciebat ut mutuis odijs flagrare, ita mutuo metu quiescere) bello implicatos, indè abstraheret; TIMOCRATEM Rhodium in Græciam mittit. qui Civitatum haud satis pacatarum, (Corinthi, Thebarum, Argi) Principes, pecuniâ corruptos, in communem & impotentem hostem, aut dominum, inflamaret, & crimina bellorum inter eos sereret.

NOVÆ GRÆCORVM DISSENSIONES.

Primi itaque Locri Opuntij, instigantibus Thebanis, occasione pecuniæ, ex controversâ inter ipsos regione, exactæ, Phocenseis inimicos capiunt. Et hi Locridem ingressi, agunt omnia feruntque. In eos Thebani, pro federatis sibi Locris, vicissim invecti, terram hostiliter populantur. Ab illis, querelæ de Thebanorum iniuriâ, Lacedæmonem deferuntur: & Lacedæmonij, belli in Thebanos, multis nominibus sibi odiosos, occasionem amplectuntur.

Lysander ab Ephoris in Phocidem, ut socijs præsidio sit, & circà Halyartum copias ex amicis contrahat, missus est; dum Pausanias, cum Spartanis & Peloponnesijs, eòdem adventet.

Thebani, missâ legatione, Athenienseis, suâ sponte, ob ereptam recèns sibi libertatem, satis inclinatos, reclamante licet THRASYBVLO, in parteis societatemque pertraxére.

3557. 8. Artaxerx. | ——— | 393.

Iam Pausanias rex, & domesticas, & ex totâ Peloponnesô, præterquàm Corintho, collectas, copias in Bœotiam ducebat: quùm Lysander, Phocensium & Orchomeniorum, finitimorumque exercitu stipatus, & ad Haliartum Pausaniæ antevertens, temerè, & non exspectatis Lacedæmonijs, ad Vrbis usque muros, suâ cum manu, processit, & impetum fecit.

Thebani confestim totis copijs suppetias ferentes, pugnâ ad portas commissâ, & occiso LYSANDRO, (VIII. post Athenas captas anno, & post CYRI Anabasim, IV.) in fugam cæteros vertunt. Sed ipsi, per aspera hostem insecuti, partim iaculis, partim saxis, ex edito in præceps devolutis, confecti, multos ex suis desiderârunt.

Et Phocensibus, alijsque socijs, domû noctu dilapsis, quùm iàm Pausanias cũ exercitu adveniret; in magnum non modò terrorem, sed etiã periculum incidissent; nisi postridie Athenienses subsidiarij, suo in castra adventu, in spem erexissent.

Pausanias namque prœlio illos, equitatu iam superiores, lacessere non ausus, quùm & Lysandri copiæ dissipatæ essent; & Corinthijs sequi nolentibus, reliqui militiam detrectarent; mortuos, qui sub ipsis opidi mœnibus iacebant, per inducias ab hoste postulandas decrevit. Et Thebanis reddere, ni finibus suis excedat, omninò recusantibus; atque illis eâ lege receptis; exercitum è Bœotiâ, in pacatum, hoste licet persequente, inglorius reduxit.

Hic

Hic ab Ephoris, ob rem malè inglorieque gestam, capite damnatus, Tegeam in exsilium concessit: Ibique fato defunctus est. Cui F. AGESIPOLIS in regnum successit.

3558. 9. Artaxerx. | ——— | 392.

AGESILAVS intereà Phrygiam, PHARNABAZI provinciam, ferro ignique populatus, OTYN (al. COTYN) Paphlagoniæ regem, à Persis alieniorem, sibi federe & Spithridati adfinitate, filiâ in uxorem datâ, coniunxit. Atque inde in Dascylium, ubi PHARNABAZI regia, omnibus copijs & delicijs refertissima, duxit, & hiemavit.

Et quùm ille Græcos, præ nimiâ fiduciâ liberiùs pabulanteis, insidijs excepisset, & c. ex ijs obtruncásset; ipse vicissim ab Erippidâ legato, castris opulentissimis, quæ ad Cauèn Bithyniæ, locárat, exutus est.

Sed ab illo SPITHRIDATES & Paphlagones, ratâ communium ex hoste spoliorum portione, indigniùs fraudari; Sardeis, ad ARIÆVM, quem à rege defecisse opinabantur, confugérunt.

His auxilijs destitutus AGESILAVS, quùm PHARNABAZVM ad societatem; & à rege, cui serviret, non sine certâ privati liberique imperij amplificatione, defectionem, invitásset: Et ille contrà; Si rex alium ducem, cui parére aut cedere cogatur, submiserit; Lacedæmonijs amicum & belli socium fore, reciperet. Sin provinciam, quam ille olim attribuerat, quæque ipsi fructuosa & gloriosa esset, non ademerit; hostem se ijsdem, regis ergà se tàm benefici hostibus, quam-maximè fieri possit, pariter fore acerrimum.

AGESILAVS, tàm generoso viri responso oblectatus, & pristinæ eius in Lacedæmonios benivolentiæ memor; in gratiam eum fidemque recepit:

Et ex eius, licet certi hostis, finibus se copias quam-celerrimè abducturum promisit. Filium quoque eius hospitij iure & muneribus prosecutus.

Hìc quùm animo meditaretur in Asiæ interiora cum exercitu proficisci; regemque ipsum propiùs, & Tauro tenus, adoriri: Ecce, nuntius ei, EPICYDIDES, domo ab Ephoris advenit; maximas Græciæ civitates, regiâ pecuniâ delinitas, contrà se conspirásse, & bellum indixisse. *Patriam in summo versari periculo, cui opem ipse ferret.*

Huius certè regis Laconis pietas, non minus in eo suspicienda est, quàm virtus bellica. qui gloriosiùs sibi duxerit; *Institutis patriæ, & absentium licet magistratuum decretis, modestè & maturè parère; quàm bello prospere, & victore iam planè exercitu, Asiam subiugare.*

Ille propterea facetè dictitare solitus; *A mille se Sagittarijs* (Persici nummi genus est) *Asiâ ab rege summotum.* Tot enim Athenas & Thebas delati, & inter Oratores distributi; qui populos illos ad bellum Spartiatis faciendum incenderent. TITHRAVSTES L. talenta, per TIMOCRATEM, transmiserat.

AGESILAVS itaque rebus in Asiâ constitutis, & imperato socijs civitatibus milite, quem secum deduceret, & Hellespontum transmitteret. è Chersoneso, eâdem, quâ olim XERXES, viâ, in Græciam contendit. Tantâ usus celeritate, vt quod iter Persa, anno vix vertente, confecerat; hic XXX. diebus totum sit emensus.

PVGNA AD NEMEAM CORINTHIORVM.

Nec minore intereà curâ Ephori delectum habent: & ARISTODEMVM, regiâ stirpe ortum, & AGESIPOLIDIS adhuc impuberis tutorem, copias educere iubent. Quæ erant circiter VI. Peditum, M. & DC. equites, è Laconicâ.

Eliensium, Triphylliorum, Acrotiorum & Lasionensium SIS. Mill. Totidem Epidauriorum, Troezeniorum & Hermionensium & Halieorum. E Sicyone Mil. D. Cretes sagittarij, CCC. Et totidem ex Marganis, Ledrinis & Ampbidolis, fundatores.

Ex hostibus verò, Athenienses, ad VI. Mil. Argivi, uno mili ampliùs. Bœoti, V. & Corinthij, III. Mil. totidemque Eubœënses. & hos pedites, universè in castra sua adduxerant.

Equitum ex Bœotis, DCCC. Ex Atheniensibus, DC. & C. ex Chalcidensibus Eubœæ. Ex Locris Opûtijs, D. & unà cum ijs quamplurimi à Corinthijs Velites. Quos nec pauciores, ex Locris Ozolis, Meliensibus & Acarnanibus, sequebantur.

Et iam Lacedæmonij, ulteriùs absque iniuriâ progressi, licet hostilibus ex obliquo iaculis impeterentur, in Sicyone castra locárant: & ad hosteis, qui in Nemeâ Corinthiorum erant, rectâ tendebant; ferro omnia flammaque vastantes.

Hìc licet Bœoti, qui cornu sinistrum tenebant, à congressu initiò abstinerent; Athenienses, in dextro adversùs Lacedæmonios Achæosque collocati, Phalangem inconsideratiùs promovérunt; & ab illis vndique circumdati vincuntur.

Sed eodem momento, Lacedæmoniorum socij, adversâ ex parte, ab Atheniensium federatis, superati nuntiantur.

Servatis itaque illi ordinibus, multos ex Argivis, Thebanis & Corinthijs, qui à persequendo, & certâ quasi victoriâ sparsim redibant, & in integros de-inopinato incidebant; concidérunt. donec illis in priora castra è pugnâ dilapsis, tropæum erigerent.

AGESILAVS interim, ut patriæ succurreret, iter ex Asiâ maturabat, per Macedoniam, in Thessaliam progressus.

Vbi à Larissæis & Cranonijs, Scotusæis & Pharsalijs, & præcipuè à Thessalis equitibus, lacessitus; ipse Milite multis expeditionibus indurato; & recenti, licet tironum, equitatu, fortiter eos,

qui

qui rei equestris laude præ cæteris gloriari solent, fudit & vicit; & pacatiùs in Bœotorum fines pervénit.

Sed hæc victoria, tristiore de cæso Pisandro, & classe in Asiâ profligatâ, nuncio, plurimùm obscurata est.

CONON ATHENIENSIS PRO PERSIS.

3559. 10. Attaxerx. | 391.

CONON Atheniensis, qui amissâ, post infelicem ad Ægospotamon pugnam, patriâ, Cypri apud Euagoram pridem exsulabat: quemque PHARNABAZVS, uti maximè idoneum navalis adversùs Lacedæmonios belli ducem, regi suo commendârat; & in locum Tissaphernis, proditoris & inimici sui, deligendum curârat; potestate sibi à rege, quem præsens Babylone permoverat, & magnis ab eo fuerat muneribus donatus, factâ, ad mare missus est; ut Cyprijs & Phœnicibus, cæterisque maritimis civitatibus, naveis longas imperâret; classemque, quâ mare tueri posset, compararet.

PISANDRI EXITVS.

Lacedæmonij vicissim, qui sibi cum forti prudentique duce dimicandum prospicerent; Pisandrum, quem Agesilaus frater Asiâ decedens, vicarium reliquerat, & rei navali præfecerat; ingentem classem summis viribus instruere, & belli fortunam tentare iubent.

PHARNABAZVS autem adiutor à rege CONONI datus, cum Phœnissis; & ipse CONON, cum Græcis navibus, ad Pisandri stationem, haud procul Cnido, pugnandi studio accesserant. Et Pisander, (Diodor. Periarchum Navarchum nominat, mendosè. & pugnam tradit ad Cherronesi Physéum pugnatam) quantumvis navium numero inferior; quòd sociorum è Græcis naves, quæ in sinistro contrà CONONEM cornu steterant, statim sub initium prœlij, territæ, ex acie excessissent; cum hostibus congredi ausus est. Sed mòx rostratâ navi in litus impactus, reliquis, qui proras eòdem adegerant, & naveis deseruerant, salvis, & in Cnidum perfugientibus; ipse fortiter pugnans è navi ciens, occubuit. Navium multæ (ad L.) captæ, multæ depressæ.

(Hic annus fuisse notatur XVII. à pugnâ, ad Cynossema commissâ. In quâ defierat Thucydides; & Theopompus, indè exorsus, historiam suam huc usque concinnaverat.)

PVGNA AD CORONEAM.

Hunc casum AGESILAVS, quùm in Bœotiâ esset, & adversùs hosteis dimicaturus in procinctu staret; prudenter dissimulans; & auctus novis è Laconicâ iuventute, & aliundè copijs, ad hosteis, iam contrà se instructos, proximè accessit. Atque omnes quidem in Coronéæ campos, hinc Lacedæmonij à Cephiso; illinc Thebani cum socijs ab Helicone, convenerant.

Commisso hîc acri prœlio, Argivi, qui à sinistro steterant cornu, protinùs in Heliconem fugâ se proripuérunt. Thebani verò dum cæsis Orchomenijs, quibus obiecti erant, in impedimentis diripiendis occuparentur; & deinde in Heliconem quoque fugam circumspectarent; ab Agesilao ad pugnam pertracti, multos, non impunè tamen, ipso Agesilao, inter cæteros, graviter vulnerato, amisêre.

Victoris ducis vel maxima laus fuit, quòd, quùm permulti ex hostibus in Templum Minervæ Itoniæ se ex fugâ recepissent: quæreretúrque ab eo, quid ijs fieri vellet: etsi aliquot eo prœlio vulnera ipse acceperat; & meritò omnibus, qui adversùs arma tulerant, iratus videbatur; tamen antetulit iræ religionem. Et quemquã ex ijs in Æde sacrâ vetuit violari. incolumesque, quò vellent, dimisit.

Huic pugnæ parem nullam suâ ætata contigisse, ait Xenophon. quem ex Asiâ regressum, eadem prœlio interfuisse, tradit Plutarch.

GYLIS Polemarchus, Agesilao in Delphos profecto, è Phocide in Locros irrumpens, licet initiò ingentem prædam ex agris abduxisset; acceptâ de nocte insigni clade, cæsus est. Et nisi subita è castris auxilia advolâssent, omnes ad unum eius milites, locorum iniquitate, & Locrorum in persequendo pertinaciâ, perijssent.

AGESILAVS, apud Delphos, spoliorum Asiatico bello partorum decimas Apollini donavit.

BELLVM CORINTHIACVM, 7. annor.

Iam tota belli moles ad Corinthum erat conversa. undè tanquam ex arce, Athenienses, Bœoti & Argivi, movebant. quùm Lacedæmonij contrà, è Sicyone excutrerent.

Et quoniam Corinthij plerique, quos nuperæ à Lacedæmoniorum societate defectionis pigebat, ob finium suorum è tàm vicino bello, socijs interim à clade pari securis; vastitatem, ad pacem propendére viderentur. Id ne fieret, sociorũ Principes, Persico auro corrupti, & malorum auctores, veriti; de ijs, qui pacis cupidi essent, è medio tollendis, nefarium consilium inierunt: & immani, seniorum præsertim, cæde, & propè sacrilegio, die feriato Eucliorum, in foro & templis, perpetrârunt.

Permulti

Permulti autem è mediâ cæde elapsi, cum iunioribus, qui duce & suasore Pasimelo in Cranium se receperant; indè in Acrocorinthum cursu delati, eam, repulsis Argivis & alijs, occupárunt.

Atque indidem paullopost fugâ dilapsi, iterumq; ab amicis & necessarijs, promissâ impunitate, invitati, in patriam, tyrannide iam oppressam, redierunt.

Quidam tamen ex ijs, generosi; & patriæ, quæ in nomen legesque Argivorum tota abierat, vicem miserati, PASIMELVS & ALCIMENES, cum PRAXITA Lacedæmonio, Sicyonij præsidij præfectos proditionem murorum pacti, urbem patriam in reciprocos pugnarum, variâ partium hinc inde victoriâ, fluctus coniecérunt. Modò his, modò illis, pro loci possessione, ita obnitentibus; ut exiguo temporis spatio densi cadaverum acervi, & urbs cruore completa conspiceretur.

Et Praxites, murorum parte, quantum ad inferendum militem satis esset, perfossâ; & ducto ad Megaram, exercitu, Sidunteni & Crommyona cæpit; & præsidium, ut illuc tutum socijs perfugium esset, imposuit.

Hic, Probus Æmyl. unâ pugnâ x. hostium M. & paucissimos è Lacedæmonijs, AGESILAO duce, cecidisse tradit. eoque facto opes adversariorum vehementer debilitari visas. Eumdemque ducem, adversarijs intrà mœnia è pugnâ compulsis, quùm multi hortarentur ut Corinthum oppugnaret; negâsse. *Id sua virtuti convenire; ne expugnatis aut eversis nobilissimis Græciæ civitatibus, non essent, qui secum deinceps adversùs barbaros aliquandò starent.*

Phliasij ab Iphicrate Atheniensi hostiliter vexati, Lacedæmonijs, quod hactenus exsulum metu abnuerant, Vrbem suam arcemque custodiendam tradidérunt. Et illi vicissim ex urbe, iam periculi securâ, egressi, iura, quæ acceperant, civibus integra reddiderunt.

AGESILAI VICTORIÆ.

Quùm autem Lacedæmonij, cum Corinthijs exsulibus, ex Lechæo (quod Pasimelus, ope Praxitæ, occuparat) progressi, circà Corinthum castra locâssent; Atheuienses, dirutos à Praxite, muros instaurârunt.

Quos AGESILAVS, post obtritas aut demessas Argivi agri fruges, illuc profectus, eodem die cepit, quo frater eius uterinus, TELEVTIAS, XII. cum triremibus, navalia ibidem occupavit.

AGESILAVS denuò, ad avertenda Corinthijs pecora, quibus in propinquum Piræi portum tutus esset receptus; domo profectus, & ad Isthmû progressus; ubi Argivi, ceu certi & proprij Corinthiorum domini, anniversaria Neptuno sacra faciebant. Ijs, præ metu, & infectis quidem sacris, in urbem fugâ dilapsis; ipse, cum Corinthiorum exsulibus, castris circà Templum positis, Deo litavit, & certamen peregit.

Et exercitu modò ad Piræum, modò ad urbem admoto; tandem Piræo undique circumsepto, cives militesque illinc profugere: & captâ Oenoâ, eos qui in Iunonis templum è Piræo confugerant, reos urbanæ cædis sibi tradere coëgit.

CLADES AD LECHÆVM ACCEPTA.

Verùm intereà dum cum suis ipse militibus, recentis victoriæ lætitiâ immodicè exsultat; & supplices Bœotorum legatos vix admittit; inopinatu cladis ad Lechæum acceptæ nuntium accepit.

CALLIAS scilicet & IPHICRATES, Atheniensium, in Corintho ipsâ, duces, Amyclæos AGESILAI milites, è Lechæo ad Hyacinthia Pæanis sacra de more egressos, & exiguo præsidio stipatos, persecuti, magnam stragem equitum peditumque, continuato diu prœlio, ediderunt. Et IPHICRATES præterea Siduntem & Crommyona; deinde Oenoan, præsidijs, quæ PRAXITES & AGESILAVS imposuerant, è statione deturbatis, recepit.

ACHÆORVM ET ACARNANVM DISSCIDIA.

Achæi verò, qui Calydonem, olim Ætoliam, iam obtinebant, & veteres colonos civitati suæ accensuérant, eamque præsidio munierant; ab infesto Acarnanum, qui Atheniensium erant socij, exercitu vexati, ab Lacedæmonijs opem implorârunt. Agesilaus itaque subsidio missus, & hosticum ferro igniqúe depopulatus, ingentem vim pecorum mancipiorumque abegit. Et aliquot prœlijs feliciter confectis, nullâ tamen ex hostibus urbe captâ, Rhium transgressus, domum revertit. quòd Athenienses, ex Oeniadis, cum triremibus excurrentes, navigationem, è Calydone in Peloponnesum, prohiberent.

Sed ille iterum, ineunte vere, cùm exercitu in Acarnaniam transmittens, & agris vastitatem inferens; eò necessitatis Acarnanas, penuriæ & obsidionis metu, adegit; ut missis Lacedæmonem legatis, pacem cum Achæis, & societatem cum Lacedæmonijs, pagerent.

ARGOS TENTATVM.

Lacedæmonij difficile sibi & diuturnum cum Atheniensibus & Bœotis bellum fore rati, Argis, urbe magnâ & conterminâ, à tergo relictis; eam sibi quamprimum adgrediendam constituerunt. Et AGESIPOLIS, Dijs de æquâ, an iniquâ induciarum, quæ utrimque intercedebant, violatione, consultis; ex Phliunte, per Nemeam, cum exercitu, in Argivos invadit. Et reiectis hostium, qui inducias offerrent, præconibus fecialibus, passim & impunè per provinciam perbacchatur, & incredibile damnum imparatis importat. Sed diris cœli terræque prodigijs absterritus, ab Vrbe, ad quam proximè accesserat, & munitionibus vallare decreverat, exercitum reduxit.

CONONIS

CONONIS ÆQUITAS.

PHARNABAZUS intereà & CONON, subposteaquã Lacedæmonios pugnâ navali vicissent, & ex insulis maritimisque civitatibus Laconicos præfectos atque Harmostas eiecissent; palàm præ se ferebant, velle se, ut omnes iure suo libertateque uterentur: neque ullæ in iisdem munitiones, velut oppugnacula, erigerentur. Quâ gratiâ & liberalitate illectæ, pleræque, in pristinam regis amicitiam venêrunt.

DERCYLLIDES interim, vetus PHARNABAZI hostis, Abydenos in fide amicitiâque Lacedæmoniorum continebat.

Et in Seston transmittens, eos, qui Lacedæmoniorum causâ exsulabant; & sive Asiæ, sive Europæ socijs antea civitatibus exciderant, in Chersoneso colligebat. Quumque PHARNABAZUS utrique civitati minas & inimicitias, ni protinus Lacedæmonios eijciant, acerbè denuntiaret, neque illæ parérent; CONONE illos maris navigatione prohibere iusso, ipse Abydenum vastabat agrum.

3560. | 390.
11. Artaxerx.

Ineunte autem vere, navibus, quas Hellespontijs imperârat, coactis; & milite peregrè conductos unà cum CONONE, per insulas, in Melum navigavit. Et inde Pheras delatus, & Laconicam regionem fœdè populatus, Phœnicunte Cytheræ potitus est. Et dimissis indè ex pacto in Laconicam incolis, oppidoque permunito, NICOPHEMUM Atheniensem cum præsidio illic reliquit.

ATHENÆ AB EO RESTITUTÆ.

Quumque ipse cæteros Atheniensium socios, apud Isthmum Corinthium, ad bellum Lacedæmonijs facessendum, & servandam regi fidem, pecuniâ etiam largè attributâ, cohortatus, exercitum in Asiam deportâsset; CONON pecuniâ, & classe ab eo acceptâ, quam ex insularum tributis aleret; Athenas venit. Vbi magno civium gaudio exceptus, quæ incensa à Lacedæmonijs aut diruta fuerant, Longi-murium & Piræum, conductâ fabrûm manu; & Bœotis alijsque in partem iuvantibus, brevi instauravit. Vt quoddam quasi Athenarum fatum fuisse videatur. quæ à Persis antè crematæ; illorum manibus: nunc à Lacedæmonijs eversæ; horûdem spolijs, restituerentur.

Et nunc socios haberent, quos tunc hosteis habuerant. & contrà nunc hosteis paterentur, cum quibus iuncti tunc artissimis societatis vinculis, & communibus auspicijs, Persas oppugnâssent.

Corinthij etiam ijs, quas à Pharnabazo acceperant, pecunijs, naveis instruxêre: & AGATHINO classis præfecto, maris imperium, in Achaico Lechæoque Sinu, obtinuêre. Quo mòx ab ERIPPIDA, Polemarchi successore; & à TELEUTIA, classis Laconicæ prætoribus. sunt exuti. Rhio etiam, quod PROÆNUS Corinthius turpiter deseruerat, amisso.

PAX ANTALCIDEA.

Quùm verò Lacedæmonij, ut Cononis Atheniensiumque conatibus, & novæ apud regem gratiæ obstarent; ANTALCIDEM ad TIRIBAZUM (qui pedestrium copiarum dux ab ARTAXERXE in Asiam missus, eiusdem Cononis virtuti invidebat) amandâssent, pacis his legibus cōponendę:

„*Vt Græcæ quidem in Asiâ civitates, mero regis imperio obnoxiæ: reliquæ verò civitates, & Insulæ omnes, liberæ essent, suoque iure uterentur.* Atque ita omnis belli, & pecuniariæ in bellum profusionis materia tolleretur.

Athenienses vicissim, veriti ne in medio victoriarum, & renascentis sibi gloriæ, curriculo, regiâ gratiâ & ope destituerentur; Legatos, adscitis etiam socijs, illuc misêre.

Sed quùm propositæ de publicâ omnium Insularum & civitatum libertate, leges non placerent; Atheniensibus quidem, ne Lemnum, Imbrum, Scirum, missas facere cogerentur: Thebanis verò & Argivis, ne illi Bœoticarum urbium; hi ipsius Corinthi possessione exciderent; pacem turbarunt: & re infectâ domos quisque suas rediêrunt.

CONONIS CRIMEN, ET INTERITUS.

TIRIBAZUS verò, præbitâ clàm Lacedæmonijs pecuniâ, quâ rem navalem instaurarent; & Athenienseis eorumque socios ad pacem, vel invitos, inducerent: CONONEM, tamquam regi iniurium, & acerrimum Lacedæmoniorum obtrectatorem, in vincula coniecit. (Prob. Quod patriæ potiùs opes augeri, quàm regis maluisset. Et clàm operam daret, ut Ioniam & Æolidem Atheniensibus restitueret (CONONEM certè à TYRIBAZO Sardeis revocatum, ceu mittere vellet magnâ de re ad regem; in vinculis aliquamdiu fuisse. Inde Babylonem ad regem abductum ibi perijsse. Dion verò scribit, effugisse, Tyribazo sciente, an imprudente, incertū.)

NOVUM LACEDÆMON. CUM PERSIS BELLUM.

Lacedæmonij, audito STRUTHAN, sibi infestum, & Atheniensibus amicum, à rege submissum, qui absente TIRIBAZO rem & provinciam maritimam curaret; THIMBRONEM cum classe adversùs illum misêre. Qui primò quidem ex Ephesο & Priene, regios in fineis ingressus, omnia vastando agebat ac ferebat: sed magnâ deinde à Persis equitibus adfectus clade, & occisus est; copiæque sub inconsiderato duce dispalatæ.

3561. 12. Art. —————— 389.

Diphrides in eius locum suffectus, & collectis militum reliquijs bellum persequi iussus est. Misso præterea cum navibus Ecdico, qui Rhodiorum exsulum, quos populus urbe eiecerat, factionem adiuvaret.

Sed ille Rhodiæ plebis terrâ marique potentiâ absterritus, in Gnido conquievit. donec Televtias ei, cum XII. navibus, quas in Lechæo habuerat sinu, subrogatus, & Rhodum profectus, Philocratem Ephialti; qui ab Athenis in Cyprum, X. cum triremibus, in Evagoræ Cyprij auxilium, properabat, obvium, cum navibus vectoribusque intercepit. Et divenditâ in Cnido prædâ, Rhodum renavigans, suæ factionis consortibus gnaviter opem tulit.

Hic observatione dignum. Vtrumque populum maximè sibi tunc ipsos contraria fecisse. Athenienses quidem, contra regem sibi amicissimum, Evagoræ rebelli auxilia misérunt:

Televtias veró Lacon, quamvis Lacedæmonijs cum rege bellum intercederet, hosteis tamen illus pugnâ navali adortus est, & superavit.

THRASYBVLI ATHENIENSIS EXITVS.

Hoc rerum statu submissus ab Atheniensibus, XL. cum navibus, Thrasybvlvs, quod Lacedæmoniorum opes, & socios, circa Rhodum pollére perspiceret; cursum in Hellespontum deflexit. Et reconciliatis inter se Amadoco, Odrysiorum; & Sevthe, maritimæ in Thraciâ oræ, regibus, sibi etiam, & Atheniensi populo, civitatum ibidem Græcarum amicitiam studiaque conciliavit. Et mutato, è paucis, in popularem, Byzantiæ reip. statu; & Chalcedonijs in fidem receptis; & decimâ in merceis Ponticas impositâ; in Lesbum, ubi sola, inter urbeis, Mytilene ab Atheniensibus stabat, navigans, & Mitylenæorum optimateis exsulesque cum exiguis, quas habebat, copijs consocians, ad Methymnam contendit.

Vnde Therimachvs Lacon, factâ, cum navalibus turmis; alijsque adversæ factionis exsulibus, eruptione; & pugnâ acriter commissâ, occubuit. & reliqui, multis desideratis, in fugam versi sunt.

Thrasybvlvs cæteras Insulæ adgressus urbeis, vel in potestatem suam redegit; vel depopulandis rebellium agris tantum prædæ coëgit, ut ex eâ militi stipendium exsolveret.

Et informatâ iam animo in Rhodum expeditione, dum civitates non exiguâ argenti portione emungit, quò copiosiorem contrahat exercitum, &, in cæteris, Aspendios, qui pecuniam contulerant, militaribus tamen rapinis divexari patitur; ab ijs de nocte in tabernaculo obtruncatus est.

Hic exitus Thrasybvli, viri insignis & probi, & de patriâ bene-merentissimi.

ANAXIBII LACEDÆM. RES AD HELLESPONT. GESTÆ.

3562. 13. Art. —————— 388.

Lacedæmonij rerum in Hellesponto gestarum, & portorij decumani, in Byzantio, super mercibus constituti, nuntio turbati; Anaxibivm volentem, Dercyllidæ, licet inculpato, substituunt. Qui in Asiam navigans, cum nonnullas Æolidis urbeis ex Pharnabazo intercepit; & ex Abydo hosticum undequáque incursavit; tum navibus auctus, Athenienseis, & socios, continuis excursionibus infestavit. Athenienses verò, ne Hellespontij deserti à se abalienarentur, veriti; Iphicratem, præsidij Corinthij nuper præfectum; & ab Argivis, Corinthi iam potentibus, & Chabrya suffecto, domum ad suos remissum; in eam provinciam amandant.

Is in Cherronesum adpulsus, post levia inter se certamina, cognito tandem Anaxibivm, cum milite pænè omni, & CC. Abydenis, Antandrum petijsse, & amicè ab opidanis acceptum. quòd haud temerè suspicaretur illum, relicto eâ in urbe præsidio, Abydenos comites rursus domum adducturum, transgressus de nocte in desertis Abydi montibus consedit; remissis, quæ ipsum transvexerant, triremibus; & sparso suæ, ad colligendam de more pecuniam, ulteriùs profectionis rumore. Neque opinio eum fefellit.

Anaxibivs namque, qui Iphicratem in Proconnesum cum navibus abijsse; & facilem sibi per pacata, ad sociam urbem transitum fore, existimaret: atque idcirco dissolutiùs iter ageret; in insidias præcipitavit.

Et ipse hosti facilè, sive impunè, resisti tum posse diffisus, & mori certus; suos omneis à manu conserendâ abstinere; & tutò abire, ac patriæ se servare, iussit. Atque arrepto, armigeri scuto, egregiè pugnans, nec inultus, cecidit. Cecidére cum illo XII. circiter Harmostæ, ex civitatibus undique consecuti; & milites CC. cum L. Abydenis.

Iphicrates victorem exercitum in Cherronesum reduxit.

DIONYSIVS TYRANNVS, ET RES IN SICILIA GESTÆ.

Sub ea tempora omnis pænè Sicilia, præimpotenti Dionysii tyrannide, & dominandi lubidine, assiduis aut inter se, aut cum hoste externo, bellis deflagrabat.

Res in eâ provinciâ, diversis quidem annis gestas, sub unum conspectum, quo cunctior historiæ sit series, hîc damus.

Rhegini Chalcidensium, in Italiâ citeriore, coloni, qui Tyranni incrementa suspecta haberent; & Naxios Catanensesque, cognatos suos, & alias Græci nominis civitates, indignâ premi servitute indolerent; necnon tutum Syracusanis, alijsque è Siciliâ exsulibus, asylum aperirent; classem copiasque ingenteis in expeditionem emittunt. Sed à Messenijs, quos in societatem pertraxerant, secumque cum armis eduxerant, destituti; & viribus hinc, cœptisque diffisi; domum ex Insulâ repedârunt.

Missis tamen ab utraque urbe legatis, & pace cum ijs factâ; Dionysius, ad bellum Carthaginiensibus, Græcæ genti præ se, ut putabat, minùs gratiosis, in ipsâ Insulâ facessendum, consilia animumque convertit. Itaque fini Syracusas, mirandum in modum, vastissimis murorum vallorumque molibus, & creberrimis propugnaculis communivit. & novo armorum, tormentorumque genere, instruxit. & delectu undequaque habito, magnisque stipendijs, immensas copias contraxit. Quoque artiùs populareis animos sibi conciliaret; Ipse à pristinâ illâ sævitie desistere: Messenios agri finitimi parte donare: à Rheginis, licet frustrà; & à Locris sibi coniugium ambire: Syracusanos partim concionibus, partim permissâ bonorum Punicorum, ex opidis & portubus, diripiendi impunitate, pellectos, huic bello inauctorare.

Et idem licentiæ exemplum mòx cæteri Siculi certatim secuti, invisam sibi Afrorum barbariem è finibus suis exturbatam cupere; & quamcumque fortuna viam dederit, excusso etiam Tyranni ipsius iugo, ad libertatem pristinam adspirare.

Atque his ita comparatis, Dionysius, misso Carthaginem feciali, & nomine *Sen. p. q. Syracusij*, bellum Poenis indicit; ni Græcis in Siciliâ urbibus cedant, & libertatem restituant.

Poeni longinquâ domi pestilitate exhausti, & ab omnibus rebus ad bellum necessarijs imparati, initio quidem perturbantur; deinde peregrinum ex Europâ, & aliunde exercitum conscribunt.

Dionysius è Syracusis agmen educens, adscitis in partem Camarinæis, Gelois & Acragantinis; deinde Himerensibus & Selinuntijs, cum omnibus copijs, quæ erant ad octogies mille pedium, & plus III. equitum millibus: cum navibus longis CC. præter D. navigia oneraria, machinis & inusitato tormentorum adparatu instructa; ad Motyam, perpetuâ adversus Poenos fide spectatam urbem, proximè accessit.

Et licet Erycini præ subito stupore ad Tyrannum defecissent; Motyæi, spe adfuturi mòx à Carthaginiensibus auxilij freti, ad propugnandum se comparant. quamquam solæ V. ex reliquis Siciliæ urbibus, Angyræ, Solûs. Ægesta, Panhormus & Entella, in officio fideque Carthaginiensium persisterent. earumque agros immani populatione Dionysius, & impunè propemodum, evastaret.

Himilco, intereà dux à Poenis delectus, & cum navibus proximè Motyam adpulsus; & subito hostibus terrore incusso, tantum-non magnâ classis hostilis parte potitus; Syracusanorum tandem virtute, & catapultis, novo & violentissimo telo, repulsus est; & in Libyam renavigare coactus.

Dionysius verò intereà aggeres ducit, opera & tormenta in pluteis disponit, turreis multis contabulationibus in altum educit.

Opidani contrà nihil terreri; & in ipsa desperatione unam spem salutis habere, sive potiùs efferari: & suprà quàm credi possit, aut vires humanæ ferant, summâ ope adversus irrumpenteis obniti, & saxa telaque è domorum fastigijs in ingressos devolvere. Hostem, cui turres, tectis æquatæ, scalarum vicem, erant; per ostia & fenestras, extremâ audaciâ & furore, ex obliquo petere, & humi præcipitare. donec per aggerem, arietibus perruptum, universa vis exercitûs, magno agmine irrumperet, & se intra urbem effunderet.

Ibi immani occidione grassati; & pristinas Poenorum in se iniurias ulcisci cupidi, nulli sexui aut ætati pepercêre. præter, qui ad templa, ex præconio, confugerant; quique sub hastâ, urbe in prædam militi permissâ, veniêrunt.

ALTERA POENORVM IN SICILIAM EXPEDITIO.

Carthaginienses, ut & socias adhuc civitates confirmarent; & Dionysii audaciam compescerent; Himilconem, regemlege creatum, cum ingenti militum manu, & instructissimâ classe, iterum in Siciliam amandârunt.

Cui iam adventanti occurrere cum triremibus rostratis, iussus Leptines, Siculæ classis prætor; ex Punicâ classe L. naveis, cum quinquies mille militibus, & CC. curribus, depressit.

Dumque Dionysius, captâ Motyâ, ad urbis Ægestanorum (à quibus incredibile, coniecto in tabernacula igne, damnum acceperat) obsidionem hæret; Poeni Panhormum adpulsi, & navibus proximè semper adnavigantibus, in terram exposi ti; in hostem rectà contendunt.

Hic Himilco, Erice per proditionem obiter capto, Motyam oppugnando recepit.

Et Dionysio, se in tuta, cum Sicanis recipiente; Alycæi, quos ille sibi paullo ante societate devinxerat; ad victorem, renovato federe, defecêrunt.

Idem, initâ simul cum Himeræis & Cephaloedijs amicitiâ, Liparæ potitus, copias Messanam versus ducit, & ad Pelorídem castra ponit.

Messanenses, iam trepidi & tumultuantes, alij, quod urbem, nec muris firmam, nec præsidijs, ablen-

absente in castris equitatu, murum eam, defendi posse diffiderent; carissima quæque in vicina opida devehebant. At oraculo suo, (quo Carthaginienseis, in urbe suâ, lixas, sive baiulos aquarios, fore aliquando, fuerat celebratum) cum lectissimâ, è suis, fortissimorum manu, ad Peloridem properant, hostem ab agrorum vastatione repulsuri.

HIMILCO, perspectâ Messanensium temeritate, cc. naveis bene instructas, ad urbem, defensoribus vacuam, navigare iubet. Quæ tantâ celeritate sunt usæ; ut quantumvis Messanenses, iam periculi urbi imminentis conscij, præcipiti festinatione, ad patriæ subsidium recurrerent; Poeni, & urbem armis circumsederint; & milite mox per collapsa mœnia irrumpente, non sine horribili incolarum strage, eâdem sint potiti.

Quam solo æquatam, tantâ tectorum ruinâ, iniectis etiam flammis, oppresserunt; ut vix urbis pristinæ vestigia apparerent.

Eo facto & tam diro exemplo territi Siculi, iam diu à DIONYSIO alieniores, omnes, præter Assarinos, ad Poenum, prætextis olivæ ramis obvij, descivére.

DIONYSIVS nihilo-minus, contracto undique exercitu; & arcibus, quà hostis cumque ad Syracusas transiturus esset, præsidio firmatis; ad Taurum promontorium castra posuerat.

Et HIMILCO, iusso MAGONE, classis suæ præfecto, cum nauticis copijs, ad alterum Taurum, (quem locum Siculi, quibus ager Naxiorum à DIONYSIO fuerat attributus, tunc insidebant) navigare; magnis itineribus, cum peditatu, eodem pervenerat.

Sed itineribus, ob latissimè effusa, per eos dies montis Ætnæi incendia; ad mare interruptis; necessarium fuit HIMILCONI, lævum Ætnæ collem longo circuitu cum suis transmittere. quùm MAGONI, ut ad Catanam mari navigaret, ibique se opperiretur, negotium dedisset.

DIONYSIVS verò, cui hostium consilia essent explorata; & sciret uni gravem tardamque ad Catanam navigationem; alteri & peditibus eius, impeditum asperumque terrâ iter fore. nihil cunctatus ad Catanam contendit. Et acie pedestris exercitûs ad litus instructâ, LEPTINEN pugnam navalem, cum MAGONE iam propinquo, inire iubet.

Et hic quidem, licet initiò rem præclarè gereret; mox tamen circumventus à Poenis, & in fugam actus, multis vel cæsis, vel demersis (Diodor. ad xx. & amplius, millia.) centum pænè naveis amisit.

DIONYSIVS verò ipse, cum HIMILCONE, quantumvis fessum ille longinquo itinere militem adduxisset, confligere non ausus; Syracusas iter convertit. & auxilia ab Italis, & a Græcis, partim supplex implorat; partim stipendio conducit.

Ita ille heri, totius Siciliæ potens, hodie unius urbis angustijs abditus latet, & ultima metuit.

HIMILCO navibus, prædâ hostium exornatis, in magnum Syracusarum portum adpulsus, incredibilem terrorem urbi incussit: quæ & ingentibus peditum copijs simul, & undique à terrâ cinctam se stuperet. Nedum, cum HIMILCONE qui primùm, promotis antè mœnia copijs, ordinides aciemque instruebat; deinde portus, cc. robustissimis navibus pernavigabat; atque hostem ad pugnam terrâ marique provocabat; manus conserere præsideret.

Donec victori, æquo insolentiori, non satis esse visum est, vicina quæque urbis, arborum excidio, ædificiorum ruinâ, & omni fœdissimæ depopulationis genere, deformare; nisi occupatis iam Achradinæ suburbijs, Deorum, & in ijs Proserpinæ, templa spoliâsset.

Ex illo, eius res in peius ruere: & DIONYSIO audacia cum spe crescere. sic ut & crebris lacesseret Poenos, ex urbe excursionibus; & adsuefactis velitari pugnâ militibus, gradum conferret, & ex congressu superior rediret.

HIMILCO obsidionem tantæ urbis diuturnam fore ratus, stationes & castra muro obducit: & in castella, mari proxima, immensam vini frumentique copiam undique congerit.

Syracusani verò, quamvis DIONYSIVS rerum suarum satageret; & nova ab Italiâ ac Peloponneso auxilia accepisset, urbemque rebus ut omnem eventum necessarijs muniret; elati subitâ victoriâ, quâ navem frumentariam ex hoste interceperant: Et eidem ulcisci iniuriam, cum xl. navibus, paranti, ultrò & per se occurrerant; pugnâque conserta, prætoriam, cum xx. alijs, vi ceperant; quatuorque depresserant: & fugienteis ad stationem usque insectati, ad certamen, cum insultatione, invitare ausi fuerant. Iam magnum quid spirare, & ignaviam DIONYSIO exprobrare. Iam manibus telo armatis, se certissimam, non modò belli Punici, sed dissolvendæ etiam tyrannidis, & libertatis vindicandæ, occasionem tenere. aliosque sermones, concitandæ seditionis, in vulgum iactare. & publicis concionibus Tyrannum, eiusque facinora, ut contumeliosè, ita acerbissime, proscindere.

Sed postquam PHARACYDES Lacedæmonius, sociæ classis, quæ recens advenerat, dux, qui tyranno familiariter uteretur; quemque Syracusani propitium sibi libertatis vindicem sperabant; pro suggestu palam dixisset: *Se à Lacedæmonijs in belli societatem, & ad opem ferendam, Syracusanis & Dionysio, adversus Poenos, missum esse; non autem ad evertendum imperio Dionysium,* & eo dicto, mercenarij ad DIONYSIVM tuendum concurrerent:

Syracusani perculsi, non sine degeneris, in Lacedæmonio duce, dissimulationis detestatione, quietem egére. Ex quibus Tyrannus alios muneribus, alios epulis delinitos, sibi rursus artiusque obstringere contendit.

Carthaginienses palustri Sub-urbani, ad fanum Cereris, loco castrametati; & panicis anteà per stationes de nocte terroribus exagitati. Et nunc torrida æstivæ auræ tempestate, sive pestilentis sideris vi, malè adfecti; promiscuâ de-repente cadaverum suorum strage loca circum omnia longè latéque complevérunt.

Quâ rei bene gerendæ occasione utendum sibi ratus DIONYSIVS, terrâ marique hostem invadi

Castra & præsidia, pæne vacua, expugnant; & ancipiti periculo attonitos undique exagitant. Igne etiam in naves reliquas iniecto, al. de cœlo delapso, qui vento ferente alebatur.

Eâque necessitate coacti Poeni duces, clam socijs, & Syracusanis, ad DIONYSIVM legatos mittunt; & CD. talentis, quæ in arcem HIMILCO advehenda curárat, incolumem sibi, solis, in Libyam reditum redemérunt.

Siculi, fidi eorumdem auxiliares & socij, ut Tyranni, & Syracusanorum manus evaderent; fugâ per mediterranea institutâ, in patriam plerique se suam subtraxérunt.

Iberos, iam federatos, mercenarijs suis DIONYSIVS adcensuit. & reliquæ barbarorum multitudinis, quam vivam ceperat, arma & impedimenta, militibus in prædam concessit.

Sic Poeni totâ penè Siciliâ, præter Syracusas, paullo-antè potentes; brevi temporis momento, de eiusdem possessione non modo sunt ejecti, sed vix paucis in patriam liberè redire permissi.

Et qui vetusta passim in agro Syracusano sepulcra suffoderant, ipsi centena & quinquagena ejus, quas pestis & belli casus coacervárat, insepultorum millia, oculis coram intueri cogebantur.

Qui flammis ultro citroque villas & agros Siciliæ fuerant depopulati, & spolia superbè in portu ostentárant, ac veluti tropæa defixerant; classem ibidem suam deflagrare vidérunt, & nocturnâ fugâ dilapsi socios in triumphi ludibrium deseruérunt, an prodidérunt!

Hæc ubi Carthagini sunt nuntiata, civitas omnis ululatibus & lamentis, non secus ac si ipsa capta esset, personabat. Et flebiles orborum, vel filijs, vel parentibus, civium, querelæ passim exaudiebantur.

Ipse Imperator, qui laceras copiarum reliquias domum ceu precariò reduxerat, è navi suâ inops procedens, & sordidâ servilique tunicâ discinctus, manibus ad cœlum protensis, nunc sortem suam, nunc publicam fortunam deflere.

Et quantumlibet tot scelerum, & sacrilegæ impietatis sibi conscius; Deos incusare: qui tot victoriarum decora, quæ ipsi dederant, brevi temporis puncto intervertissent. Exercitum victorem, non bello, sed peste delevissent. Se non ad vitæ iucunditatem; sed ad æternum calamitatis ludibrium reservâssent.

Tali vociferatione per urbem ingressus, ut ad limina domus suæ venit; ne impari, cum suis commilitonibus, conditione superesset; obseratis foribus, & nemine ad se admisso, mortem sibi conscivit. *Ingentem violatæ religionis formidinem suis in posterum civibus relinquens.*

DOMESTICÆ POENORVM CLADES.

Sed illi alijs mox accumulati infortunijs, & clade per Libyam divulgatâ, ab ipsis subiectis, (qui occupat[illegible] Tunete [illegible] exercitu ad CC hominum M. ex liberis & servis [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]ararant, & in [illegible] n aud [illegible] [illegible]debant [illegible] propinquo sunt [illegible] [illegible]ugnati. [illegible] nec, ex more veteri [illegible] nitæ indi[illegible]; & supplica[illegible]res, placandæ scilicet Numinum [illegible]æ, a[illegible] [illegible]. [illegible] Cereri ac Proserpinæ, inter [illegible] trios Deos aliund[illegible] tam receptis, sacra Græco ritu peracta; templaque constituta, animos eorum religionis metu exsolvisse visa sunt. Et ad iniuriam clientum, à se suisque mœnibus propulsandam, eosdem animárunt.

Quum namque perduelles, convenæ essent, neque du[illegible] opportunos haberent; & iam-nunc commeatûs penuriâ laborarent; partim pecuniâ publicâ corrupti, communis spes destituebant [illegible] partim cæptis diffisi, in suam quisque regionem, va[illegible] re[illegible]pulsique sunt dilapsi.

DIONYSIVS, ut tum merc[illegible]tiorum, qui ob captum ducem suum ARISTOTELEM [illegible]tuabantur, & stipendia acerbiùs exigebant, molest[illegible] men[illegible] que se liberaret, tum Siciliæ, longinqu[illegible] b[illegible] [illegible]um calamitate vastatæ, solitudini, prospiceret; mercenarijs quidem, decies mille, Leontinorum u[illegible] atque agrum in stipendium concessit. Qui regionis amœnitate capti, sorte inter se ductâ, sedes illic collocárunt.

Mille verò Locros, & IV. Methymnæorum, è Lesbo millia: & DC. è Peloponneso Messenios, aliosque è Zacyntho & Naupacto profugos, Messanam, ad incolendum, transduxit.

Sed ex ijs Messenios, quos in illustri urbe collocari, perpetui eorū hostes, Lacedæmonij, molestè ferrent, oppido ad mare quodam, in finibus Abacænis, donavit, quod illi Tyndaridem nominarunt & aucto civium numero, federeque cum vicinis principibus inito, aliquot deinceps municipiorum accessione amplificárunt.

Reliqui, in suam quisque patriam, unde à Poenis exacti, vel in servitutem redacti fuerant; seu postliminiò, se ipsi restituerunt.

Rhegini, qui Messanam adversus se muniri ægrè ferrent; cum adversarios DIONYSII, & in exilium pulsos, urbe suâ suscepére; tum Naxiorum & Catanensium reliquijs, Mylas, in coloniam transductis, ELORIM ducem cum exercitu ad obsidendam Messanam emisére.

Sed Messanenses, cum mercenarijs, ELORE ingenti pugnâ (ad D. M. interfecti traduntur) profligato; Mylas etiam, Naxijs ex convento dimissis, recepérunt.

BELLVM CVM RHEGINIS.

DIONYSIVS iam de bello Rheginis inferendo cogitans; & à Siculis, quos Tauromínium condidisse & insedisse diximus, interpellatus; dum arce in collibus captâ, in urbem pervadere nititur, eiectus ac fugiens, & vitæ periculum adijt, & magnam exercitu suo cladem accepit.

Et mox, desertâ Tyranni societate, Agrigentini & Messanenses ipsi ad publicæ libertatis vindices se transtulére.

MAGO, qui Carthaginiensium dux in Siciliâ hæserat; &

ra ; & multarum civitatum studia insigni benivolentia complexus, au[illegible] iam inde copijs, & Messenam te vastatâ, ad A[illegible] castra erat metatus; à D[illegible], qui cu[illegible] exc[illegible] de-improviso superveniebat, non sine clade repulsus est.

[illegible] c. cum triremibus, clam in Italiam [illegible], Rheginos de-inexpectato, & nocte, portus [illegible] moenensis, & scalis ad muros admotis, tantum-non oppressit.

Eaque spe, ob repentinum Eloridis ducis adventum, frustratus, & agrum late populatus, induciis in annum factis, decessit. Et edita palam cupiditatis suæ, quâ regni fineis ulterius protendere moliebatur, significatione; Græcis omnibus, qui Italiam eâ tempestate tenebant, adversum se conspirandi, & belli gravissimi, occasionem præbuit.

DE MACEDONVM REGIBVS.

Vt ad res Macedoniæ, quæ principatum mox obtinuerunt, & novam historiç Chronologiæque, secundùm Persas, materiam suppeditabunt; delabamur. cuius de regni initijs diximus supr. ad ann. 51. Amasiæ, Iudæorum regis; qui erat III. M. CXLIV. ab O. C. & ante Nat. Christ. DCCCVII. & alibi.

Quod quidem regnum, paullo-pôst, ab eversâ Assyriorum Monarchiâ, exortum fuisse collegimus. Cuius I. rex fuerit Caranus (quod nomen, Κύριον sive Κοίρανον sonat) qui annis 28. regnârit; & Herculem, suæ stirpis auctorem, tritavum prætulerit.

II. Coenus, ann. 12.
III. Tyrimmas, 38. an.
IV. Perdiccas [illegible]ROPS, 25. ann.
V. Alcetas, 29. an.
VI. Amyntas, 50. an.
VII. Alexander, 43.
Perdiccas F. 31. annis

Continenter (sed exiguis finibus) regnârint.

Multorum tamen iudicio, anni regnantium valde sunt incerti. licet Diodor. omneis universè reges CD. annis concludat.

Alij, ab eo, quem dixi Carano, (& Amasiæ Iudæi anno) usque ad Alexandr. Magn. sub XXIII. regum annis CDLXXXVI. regnatum velint. usque ad ann. ab O. C. III. M. DC. XIX.

Vt aliqua itaque ratio temporum & historiæ, à Carano ad Alexandrum Magn. colligatur; sic probabiliter recenseamus.

Alexandro, Amyntę F. (de quo multa in Dario Hystaspidâ, & Xerxe I. dicta.) Athenæus ex Theopompo, (lib. 5. cap. 53.) Perdiccam F. & successorem attribuit. qui annis, quot dixi, 31. regnârit.

Huic Archelaum F. successisse, & 24. regnâsse annos.

Post quos deinde Orestes, 3. Archelaus, alter, 4. Pausanias, I. (quem annum dat Euseb. alteri Amyntę) Amyntas alter, 6.

Argeus, I. Amyntas, alius (veriùs idem, sed restitutus) 18. Alexander, alter, I. Ptolemævs Alorites, 3. Perdiccas, alter, 5.

Philippus denique Alexandri M. pater (Olymp. cv. an. 1. regno inauguratus) 22. (Diod. 24.)

Ex ordine, annis, regnârint.

Sic emergunt, à morte Xerxis I. ad initium Philippi, anni circiter c. & paullò ampliùs.

Iustin. verò, ab eo, quem dixi Alexandro I. Amyntę F. (quem fuisse vult Europi; sive Æropi (al. Alcetæ) F. Argei (al. Philippi) Nepotem: Perdiccæ pronepot. Carani abnepot. veriùs trinepotem) aut longè ulteriore gradu, (Videtur enim confundere reges posteriores, cum prioribus, cognominis) per ordinem successionis, regnum Macedoniç, ad Amyntam, fratris eius Menelai F. pervenisse.

Et hunc ex Eurydice quidem sibi. Filios sustulisse, Alexandrum, Perdiccam, & Philippum Alex. Mag. patrem; & filiam Eurynomen. Ex Cygnea autem Archelaum, Archidevm & Menelaum.

Amyntam illum cum Illyrijs & Olynthijs gravia bella gessisse. & senem fato functum, Alexandro, ex filijs maximo, regnum tradidisse.

Quo, cum fratre Perdicca, matris Eurydices insidijs interfecto, Philippus frater, ex patruo, & sui ex fratre Perdiccâ nepotis tutore, regem se gesserit.

(Addit idem, sibi vix constans; Argeum, Perdiccæ, qui Carano successerit, F. Philippum ex se reliquisse, qui immaturâ morte raptus, Europum, parvulum admodum, heredem instituerit. Cui Amyntas, & deinde Alexander successerint.)

Diodor. autem l. 14. Archelao (Alexandri I. F. haud dubiè) quùm 7. regnaîset annos, Orestem puerum successisse. (quo tępore Thimbron, cum Græcis, Xenophontęę expeditionis commilitonibus, bellum adversus Persas gerebat.)

Et eo necato, Æropum tutorem 6. annos regni potitum.

Paullò inf. Sub idem tempus, inquit, quo, Conone Persicis opibus suffulto. Lacedæmonij maris imperium amiserunt; Æropus, Macedoniæ rex, qui ann. 6. regnârat, morbo extinctus, successorem habuit Pausaniam F. qui annum regnavit.

Quo eodem anno, Pausanias, Laconum rex, in exsilio obijt; hic quoque, cognominis, Macedonum rex, anno vix exacto, dolo ab Amyntâ occisus putatur. cui idem paricida suffectus, 24. ann. regnum tenuit.

Sub id itaque tempus, quo Chabryas, Iphicrati ab Atheniensibus subrogatus; & Corinthum, popularis ibi præsidij dux futurus, missus est; Amyntas, ille, Philippi pater, Illyrijs in Macedoniam invadentibus, regno pulsus; spe omni recipiendi imperij abiectâ, agrum finitimum Olynthijs donavit; & tum demum regno protsus excidere visus.

Verùm paullò-pôst à Thessalis sublevatus, regnum recepit, & diu tenuit.

Sunt qui tradant, Amynta pulso, Argeum, ope Atheniensiũ deductum, biennio Macedonibus imperitaisse. & deinde Amyntam in regnum restitutũ.

Hæc ex Diodor. Iustin, al[illegible] excerpt[illegible] vix concilio. Vid. in[illegible]r. ad an. XXXIIX ei[illegible]em Artaxerxis.

PRISCÆ AFRORVM IN OCCIDVAM,

QVAM DICIMVS, INDIAM, COLONIÆ.

Ad hæc tempora referri posse videtur, quod ex Aristotelis Admirandis, ab alijs adlegatur.

Carthaginienseis, in mercibus mari commutandis deditos, in Oceano, supra Herculis columnas, Insulam vastam repperisse, in quâ, præter fluvios amœnos & navigabil[illegible]; & arb[illegible]s omnis generis pulcerrimæ, & cœli temperies esset saluberrima.

Quò cum multi enavigarent; & loci amœnitate capti; & patriæ, ob assi[illegible]ua bellorum incommoda, legumque & dominationis asperitatem, pertæsi; fixis ibi sedibus, non redirent; eâ navigatione, omnibus, pœnâ capitis, in posterũ fuisse interdictum.

Designari autem Occiduas illas regiones, quæ Brasiliæ, Peruviæ, & Americæ nomine nunc celebrantur. quasque Afrorum fuisse colonias sit verisimile.

NOVA POENORVM IN DIONYSIVM

EXPEDITIO.

Carthaginienses interim viribus à clade in Siciliâ, uti diximus, acceptâ, refectis; & copijs è Libyâ Sardiniâque collectis, MAGONEM iterum in eamdem insulam transmittunt. Qui quùm magnos initiò, aliquot urbibus à DIONYSIO deficere compulsis, progressus fecisset; ab eodem, postquam AGYRIN, Agyrinæorum, validæ civitatis, principem, ab hoste frustrà tentatum, fœdere sibi coniunxisset; & in partem expeditionis adscivisset: ad eam, in summâ rerum inopiâ, necessitatem adactus est, ut pacem ultrò peteret. & re[illegible]cto Pœnis vicinorum undique locorum dominatu, DIONYSIVS in cæteros Siculos liberum imperium obtineret. eique Tauromenium, quà vi, quà gratiâ, occupare liceret.

Quod quidem opidum postquam ille occupásset; & Siculos incolas in exsilium expulisset; mercenarijs, sibi fidissimis, habitandum, tradidit.

DIONYSIVS IN RHEGINOS MOVET.

Et paullo-pòst, quùm totius pænè Insulæ imperio non contentus, & regni ulteriùs proferendi cupidus, omneis, qui Græci nominis Italiam possiderent, hosteis sibi destinásset, & cepisset; Rheginos, quorum urbs quoddam veluti Italiæ propugnaculum esset; omnium primùm sibi esse tentandos existimavit.

Et exercitu (in quo xx. peditum M. equites mille, & naves cxx.) in Locridis fineis transmisso; ipse è continente Rheginorum regionem ferro flammâque vastare; & classis eius, ex adversâ parte, mari cæpit incumbere.

Itali c[illegible] x. naveis è Crotone su[illegible] Rheginis conte[illegible] submisere. I[illegible] qu[illegible] D[illegible] invectus, & vect[illegible]res in [illegible] se [illegible], n[illegible] modò à Rheginis [illegible] d[illegible], ne nav[illegible] vectores [illegible] aperet; [illegible] rep[illegible] est. [illegible]ed ex[illegible] cuam v[illegible] orum t[illegible] p[illegible] ate, & pugnâ [illegible] è com[illegible], unà cum VII [illegible] navi[illegible], [illegible]ros non pauci[illegible] MD. [illegible] c[illegible] spectu Rheg[illegible] amisit. Et al[illegible]js dein incommodi[illegible] [illegible] iam instante, pacto cum Lucanis fœdere, exercitum Syracusas reduxit.

Dum ijdem autem Lucani in agrum Thuriorum populabundi excurrerent Et hi, non ex[illegible] [illegible] fœderatorum inter se Græcorum auxi[illegible]js; [illegible] bus de-composito illis, in Lucaniam, imped[illegible] itineribus, locisque, audacius se penetrarent; [illegible]rem cladem circumventi accepissent; nisi a LEPTINE, DIONYSII fratre, qui illàc cum classe Lucanis auxiliari, præternavigabat, invsitatæ benivolentiæ genere in naveis accepti, servati & redemti fuissent: Et idem, omnis litis arbiter, pacem inter Lucanos Italosque constituisset.

Quâ re Leptinj offensus DIONYSIVS, alterum fratrem, THEARIDEM, classi eius in locum suffecit.

Anno vèrò consequente (qui Capellio, Vrb. C. 365. & Artaxerx. 26.) transmissis iterum ad Cauloniam copijs, eamdem Vrbem obsidione & machinis quatere cæperat; quùm Crotoniatæ, quibus totius belli imperium, & summã rerum potestatem fœderati Græci attribuerant; duce ELORI, exsule Syracusano, cum pari pænè copiarum numero, ad dissolvendam obsidionem properárunt. Sed ELORIS, aliquantâ cum manu antecurrens, à Dionysianis, aliquousque ab urbe digressis, & in aciem procinctis, de-inopinato exceptus, & dum reliquæ è castris Græcorum copiæ accelerare iussæ essent, inter pugnandum occisus; facilem de Italo-Græcis, dissipato ordine adcurrentibus, & duce suo destitutis, victoriam DIONYSIO reliquit. Neque difficiliùs à cæterâ multitudine (qui X. M.) quæ in collem quemdam, tutum quidem, sed ab aquâ inopem, confugerat; deditio, præ siti, extorta.

Quos ille nihilo-minus, præter omnium spem, cum insolitæ humanitatis, clementiæque significatione, incolumeis & impunè dimisit. Et pace cum permultis civitatibus constitutâ, suo quamque iure uti, & patrijs legibus vivere, permisit.

Quo facto, magnam ab omnibus gratiam laudemque rettulit, aureis etiam coronis honoratus. *Facinus certè omnium eorum, quæ in vitâ gessit, honestâ memoriâ longè dignissimum.*

Cum Rheginis tamen, (adversus quos, ob negati sibi olim ex eâ civitate coniugij contumeliam; quique uxorem roganti, carnificis sui filiam, tyranno, si vellet, obtulerant invisos; iam castra movetat) ad pactionem descendentibus; constituto ccc. talentûm pretio, & navibus ad LXX. & c. obsidibus traditis, in præsentiâ transegit.

Inde Cauloniam cepit: & dedititios secum Syracusas transduxit. & eversâ urbe, agrum Locris, sibi ob nuptias nuper inde concessas, amicioribus, donavit. Idem Hipponio, in Calabris, factum.

RHEGI-

RH[illegible]NOR. OB[illegible]IO ET EX[illegible]IVM.

[illegible] a quit[illegible] novæ ex[illegible] nis occasió[illegible] [illegible] ruin [illegible] [illegible] mino vin[illegible] [illegible] Rhegin[illegible] xplendi desiderio [illegible] civitatem frumento pænè omni, in [illegible] stra quoti[illegible] ic ad[illegible] hi iusso, exhausisse vi[illegible] dem, remissis quasi ex fide obsidibus, fo[illegible] & va[illegible] propinquo circumsessam, oppugna-re [illegible]

Se[illegible] ivi[illegible]us, duce PYTHONE, impigrè resistenti-bus & [illegible] strage oppugnantium subinde eru[illegible]p[illegible]bus; lenta & laboriosa fuit o[illegible]dio.

C[illegible]iu[illegible] tædi[illegible]m solaretur DIONYSIVS, instanti-bus iam Olympijs, preter eximiæ celeritatis, ma-gnique[illegible] eni quadrigas, cantores etiam præstátissi-mos, qui eius poemata, in celeberrimo illo totius Græciæ [illegible]nventu, & Agone, modulátè recitarent, & laude[illegible] [illegible]iaque, [illegible] auctori parerent; il-luc, p[illegible]ratore tanti neg[illegible]ij fratre THEAR[illegible], amandavit.

Sed & Quadrigæ, præ aurigarum imperitiâ, pæ-nè obtritæ sunt: & poemata sibilis explosa. Et na-vis, quæ spectatores à certamine revehebat, à latro-cinio periclitata est.

Ad extremum tamen, XI. mensem Rhegini ob-sessi, & fame offuscati, urbem, & se ipsi, victoris arbitrio dedere coacti sunt.

Ex quibus ad VI. M. Syracusas transmissi, qui ta-lento se redemissent; liberi dimittebantur. qui sol-vendo non essent, sub hasta venibant. PHYTONE duce, summis cruciatibus & contumelijs adfecto, & tandem in mare, cum cognatis demerso. Faci-nus Tyranno dignum.

Hæc in Siciliâ Italiâque annis superioribus, sed incertis & pænè continentibus gesta; & hîc sub u-num conspectum data.

RES IN GRÆCIA.

3563. 14. Artax.	387.

A[illegible]hen[illegible]nses ab Æ[illegible]inâ obsidione reiecti, & pugn[illegible] n[illegible]i [illegible]n GORG[illegible]PA Lacone, apud Zo-sterem A[illegible]x, congressi; aliquot navibus; quibus EVNOM[illegible] [illegible]ræ-ra[illegible] ab eo sunt multati.

Se[illegible]d[illegible]e CHABR[illegible], qui ex institutâ in Cyprum, ut EVAGOR[illegible] o[illegible] ei[illegible] ferret, navigatione, in Ægi-nam forte descenderat; hostes in insidias pertracti, G[illegible]RG[illegible]PA[illegible]ISO, [illegible]m memorabili clade sunt adfe-cti[illegible] x eo tempore Athenienses, sine contró-versia m[illegible]s [illegible]um obtinerent.

TE[illegible]s, La[illegible]dæmoniæ classi; ETEONICO te[illegible] iteru[illegible] præf[illegible]ct[illegible]s, impetu in portum & na-valia Atheniensium facto, triremeis & onerarias naves holcadas F[illegible]n[illegible]artas, atque adeò lembos permultos, oppress[illegible]t & intercepit.

E[illegible] ANTA[illegible]CID[illegible], quem, cum rege foederatem, ope à TIRIBA[illegible] [illegible]sse diximus, & auxilia ab eo impet[illegible]c; n[illegible] A[illegible]ses, socijque regiam pacem admit[illegible]ere[illegible] [illegible]OLOCHVM, cum navibus, Abyd[illegible] ab IP[illegible] DIOTIMO obsideri; pedi-ta u[illegible] urbe [illegible], & classi Atheniensibus, eodem è Per[illegible]pe[illegible]is; THRASYBVLVM Cotali-tem, è Thraciâ, IIX. cum navibus, adventan-tem, & Atticæ classi consociari cupientem, XII. ex-peditis navibus excepit; & omneis in potestatem suam redegit.

Cui mox XX. cum Syracusanæ, tum Italicæ na-ves accessere. necnon aliæ ab Ioniâ, & Tiribazo, A-riobarzanis hospite; & tandem à PHARNABAZO re-gis genero.

Vt classis iam LXXX. navium nomero maior es-set. & Lacedæmonij maris potentes, Pontica com-mercia & portoria, ab Athenis, ad socias sibi civi-tates averterent.

Quod conspicati Athenienses, & ne iterum in tantâ hostilium navium multitudine obsiderentur, veriti, & futurorum metu perculsi; iam animos ad pacem, quam antè contemserant, inclinare cæpé-runt.

Neque Lacedæmonij ipsi, & Argivi, bellicis præ-sidiorum militumque sumtibus extenuati, à pace abhorrebant. Ita ut accepto, de Edicti regij pacis-que promulgatione, per TIRIBAZ[illegible], nuntio, o-mnes extemplò convenerint.

PAX ET EDICTVM ARTAXERXIS.

3564. 15. Artax.	386.

Hęc autem Edicti, sive regiarum litterarum, ca-pita.

„ *Vt omnes Asiæ civitates, cum Insulis, Cypro & Clazomenis, regi parerent.* „ *Reliquæ Græci nomi-nis civitates, maioris & minoris nota, liberæ iure essent, præter Imbrum, Lemnum & Scyrum, quæ vetusto mancipij nexu, iure Atheniensibus ma-nerent obnoxiæ.*

„ *Qui aliter fecisset, neque ab armis di[illegible]isset, eum rex pro hoste haberet.*

Iustin. Hæc à rege, non pro suo in Græcos stu-dio; sive ut internecivis bellorum inter ipsos odijs

consuleret; facta esse tradit, sed ne occupato sibi bello Ægyptio, (quod propter auxilia, adversus præfectos suos, Lacedæmonijs inde missa susceperat) exercitus sui in Græciâ distinerentur.

Fessæ igitur tot bellis Græcorum civitates, cupidè paruisse visæ. Et Thebani, licet initio præfractè obniterentur; metu tandem AGESILAI, qui cum exercitu contra eos tendebat, libertate Boeoticis civitatibus permissâ, pacis conditiones accepére. Et eodem terrore Argivi, è Corintho, quam diu tenuerant, excessere, eamque liberam reliquere.

Sic exercitus terrâ marique utrimque, datâ missione, dissoluti. Pace hâc, primâ à bello, quo muri Athenarum diruti, constitutâ, non sine aliquantâ Lacedæmoniorum, ceu regiæ pacis auspicum & interpretum, gloriâ.

Quantumvis alij aliter eâ de re sentiant. Lacedæmonios scilicet, tuendo maris imperio ex se impareis, Græcarum in Asiâ urbium libertatem, tot bellis partam, & toties à Persis extortam, hoc uno pacis edicto prodidisse. procurante quidem navarcho ANTALCIDA; sed qui AGESILAI & TELEVTIÆ, fratrum, gloriæ invideret, & acta rescindere cuperet. Et hoc modo, eâque fini pacis arbitros sese tulisse Lacedæmonios; ut Thebanorum Argivorumque, qui civitates aliquot duriore iugo premebant, fastum se deiecturos, potentiamque imminuturos, sperarent. Ista certè, ANTALCIDEA dicta, PAX, nova intestinarum in Græciâ iterum dissensionum sementis fuit.

ROMA A GALLIS CAPTA, ET RECEPTA.

Eodem anno (ut res quoque Romanas obiter attingamus; quarum initia, & hactenus progressus, ex uberioribus Orosianæ Historiæ Excerptis, quę subiunximus, petat, qui volet.) Quùm Galli Senones, qui ab ultimis Galliarum oris olim profecti, sorte cum tribulibus suis factâ, extremos Tyrrheniæ colleis, mari cognomini finitimos, sibi incolendos acceperant: Sive, (ut Flor.) quùm iam media vastâssent, sedes inter Alpeis & Padum posuerant; his non contenti, & per Italiam, finium producendorum caussâ, pervagati, Clusium tandem, in Etruriâ opidum, obsedissent; Romani pro socijs, missâ ex more legatione, intercedunt.

Qui contemtim à BRENNO, Gallorum rege, accepti, obsessis erumpendi auctores fiunt. Ibique FABIVS, è Legatis unus, deprehensus contra ius Gentium adversus Gallos pugnâsse, bellum aliorum in suos convertit.

Iritati namque Galli, obsidionem Clusij solvunt: & dum frustrà FABIVM ad noxam à Romanis reposcerent; rectà Romam, armis iniuriam ulturi, contendunt. (Diod. ampliùs LXX. hominum M.)

Quibus ad Alliam flumen, XI. ab Vrbe lapide, cum exercitu occurrens FABIVS Consul, funditur & fugatur. Nec mora, hostes insecuti Vrbem pænè vacuam incendunt, & solo exæquant. non sine immani Senatorum cæde, qui, devovente Pontifice, Dijs se Mánibus consecrárant: & pro foribus ædium suarum, in sellis curulibus, collocati; vitam & cervices suas hosti obiectare, ut suâ quisque in dignitate emorerentur, obstinárant.

Iuventus intereà, & pars civitatis robustior, vix mille hominum, duce MANLIO, Arcem Capitolini montis insidebant. Et Barbari, iam VII. mensibus omnia experti; & dum de nocte in muros subirent, Vigilibus clangore anserum excitatis, de summâ rupe deiecti; novissimè diuturnioris obsidionis tædio fatigati, quùm circa unum mentem tamoiu pependissent; cum Romanis, quos fame de mari posse (proiectis, ex alto, in castra panibus) desperabant, transegére; mille auri pondo recessum suum venditantes.

Sed quum per insolentiam rex BRENNVS, gladio ad iniqua pondera adiecto, superbè, *Væ victis!* increparet; M. CAMILLVS, qui Ardeæ exsulabat; & lege Curiatâ revocatus; & absens Dictator creatus fuerat; contracto ex fugientium, superiore prœlio, reliquijs, vicinâque Ardeâ, & Veijs, exercitu: subitò à tergo adgressus, Gallos adeò cecidit, ut omnia incendiorum vestigia Gallici sanguinis inundatione delevisse; patriamque penitùs liberâsse, censeretur.

(Iustin. l. 20. Gallis, tradit, caussam in Italiam veniendi, sedesque novas quærendi, intestinam domi discordiam fuisse. Et legatos Gallorum ad Dionysium, in Italiâ bellum gerentem, paullopòst Romam incensam, societatis & amicitiæ petendæ caussâ, adijsse. eorumque auxilijs auctum, bellum instaurâsse; dum adventus Carthaginiensium, duce HANNONE, in Siciliam eum revocaret.)

Dies Alliensis pugnę, licet variè, ob perplexam magistratuum per hæc tem[illegible]em, controversus; attribuitur IV. an. Ol[illegible]XIX.

A quâ pugnâ, ad spoliam[illegible]Gallis, duce BRENNO, Templum Delphicum, spatium est XCII. annor. (an. II. Olymp. CXXV.) Vt BRENNVS ille, vel nepos, vel pronepos fuisse censeatur prioris, cognominis, sub quo ad Alliam pugnatum.

EVAGORAS CYPRI REX.

3564. 16. Art. | ———————————————— | 386.

EVAGORAS, de quo iam multa memoravimus; Salaminius, vetusto genere nobilis, & ab ipsis Vrbis magnæ conditoribus, (inter quos, Teucer Telamonis) oriundus. qui antegressis annis à Persâ defecerat; & ob intestinas dissensiones Cypro fuerat expulsus, & subinde reversus, ABDEMONEM

Tyrsium

Tyrsium, civitatis Salaminis principem, & regi Persarum amicum, ejecerat; potentissimæque totâ Insulæ urbis regnum sibi vindicârat. iam-tum magna pecuniarum vi abundans, copiisque bellicis auctus, universum Cypri regnum sibi subjicere moliebatur. Quarum itaque Insulæ urbeis plerasque, partim vi, partim pollicitationibus ad se pertraxit, cætera facilè sub suam ditionem redegit. Sed Amathusij deinde, & Solij, & Cityenses, ei adversari cœpérunt; & Legatos ad ARTAXERXEM, pro auxilijs misérunt: EVAGORAM, quod AGYRI tyrannum, Persis amicum & socium, occidisset, criminati: & se nihilo-minus unâ cum illo Insulæ possessionem occupâsse, confessi.

ARTAXERXES, qui EVAGORAM maiores eâ in Insula facere progressus nollet; & simul apud se considerasset, eum esse Cypri insulæ situm, & præstantiam; ut grata potentiâ navali, Asiæ propugnaculum censeri posset: cum illos, societate sibi devinctos, à se dimisit; tum missis ad maritimas civitates, earumque præfectos & Satrapas, epistolis; ut triremeis instruant, & quàm-diligentissimè, quæ ad classem usui sint & necessaria, adparent; hortatus est.

Et HECATOMNO, Cariæ Præside, exercitum adversus EVAGORAM ducere iusso; ipse ad supernatis regni provincias commeatus, magnis inde cohortis copijs, in Cyprum tandem trajecit.

Pedestris eius exercitus, unà cum equitatu, tercenties mille numerum explebat; & Classis, triremeis plus CCC. Huic TERIBAZUM; illis ORONTEM præfecit.

EVAGORAS autem, qui non modò Cypro, sed Tyro etiam aliisque in Phœnicia urbibus tum dominabatur, cum ACORIDE, Ægypti rege, Persis æquè infenso, fœdera pactus; magnas ab eo copias, præter pecuniam, frumentum & naveis, accepit.

Atque adeò, ab ipso HECATOMNO, Cariæ præside, & à quodam barbarorum rege, quæ clam & apertè, adiutus, magnisque subsidijs instructus; in prœlium, terrâ marique, cum hoste descendere iam audebat.

Sed prœlio navali, ad Cityum, GAŌ, Tamî F. Persarum Navarcho, rem strenuè gerente, ad extremum victus; & Salamine obsessus, ita oppugnatus est; ut urbe, & summâ rei Cypriæ, filio suo, PYTHAGORÆ, concreditâ, in Ægyptum se conferres & regem iterum in communem hostem concitare, novaque auxilia postulare, sit coactus.

LACEDÆMONII TVRBANT GRÆCIAM.

3565. 17. Artax.		385.

Lacedæmonij, qui pacis publicæ, Antalcideæ, ante biennium, & restitutæ omnibus libertatis, auctores, haberi se volebant; licet remotis passim præsidijs, præter Harmostas) reliquæ urbes, acceptâ communibus suffragijs liberè vivendi potestate, conquiescerent; nihilo-minus, partim pristinâ dominandi cupiditate Græciæ principatum adhuc retinebant, rebusque novis studebant: partim ne hostes ipsorum in posterum tam facilè à se deficerent, cavere & prospicere contendebant. Et sparsis per civitates discordiarum seminibus, eorum omnium, qui à plebe, ob veterem cum Laconico imperio inimicitias è civitatibus eiecti essent; quique iniurias suas ulcisci parati essent; patrocinium arripuerunt.

Primis itaque Mantineis, quùm muros æquare & diruere iussi; & urbem in Pagos, ut olim, diffindere; Oligarchiamque restituere, iussi, non parerent; & tricennalia induciarum fœdera, quæ post bellum Mantinæum fecerant, eodem anno exirent; dissuadente quidem AGESILAO, duce verò AGESIPOLIDE, bellum apertè indixérunt.

Quod quidem ipsi licet deserti ab Atheniensibus, & obsessi, magnis animis & diu sustinuérunt; donec flumine hibernis imbribus aucto, & in urbem, quam illud interfecat, derivato, loca omnia stagnarent: & labefactatis murorum passim fundamentis, & mœnibus ædibusque ruinam minitantibus, coacti se dederent.

Qui non aliâ tamen conditione in fidem sunt accepti; quàm ut relictâ & eversâ urbe, per vicos, more antiquo, habitarent.

Cuiusmodi, & adeò iniquis, postulatis Thebani, non Laconum amore, sed Mantinensium odio annuérunt. Et Mantinæi, tali reip. administrationi paullatim sub optimatibus adsuefacti, Lacedæmonijs multò, quàm anteà, promptius paruérunt.

Quin & Phliasij, ut suos pati in causâ exsules reciperent, à victoribus interpellati; partim impendentis belli metu, partim intestinæ seditionis periculo; decretum de ijs reducendis fecére.

RES ITERVM IN CYPRO.

3566. 18. Artax.		384.

EVAGORAS autem ex Ægypto reversus, & à pecuniâ socijsque destitutus, (quod ACORIS rex, sibi iam metuens, parca auxilia subministraret) de obsidione, quâ artè premi Salaminem videbat, solvendâ, legatos ad TERIBAZUM, penes quem summa tum erat potestas, misit. Et quùm omnibus Cypri ur-

pti urbibus cedere; & ipse, ceu unius Salaminis rex, anniversarium regi Persæ, cliens hero tributum dependere, eiusque maiestatem comiter servare, iuberetur. Et hanc postremam ille conditionem, uti regiæ stirpis viro indignam, gravaretur: ORONTES TERIBAZUM, eius gloriæ æmulus, ceu prævaricatorem apud ARTAXERXEM incusat, & vinctum in Persidem transmittit.

Et quod miles, præ TERIBAZI desiderio, & criminatoris perfidiâ, tumultuaretur, imperiumque eius aspernaretur: & EVAGORAS fortiter se tueretur. ORONTES tandem cum EVAGORA iis ipsis, & laxioribus, quàm TERIBAZUS tulisset, legibus, transegit. servata tantùm regis, erga maioris regis imperium, dignitate.

Et hic finis Cyprij belli, pænè decennalis. sed quod biennio tantùm continente pugnatum. Fertur ARTAXERXES eo æquiore animo pacem EVAGORÆ largitus esse, quod longinquo cum Cadusijs bello esset implicitus.

GAOS verò, strenuus Persicæ classis præfectus, ne tanquam TERIBAZI, soceri sui, consiliorum particeps traduceretur, & ad supplicium falso etiam crimine postularetur; ad ACORIM Ægyptiorum regem, federe adversus Persam inito, defecit.

Et Lacedæmonij, proditę per Edictum postremi federis, Asiaticarum civitatum libertatis, pœnitentes, & novi belli occasionem aucupantes; non illubenter, cum eodem GAÖ, multa pollicente, societatem confirmárunt.

ARTAXERXES è bello, quod adversus Cadusios gesserat, regressus, re per iudices exquisitâ, TERIBAZUM insontem pristinę dignitati restituit; & ORONTEM mendacij calumniæque convictum, extremâ ignominiâ adfecit.

DIONYSII IN ILLYRICO CONATUS.

DIONYSIUS, qui maiora semper animo agitaret, & tutam sibi in Epirum navigationem instruere, & Delphicum fanum aliquando diripere constituisset; de opidis in Hadriatici maris litore condendis cogitavit. Et præter Lissam, in Illyricis, portu capaci & maximo muro à se cinctam; Parijs etiam, Pharum exstruentibus, socium operis se addidit, & adversus barbaros defensorem præbuit.

Et Illyriorum, iam sibi federatorum, operâ usus, ALCETAM domi suæ exsulem, in regnum Molossorum reduxit. Sed Molossi, à Lacedæmonijs adiuti, barbarorum ferociam magnâ ex parte compescuérunt.

Idem DIONYSIUS susceptâ in Tyrrheniam, specie exterminandæ è mari prædonum licentiæ, expeditione, sacrum & ditissimum Agyllę templum, cæsis loci custodibus, diripuit. Ex cuius prędę pecuniâ ingentem militum vim conflavit, & ad bellum Carthaginiensibus faciendum se accinxit.

POENI CUM DION. BELLIGERANTUR.

Qui quùm urbeis, quæ ad eum à se defecerant, frustrà repeterent; MAGONEM regem, cum magnâ militum manu, in Siciliam Italiamque, duabus simul ex partibus Tyranno negotium facessituri, transmittunt.

Ipse verò, bipertito etiam exercitu, se adversus Italos Poenosque tuebatur. Et prœlio ad Cabala commisso, in quo & MAGO cecidit, pręclaram de Poenis victoriam reportavit. Neque cum victis pacisci aliter voluit; nisi totâ Siciliâ excederent, & belli sumtus luerent.

Illi nihilo-minus, inducijs, dum pactum sibi placere, & rem tanti momenti cum principibus suæ civitatis communicare, mentemque eorum explorare velle, simulant, impetratis. & filio MAGONIS, adhuc puero, in patris locum subrogato; corporibus iam longinquâ per inducias exercitatione induratis; & excitatis ad alacritatem animis; iterum ad Fanum Saturni prœlio congressi, hostem insigni clade, & LEPTINE cęso, profligant.

Eo tamen successu non elati, DIONYSIO ipsi omnem decidendæ inter se controversiæ, belli que dirimendi potestatem concessérunt.

Ipse, mille talentis Poeno exsolutis, ut utrique in eorum, quę antea occupárant, possessione permanerent, decrevit.

Alij pręter eas, quæ à Pœnis tenebantur, urbeis, Selinuntem etiam & Agrigentum, ipsis à DIONYSIO tunc redditas, tradidérunt.

ALTERA LACEDÆMON. AMBITIO CIRCA THEBAS.

3567. | 19. Att. | 383.

Lacedęmonij, post GAÏ, & deinde TACHI successoris, Navarchorum, obitum, (qui ab ARTAXERXE debellati, & pro meritis castigati fuisse traduntur.) spe rei bene adversus Persas gerendæ, aut progressûs in Asiâ faciendi, abiectâ; civitatibus, partim promissis, partim exsulum, quos restituendos passim curárant, proditione occupatis, palam totius Græciæ principatum, contemtis publicæ libertatis federibus, ad se transferre moliebantur. Hâc certè mente, tũ amicis suis summas in urbibus potestates, tradiderant; tum adversæ factionis principes vel interfecerant, vel in exsilium eiecerant.

Et commodùm adlatæ ad ipsos de Olynthiorum impotentiâ atque iniurijs querelæ, viam ad bella serranda muniérunt.

Illi namque, & AMYNTÆ Macedoni agrum, quem olim ijs donárat, reddere nolebant: & Apolloniatibus, Acanthijsque minas intentabant, si communem secum militiam detrectarent.

Mittitur itaque domesticis cum copijs, in Thraciam, EUDAMIDAS, quem, cũ altero, & adparatiore exercitu, frater PHOEBIDAS, esset mox cõsecuturus.

Et ille quidem sine morâ cum II. Neodamidarum & Sciritarum millib. profectus, civitates socias præsidijs munit. Potidæam, in cęteris, voluntariâ deditione, ex Olynthijs, recipit; eosq; bello lacessit.

Hic

Hic verò, collectis, qui secuturi exspectabantur, militibus, quùm Thebas, intestinis tum dissidijs laboranteis, venisset; & castra proximè urbem, ad Gymnasium, posuisset; à LEONTIADE Polemarcho, ISMENIÆ æmulo, per Cerealium sacrorum, sive Thesmophoriorum, speciem invitatus, & in arcem opidi, Cadméam, introductus est. Et Senatu rei novitate attonito, ISMENIAS à LEONTIADÆ satellitibus comprehensus, & carceri in eàdem Cadmeâ mancipatus.

3568. 20. Artax.		382.

Hinc præceps eorum, qui rei ignari, & LEONTIADÆ erant adversarij; ex urbe (ad eu. duce ANDROCLIDE (& PELOPIDA; Prob.) Athenas versus fuga.

Lacedæmonij (quos Diodor. tamen tradit, clandestinis litteris, Cadméæ, pro re natâ & obiter invadendæ, negotium præfectis suis dedisse) ægrè ferentes rem tam magnam, quæ publico decreto sibi imperata non esset, à PHOEBIDA perpetratam; ab AGESILAO & LEONTIADE persuasi, rem & reipub. suæ utilem esse, & veteribus recentibusque Thebanorum in Lacedæmonios odijs, & offensis dignam; Arcem, præsidio custodiri, & ISMENIAM iudicio se sistere coëgerunt.

Hic autem anquisitis immodici in barbaros studij, & Persici hospitij ac corruptelæ, criminibus damnatus, morte pœnas luit. PHOEBIDAM quoque, ab exercitu remotum, pecunia multârunt: sed Arcem Thebanis non reddidérunt, quòd susceptis inimicitijs satiùs ducerent eos obsideri, quàm liberari, eosque solos esse, qui adversus, aliquando, resistere auderent.

(ARISTOTELES, *Nicomachi F. Stagirita, Peripatetica Philosophia parens, circa hoc tempus Olymp. XCIX. natus proditur.*)

EXPEDITIO IN OLYNTHIOS.

3569. 21. Artax.		381.

Lacedæmonij maiore iam in bellum Olynthiacum alacritate intenti, TELEVTIAM illuc mittunt. Qui, præter domesticam manum, sociorum & Thebanorum etiam auxilijs; & AMYNTÆ Macedonum, & DERDÆ Elemiorum, regum, societate opibusque instructus, quùm ad urbem proximè accessisset; & Olynthij ex urbe, instructâ sub muris acie, egressi essent: horum equitatus multos ex Lacombus & Thebanis, POLYCHARMO præfecto in cæteris cæso, profligavit. Et peditatu etiam dextri cornu in fugam inclinato, ad extremum pænè discrimen exercitum omnem adduxerant: nisi DERDES, cum TELEVTIA, ad portas usque provecti, metum excursoribus incussissent; ne ab urbe intercluderentur: atque ita eos citatis equis ex acie regredi coëgissent.

Deinde quùm Olynthij, dimissis iam domum Lacedæmoniorum copijs; sociorum, & in primis Apolloniatium fineis infestare non desisterent; DERDAS ex Apolloniâ, cum equitatu egressus, & ad Olynthi usque muros, grassatores persecutus, ad LXXX. ex ijs equites cecidit; & hostem à terræ cultura arcuit.

3570. 22. Art.		380.

Paullo pòst quùm TELEVTIAS reversus arbores, quæ in agro Olynthiorum reliquæ erant, incideret; & in opidanos prohibere conanteis, TLEMONIDES cum clypeatis invectus, & transmisso flumine persecutus, unà cum alijs, circiter c. occubuisset. Et TELEVTIAS, rei & cladis indignitate permotus, Phalangem universam in hosteis iracundiùs eduxisset; iterato utrimque totis copijs certamine; & duce obtruncato; Lacedæmonij in fugam versi, partim Spartolen aut Acanthum; partim Apolloniam; & complures Potidæam, sunt delati.

Et hoste diversis ex partibus fugaceis insequente, flos ferè totius Laconum exercitûs eâ in fugâ est desideratus.

Lacedæmonij audito pugnæ eventu, maioribus viribus utendum rati, AGESIPOLIDI (attributis illi, à consilijs, XXX. Viris.) belli summam demandant. Is exercitu ex Macedoniâ ad Olynthum educto, & agris vastatis; & Torone vi captâ, è febri decessit. cui POLYBIADES mox suffectus.

RES APUD PHLIUNTEM.

Res intereà circa Phliuntem ab AGESILAO gerebatur: quòd Phliasij duriùs cum exsulibus, præter pacta federum, agere traducerentur. & eorum, qui Lacedæmonem de iniurijs talibus querelas deferrent, bona, à civitate publicata essent.

Atque illi, dum bello sibi indicto, incursationem agrorum deprecarentur, & ad pactionem descendere paratos se esse ostenderent; & Arcem tamen Laconibus tradere recusarent; obsidionem passi sunt. Exsulibus, arma, pecuniam & commeatum, AGESILAO, adversus tribuleis suos, præbentibus. & DELPHIONE quodam, cum CCC. delectis, patriam generosè aliquamdiu propugnante.

Ipsi

Ipsi tamen, post xx. mensium obsidionem, ad extremam frumenti inopiam redacti, has ab AGESILAO, cui suprema statuendi pro arbitrio potestas à magistratibus tradita esset, conditiones accepére.

,, *VI C. Viris, partim exsulibus, partim Lacedæmonijs* (al. civibus) *de controversijs, vitâ cuiusque, an morte! dijudicandi arbitrium committeretur* ,, *Deinde formula præscriberetur; quis in posterum foret civitatis status.* ,, *Et quoad hæc peragi possent; præsidium, cum semestri stipendio, in urbe relinqueretur.*

Neque infeliciùs POLYBIADES, aliquot prœlijs victor, Olynthios è propinquo circumsidens; ut neque terrâ illi, neque mari frumentum accipere possent; fame & rerum necessariarum inopiâ, ad sese dedendum, & ad legatos de pace Lacedæmonem mittendum, coëgit. Atque illi, *Eosdem cum Lacedæmonijs amicos & hosteis capere; & societate inter se firmatâ, quò victor duceret, in militiam sequi iussi; paruérunt.*

EXITIALIS IN LACEDÆM. DOMINANDI CVPIDITAS: ET RES GESTÆ CIRCA THEBAS.

Lacedæmoniorum autem animi istis victorijs, & tam prospero bellorum successu, sic efferebantur; ut toti iam Græciæ, quasi perdomitæ, insultarent; & tantùm de firmiùs sibi stabiliendâ eiusdem dominatióne, cogitarent.

Quos nihilo minus NEMESIS, nimiæ fiduciæ ultrix, mox est consecuta.

(Carthaginenses verò Hipponiatis, civitati suæ, unde per DIONYSIVM excíderant, in Italiâ, restitutis; Libyas etiam & Sardos, qui Carthagine, pesti, & panicis terroribus, & consecutis inde cædibus, afflictâ defecerant, pristinæ ditioni subiecérunt.

Lacedæmonij, odio indulgentes, Arcis Thebanæ custodiam, atque adeò urbis dominatum, exsulibus attribuerant. Eares illos, quos ducibus ANTALCIDE & PELOPIDA, Athenas è patriâ profugisse memoravimus, vel maximè pungebat: & ad aliquid, pro patriæ libertate, & concivium incolumitate, periclitandum incitabat.

3571. 25. Act. | ———————————— | 379.

MELON itaque Thebanus, re cum PHYLLIDA, Polemarchorum, Thebis, scribâ; clam communicatâ, & Athenis antè inter se constitutâ; adscitis sibi, eâdem ex urbe, exsulum VI. Thebas, ad dictum diem, vesperascente cœlo ingressus, apud CHARONEM quemdam divertens, pernoctavit: Dum PHYLLIDAS Polemarchos, ad solenne, sub exitu magistratûs, epulum, & Aphrodisiorum (Venerij festi) celebritatem, (spe factâ fruendi concupito venustissimarum mulierum, complexu) invitaret.

Et postquam illi, lautè epulati, vino incaluissent, promissaque exigerent; simulans is arcessitum ire optatas Veneres, (quæ nisi ministris è triclinio ablegatis, ingredi nollent) Treis è Melonis tribulibus, matronali habitu; & alios famulari specie, vestitos, introduceret:

Ab ijs, dato signo, & strictis gladijs, Polemarchi, in ipso petulantiæ lusu, sive inter saltandum, interfecti sunt,

Ipse deinde, III. ex ijs, percussoribus, adsumtis, è vestigio LEONTIADEN, veteris amicitiæ & fidei fiduciâ in ædeis admissus, risu & osculis meretrices, uti putabat, excipientem; confodit.

Quo peracto, ad carcerem pergens, custode per fraudem cæso, vinctos omneis solvit; & armis è porticu detractis armavit. Et ex Amphío, per præconem, Thebanos omneis, tam pedites, quàm equites, tyrannis iam è medio sublatis, & populo ad arma libertatemque vocato; in publicum prodire, & sibi suppetias venire iussit.

Missis extemplò Athenas equitibus, qui rem gestam nuntiarent; & ut subsidio veniant, hortarentur. (Prob. XII. adolescentulos coijsse, eorumque ducem fuisse PELOPIDAN, tradidit. qui cum canibus venaticis exierint ex urbe, retia ferentes, & vestitu agresti. quo minore suspicione facerent iter. Alij tradunt; Polemarchis, hilaria agentibus, & pergræcantibus, literas, ab ARCHIA, Atheniensium hierophantâ, scriptas, & per tabellionem perlatas, quibus totius proditionis series comprehendebatur.

Quumque nuntius rem seriam agi moneret; illos, vino madidos (ἐς αὔριον, τὰ σπουδαῖα) subiecisse. atque ita cæsos.)

Postceaquam exsules Athenis advenére, (Diodor. DEMOPHONTEN, ducem ab Atheniensibus creatum, & V. armatorum millibus, equitibusque D. stipatum, summâ cum celeritate eodem venisse; & ex alijs Bœotiæ civitatibus magnam militum vim concurrisse, tradit. ut ad XII. peditum, & II. equitum millia, exercitus evaderet.)

Illi, tum Platæenseis ab auxilio Tyrannis ferendo prohibuérunt; tum impetu in Arcem Cadméam facto, dedititios liberè abire permisérunt.

Ex quibus tamen, à Thebanis, ob simultates & cædis antegressæ memoriam, complures sunt obtruncati.

HARMOSTES verò, qui nimis præproperè arcem deseruisse visus esset; Spartæ, pœnas ignaviæ capite pependit.

CLEOMBROTVS autem, (AGESILAO, ob caussæ diffidentiam, & præcipitatam in se ætatem, detrectante imperium) cum exercitu ad Thebas usque progressus, & ab iniuriâ abstinens; relicto cum parte socialium copiarum, & mercenarium militem conducere iusso, SPHODRIA. belli, an pacis! cum Thebanis futuræ, dubius: re infectâ, & cum ventorum cœlique tempestate, in itinere conflictatus; domum redijt.

Theba-

3572. 24. Artaxerx. | 378.

Thebani, quùm Athenienseis, potentiæ Lacedæmoniæ, & belli intrà Atticæ fineis gerendi metu, nutare, & in fide caussæque suæ defensione vacillare viderent, (Vnum namque è civibus suis, Thebanæ factionis conscium, capite; alterum absentem, exilio mulctârant.)

Sphodriam, qui in Thespijs cum exercitu sedebat, vel stolidâ temeritate delirum, vel pecuniâ delinitum; (vel, ut Diodoro placet, privatim ab ipso Cleombroto persuasum) impellunt, ut Atticos fineis hostiliter ingressus, istiusmodi iniuriâ eos à Lacedæmonijs, eorumque societate, penitùs abalienet.

Ille itaque de Piræo (quod facilè capi posse Thebani persuaserant) quasi ex itinere oppugnando, cogitans, & palàm expeditionem iactans; dum temerè ferret omnia & raperet; Piræo ab Atheniensibus, probè, & in tempore, præmunito; ludibrium debuit.

Eâ autem iniuriâ, & iniustiore Sphodriæ, de quo Spartæ conquesti fuerant, apud suos Iudices absolutione & impunitate, iritati Athenienses; Bœotis, quorum caussam meliorem esse meminissent; summâ ope auxilium ferre constituérunt.

3573. 25. Artaxerx. | 377.

Agesilavs, dux iterùm delectus, quùm Vrbeis arceisque agri Thebani vallis ac fossis communitas repperisset, & cætera ferro ignique esset populatus; post levia aliquot cum equitatu hostili certamina; Phoebida, cum aliquantâ militum manu, ad Thespias, relicto; & missione socijs datâ, domesticas copias domum reduxit.

Phoebidas Thebanos, qui toto populi robore adversus Thespienseis moverant, subitò terrore perculsos, elato raptim agmine, insecutus; ab equitibus, ademtâ fugæ spe, obstinatè restitantibus, interfectus est, & cæteri in fugam versi.

3574. 26. Artaxerx. | 376.

Agesilavs, à suis denuò exercitum in hostem educere rogatus; simulato ad Thespias itinere, Thebanos, qui omneis eò aditus munierant; & ex urbe egressi, paullò longiùs prœlio periclitari constituerant; ad urbem desertam, quo ipse signo dato rectâ ire pergebat; celeri cursu, & dissolutis ordinibus, recipere se coegit: & novissimos carpendo, ad portas usque impegit.

Et dum postridie exercitum Thespias abduceret; Olynthij equites, ex fœdere nupero socij, in Clypeatos, sub Thebanis merenteis, & se insequenteis, invecti, & in plano nacti, complureis ex ijs cæciderc.

ALCETÆ LACEDÆMON. CASVS.

Thebani, qui iam biennio nullas ex agris vastatis fruges perceperant, frumenti inopia adflicti, II. triremeis, cum X. talentis, Pagasas, frumenti illic coemendi, emiserant. Quùm Alcetas Lacedæmonius, qui Oreo præerat, instructis clàm III. triremibus, naveis illas frumento onustas, unà cum CCC. viris intercepit, & in arce vinctos adservavit. Sed illo ex arce suâ, ad conspectum formosi puelli, Oritæ, quem deperibat, descendente; Thebani captivi arcem neglegentiùs custoditam occuparunt; & Vrbe ad defectionem adactâ, frumenti adfatim secum asportarunt.

CLEOMBROTVS DVX INFELIX.

Cleombrotvs, ægro ex pedibus, & accepto vulnere, Agesilao; exercitum sibi commissum, quem ineunte vere, Cithæronem versùs, eduxerat; quòd Thebani & Athenienses montis angustias præoccupâssent: & suos, quos ipse præmiserat, ab ijs in præceps deturbatos intellexisset; præ transitûs, & rei feliciter illic gerendæ desperatione, ingloriùm reduxit & dissolvit.

Hinc frequentes passim sociorum de Lacedæmonijs querelæ exauditæ: *Bellum lentè & molliter administrari.* Et quùm maiorem navium numerum, quàm Athenienses, ipsi instruere possint; Thebas fame capi; & ad eas de propinquo tentandas, sive per Phocæam, sive per Crasin, commodiùs procedi posse.

Sub idem tempus frumentariæ Atheniensium naves, quæ ad Geræstum adpellendæ essent, ob Lacedæmoniorum, qui circà Æginam, Ceum, & Andium, in stationibus agebant, metum; ulteriùs progredi non audebant. Atque ita à Polle, LX. triremium Navarcho, veluti obsessas Athenas, fame urgueri fuit necesse.

Sed quùm comparatâ ipsi vicissim classe, eumdem Pollin, duce Chabria, XXCIII. navium præfecto, insigni conflictu, Naxum inter & Parum, superassent; frumento liberè invehendo viam aperuérunt.

Et Lacedæmonios, cum Pedestribus copijs in Bœotiam transgressos; irruptione, duce Timotheo, Cononis F. in Peloponnesum factâ; à Thebis infestandis revocârunt.

Timotheus Corcyram à se subactam, cum

alijs civitatibus, ſingulari virtutis, & humanitatis ſuæ admiratione, conciliat & devincit. & modò NICOLOCHVM, modò ANTALCIDAM, Lacænæ claſſis duces, egregiè vincit: & maris fit potens.

Phocæis, quos Thebani, Bœotiæ iam domini, infeſto exercitu ultum & oppugnatum ibant; quique miſſis Spartam legatis, opem implorárant; CLEOMBROTVS, per Mare, cum copijs ſubmiſſus eſt.

Sed Pharſalij, quibus IASON Pheræus, totius pœnè Theſſaliæ potens, imminebat; quum ab ijſdem, uti ſocijs, Legato POLYDAMANTE (cui illi arcis, ſuâ in urbe, cuſtodiam tradiderant) nihil auxilij, ob præſenteis ærarij viriumq́ue anguſtias, impetrarent, neq́ue exſpectarent; cum Tyranno concordárunt; cumq́ue Theſſaliæ ducem ex communi ſententiâ creárunt. Qui imperato ſingulis civitatibus tributo & milite, ad VIX. equitum, & XX. peditum M. præter immenſam Clypeatorum vim, coëgit. (Id poteſtatis, ταγὴν vocabant.)

3575. 27. Artaxerx. | 375.

Athenienſes, Thebanis, qui eorum operâ immanè crevissent, invidentes; & infenſi, quòd nihil illi pecuniæ in adparatum navalem, maritimaſque expeditiones, conferrent: & ipſi aſſiduis ſumtibus exhauſti, Piraticis Æginetarum incurſationibus infeſtarentur. animos ad pacem, finemque bello imponendum, inclinare; & Legatos eâ de re Spartam mittere cæperant.

RES APVD ZACYNTHVM.

Quùm TIMOTHEVS, ab illis domum redire iuſſus, & renavigans, Zacynthiorum obiter exſules, ægrè id ferentibus incolis, in regionem eorum traduxit.

Quod Lacedæmonij contrà pacta ab Athenienſibus actum rati, rurſus claſſi inſtruendæ incumbunt. Et MNASIPPVM, ſuæ LXV. navium claſſi præfectum, Corcyræos bello laceſſere, & inſulam vaſtare iubent. Dionyſio quoque ipſo, ad Corcyram ex ipſis Athenienſibus intercipiendam, ſolicitato.

Corcyræi terra mariq́ue obſeſsi, & magnâ rerum neceſſariarum inopiâ conflictati, ab Athenienſibus, DC. ducibus CTESICLE & ALCETA, milites, in urbem admiſere. dum triremes, quæ primùm à TIMOTHEO, deinde ab IPHICRATE, ſupplebantur; inſtructæ eòdem mitterentur. Illi, licet tàm acri fame urguerentur, ut vix ullus, coactis in hoſtium caſtra ex urbe transfugijs, locus aut venia relinqueretur. conſpectâ è turribus, ordinum omnium & militum, qui ſine ſtipendio dimittebantur, per agros diſpalatorum, confuſione; ex urbe in eos erumpunt: & nonnullos ex ijs vivos cepère, alios obtruncárunt.

Et quantumvis MNASIPPO, correptis repentè armis, inſtante, ad portas uſque urbis repulſi eſſent; in eos tamen, qui muris adpropinquare auſi eſſent, converſi, iaculis & ſagittis inceſſebant: & maiore agmine è Portu effuſo, Phalangem diſturbárunt: & occiſo MNASIPPO, cæteros pedem referre coëgérunt. caſtris hoſtium tantum-non potiti.

Quâ clade, & ſimul IPHICRATIS, cum claſſe adventantis, metu, exterriti hoſtes, relictâ in caſtris magna frumenti viniq́ue copiâ: & mancipijs ac militibus, qui vel morbo præpediti, vel ſaucij, abeunteis ſuos conſequi nequiverant; conſcenſis triremibus, in Leucadem abiérunt.

3576. 28. Artaxerx. | 374.

IPHICRATES, cum CALLISTRATO & CHABRIA legatis, & Nautis aſſiduâ diſciplinâ curâq́ue exercitatis; ad Elidem, & deinde ad Alphéi fauceis, adpulſus, in Cephaleniam tranſmiſit. & urbibus eius Inſulæ ſubactis. Corcyram navigavit. Ibique cognito X. triremeis, quæ ab Dionyſio Lacedæmonijs auxilio mittebantur, adventare; in eas invectus, & vectoribus militibuſq́ue terrâ dilapſis, vacuas, MELANIPPO Rhodio tantùm ſuâ cum navi elabente, nactus; in Corcyræ Portum perduxit. & captivos, Corcyréis de lytro ſpondentibus, liberos dimiſit.

(Diodor. libr. 16. tradit. His triremibus, à Dionyſio, Delphos & Olympiam, ſigna, ex auro & ebore, devecta. quæ IPHICRATES, ex conſilio Senatûs, vendiderit; eâq́ue pecuniâ (præda erat LX. Talentûm) milites ſuos ſuſtentárit; non ſine ſacrilegij crimine, quod DIONYSIVS etiam per litteras ijs exprobrárit.)

PAX INTER GRÆCOS.

IPHICRATES Nautis, ad terræ culturam, in Corcyrâ relictis; & cum cætero exercitu in Acarnaniam tranſgreſſus, ſocijs laborantibus præſtò fuit. & Thyræos viros, inter Phocenſeis, fortiſſimos, bello adortus eſt. Claſſe autem XC. navium ab Corcyrâ arceſsitâ, in Cephalleniam iterum delatus, totam indè belli molem in Lacedæmonios, ſociaſq́ue eorum civitates, convertere cogitabat; niſi Athenienſes, à Thebanis, ob Platæenſeis Theſpienſeiſq́ue, optimè pridem bello adverſùs Barbaros geſto, de Græciâ prómeritos; & nunc (everſis eorum civitatibus) è Bœotiâ indignè exactos, pro re, averſi; pacem faciendam, ant ab ARTAXERXE amplectendam, decrevissent.

Et miſsis Thebas legatis, denunciáſſent; ſi ita viſum eſſet; ſe, pro pace firmandâ, Lacedæmonem profecturos, ſequerentur,

Legati,

Legati, inter quos CALLIAS, Hipponici F. claritate & gloriâ excellebat; cum Lacedæmonijs, hisce legibus, pacem conficiunt.

„*Vt Atheniensibus quidem, Maris; Lacedæmonijs verò, continentis terræ imperium, cederet & relinqueretur.*

„*Vt educto ex quâq, civitate Harmostis, sive præsidibus; & exercitibus terrâ mariq, dissolutis, ab armis discederetur. Et civitates liberæ, & αὐτόνομοι esse sinerentur.*

„*Siquis contrà faxit; pro iniurio & hoste haberetur, eumq, uti à societate alienum, ab omnibus oppugnari liceret.*

3577. 29. Artaxerx. — 373.

Quum ista pactorum capita Lacedæmonij, & suo & sociorum nomine, iure-iurando confirmassent: & Athenienses, cum socijs, eadem singillatim per civitates sancienda, decrevissent. Thebani, qui in partem eius concordiæ adscripti fuerant; & postridie, in Tabulis, Bœotorum nomen, pro Thebanis, substitui vellent & pertenderent; ab AGESILAO, qui quidquam immutare fas non esse diceret, tantum-non è fœdere expuncti sunt.

Vt pax cum alijs confecta; & cum Thebanis disceptatio relicta esse videretur. Et Lacedæmonij Atheniensesque paria inter se redderent: Et IPHICRATES, domum revocatus, quæcumque, à pace initâ, ex hoste, ceperat, in integrum restituere cogeretur.

Circà hoc tempus, duæ in Achaiâ, ad sinum Corinthium, civitates, Helice & Bura, prius terræmotu; & exin maris fluctibus haustæ & submersæ. Quarum, inquit Plin. in alto vestigia apparent. Incolæ Sicyonem & Ægiram se recepere. (Huius cladis caussas vide apud Diod. l. 15.)

3578. 30. Artaxerx. — 372.

Lacedæmonij nihilo-minus, quos fata in ruinam tùm raptare destinâssent; CLEOMBROTVM, qui exercitum in Phocide haberat; confestim in Thebanorum fineis irrumpere iusserunt; ni civitates Bœotiæ [illegible]ras dimitterent.

Thebani respondent; se Thespias & Platæas instauraturos, & Bœotis αὐτονομίαν reddituros; modò Lacedæmonij vicissim Messenen instaurent, & Laconas sui iuris esse patiantur.

CLEOMBROTVS interim, in Thebanos, ecu fœderis violatores, movet. Et illis montium, ad Phocem versus, angustias insidentibus; per Thisbios, proximè Creûsam, descendens, eamdem, cũ xii. Thebanorum in Portu triremibus, intercepit. Et à Mari digressus, in Leuctris Thespicis consedit: Thebanis ex-adversùm, & haud longè, castra sua metatis.

PVGNA LEVCTRICA.

CLEOMBROTVS, quà ab amicis, quà ab æmulis, ad pugnam, cuius aleam plerumque, nec sine suspicione, anteà declinârat; conferendam, instigatur.

Thebani vicissim, licet à Thessalis, duce IASONE, auxilia accepissent, sex tantum bellatorum millibus instructi; ni prœlio decertarent, civitatum suarum defectionem, & patriæ obsidionem, aliaque incommoda, animis prospiciebant: Et oraculis quibusdam ac prodigijs, sive veris, sive simulatis, ad audendum incitabantur.

EPAMINONDAS, ut Thebanis spem victoriæ faceret, multa eius generis τεχνάσματα commentus fuisse proditur.

Sed illud non contemnendum, quod memorant scriptores; Olim à Lacedæmonijs, in agro Leuctrico, vitiatas virgines mortem sibi conscivisse: Sceleris auctores, Iudicibus corruptis, impunè tulisse. atque eodem loci victos Lacedæmonios, tum veteris istius piaculi, tum recentium criminum, publicè pœnas expendisse.

PELOPIDAS primus, dux delectæ cohortis, (quam ex Amatoribus conflatam, Sacram, si Dijs placet, appellabant) Phalangem Laconum, imperitiùs, an præcipitantiùs! instructam, prostravit. Postquam equitatus eorumdem, eâ tempestate imbecillis, ab exercitatissimis, & usu præstantibus equitibus, popularibus & Thessalis, in fugam versus, ordines peditum perturbasset.

Et SPHODRIA, cum CLEONYMO F. alijsque è primorum gradu, cæsis; & difficili ancipitique prœlio, CLEOMBROTO etiam interfecto; ac reliquis stipatoribus fugæ se mandare coactis; EPAMINONDAS Imperator, ac pugnæ suasor, maximè memorabilem victoriam reportavit. L. post inducias diebus; sexto Hecatombæonis die; Anno I I. Olympiadis C I I.

Et, ut Eratosth. putat; A belli Peloponn. exitu, sive ab expugnatis per LYSANDRVM Athenis, an. XXXIV. Et antè initium ALEXAND. MAG. an. XXXVI.

Cecidisse eâ pugnâ memorantur, Bœoti C C. (al. CD.) Spartiatæ D. Peloponnesiorum M. Xenophonti: sed Diodoro, IV. M.

3579. 31. Artaxerx. — 371.

Hæc autem clades Lacedæmoniorum perlata admirabili animorum constantiâ, & domesticæ disciplinæ firmitate, ab Ephoris dissimulata est. qui ultimo Gymnopædiorum die choréas continuari, & à planctu publico abstineri, iusserint.

Et confestim ARCHIDAMVS, AGESILAI adhuc ægri, F. cum novis copijs, domesticis, (cohortibus

(cohortibus Millenarijs, quæ μοῖραι dictæ. & sociali ejus, (Tegeatarum, Mantineorum, Corinthiorum, Sicyoniorum, &c.) in subsidium ijs, qui incolumes è prœlio in castra confugerant; submissus est.

Thebani, quùm frustrà Athenienseis ad societatem, & communem veterum injuriarum ultionem, sollicitâssent; IASONEM Pheræum, (licet is, pro tempore, implacabili bello cum Phocæis implicatus esset) non tam periculi socium, quàm concordiæ sequestrum, nacti sunt.

Et is Thebanis quidem, incertos prœliorum exitus; Lacedæmonijs verò, virium in præsentiâ imbecillitatem, & sociorum inconstantiam, ostentabat. Et quâdam consilij dexteritate effecerat; ut ab utrisque, quantumvis infensis inter se hostibus, de pace conciliandâ rogaretur. Quam quùm obtinere ab ijs non posset; inducijs saltim impetratis, domum se recepit.

Lacedæmonij autem exercitûs reliquiæ, per Cithæronem, nocturno itinere, ad Ægostena, in Megaride, progressæ, ARCHIDAMVM cum copijs obviũ habuére. Et ipse, exercitu Corinthi lustrato, socijsque dimissis, civeis domum reduxit.

(Diodor. ab his dissentit pugnatum scilicet ab ARCHIDAMO & CLEOMBROTO, conjunctè. & inducias ipsâ pugnâ fuisse anteriores, quas Lacedæmonij contempserint.)

3580. 32. Artaxerx. | | 370.

IASON verò cum ijs, quas adduxerat, copijs, in Phocidem revertens, Heracleæ Vrbis in Trachiniâ (quam proditione ceperat) muros disjecit funditùs. ne eâ, quæ in montium angustijs opportunè sita esset, ab ijs præoccupatâ, ipse ab invadendâ aliquandò Græciâ prohiberetur. Eorum autem regionẽ, Oeteis ac Meliensibus, veteribus Heracleensium inimicis, distribuit.

Is quùm magnis opibus multarumque urbium & societatum accessione, principatum suum auxisset: & Pythia, iam propinqua, inusitatis certaminibus, sacrificijsq; præsens celebrare constituisset: & Phocensibus, eâ fini, maximam pecorum vim imperasset; (spoliandine Templi, an sacrorum causâ, sive prætextu! incertum) VII. Pheræorum Equitum conspiratione; sive simulatâ inter se apud Tyrannum contentione, trucidatus est.

Eiusque cæde universa pænè Græcia lætata est: quæ impendentem sibi indè quandoque tyrannidem reformidâsset.

Cui quùm POLIDORVS & POLYPHRON, fratres; & eius, quam dixi, conspirationis auctores, essent subrogati: tum POLYPHRON, consortis impatiens, alterum dormientem clam interfecisse putatus est.

Et ipse, duplici paricidio principatum adeptus, ab alio fratre, ALEXANDRO, veneno sublatus.

Hic autem arreptâ dominatione, non modò Thebanis & Atheniensibus hostis terrâ marique infensissimus, sed Thessalis etiam ipsis permolestus evasit. Hæc posteà.

NOVA CIVITATVM IN GRÆCIA DISSCIDIA.

Quùm Athenienses, metu veteris Lacedæmoniorum imperij & prærogativæ, civitates omneis, quæ pacis, auctore rege factæ, participes esse cuperent; convocâssent. Et decretum factum esset; de inducijs ritè servandis, & mutuis adversùs rebelleis auxilijs; quòd quidem singulæ conceptâ iuris-iurandi formulâ confirmarent. soli Eléi id facere detrectârunt; qui neque Marganes, Scilluntios & Triphylios, suos scilicet clienteis, liberi esse iuris, permitterent; neque se suo spoliari, æquum esse ducerent.

Mantinéi verò, qui beneficio federis se liberos omninò esse existimarent; veterem suæ civitatis formam instaurare, & mœnibus circumdare; in eamque ex vicis remigrare, decreverant. Neque ab AGESILAO, nomine civitatis, interpellati, (quod à compluribus Arcadiæ civitatibus, operis administros; & ab Eléis pecuniam, accepissent) ab erigendis munimentis abstinebant.

Tegeatæ quoque, dum quoquo-versus perferuntur federum tabulæ, in diversa factionum studia distracti; Hi cum CALLIBIO & PROXENO, (τῶν μυρίων ducibus) censebant, quoddam totius Arcadiæ Commune, quasi unam civitatem; & ex publico civitatum suffragio, Dominum constitui oportere. & sic federi subscribi.

Illi à STASIPPO stabant; & in patrijs legibus, salvâ cuiusque civitatis dignitate, insistendum esse, & à singulis urbibus præstandum iusiurandum, iudicabant.

Hinc quùm à verborum contentione, ad manus ventum esset; PROXENO, alijsque paucis interfectis; reliqui cum CALLIBIO, in fugam versi; sub muris ac portis, quæ Mantinéam ducunt, collecti, cõquievere: & simul auxilia à Mantinéis postulatum misere; simul cum STASIPPO de reconciliatione egére.

Dein sibi suppetias venire conspicati, portis vi apertis in urbem irrumpunt. Et STASIPPVM vicissim per portas, quà Pallantium itur, effugere compulsum; & è Dianæ (al. Iunonis) templo abstractum; (Diod. à Pallantijs proditum) Tegeamque perductum, cum alijs, securi percutiunt. (Alij; tegularum iactu occisum, in Templo, volunt.)

Lacedæmonij ab exsulibus, quorum DCCC. ampliùs eò profugerant; incitati; ex iuris-iurandi formulâ, cum Tegeatium morteis, tum ejectorum injurias, sibi vindicandas statuérunt. Et Mantineis, qui injuriâ in Tegeatas arma auxiliaria intulissent; bellum indixére.

AGESILAVS, dux delectus; & Orchomenijs, Heræeis ac Lepreatis, socijs stipatus, factâq; in Arcadiã irruptione, & Eugeâ captâ; post levia inter Orchomenios & Mantinéos certamina; & POLYTROPI, qui mercenarium sibi militem à Corintho adduxerat, cæde; castra sub Mantinéæ montibus, ad Occasum obversa, metatus, ferro omnia ac flammâ vastabat.

Quumque

Quumque se Arcades, qui Aseæ convenerant, Mantineis coniunxissent; & auxiliares Thebanorũ copiæ exspectarentur; exercitũ, adultâ iam hieme, AGESILAVS, non omninò inglorius, domũ reduxit.

3581. 33. Artaxerx. | ——— | 369.

Arcades Heræorum agros, qui pro Lacedæmonijs starent, depopulati; Thebanos etiam, qui magnis cum copijs, (LXX. Mill. Plut.) recens advenerant, & hoste digresso, de domuitione cogitabant, ut toto cum exercitu in Laconicam, licet ea triplici præsidio esset obsepta; impressionem facerent, sunt cohortati.

Et cum illi per Ion Scititidos; tum ipsi per Caryas, eòdem irrupérunt; &, in cæteris, Selasiam incensam diripuérunt.

Deinde Eurotâ, qui ad dextram erat, transmisso, regionem cultissimam, & multis sæculis intactam, fœdè evastarunt.

Feminis, quæ neque hostem, neque fumum hostilem unquam conspexerant, tamquam ad spectaculum, in muros, confluentibus. Viris verò, pervia immunitæ Vrbis Patriæ loca, insolens! præsidio firmantibus.

(Intervallo non minus DC. annor. ex quo Dores Lacedæmonem tenuerant, tùm primum hostem in eorum finibus fuisse conspectum, ait Plutarc.)

Et certè tantum-non in certum amittendæ libertatis, metum, an periculum! se ipsi præcipitárant. Et servos, arma corripere, & civium ordinibus immisceri volenteis, libertate donaturos receperant: (ex quibus iam ad VI pænè M. præconibus nomina erant professi.) Nisi mercenarij Orchomenio; & auxiliares Phliunte, Corintho, Epidauro, & aliundè, subitò advolâssent.

Et hostes, licet è levi prœlio equestri victores, Vrbem, novo milite munitam, adgredi reformidâssent. Qui Gythium tamen, Laconum navalia, expugnarunt; urbeisque muris cassas flammâ detœdarunt; & alias ad defectionem induxérunt, & Laconicam totos III. menseis immaniter pervastárunt.

(Hæc EPAMINONDA duce, sive Polemarcho (cui Pelopidas fuerit collega) gesta fuisse, alij tradidérunt. Xenoph. verò eius hactenus non commeminit.)

Thebani, cum ab Arcadibus, Argivis & Eléis, qui cum spolijs Laconicis domum paullatim, & in dies, dilabebantur, derelicti; tum inopiâ commeatuum, & hiemis acerbitate adflicti, domum quoque suam cupidè spectabant.

Et IPHICRATES, ab Atheniensibus (qui licet ad communem e Laconibus prædam, & societatem invitati; federum priorum tamen reverentiâ; & hosti prostrato insultare minus gloriosum rati, ab ultione temperárant) auxilio Lacedæmonem, adversùs Thebanos, missus, (licet Prob. dicat, ab eo EPAMINONDÆ impetum retardatum: & nisi eius adventus in tempore adpropinquâsset, non priùs Thebanos Spartâ fuisse abscessuros, quàm captam incendio delêssent,) nihil præclarum aut memorabile, quod ad hosti, quo minus liberè evaderet, incommodandum; aut remoram ei iniiciendam, faceret; præstitisse existimatus est.

3582. 34. Artaxerx. | ——— | 368.

Quùm hoc rerum statu, Inter Athenienseis & Lacedæmonios, eorumque socios, qui omnes cum liberis mandatis Athenas venerant; de æquis Societatis, sive federis in commune sanciendi, conditionibus; atque adeò de Principatu partiendo, disceptaretur: Et Lacedæmonij pertenderent, sibi imperium terrâ; ut Atheniensibus mari, esse attribuendum. CEPHISODOTVS Atheniensis, errorem detexit; & æquabili iuri propiùs esse ostendit; Vt alterutri, alternâ v. dierum vice, & maritimo simul, & terrestri exercitui præessent. quod Corinthij etiam, cum Epidaurijs, adprobârint.

Atque ita, cum suis utrimque socijs, Corinthum convenére: & Onéum, quà transitu hostem prohiberent, præsidio custodiendum censuérunt.

Thebani verò, Lacedæmonijs, & Pellenæis, de statione suâ per noctem deturbatis; & inducijs, præter opinionem, à Polemarcho ex tempore impetratis; liberè Onéum transgressi, cum Arcadibus, Eléis & Argivis, socijs, se coniunxére; & ad Sicyonem Pellenenque populabundi contendére. Positisque in Epidauro, ad Argolicum Sinum, castris, finitima quæque ferro ac flammâ, non sine hostium contemtu, evastárunt.

Indè Corintho iam propinquantes, & celeri cursu ad Portas usque delati; à levis armaturæ equitibus, quos CHABRIAS ex urbe eduxerat, excepti; & densâ è tumulis, ac locis editioribus, iaculatione lacessiti, multis primorum desideratis & clade acceptâ, reque indè infectâ discessére.

Intereà à DIONYSIO auxilia Lacedæmonijs, è Sicilia, advenerant, XX. circiter triremes, quibus Celtæ & Iberi, ad bis mille, (Diod.) & inter eos, equites fermè L. vehebantur. Qui adversùs Thebanos, Atticis & Corinthijs equitibus formidabileis, multis editis inter pugnandum facinoribus, summæ agilitatis & fortitudinis palmam obtinuérunt.

Thebanis autem domum regressis; & ipsi, post secundum cum Sicyonio equitatu prœlium, & post Geras captas, à Lacedæmonijs honorificè Syracusas sunt remissi.

NOVI LYCOMEDIS MANTINEI CONATVS.

LYCOMEDES Mantineus, (Diod. Tegeata) genere opibusque pollens, tunc temporis Arcadas, corporum robore stolidè feroceis, fastu vanisque spiritibus implebat. Quibus, scilicet, solis, Peloponnesus. vere, patria esset; solique indigenæ illic habitarent.

Corporum in ijs roboris, animorumque firmitatis argumentum esse, auxiliareis, passim, & omnibus in bellis, Arcadum manus. Absque ijs, nec Lacedæmonios in Atticam; neque Thebanos in Laconicam irrupisse, aut præclarum aliquid patrâsse.

Si igitur saperent; Nemini evocanti posthàc parérent. Ne, uti anteà Lacedæmonios secuti mitiùs extulerint; nunc, si Thebanos sequantur, neque in partem imperij vocentur; alios citò in se Lacedæmonios experiantur.

His vocibus animati Arcades, duces, quos ille iussisset, sibi præfecerunt. Et factâ in Epidaurium, Argivorum, irruptione, quum à peregrinis CHABRIÆ militibus, & ab Atheniensibus Corinthijsque reditu intercluderentur; Argivos ferociter adorti dissipârunt; & per infesta loca evaserunt.

Et ad Asinam Laconicæ, profecti, victo Lacedæmoniorum ibi præsidio, & cæso GERANORE Polemarcho, suburbia diripuérunt.

Neque Elei ab ijs civitates suas, quas Lacedæmonij ademtas redhibuerant, extorquére potuérunt. Triphyllijs quoque ipsis, quòd ab Arcadiâ oriundi essent, libertate restitutâ, in Arcadum nomen societatemque abeunubus.

3583. 35. Artaxerx. | 367.

PHILISON intereà, patriâ Abydenus, qui ab ARIOBARZANE cū ingentibus pecunijs venerat, Thebanos & Lacedæmonios, mandati regis exponendi, & pacis faciendæ causâ, Delphos evocavit. Quumque, inter cætera, Thebani non adsentirentur, ut Messenij Lacedæmonijs subiecti essent; ipse magnas mercede conduxit copias, quæ Lacedæmonijs subsidio forent. Quibus & alterum à DIONYSIO auxilium accessit.

Ijs itaque copijs stipatus ARCHIDAMVS, Carnanas expugnavit, & quos vivos cumque ceperat, iugulavit.

Et ad Parrhasias, Arcadiæ, infesto agmine progressus, omniaque fœde depopulatus; postquàm Arcadas & Argivos ad opem ferendam advolare cognovisset; & CISSIDAS, Dionysij prætor, missionem posceret; suos Spartam quidem abducere cœperat: Sed quùm hinc Messenij, illum abeuntem, per viarum angusta, adorti essent: & illinc Arcades, cum Argivis, in Eutresijs, iter intercludere tentarent: ille, acie directâ, pugnandi copiam fecit: & hostem, qui vix primum sustinuerat impetum, paucis cæsis, in fugam vertit. Sed multò plures, inter fugiendum, ab equitibus, & Celtis, sunt interemti.

Huius victoriæ nuntius Lacedæmonijs, præ gaudio, lacrymas excussisse proditur. Neque minori Thebanis & Eléis hæc Arcadum clades, novæ eorum insolentiæ ultrix, gaudio fuit, quàm Laconibus. *Tantum erat, ex insolenti illo* LYCOMEDIS *& Arcadum fastu, odium.*

THEBANORVM AMBITIO, AC VANITAS.

Thebani contrà antegressarum victoriarum successibus elati, totius Græciæ imperium spe & animo agitabant. Quam ad rem magno sibi usui regem Persarum fore arbitrati, ad eum Legatos, &, in cæteris PELOPIDAM, misére. Arcades vicissim, Elei & Argivi, suos: Athenienses, LEONTEM & TIMAGORAM.

PELOPIDAS, cui rex præ cæteris plurimum tribuebat, Thebanorum gratiæ velificatus; illos commemorabat ex omnibus Græcis solos, XERXI, tegi Persarum, Platæensi olim in prœlio, socios adfuisse; neque ex eo tempore regibus bellum, aut molestiam facessivisse.

Et quòd cum AGESILAO adversùs regem militare noluissent: neque eum in Aulide, uti alterum Agamemnonem, Asiaticæ expeditionis principem, Dianæ sacra facere permisissent; in Lacedæmoniorum indignationem, odiumque incidisse. Qui nihilominus victi à se in Leuctris fuissent; & patriam ferro ignique vastari impunè conspexissent. Illos in ordinem sic redactos, ne pedem quidem extrà urbem progredi audere.

Petere itaque se, Thebanorum nomine & verbis, ut regiâ auctoritate, à Messeniorum, sibi amicorum, cervicibus servile Laconum iugum deijciatur; & Athenienses classem subducere iubeantur.

Relicta tamen est à rege Atheniensibus facultas; *Si iustiora cognoverint; ad regem adeant, & edoceant.*

Legati domum quisque suam reversi, varios de rege, & sedete, sermones divulgârunt.

Athenienses TIMAGORAM, accusante LEONTE, tamquàm publicæ caussæ prævaricatorem; & PELOPIDÆ (qui eum auro, aut comitate, sibi conciliâsset; & ex silentio, consensum Thebanæ laudationis redemisset) supparasitantem, morte adfecérunt.

ARCHIDAMVS Eléus, regem, qui Eléos Arcadibus antetulisset, summis efferebat laudibus.

ANTIOCHVS, Arcadum legatus, contrà, regis, à quo Arcadum dignitas ita imminuta fuisset; neque munera accepisset; vireis potentiamque contemtum elevabat: & luxum fastumque irridebat.

Thebani verò, paci inter Græcos ex pacto sanciendæ à rege auctorati, postquam eius litteras, coràm civitatum legatis, in publico consessu, recitâssent: neque ab ijs in præsentiâ iuramentum extorquére

quere potuissent. Et LYCONEDES, conventum, non Thebis, sed eo loco, quo bellum gereretur, habendum censeret: & ipse, illis id ægerrimè ferentibus, cũ omnibus Arcadiæ legatis, discessisset. Ne missis quidem à se ad singulas civitates legatis, ut regijs mandatis pareretur; proficere quidquam potuerunt.

Et Corinthijs, antè omneis, nihil se communis cum rege iuramenti indigére palàm contestantibus; permultæ aliæ civitates in eamdem sententiam concessére. Atque ita præcepta, ex regis Persici gratiâ, principatus imperijque, in PELOPIDA ac Thebanis, ambitio evanuit.

EPAMINONDÆ IN ACHÆOS EXPEDITIO.

EPAMINONDAS verò, qui castigatis, aut edomitis Achæis, Arcadas eorumque socios, faciliùs Thebanis obtẽperaturos esse perspiceret; Achaiam bello adoriri constituit.

Quumque PISIAS, Argivorum præfectus, Onéum negligenter custoditum, occupare iussus, Cenchreorum Tumulum, cum bis-mille militibus, de nocte intercelusum teneret: & iisdem diebus Thebani Oncum essent transgressi; EPAMINONDAS, cum socijs, in Achaiam irrupit.

Achæorum autem Optimatibus, sibi obviàm & suppliciter progressis, quùm salvo reip. statu, & Optimatium dignitate, societatem, fide tantùm utrimque datâ, ijs imposuisset; domum copias reduxit.

Quo nomine ab Arcadibus, & factiosis increpitus, quòd scilicet Achaiam, suo discessu, Lacedæmonijs, ceu prædam, obnoxiam propináffet; Harmostas in Achaiæ civitates immitti oportére censuit, qui Optimatibus expulsis, popularem statum inveherent.

Atque dum illi, ex suis urbibus relegati, haud contemnendâ manu propinqua opida occupassent; neque medios se gererent; sed impigrè Lacedæmonios iuvarent: Arcades, mali consilij auctores, hinc à Lacedæmonijs, indè ab Achæis incessebantur.

EVPHRONIS APVD SICYONIOS MOLITIONES.

Sicyonij, qui in eum usque diem, communibus Achæorum legibus, remp. administrárant; ab EVPHRONE, viro domi, inter Lacedæmonios nobili, & versuto, (qui se Lacedæmoniorum fastum molestè ferre, & servitutem defugere, fingeret) Argivis & Arcadibus persuasis, (& ipso in partem adscito; (Xenoph.) acceptoq; ab Athenis præsidio in concionem, & ad æquabilem libertatem vocati, & auctori adsensi; ipsum, inter ceteros constituendæ Reip. V. Viros, delegére. Eiusque Filio ADEÆ, peregrinæ militiæ imperium attribuére.

Ex ijs autem militibus, quùm EVPHRON alios beneficijs prolixus; alios, neque sacris, neque publicis parcens pecunijs, sibi devinxisset; tum eos, qui Laconicæ factionis nomine eiecti erant, fortunis omnibus spoliavit: tum Collegis, vel dolo interfectis, vel urbe expulsis, singulare & absolutum sibi eius civitatis imperium arripuit.

Quod factum ut socij dissimularent, partim pecuniæ profusione; partim expromtâ, quocumque vocaretur, peregrini militis operâ, effecit.

PHLIASIORVM CONSTANTIA.

PHLIASII, veteri iam societate Lacedæmonijs devincti, post pugnam etiam Leuctricam, pertinacissimè in fide perstiterant: & quibus possent cumque modis, illis, nec ingratis quidem, aut beneficij immemoribus; fuerant opitulati. Hinc gravis Argivorum & Sicyoniorum in eos, utrimque interiectos, odium. ut illi, haud procul Vrbe, suprà Iunonis Templum, Tricranum: hi Thyamia, in montibus, exædificarent & munirent. Et Phliasios, duabus ex partibus, conclusos premerent; rerumque necessariarum pænuriâ constringerent.

Ipsi nihilo-minus non modo hosteis, iam scalis Vrbem adgressos, alacriter reppulérunt, & ex arce deturbárunt: sed eruptione etiam factâ, non unam de illis victoriam reportárunt.

Hoc autem iterùm anno, quùm Argivi & Arcades, universis cum copijs, in Phliasiam invasissent; ipsi, unà cum præsente Atheniensium equitatu, hostem à fluminis transitu, & frugibus evastandis, coërcitum, in monteis reppulérunt.

Et Sicyoniorum etiam Tyrannum EVPHRONEM, qui cum II. mercenariorum suorum Millib. & Thebanis præsidiarijs; & cum Sicyonijs ipsis, ac Pellenensibus, Thebanorum adseclis, in agrum eorum irruerant; non sine memorabili tropæo, debellárunt. Atque adeò hostibus iterum, duce præsidij CHARETE, superatis, commeatûs adfatim, è Pellene, in urbem suam importárunt.

Neque his contenti, in Sicyonios, qui montanam sibi regionem, frequenti fabro & rariore milite, muris circumdare nitebantur; unà cum CHARETE, & die iam in vesperum præcipitante, iuvecti; inopinato metu perculsos, & magnam partem inermeis, in fugam coniecérunt. Et absumtâ, quàm in castris repererant, cœnâ; reliquias, non sine Pæane & sacris, domum asportárunt. Atque à Corinthijs, de pugnæ eventu edoctis, iumenta frumento onusta in dies accepérunt.

3585. 37. Artaxerx. | 365.

ÆNEÆ STIMPHALII CONATUS.

Eodem ferè tempore, Æneas Stymphalius, Arcadum dux, qui Sicyoniorum vicem indoléret; occupatâ urbis arce, Sicyonios tàm eos, qui in urbe erant, primarij; quàm qui absque decreto è patriâ excesserant; eódem evocabat. Eiusque rei metu EUPHRON in Portum Sicyonium confugiens, eundem, arcessito è Corintho PASIMELO, Lacedæmoniorum fidei tradidit. quùm urbem ipsam, iam-iam rebellaturientem, uti velle fingebat, tradere, ex fide & pristinâ ergà eos benivolentiâ, non posset.

Priùsnamque quùm prospiceret, Arce à Thebano Harmostâ infessâ, & in potestatem redactâ, se Civitati dominari nimimè posse; ad Thebanos erat cum pecunijs profectus; ut pulsis Sicyone Optimatibus, sibi rursùs civitatem & imperium traderent.

Cuius profectionis & instituti certiores ij, quos anteà in exilium egerat; Thebas vicissim abiérunt. Et animadversâ, cum primoribus. ibi, Tyranni familiaritate, metuentes ne, si rem ex animi sententiâ conficeret, ipsi rursus periclitarentur; illum, in arce, cum principibus & Senatu considentem, obtruncárunt.

Qui quùm comprehensi, & cædis manifestæ crimine ad populum, à Principibus, essent delati, atque adeò ad suppliciũ traditi; Vnus ex auctoribus, tot tantaque interfecti Tyranni flagitia; tantamque in eo levitatem & perfidiam, (qui modò à Lacedæmonijs ad Thebanos; modò ab his iterùm ad Lacedæmonios, transfugisset) tàm luculenter graphicéque depinxit, & palàm enarravit; ut publico scito Euphronem meritâ morte multatum, seu iure occisum, decerneretur. Licet à gnathonibus quibusdam, Thraso ille, uti vir bonus, & benè de civitate meritus dux. in forum tumulumque sit illatus: &, ut quidam tradunt, divinis honoribus adfectus.

Phliasijs, in Thyamiæ, quam Sicyonij nuper exædificárant, munitione occupatis; & præsente illic CHARETE; Oropus ab exsulibus. (Diod. duce THEMASIONE, Eretriensium Tyranno) intercepta est.

Quò dum Athenienses toto civitatis robore, in expeditionem, arcessito secum CHARETE, abijssent; Portus Sicyonios iterùm à Civibus, & Arcadibus adsertus est.

Athenienses insuper, à socijs deserti, cedere Thebanis; & Oropum eorum fidei credere, & ceu pignus deponere, dum iure lis dirimeretur, sunt coacti.

Atque eâ occasione, LYCOMEDE acriter urguente, cum Arcadibus (quos à Thebanis distrahi, non minus Lacedæmoniorum, quàm suâ interesse iudicarent) novam societatem inierunt. Et ipse Lycomedes, qui Athenis decedens, navigio exponi optátat, ubi maxima exsulum manus esset; gloriosè mortuos esse proditur.

CORINTHIJ, ARCADUM SOCIJ.

Corinthij, qui sibi patriæ reip. statum salvum remanere, stante Arcadum amicitiâ, decrevissent; Atheniensium præsidiarijs passim dimissis: & CHARETE (qui cum classe Cenchréas advenerat; & re detectâ, auxilij & propulsandi insidiatum gratiâ, eò accessisse fingebat) à Portu protinus abire iusso: milites conduxere, quibus & civitatem suam tuerentur; & hostem quemcumque offenderent.

Phliasij itaque Thyamiâ decessére. Neque tamen prohibere potuérunt, quo minus Argivi licet ij in eamdem iurâssent pacem; exsules illorum, quos in fidem suam receperant; in Tricrano, quod postliminij iure illi reposcebant; cum præsidio collocarent.

DIONYSII IN SICILIA CUM POENIS BELLA ET EXITUS.

DIONYSIUS Tyrannus, quum nullam sibi iustam cum Carthaginensibus belli caussam comminisci posset: & eos tantùm priores, in ditionis suæ agros, invasisse pretenderet, coactis terrâ marique copijs, & impetu in finitimos provinciæ eorum agros facto, Selinuntem & Entellam ex ijs intercipit. Et Erycinorum urbe sub iugum missâ, Lilybæum frustrà oppugnat.

Quùm autem navalia Carthaginiensium incendio absumta cognovisset; & præ hostis contemtu, triremium suarum partem Syracusas remisisset; partem in Erycino Portu collocâsset: Pœni de-improviso, cum classe in eumdem Portum adpulsi, magnum triremium numerum indè abduxerunt.

Ipse verò Tyrannus, ob relatam Athenis, Lenæorum festo, (al. Olympicis ludis. malè.) é suâ Tragœdia (cui Athenienses, more suo adulantes, præmium adiudicâtant) palmam; in lætitiam, è victoriâ, & in comissationes effusus, morbo, ex vini intemperantiâ, exstinctus est, anno regni XXXIIX.

(Iustin. insidijs suorum interfectũ tradit: quod facinus fortè-an ebrietati illi tribuerint. Cicer. 3. l. de Nat. Deor. In lectulo. suo mortuum: & in Tympanidis, (Diod. Portis Arcis, quæ Basilides vocantur) rogo illatum.

PROB. A Medicis, iussu filij (ut omnem agendi & colloquendi, cum Patre, potestatem DIONI, sororio, de partiendo inter fratres regno, adimeret) soporis poculum datum fuisse. Quo sumto, ut somno sopitus, diem obierit supremum. *Sed dedecore filij, mortuus pœnas pependit, quas vivus effugerat.*

DIONY-

DIONYSIVS IVNIOR.

In locum eius, milites maximum natu ex filijs, cognominem, suffecére. & naturæ ius secuti; & quod firmius futurum esse regnum, si penes unum remansisset, quàm si portionibus inter plures filios divideretur; arbitrabantur.

Dionysius itaque, Iunior, inter initia regni, avunculos fratrum suorum, velut æmulos imperij, hortatoresque puerorum ad divisionem hereditatis, tollere gestiebat. Sed priùs animum dissimulatum, ad favorem popularium conciliandum, intendit, ut si probatus antè omnibus foret, excusatiùs quod constituerat, faceret.

Tria itaque nexorum Millia è carcere dimittit: Tributa populo per triennium remittit: & quibuscumque potest delinimentis, animos omnium solicitat.

Et tunc demùm ad facinus destinatum conversus, non cognatos tantùm fratrum; sed ipsos etiam fratres, interficit: tyrannidem priùs in suos, quàm in exteros auspicatus.

Indè Timocratem præfectum, cum xii. triremibus, Lacedæmonijs, paterno fœdere devinctis, subsidio misit. Sed ille captâ Selasiâ, confestim domum remeavit.

3586. 38. Artaxerx. | ———————— | 364.

ELEI ITERVM TVMVLTVANTVR.

Quùm autem Elei, Lasionem, Triphyliæ, dudum inter utrosque controversæ, castellum, ex Arcadibus, per exsules, & coniunctis factionum viribus, reciperâssent; & Arcades, iniuriæ non negligentes, eductis copijs in auxilium advolarent: Eleisque in plano ex-adversùm castra metatis; ipsi in montium, qui hostibus à tergo impendebant, vertices de nocte conscendissent. ortâ die, in Eleos ex alto irruerunt: & resistere ausos, non sine magnâ occidione, & armorum iacturâ, in fugam coniecérunt.

Quâ victoriæ occasione usi, montanas Elidis urbeis, præter Thraustrum, in suam potestatem redegére: & monte in Olympiâ occupato, Cronéum, ad stativorum usum, communiérunt. Atque ad Marganéis proditione captis, ad urbem, eiusque forum usque progressi, ab Eléis tandem magnâ cum cæde sunt repulsi.

Et quùm civitas iam pridem, (ex quo statum popularem Optimatibus commutârant; & hinc ccc. indè cd. stabant) in diversa factionum studia esset distracta: ut partim à popularium, partim ab Optimatium Ordine staretur. Populares, duce Charopo, sublatis, ex tàm propinquo Arcadum ad se accessu, animis; & re cum ijs clàm compositâ, (al. Olympiâ ijs proditâ) arcem occupabant.

Sed è-vestigio equites, ac ccc. Viri, duce Sitalce, acerrimo Oligarchiæ patrono, eò connixi, illos è statione deturbant; & ad cd. unà cum Charopo, ex urbe expellunt.

Qui paullo-post, adscitis secum Arcadum nonnullis, Pylum secessére: & magnam ad se populi multitudinem, tum regionis fertilitate illectam, tum validâ in præsens Arcadum societate confisam, pertraxére.

Arcades, qui relicto in Olympiâ præsidio discesserant; & ab exsulibus instigati iterùm in expeditionem ibant: quòd ab Achæis, tum amicis, urbem Eleorum defendi intellexissent; re infectâ, sed vastatis immaniter agris, indè digressi: & in Pellenenses, Lacedæmoniorum socios, qui in Elide, uti auxiliarij, tum versabantur; conversi; plurum ex ijs iam interceperant: Quùm illi domum quàm-celerrimè remeantes, toto populi robore, etsi numero exigui, Arcadas oppugnârunt; nec, nisi urbe receptâ, destitérunt.

Quùm autem tertiùm Arcades in Elidem cum copijs ingressi, inter Cyllenen, & Urbem, castra posuissent; & ab Eléis temerè invaderentur; eos ita vicére, ut Andromachus eorum præfectus, sinistræ pugnæ auctor, mortem sibi consciverit: & Soclide Spartiatâ amisso, reliqui in Urbem refugerint: atque indè artiùs intrà urbem conclusi, Lacedæmonios, ad bellum Arcadibus faciendum, concitârunt.

Et Archidamus quidem, urbanâ cum militiâ, (hoc est, Spartanis, Neodamodis, Sciritis, & cohortibus quingenarijs, xii. qui λόχοι dicti,) in expeditionem egressus, Arcadiam depopulatur; & Cromnum occupat: & indè, relicto iii. cohortium præsidio, revertit.

Arcades verò, ab Elidensi expeditione collecti, Cromnum, duplici vallo circumdatum, securè obsidebant.

Eam autem civium suorum obsidionem ægrè ferentes Lacedæmonij, Archidamum iterùm cum copijs extrudunt.

Qui, quùm vastatis licet Arcadiæ & Sciritidis oris, ab obsidione hostem avertere non posset; & proximè tumulum, quo exterius vallum cingebatur, pugna ab antecursoribus temerè conserta esset; ipse femur saucius, suprà xxx. præstantissimos viros, & corporis sui custodes, amisit.

Et quùm in hâc aciei utrimque ad pugnam procinctæ propinquitate atque ardore, vox cuiusdam è senioribus, inducias suadentis, lubenter accepta esset; fœdere continuò inito, Lacedæmonij quidem, sublatis cadaveribus, discessére: Arcades verò, undè eruperant reversi, tropæum statuerunt.

Sub id tempus, quo Arcades ad Cromnum sessitabant, Elei ex urbe egressi, & Pylum profecti, quùm in milites, vix lectis avulsos, incidissent; ex ijs plerosque obtruncârunt: & alios de tumulo, in quem se receperant, deiectos,

circiter

circiter CC. aut cæcidérunt, aut vivos cepérunt. Et ex his, peregrinos quidem vendidérunt; cæteros, uti transfugas, occidérunt. Pylijs autem sic impune, nemine opem ferente, cum agro, in potestatem redactis; Marganéas etiam recipe-rárunt.

Quùm verò Lacedæmonij posteà de nocte ad Cromnum progressi, & vallo potiti, Argivos, & suos, qui obsessi tenebantur, elato clamore evocàssent: & quicumque in propinquo erant, celeriterque occasionem arripuerant, ex urbe ad ipsos effugissent; reliqui ab Arcadibus, in id intentis, ante-occupati, & intrà mœnia conclusi, & dein comprehensi; æquabili portione inter Arcadas, eorumque socios (Argivos, Thebanos, Messenios) ad C. & eo amplius capita, sunt distributi.

Arcades à Cromni obsidione nonnihil feriati, & ad Eleos vexandos conversi, Olympiam firmiore præsidio communierunt. Et vertente commodum Olympiorum Ludorum curriculo; ad peragendam celebritatem, unà cum Pisæis (qui ex antiqua patriæ prærogativà, & vetustis titionibus, Agonis illius, & Sacri anniversarij, ius sibi, potestatemque adrogabant) sese accinxérunt.

Quumque stati dies advenissent; Elei quidem, collectis palàm copijs, & Achæis secum adscitis, iter ad Olympiam intendebant: Arcades verò de ijs securi, adornatà iam cum Pisatis solennium Pompà, equestria & curulia, & quinquertij certamina ritè absolverant. Sed Palæstritæ, quod Elei Templum cum armis tenerent; inter Metam & Aram, luctæ se committere sunt coacti.

His perfectis, Arcades acie, ad Cladaum amnem, qui in Alpheum delabitur; compositâ, stetére; &c. Argivorum Millib. & CD. Atheniensibus stipati.

Elei verò, ex adversâ fluminis parte, per ordines instructi, & sacris interea ritè perfuncti, contrà tendebant.

Eo die, ipsi uti omnium præstantissimi, (præter morem, & inveteratam imbellitatis in ijs existimationem,) qui tamquam pro focis & aris tunc pugnarent, sociorum fuere duces. Et certè Arcadas primo illi conflictu in fugam statim vertérunt; & Argivos auxiliares egregiè vicérunt.

At longiùs eos ad Templum Vestæ, & Theatrum usque persecuti, & in æquum campum egressi; è locis editioribus, iaculis appetiti, STRATOLAM, CCC. ducem, cum paucis, amisérunt. Tanto tamen Arcadibus iniecto terrore, ut ne nocturno quidem tempore, à tentoriorum valliq́ue munitione, interquiescerent. Et Elei, postridie omnia ab hoste munitiora conspicati; magnâ cum animorum fiduciâ, (quam Numen aliquod ijs inspiràsse censeretur) in urbem redierint.

REGES MACEDONVM.

AMYNTAS ille Macedo, de quo sup. ad ann. XIII. ARTAXERX. meminimus, THARRALSI (qui inter Macedonum tamen reges non nominatur) Filius; quem IASON Pheræus, summæ rerum apud Thessalos præpositus, in belli societatem adsciverat; anno regni XXIV. (quo anno, & AGESIPOLIS Lacedæm. rex; & ipse IASON, è vita excessere) mortuus est. relictis III. Filijs, ALEXANDRO, PERDICCA, & PHILIPPO. (Alij quartum, PTOLEMÆVM, addunt, qui à fratre Perdiccâ sit occisus.)

ALEXANDER, Patri suffectus, ann. I. regnat. Huc Aleuadarum, in Thessaliæ Larissâ Principum, legati advénerunt, ut secum societatem adversùs ALEXANDRUM, IASONIS Pheræi F. (al. fratrem) impotentiùs dominantem, coiret.

Quapropter is hostem, qui in Macedoniam belli molem convertere animo destinârat, antevertens; ductis secum exsulibus, ad Larissam, & intrò admissus; primùm Vrbis, deinde Arcis, atque adeò Cranonis potens factus; quantumvis Thessalis eas urbeis restituturum promisisset; omnia præsidijs confirmavit, sibique vindicavit: ALEXANDRO, ad Pheræos suos, se recipiente.

Bœoti quoque, Thessalis opem implorantibus, PELOPIDAM cum exercitu in Thessaliam miserunt; ut illic, quoad reip. commodo facere posset, bellum adversùs eumdem Alexandrum, tyrannum, administraret.

Is quùm Larissam processisset; arcem, præsidijs ab ALEXANDRO firmatam, cepit. Et in Macedoniam progressus, societate cũ ALEXANDRO, Macedonum rege, initâ, PHILIPPVM fratrem ab eo obsidem accepit, & Thebas transmisit.

Eo autem tempore, quo EVPHRON tyrannidem in Sicyonijs sibi stabiliebat; PTOLEMÆVS ALORITES (ab Aloro, urbe natali) Amyntæ F. spurius, dolo Alexandrum, regem, fratrem, interemit. Et Macedoniæ III. ann. imperavit. Hæc ferè Diodor. 15. libr.

Iustin. verò, lib. 7. ait ALEXANDRVM illum, Amyntæ F. inter prima regni initia, bellum ab Illyrijs, pactâ mercede, & PHILIPPO fratre dato obside, redemisse. Et interiecto dein tempore, per eumdem obsidem, eum Thebanis pacis gratiam reconciliâsse. Quæ res PHILIPPO maxima egregiæ indolis, & famæ incrementa dederit.

Thebis namque ille triennio obses habitus, prima pueritiæ rudimenta, in urbe severitatis antiquæ, & in domo EPAMINONDÆ, summi & Philosophi & Imperatoris, deposuit.

Nec multo-post ALEXANDER, EVRYDICES matris insidijs appetitus, occubuit. Cui Pater AMYNTAS, in scelere deprehensæ, (nuptias enim generi pacta, occidendum virum, regnumque adultero tradendum, susceperat; nisi filia pellicatum matris, & sceleris consilia, prodidisset) propter communeis liberos, ignarus eisdem quandoque exitiosam fore; pepercerat.

PTOLEMÆVS ALORITES, frater naturalis, à matre haud

haud dubiè subornatus, ALEXANDRVM interfecit. Ipse vicissim ab altero fratre PARDICCA, post triennc regnum, interfectus.

PERDICCAS autem iste, ab alijs, pari insidiarum fraude deceptus interijsse proditur; cui apud matrem ne parvulus quidem filius misericordiam conciliaverit.

Alij, bello adversùs Illyrios captum esse, & cecidisse, memorant. & VI. ann. regnâsse: dum PHILIPPVS frater Thebis adhuc obses esset, qui fuitum eiusdem, diu, non regem, sed tutorem Nepotis, pupilli, egerit; ALEXANDRI Magn. Pater.

MESSENE RESTITVTA.

EPAMINONDAS, post Laconicam insuetatâ clade evastatam; & urbem primariam, Sparten, tantum non è propinquo, licet frustrà, oppugnatam; Arcadibus, eorumque socijs, auctor fuerat, Messenes, quæ situm infestandæ Spartæ commodissimum haberet; quæque à Lacedæmonijs, multis antè annis, & variâ fortunâ, eversa fuisset; iterùm à fundamentis exædificandæ.

Quo condita, Messenij, quotquot reliqui erant, conquisiti; & cum alijs, qui vellent, pristinæ civitate, post varios casus, & exsilia, magnaque temporum intervalla, redonati sunt.

PELOPIDÆ EXPEDIT.

PELOPIDAS, Epaminondæ æmulus, & belli gloriâ par, quum Thessaliam in potestatem Thebanorum redigere cuperet; legationisque iure satis se tectum esse arbitraretur. ab ALEXANDRO Pheræo, cui occurrerat, cum ISMENIA, expeditionis comite, comprehensus, & in vincula coniectus est.

Quo facto Thebani irritati, in Thessaliam IIX. armatum M. & DC. equites misêre.

Et quùm ALEXANDER, terrore perculsus, auxilium ab Atheniensibus postulasset; & illi naveis XXX. uno Mili Militum completas, duce ANTOCLE, submisissent; intereà dum hi Eubœam circumnavigant; Thebani in Thessaliam ingressi, & adiutoribus freti Thessalis, prœlio rem committere decreverant.

Verùm à socijs protinus deserti, postquam, ad ALEXANDRI copias pedestreis, & collectum ex Bœotis equitatum, Athenienses aliique ex socijs accessissent; domum ad suos salvi reverti cogitabant.

Eos autem per plana, iam in iter ingressos, ALEXANDER à tergo insecurus, & postremam agminis partem adortus, partim assiduis telorum iactibus confixit; partim crebris vulneribus adfecit.

Vnde Thebani in summam rerum desperationem, suprà rerum necessariarum inopiam, adacti, EPAMINONDAM, inter milites eo tempore privatum, (quem Senatus, ob humanitatem, Laconismò adhibitam, in libertate civitati us permittendâ, Polemarchi munere exauctorârant) supplices rogant, & ducem eligunt.

Ille levi armaturâ, & equitatu in extremo agmine adsumtis; & adversariorum impetum retudit, & tutum ante-gressis iter præstitit. Et exercitum, quasi ancipiti obsidione liberatum, in patriam incolumem reduxit.

3587. 39. Artaxerx. | 363.

MEGALOPOLIS CONDITA.

Sub id tempus, Arcades, ingenti pugnâ à Lacedæmonijs victi; & eorum in agrum suum excursiones veriti; loco opportuno Vrbem, cognomine Magnam, (Megalopolim) XX. Mænaliorum & Parrhasiorum vicis in eam contractis, condiderunt.

THEBANI REM NAVALEM CVRANT.

Thebani, PELOPIDA è vinculis redemto (sive, ut Plut. ab EPAMINONDA, qui bello ALEXANDRVM persequebatur, recepto, aut liberato) eiusdem EPAMINONDÆ cohortatione, ad vindicandum sibi maris imperium, C. naveis exædificandas, totidemque navalia, publico decreto, curârunt. Et ut Rhodij, Chij, ac Byzantij, sibi in hoc conatu adessent, rogârunt.

Ipse, cum exercitu missus, LACHETEM, Atheniens. ducem, qui validâ cum classe circà eas urbeis versabatur, hostium adventu perterrefactum, longiùs discedere coëgit; easdemque sub Thebanorum ditionem redegit.

Sed morte tanti Imperatoris, quâ post splendidissimam in Mantineis victoriam, postea oppetijt; exsurgens Thebanæ Reip. terrâ marique, terror, ac status, simul concidit.

EORVMDEM PRO ARISTOCRATIA conatus: & Orchomenus eversa.

Quùm verò quidam Thebanorum exsules, qui patriam ad Aristocratiæ normam traducere vellent, CCC. Orchomeniorum equites in parteis suas adduxissent: & stato die quo armorum equorumque lustratio, (ἐξέτασις) Thebis institui soleret; facinus in magistratus cogitatum adgredi constituissent; insidijs à quodam, coniuratus his participe, detectis, comprehensi, & in concionem producti, ipsi quidem, cum Orchomenijs, pro tempore interfecti sunt. Civitas verò Orchomenus, à Thebanis, ex veterum simultatum, quæ ab heroïcis usque, Minyarum & Herculis, temporibus, utrimque intercesserant, recordatione; funditùs eversa est. Viris ad unum necatis; liberis & uxoribus in servitutem abductis.

PELO-

3588. 40. Artaxerx. 362.

PELOPIDÆ EXITVS GLORIOSVS.

Thessali præterea, assiduis cum ALEXANDRO Phoræo bellis fracti & exhausti, & ad magnam militum inopiam redacti; missis iterum Thebas legatis, auxilium, & ducem in primis PELOPIDAN, Tyranno, à quo fuerat violatus, infensissimum, deposcebant.

Hic itaque, cum VII. hominum Millib. in Thessaliam veniens; & portenti, ex Solis defectu, à Vatibus prætignificati, incurius; cum adversario fiticis & loca editiora occupasset, & XX. amplius Militum Millib. stipatus esset, prœlium conferere non dubitavit.

Quo in prœlio, simul-ac conspexit ALEXANDRVM, incensus irâ, & equo in cum concitato; & multis, qui Tyrannum protegebant, suâ manu cæsis; quantumvis hostium copias lo fugam vertisset, & iam-tum victoriæ compos esset: longiùs tamen à suis in pu... pto...tus, & coniectis in unu.u undique telis ... ssus, occubuit.

Ea nih...minus clade ... fractus est Tyrannus, ut cùm Thessal... ivitat...s ademtas red... ue...; & Magnesios, Phthiotas & A...hiv..., in Bœotorum manus tradere; tum s...lo in posterum Pherarum imperio contentus esse, idâ cum Bœotis belli societate, ex pacto, cogeretur.

Et PELOPIDAS mortuus, ab universis Thessaliæ civitatibus, coronis aureis, & statuis æneis; eiusque liberi multo auro donarentur. Et Thebani, Cadmææ similem victoriam sibi illam putarent; qui in Pelopidæ, præstantissimi ducis, interitu, incomparabile damnum fecissent.

VARIJ HERACLEENSIVM IN PONTO CASVS.

Historiæ series exigere videtur, ut res Heracleensium, in Ponto, principum popularium tyrannide, memorabileis, & cum Græcorum bellis connexas, breviter attingamus.

Hanc urbem Bœoti, peste & adverso Phocensium bello communiti, ut coloniam in Ponti regione, HERCVLI sacram, conderent; conscriptâ colonorum manu, olim construxisse traduntur.

Quùm verò rerum latè potientes Athenienses, compressâ Persarum potentiâ, Græciæ vicinæ, & Asiæ, tributa, in tutelam classis, describerent; & ceteri cupidè conferrent; Heracleenses, ob amicitiam regum Persicorum, collationem abnuerant.

Missus itaque ab Atheniensibus LAMACHVS cum exercitu, ad extorquendum, quod negabatur, dum relictis in litore navibus, agros eorum populatur; classem, cum maiore parte exercitûs, naufragio, ex repentinâ tempestate, amisit.

Illos tamen, neque terrâ, neque mari quidquam tentare audenteis, Heracleenses, honestiorem beneficij, quàm ultionis, occasionem rati; instructos commeatu & auxilijs à se dimiserunt.

Posteà, dissensione domi exortâ, & plebe novas tabulas, & æquabilem agrorum divisionem, impotenter flagitante; locupletiores, frustrà petitis, adversùs plebem, nimio otio lasc...ientem, priùs à TIMOTHEO Atheniensium; deinde ab EPAMINONDA Thebanorû, auxilijs, ad CLEARCHVM, Philosophiæ olim Platonicæ candidatum; quem oti quietis impatientiorem, & magna ...riù spirantem, in exilium egerant; decurrunt, & ad patriæ tutelam revocant.

Ille dissensionem civium, invadendæ tyrannidis occasionem existimans; & cum MITHRIDATE, civitatis hoste societatem pactus, ut pr...dita ei urbe, præfectus eius c...nstitueretur: I...um quidem, statuto tempore, quo urbem traderet, venientem, cum ...mi... cepit; & non nisi ingenti pecuniâ acceptâ dimisit. Ipse verò ex Defensore Senatoriæ caussæ, repentè patronus plebis evasit. Quæ non modo summum ei imperium detulit; sed in servitutem etiam tyrannicæ dominationis, odio patriciorum, totam se tradidit.

Et ille ad Dionysij, Syracusani tyranni, exemplum seipse, remque publicâ conformavit. Senatores LX. cæteris in fugam dilapsis, in vincula compegit; & tandem fortunis utrâque spoliavit.

Eorum, qui profugerant; & civitateis in auxilium bellumque sollicitabant; servos manumittit; & uxores filiasque ijsdem nubere compellit. Ex quibus permultæ se ipsæ antè nuptias, multæ in ipsis nuptijs, occisis priùs novis maritis, interfecêre: & ...e tam funestis calamitatibus, *virtute ingenii pudoris*, eripuerunt.

Prœlio deinde commisso, victor tyrannus, Senatores captivos, triumphi in modum, per ora civium traxit: & nullum urbis locum à crudelitate vacuum reliquit.

Atque adeò ex successu continuæ felicitatis, hominem oblitus, Iovis se filium; & filium suum CERAVNVM, hoc est, fulminatorem, vocari voluit.

In hunc tandem duo nobilissimi iuvenes, CHION & Leonides, (in quorû priorem, Athenis ingenium, percussor à Tyranno fuerat immissus.) Platonis discipuli, patriæ liberâdæ cupidi, conspirant. Et ... cognatis, ceu clientibus, in insidijs collocatis, intre familiaritatis ad tyrannum, in arcem, admissi; & simulato inter se iurgio, audito; eum obtruncant.

Sed & ipsi, socijs tardiùs auxilium ferentibus, è vestigio à satellitibus obruti sunt.

Eâdemque viâ, frater CLEARCHI, SATYRVS, tyrannidem invasit. (Diodor. vult, TIMOTHEVM F. tyranno successisse.) Multis certè deinceps annis, per gradus successionis, Heracléa sub regno tyrannorum fuit.

NOVI

NOVI INTER GRÆCOS BELLI OCCASIO,

EX SACRILEGIO.

[illegible]588. | 362.
40. Art.

TI[illegible]THE[illegible] interea, A[illegible]heniensium dux, Toronen & P[illegible]am, terrâ marique [illegible]llas, cepit. & C[illegible]en[illegible] h[illegible] obsidione liberavit.

Nova autem belli, & quidem ingentis, occasio nata est, ex eo quod Arcades, communi cum P[illegible]sæis auspicio, ludos Olympicos, ut dixi, celebraissent: & Templi ibidem, sacræque pecuniæ potestatem sibi vindicârent. Eorumque principes [illegible]a donaria in privatos usus [illegible] Eparitorum [illegible]tum, sive Equitum, id erat corpus, à V[illegible] [illegible] ita nuncupatum, quasi EOELBOR [illegible] convertebant.

Qu[illegible] subeunte pudore, & sacrileg[illegible] primi Mantinéi, publico decreto, [illegible] (Diodor. contra hosce in per[illegible] [illegible]; & belli adversus Eléos pr[illegible] fuisse. Et ipsi porro u[illegible] qui e[illegible] præcipui Arcadum & T[illegible]m [illegible] damnatos, in vincula abduc[illegible]nt; exsulissent.

Illi, eorumque duces, qui peculatûs conscij essent; & repetundarum actionem horrerent: & de salute per[illegible]aturi esse præs[illegible]ent. Thebanis, Arcad[illegible] ad Spartan[illegible] defectionis metum, & novæ expeditionis necessitatem, denuntiant.

Qui vero Peloponnesiorum quieti & saluti melius prospectum vellent, partim Thebanos ab armis & sacrilegij tutela, [illegible] hortati sunt: partim El[illegible] p[illegible] compositâ, de Templi Olympici iure & [illegible] contentione: fœdus, Tegeæ, [illegible] se, [illegible] [illegible]bus in speciem Thebanis, eorumque HAR[illegible]OSTA, sancivere.

Quod [illegible] mutuo omnes sacramento firmâssent; & [illegible] hilaritate, atque adeo ipsi etiam e[illegible] o[illegible] Acarnanes, concelebrarent. Theba[illegible]us tamen dux, qui CCC. in urbe Te[illegible], gravis armaturæ militibus, sive Eparitis, ijsque B[illegible]tis, præerat; unà cum adversæ factionis [illegible]ncipibus, præstantissimos Arcadum, (qui ex omnibus undique urbibus, pacis cupidi, conflux[illegible]rant) comprehendunt, & custodiæ mancipant.

Sed q[illegible]m ex eo numero Mantinæorum plerique, qui maxime petebantur, & in iis erant; impunè evasissent: Et hi, facti indignitate commoti, reliquas Arcadiæ civitates ad arma conc[illegible]arent; captivi quidem postero die a Thebano HARMOST[illegible], qui nescio quid caussæ commentus, errore se, & falso proditionis rumore, deceptum fuisse fingeret, è carcere dimissi sunt.

EPAMIN[illegible]NDAS verò (qui hactenus d[illegible] Thebanis, æquitate, non minus quàm fortitudine, optimè meritus; hoc improbo consilio se & patriam pessum-dedit) tum Imperator exercitus, qui se iam pr[illegible]incto & ignaro, pacem factam doleret & coram Legatis, ceu vitio factam incusaret; in Arcadiam, tamquam ijs, qui secum se [illegible]rent, opitulaturus, rectà tendebat.

Quo metu exterriti Mantinéi & Arcadum alij, cum Eleis & Achæis, qui Peloponnesi dissidium, & exitium, avide & hostiliter pe[illegible] prospicerent; Athenienses & Lacedæmonios, ad hostem communibus viribus à se propulsandum, solicitabant.

Ille autem Boeotorum omnium, Euboeënsium Thessal[illegible]rumque copijs, & ALEXANDRI etiam Pheræi adversariorumque auxilijs, instructus, (Phocæis alios lacessere, ex pacto, & peregrè sequi, tum recusantibus) Atque adeò sibi in Peloponneso, Argivos & Me[illegible]enios; & ex Arcadibus quosdam, Tegeatas, Megalopolitas, Althæatas & Pallantéos pro se stare ratus: ad Nemeam processerat.

Vnde postea quàm Athenienseis, quos ibi excepturum, & improvisâ clade adfecturum, sperârat; mariter instituisse, ut per Spartanum agrum Arcadibus suppetias ferrent; intellexit, castris translatis ad Tegeam contendit.

EXCVRSIO THEBANORVM IN AGRVM SPARTANVM.

Vbi quùm frustra tempus tereret: neque ullam ex propinquis civitatibus ad se transire, aut deficere, vi[illegible]t: & cæteris ex Arcadiâ hostibus, ad Mantineam, [illegible] castrametatis; AGESILAV[illegible], cum Lacedæmonijs infesto in se exercitu profectum, ad Pellenen pervenisse cognovit, (Alij addunt, ab AGIDE totum equitatum, ac τ' ξένων, Mantineam versus, ante traductum,) [illegible] edicto per præcones excitis, & corpora curâ procurare iussis, rectà Spartam, uti [illegible] ab defensoribus vacuam, copias [illegible].

Et absque Crete quodam qui [illegible], Xen[illegible] de Th[illegible] [illegible]ILAVM opp[illegible]; [illegible], dubio procul, [illegible] ceperat q[illegible] & [illegible] in Arcad[illegible] pr[illegible], ac merc[illegible] militè; & III. [illegible] decem domesticis cohortibus [illegible] destitu[illegible]

(Diodor. contrà ab [illegible] cursores [illegible]tas, ad AGESILAVM urbis [illegible] subi[illegible] fuisse, tradit. [illegible]ut. A[illegible] ri[illegible], & eg[illegible]giè p[illegible] A[illegible]DAM [illegible] suo; & ISADA, [illegible] pu[illegible]se.)

ARCHID[illegible]VS, qui [illegible] adventum præse[illegible]rat; cum C. non amplius, effœtæ iam ætatis

(Iustin.) viris, loco iniquo, & in ipsis portarum angustijs, armatus occurrit; & adversus xv. militum M pugnæ se obrulit. *Tantum animorum virumq; patriæ penatiumq; conspectus subministrat*; Vt pueri etiam, & imbellis ætas, ex ædium tectis, hostem in urbem irruere conantem, iaculis saxisque repellerent. (II. hostium duces, eo in conflictu cecidisse, tradit Iustin.)

EPAMINONDAS, eâ spe deiectus, quod Arcadas, cum cæteris, auxilio mox sociæ, & periclitanti Spartæ, adfuturos augurare tur, (Iustin. nuntiato AGESILAI adventu) ne utrimque oppugnaretur; ad Tegeam recessit. Et vix concessâ peditibus quiete, equites ad Mantinéam (alijs Nemeam) præmisit; ratus incolas, cum iumentis frumento ex agris comportando, occupatos, (erat enim messis tempus) foris agere.

(Diodor. audito ex captivis, Mantinéos, universis cum copijs, ad opem Spartæ ferendam, longiùs progressos.)

Sed commodùm Atheniensium equites, (sexies mille, duce HEGELOCHO (forte sexcenti,) Elusine egressi, epulo apud Isthmum agitato, per Cleonas, ad Mantineam (al. Nemeam) accesserant, & castra intra muros posuerant. qui vel impransi, ut ijs, qui ruri & extra urbem versabantur, succurrerent; strenuè depugnando, multis licet utrimque amissis, socios ab hostili iniuriâ vindicârunt; & de-insperato urbem servarunt.

MEMOABILIS AD MANTINEAM PVGNA; ET EPAMINONDÆ Exitus.

EPAMINONDAS porrò, qui exactoiam militiæ tempore brevi sibi imperio decedendum esse cogitaret. & ægrè eos desereret, quibus bellicæ fortunæ socius, an auctor accellerat. & Tegeæ obsidionem, ab hoste, se digresso, non sine manifestâ pristinæ suæ gloriæ labe, futuram reformidabat.

(Tum quòd & ad Spartam à paucis repulsus; & nuper ad Mantinéam equestri prœlio victus, aut inferior fuisset. tum ob susceptam, se auspice, in Peloponnesum, expeditionem; ut Lacedæmonij, Achæi, Arcades, Elei & Athenienses, inter se animis & armis conspirarent; quodam modo auctor, sive impulsor fuisset.)

Memorabili pugnâ, quâ vel vinceret, & hostium vireis disiungeret; vel honestâ morte, in ipso impetu, universè civitati suæ adserendi, conatu, occumberet; sibi defungendum existimabat.

Militem itaque suum strenuè, paullò antè pugnæ periclitationem, & audaciâ, & novâ, ex armis splendidis & fabrè politis, alacritate implevit. Et dubiâ instituti sui & itinerum dissimulatione, ita hostem cautè ludificatus est; ut de-subito in eum imparatum, & ordinibus dissolutis securum, incurreret.

Stabant pro Mantinéis; Eléi, Lacedæmonij, & Athenienses, ad xx. & eo amplius peditum; ad II. circiter equitum millia.

Tegeatis verò vireis suas consociârant, ARCADVM prestantissimi, ACHÆI, BOEOTI, ARGIVI, & è Peloponnesijs nonnulli, cum externis; ad plus xxx. mille pedites, & equites III. mille.

Mantinéi exercitibus in aciem productis, & re divinâ perfectâ, victoriam à Dijs utrimque portendi denuntiarant.

Et hinc ipsi quidem, cum cæteris Arcadibus, & proximis sibi Lacedæmonijs; dextrum cornu. Inde verò sinistrum, (Eleis & Achæis, mediam aciem complentibus) tuebantur Athenienses.

Ex alterâ autem parte, Thebani cum socijs Arcadibus, in lævo; Argivi verò, in dextro cornu constitére.

Euboëenses, Locri, & Sicyonij, & cum his Messenij, Maleenses & Æneanes; item Thessali & externi; permistis stabant ordinibus à tergo, ubi opus foret subsidio socijs, in pugnâ laborantibus, futuri.

Et quùm equitatus ab utrisque ad gemina cornua esset dispertitus; inde prælium etiam, statim à tubæ classico, sine peditatu, committi cæptum est.

Hîc Athenienses, impetu in Thebanos facto, à militari ordine & funditorum adparatu, nequaquam pares, ita cessére; ut dum fugam extra cornua faciunt, victoriam in integrum restituerint. Agmine namque minimè pertubato, in Euboïcos, & mercenarios aliquot, qui ad colles occupandos præmissi fuerant; delati, & manum cum ijs conferentes, omneis ad unum occidérunt.

Dum verò Thebani in perrumpendo hostium agmine, & acie peditum disijciendâ, occupati, Athenienseis acri prœlio felices impellerent; Eléi equites, qui in postremis steterant, socijs summotis & terga iam vertentibus, in tempore succurrérunt: & multis Boeotorum cæsis, cladis acceptæ vicem per se ulti sunt.

In altero itidem cornu, diu ancipiti inter equites fortunâ dimicatum est. Donec Mantinei, multitudine & robore Boeotorum ac Thessalorum equitum, loco cedere coacti, multis amissis, ad suum tamen agmen refugerent.

Pedites verò, simul-ac ad manus ventum esset, ducibus & viribus pænè exæquatis (quòd eâ tempestate, Boeoti & Lacedæmonij, præ cæteris, pedestris militiæ gloriâ peritiâque excellerent) post longum & pertinax certamen, animorum ardorem non remittebant: & neutri faciem avertebant.

Hîc EPAMINONDAS, dum non ducis tantùm, verùm fortissimi etiam militis officio fungitur, & audaciùs instat; cognitus à Lacedæmonijs; (sic Probus) quòd in unius pernicie eius, patriæ sitam putabant salutem; universi in eum impetum faciunt. neque priùs abscessére, quàm magnâ editâ cæde, ipsum fortissimè pugnantem, sparo eminus percussum, concidere viderunt.

Hoc casu retardati aliquantulùm Boeoti; non tamen priusè pugnâ excessêre, quam repugnanteis profligassent.

Iustin. autem, sic: Audito, graviter vulneratum esse EPAMINONDAM; his ex dolore metum, & illis ex g[illegible]o stuporem iniectum. atque ita veluti ex placito consensu, à prœlio utrimque discessum esse. Diodor. verò: Oborto circa corpus EPAMINONDÆ certamine, & multis hinc indè cadentibus; Thebanos tandem vicisse: & hostem paulli[illegible]er in[illegible]uros, ut cadaverum potirentur, mox re[illegible]e. Et tum de[illegible]um, ad tubæ sonitum, à prœl[illegible] [illegible]est[illegible]tum & dubiâ victoriâ tropæum ab utrisque constitutum.

INSIGNE DIVINÆ PROVIDENTIÆ

EXEMPLVM.

Xenoph. denique: Qum ex huius prœlij eventu, inquit, vel eorum, qui vicissent; in cæteros Græcos imperium: vel, qui victi; servitus penderet; DEVM ita rem dispen[illegible]e; ut utrique, tamquam victores, tropæa erig[illegible]rent: neque alteri alteris eà in re obsisterent. Vtrique mortuos, ad sepulturam postulatos concederent, & reciperent. Et quùm utrique vicisse se dicerent; neutri tamen, neque g[illegible] ul[illegible] potiti; n[illegible]que ullâ aliâ re auctiores fuisse, q[illegible] ante commissam pugnam, viderentur.

MAGNIT[illegible]DO ANIMI IN EPAMINONDA MORIBVNDO.

At EPAMINONDAS in castra relatus semianimis, cum animadverteret mortiferum se vulnus accepisse: simulque, si fe[illegible]um, quod ex hastili in corpore remanserat, ext[illegible]xi[illegible]et, animam stat[illegible]m emi[illegible]urum, u[illegible]que eò ret[illegible]uit, qu[illegible]ad renuntiatum est vici[illegible]e Boeotos. Quo audito: *Satis*, inquit, *vixi. invictus namque morior.* & ferro extracto confestim exanim[illegible]tus est.

Iustin. Vt vocem spiritumque colle[illegible]t, id unum à circumstantibus requisivit. *Num cadenti sibi scutum hostis ademisset!* Quod ut ab arm[illegible] [illegible] servatum audivit; adlatumque, velut laborum gl[illegible]riæque socium exosculatus est: iterumque quæsivit *Vtri vicissent*. Et ut audivit Thebanos; *Bene [illegible] [illegible]em habere* dixit. Atque ita velut gratulabundus patriæ, exspiravit.

Alij addunt Quùm iam animam ageret, iussisse arcessi ad se DEIPHANTVM; dein IOLAIDAN. Et ubi utrumque periisse comperit; subiecisse *Vos, igitur, cum hostibus transigite. Iam enim Boeotia ducem non habet.*

Prœlium hoc Mantinense, XII. Scirrophorionis die. (XV. Iunij) commissum refertur.

3589. | 361.
41 A[illegible].

Qu[illegible] [illegible]em Thebæ, & ante EPAMINONDAM natum, & p[illegible]st eius interitum, perpetuum alienò paru[illegible] [illegible] to[illegible]p[illegible]: c[illegible]ntrà, eæde[illegible], quamdiu ille [illegible]u[illegible] [illegible]æ præfuit, caput totius Græciæ fuerint; [illegible] [illegible] patriæ gloriam & [illegible]atam; & viribus, eius occasu, hebetatis, exstinctam simul fuisse, manifestum est.

Nisi veriùs ipse temeritate quâdam, & suâ morte patriam secum in ruinam dedisse censendus est.

Huc usque Xeno[illegible]hon, scriptor melle Hymettio dulcior, rerum Græcanicarum historiam pertexuit.

Pros[illegible]untur cætera Diodor. Sicul. & Gemistus Plethon.

GRÆCI DEGENERES.

Quod autem idem Xenophon extremâ historiæ suæ parte, [illegible] rem [illegible]rum in Græciâ confusionem; & gravi[illegible]s in posterum à pugnâ illâ tumult[illegible] e[illegible]tisse, prodid[illegible]t; Iustinus confirmat. *Qui fra[illegible] iam, EPAMINONDÆ morte, Thebano[illegible]um viribus, & Lacedemonys, longinquo bello debi[illegible]atis, Atheniensium etiam virtutem. sub[illegible] ato [illegible]o emarcuisse. Eosq; in segnitiem torporemq; re[illegible]olutos, tradat. non[illegible] ut olim in classem & exercitus; sed in dies festos, adparatusq; ludorum, publicæ pecuniæ reditus effudisse. Et vectigalia, (D[illegible]MOSTHENE P[illegible]p[illegible]is conquerente) quibus anteà remiges & milites alebantur; cum urbanâ plebe dividere cœpisse.*

Quibus rebus effe[illegible]um sit, ut inter deli[illegible]ias, & otia Græcorum obscûrum anteà Macedonum nomen emergeret. & PHI[illegible]PPVS ex eâ stirpe reliquus obs[illegible]s, uti diximus, trienn[illegible]o Thebis habitus; & EPAMINONDÆ PE[illegible]OPIDÆQVE virtutibus ac doctrinâ eruditus, regnum Macedonicum, Græciæ priùs, Asiæ deinde [illegible]vicibus, veluti iugum servitotis, imponeret

IIDEM INTER SE CONCORDANT.

3590. 42. Art. | 360.

Graeci, rebus inter eos, ex ancipiti prœlij Mantinensis victoriâ, & diuturnâ ante-bellorum, quæ cum æquabili animorum cessitate osque coniuncta fuisset, toleranriâ: quasi ad æquilibrium redactis: bellum, intrâ inter se pace & societate; & Messen.js (quos AGESILAVS à fœdere exclusos v et & ARTAXERXES ipse, cum al s, participeis esse cuperet) in partem concordiæ admissis; composoerunt

Sed Lacedæmonij, quòd implacabileis, adversùm Messenios, inimicitias gererent; istius compatinonis nuntio offensi, fedus amplecti, aut comprobare noluerunt.

SERIA ARTAXERXIS IN ÆGYPTVM EXPEDITIO.

ARTAXERXES, paucis antè annis (sexennio circiter) magnas adversùs Ægyptios, qui à se desecerant, copias: D. navcis; ccc. scilicet triremeis, & τριακοντόρους. cc. Et barbarorum militum xx. & Græcorum, xx. Millia) ducibus, barbarorum quidem, ARTABAZO; mercenariorum Græcorum, IPHICRATE Atheniensi: PHARNABAZO verò universis præposit, in expeditionem miserat.

Sed NECTANEBE rege, locis circa Nilum munitis, se continente: & exorta inter Persicos duces simultate, quod PHARNABAZVS procrastinator, IPHICRATI, qui occupato mòx Mendesio, Memphim, metropolim, adhuc imparatam, & viris vacuam, petendam suaserat; inviderer) Et Ægyptijs interim supervenientibus; & aditu ad Memphim intercluso: post levia aliquot, hîc ibi, certamina, quantumvis incredibileis in bellicum adparatum sumtus fecisset; oleum & operam, quod aiunt, perdiderat. Nunc denuò, licet longè maioribus difficultatibus implicatus, ad idem bellum se necessariò accingebat.

Neque enim tantùm Asiani, maritimi tractûs accolæ; Iones, Lycij, Pisidæ, Pamphylij, & Cilices, Syri & Phoenices, sed maximarum etiam provinciarum Satrapæ; ARTOBARZANES Phrygiæ; MAVSOLVS Cariæ; ORONTES Mysiæ; & AVTOPHRADATES Lydiæ; ab eo desciverant.

Et TACHOS, Ægyptiorum rex, classe iam comparata, & pedestri exercitu è Græciâ contracto; & Lacedæmonijs quorum animi ob Messenios in fidem publicam, rege agente, receptos, in eumdem erant exacerbati ad societatem sollicitatis; eidem bellum moliebatur.

Et quùm res quidem in Asiâ, utili perfidia, alternâque quorumdam perduellium, Satraparum, proditione & ORONTÆ in primis, rei bellicæ summam, & pecuniam rebelles anteà crediderant) Deinde RHEOMITRÆ (quem ijdem ad TACHON regem cum D. argenti talentis, & navibus L. subsidio frustra miserant) suprà ARTABAZI, regij ducis, al), MITROBARZANEM, socerum, appellasse videntur de DATAME, rebelli Cappadocum principe, victoriam, feliciter, & ex regis sententiâ, compositæ sunt:

Tum maiore strepitu Ægyptus, in Persam, belliturire cœperat. Vbi TACHOS, rebus omnibus, ad bellum necessarijs, ita comparatis; ut cc. triremeis, & lectorum è Græciâ mercenariorum X. & peditum ex Ægypto LXXX. M. recenseret: AGESILAVM quidem (qui licet præcipitatâ ætate, cum M. armatis Lacedæmone advenerat) mercenarijs, CHABRIAM verò Atheniensem, qui sponte suâ & privatus militabat; copijs navalibus præfecit. summâ rerum, exercitûsque totius imperio sibi reservato.

Ab illo autem, dum præter voluntatem & opinionem AGESILAI, exercitum longiùs ab Ægypto abduceret; & haud procul Phoenicia, castra collocâsset; coosobrinus eius, qoem proregem, sive vicarium Ægyptijs ducem reliquerat; defecit. Et filium suum, NECTANEBON (quem idem rex, cum parte Ægyptiæ militiæ, è Phoeniciâ, ad oppugnandas Syriæ urbeis miserat ut repudiato TACHO, regiom sibi in castris decus nomenque adrogaret, cohortándo induxit.

Ille itaque paternis insidijs monitisque acquiescens, duces muneribus, milites promissis, sibi devinxit; & ad regnum grassatus est.

TACHOS verò, occupatâ à rebellibus Ægypto, tot proditionum pertæsus, ad regem ipsum ARTAXERXEM, per Arabiæ deserta, adscendere ausus, non modò crimine perduellionis solutus, & veniâ dignatus est; verùm totius etiam regionis præfectus, & cæpti adversus Ægyptios belli Imperator, ab eo designatus.

Is, ut vult Diodor. quùm regi ita reconciliatus, ad AGESILAI exercitum se rursus recepisset, eiusdem opera, profligatis NECTANEBI copijs, regnum recuperavit.

Plutarchus contrà: AGESILAVM, abductis mercenarijs, à TACHO ad NECTANEBVM transijsse: & patriæ commodum, uti iussus erat à Senatu, & sic effugit debebat; indigno perfidiæ, & proditionis facinori prætexuisse. TACHON autem ita desertum, proditumque, fugæ se iterum mandâsse.

Sed cum alius à MENDESIO rex designatus in

NECTANABIM insurrexisset; & contractis c. hominum millib. infestus imminerer; Diod. id ipsum NECTANABI, in Tachon & AGESILAVM bellum moventi; & utrumque ad disceptandum armis, de regno provocanti, attribuit)

Ipseque adeò NECTANABIS AGESILAVM, initiò perculsum, confirmaret, diceretque: Exercitum illum è vili turbâ & tyronibus esse conflatum: prœlio itaque quàm primùm decernendum; ille, belli perita, aliuque longè præstantior, multitudinem illam, à qua parti ipsi circumveniri; multaque ante-capi posse; pro te natâ, minimè contemnendam duxit.

[illegible] à re sua [illegible] in munitam urbem abductus, & muris includi se passus; quum rex, & obsidione hostium, & intestinâ annonæ pænuriâ territus, belli aleam tentandam iterum suaderet, iterū quoque contemsit, donec fossæ, quam urbi hostes circumdederāt; & loci angustioris, aquâque inundante impeditioris, opportunitate usus; Ægyptios, multitudine cōfisos simul, & confusos, non uno prœlio dissipavit; & proculin fugam vertit, regnumque NECTANABIDI confirmavit. Ab eodem inter cætera munera, ccxxx. argenti talentis donatus.

AGESILAI EXITVS.

Ipse verò in patriam revertens, quùm in portum, qui MENELAI dicitur; quique Ægyptum inter & Cyrenen, iacet; tempestatibus iactatus esset; in morbum implicitus è vitâ decessit, quadriennio plus octogenarius: totius pænè Græciæ Imperator, ad pugnam usque Leuctricam habitus.

Corpus eius, melle conditum, sive cerâ oblitum, & Spartam reportatum, regiâ celebritate sepultum est. (Xenophon vult in patriâ obijsse.)

ARCHIDAMVS (al. Archelaus) ei F. in regnum successit. Quod penes eam stirpem, ad AGIN usque, v. ab AGESILAO, permansit.

Quem pristino reducere instituta conantem, LEONIDAS interemit. Vide seriem regum Lacon.

DARIVS PERSARVM REX DESIGNATVS.

ARTAXERXI regi, ex pellicibus, cxv. liberi fuêre. III. verò tantùm iusto matrimonio suscepti, DARIVS, ARIARATES, Plut. & alijs, Ariaspes. quem ætatis prærogativâ superasse Ochum, ambiguè innuere videtur) & OCHVS.

Ex his Darium (multa contrà adnitente Ocho, qui eblandito ATOSSÆ, filiæ uxorisque regiæ, favore, haud obscure subnitebatur) natu maximum, & quinquagenarium, contrà morem Persarum (apud quos rex non nisi morte mutatur) pater regem, vivus, & per indulgentiam, fecerat. Et ne civilibus in regno motibus, procerumque coniurationibus obviam iret; heredem ex asse pronuntiarat.

Sed Darius, post novum paternæ pietatis an indulgentiæ! exemplum; Tiribazo (qui ... pactis modò AMISTRIDIS, modò ATOSSÆ, regiarum filiarum; quas ipse sibi pater in coniugium adsciverat; nuptijs exclusum doleret) instigante, patris interficiendi consilium cepit: & L. fratres in societatem facinoris adsumsit.

Caussa autem paricidij, vel ipso paricidio sceleratior fuisse traditur. Darius, ex lege Persarum patriâ, quâ decretum erat, ut rex designatus, quidquid ab eo, qui designâsset, peteret; quod quidem in eius esset potestate) eius compos evaderet.

Aspasiam, Phocæam, ex Ioniâ, puellam, (quam Cyri fratris anteà pellicem, Artaxerxes velut in matrimonium receperat) sibi darià patre postulavit.

Ille, pro suâ in liberos indulgentiâ, primò cellorum dixerat. atque adeò, quùm & ipsa Aspasia, iam libera, Darium sibi maritum coràm & lubenter delegisset; iam cesserat.

Sed mox pœnitentiâ, an zelotypiâ ductus, ut quod temerè promiserat, honestè negaret; Solis eam (al. Dianæ, al. Veneris, quæ Ecbatanis colitur, & Anytis vocatur) sacerdotio præfecit. quo perpetua illi ab omnibus viris pudicitia imperabatur.

Hàc iniuriâ exacerbàtus Darius, in iurgia primò patris erupit: & mox factâ cum fratribus (Plut. Eunuchis) coniuratione, dum patri insidias parat; deprehensus cum socijs, pœnas paricidij, Dijs, paternæ maiestatis vindicibus, capite novaculâ à carnifice desecto; vel, ut alij, strictò in supplicem irati patris acinace; expendit. Coniuges quoque omnium, qui coniurârant, cum liberis (ne quod tanti sceleris vestigium exstaret) interfectæ.

Et OCHVS, DARII loco, heres regni à patre pronuntiatus.

Neque ita multo-pòst pater MNEMON, quùm xciv. annos vixisset, & xlii. aut xliii. regnâsset, morbo ex dolore animi contracto; (al. auditâ filij, Arsamis, nece) decessit.

ARTAXERXES OCHVS, PERSARVM REX. IX.

3591. 2. Olympiadis 104. ut nonnullis placet. — 359.

OCHVS, paterno & proavito cognomine ARTAXERXES, regni iam potitus; quasi à pari in se coniuratione præmetuens, quùm Ariaspem, dolo (fingens a patre in eum, quasi paricidij cum DARIO consortem, mortis sententiam iam tum esse ferendam) ad letalem veneni potum impulisset; & ARSAMEM, è spurijs unum, clam, per ARPATEM, TIRIBAZI F. è medio sustulisset: regiam, reliquorum cognatorum cæde, & strage principum, nulla sanguinis, sexûs aut ætatis misericordia, replevit, *ne innocentior scilicet fratribus paricidis haberetur.*

Atque ita, veluti expiato regno, Cadusijs, infestæ semper genti, bellum intulit. Vbi CODOMANI cuiusdam, qui posteà DARIVS rex, singularis virtus enituit

enituit: ipseque Armeniorum regioni tunc præfectus est.

NOVÆ IN ARCADIA TVRBÆ.

In Arcadiâ, res iterum, vix anno post commune fedus, vertente, hàc caussâ perturbatæ

Quùm ex pacto, statim à pugnâ, Græci, in suam quisque patriam, redire iussi essent: Et ij, qui ex Arcadibus pristinos & nataleis vicos deserere; & in Megalopolim, recèns ædificatam, commigrare, coacti fuerant; ad priores sedes se recepissent; Megalopolitæ, ut illi, ceu fugitivi inquilini, ad se redirent, omni ope moliebantur.

Atque adeò, obortâ eam ob caussam controversiâ, hi à Mantineis & cæteris Arcadibus, ab Eleis & alijs, quibus cum Mantineis communis belli societas fuerat; auxilium quiritárunt.

Illis contrà, Athenienses, III. armatorum M. & CCC. equites, duce PAMMENE, confestim submisérunt. A quibus, opidani, vicis alijs expugnatis & direptis alijs terrore subactis; Megalopolim remigrare sunt compulsi.

CYCLADES VEXATÆ.

ALEXANDER Pheræus, missis prædatum in Cycladas Insulas navibus, ex ijs nonnullas expugnárat, & magnam mortalium vim in potestatem suam redegerat.

Iamque cum milite mercenario urbem Peparethi obsidebat; quùm impetu in Athenienseis, (qui auxilio, duce LEOSTHENE, Peparethijs submissi, quosdam ALEXANDRI milites, in Panhormo deprehensos, concluserant) converso: non modò suos è certo periculo liberavit; sed triremibus etiam Atticis V. & I. Peparethiâ, cum DC. pænè captivis, potitus est.

Et LEOSTHENI, capitis damnato, suffectus CHARES, non modò nihil, evitatis tantùm hostium insidijs, præclarum gessit; sed excitatis in Corcyrâ seditionibus, & cædibus, & suâ sævitie, immensum patriæ suæ odium apud socios conciliavit.

PHILIPPVS MACEDONVM REX.

3592. 2. Ochi. | 358.

Hoc 2. OCHI anno (Agellio est annus V.C. CD.) (Quùm hactenus in Macedoniâ regum potiùs mendicabula, quàm iusti reges fuissent, à Thebanis, à Lacedæmonijs, aut Atheniensibus, opem adversus barbaros, emendicare coacti.)

PHILIPPVS, AMYNTÆ, de quo sup. F. Macedonum rex, à CARANO XXII. (Olymp. V. suprà centesimam, teste Gemisto.) regnum auspicatus est.

Macedoniæ quidem termini initiò peranguisti fuere; sed postea virtute regum, & gentis industriâ; subactis primùm finitimis, mòx populis nationibusque; imperium ad extremos usque Orientis terminos, est prolatum.

Hic autem PHILIPPVS, ut regnum est ingressus, magnam sui spem omnibus fecit: quod eius ingenium magnum sponderet virum. quodque vetera Macedonum fata canerent; *Vno ex Amyntæ filijs regnante, florentissimum fore regni statum.*

Quùm autem principiò, præter metum domesticarum insidiarum, inopia, exhausti antè continuis bellis, regni; & bella in præsens, quâdam veluti multarum gentium conspiratione, ad opprimendam Macedoniā, diversis ex locis confluentiâ, immaturam tironis ætatem urguérent. quoniam omnibus par esse non poterat; dispensanda ratus, alia interpositâ pactione composuit; alia redemit.

PERDICCAS namque frater, post PTOLEMÆVM ALORITEN, regno potitus; prælio cum Illyrijs commisso, quo ampliùs IV. Macedonum Mill. perierant, & ipse captus fuerat; regnum consternationis plenum reliquerat.

Et cum Pannones finitimi, pro quodam victæ gentis contemtu, agros passim populabantur: atque Illyrij, victoriæ vestigijs insistentes, ingentibus cum copijs in Macedoniam irruere parabant. Tum PAVSANIAS quidam, regiâ stirpe ortus, ope regis Thracum, in idem regnum invadere moliebatur. Et Athenienses, PHILIPPO infensi, ARGÆVM, alterum regni candidatum, milite & classe idoneâ, duce MANTSA, adiuvabant.

Quibus incommodis anxios Macedonum animos, PHILIPPVS ipse interritus, re & verbis confirmavit. Veterem militiæ disciplinam, & decorum armorum adparatum, instauravit. excogitato tum primùm, exemplo Heroum illorum, quos bello Troiano HOMERVS, *scuta scutis conseruisse*, prodidit; Macedonicæ *phalangis* invicto & stabili agmine.

Neque minore prudentiâ, clades regno imminenteis avertisse iudicatus. Quùm namque perspiceret Athenienseis mirifico reciperandæ Amphipoleos studio teneri: & eam ob caussam ARGÆVM ab ijs, regno turbando, adductum; ultrò eâ urbe cessit, & suo uti iure permisit.

Missis præterea ad Pæonas legatis, & pollicitationibus, effecit; ut pacem in præsentiâ secum firmarent. Et rege Thracum donis delinito, à PAVSANIÆ æmuli metu se liberavit.

ARCAVS, quem MANTIAS classe Methonen adpulsus, ibique subsistens, cum mercenario milite, ad Ægas tentandas frustrà miserat; dum Methonen inde, re infectâ, reverteretur; à PHILIPPO, instructis cum copijs obvio, exceptus, & magnâ clade victus est.

3592. 3. Ochi. 2. Philippi. | 357.

Pace demum cum Atheniensibus constitutâ; & audito AGIN, Pæonum regem, morte obijsse, ductus

ctis in illos copijs, & pugnâ consertâ, victos Macedonum potestati subegit.

Deinde in Illyrici fineis, cum x. peditum M. & equitibus CD. ingressus; rejectis BARDYLAS regis, quas offerebat, de communi inter ipsos urbium controversarum possessione, conditionibus; hoste, parì penè militum numero instructum, & ancipiti prælio circumventum, fudit: & urbeis, quas majores sui amiserant, ab eo reciperavit.

DIONYSIUS DEGENER.

DIONYSIUS interea Iunior, in Siciliâ, sublatis æmulis; & pace cum Carthaginiensibus, ac Lucanis factâ; dum in segnitiam lapsus, & suis ob corporis saginam contemtior, quàm invisior, sævitiâ etiam grassaretur, urbemque cædibus repleret: tyrannidi, quam pater adamante munijsse gloriatus fuerat; paullatim, & suâ tandem ignaviâ labefactandæ & perdendæ, viam stravit.

ESTHERA ET MARDOCHÆVS, IVDÆI.

Hoc temporum tractu; hoc inquam III. OCHI anno, Hesteram fuisse, & paullo-pòst eidem Ocho nupsisse opinamur.

(Sulpit. hanc historiam ARTAXERXI II. sive Mnemoni, sub quo Hierosolyma fuerit restituta; adnectendâ putavit. uti IVDITHAM, HOLOPHERNIS interfectricem, DARIO OCHO, qui illum exceperit.

Ioseph. ARTAXERXI Longimano attribuit. (quem XERXIS F. Cyrum, & à Græcis Artaxerxem dictum fuisse tradit.

Samer. DARIO Hystaspis: Alij, aliter. S. Athanasius verò, Iudithæ facinora in captivitate, quæ fuit sub Sedechiâ, gesta esse arbitratus est.)

Nos cum Serrano, Lesmot. Capellio, & alijs, ad hunc OCHVM referimus. qui communi regum Persarum nomine ASSVERVS, sive Ὀξυάρης dictus sit: & in quem, quæcumque Hestheræ nutoriâ commemorantur, optiuné expectant.

Et Ctesias certè, sans accuratus, ut putatur, Persicæ historiæ scriptor, si sub antegressis regibus ea contigissent; silentio minimè HESTERAM, cum MARDOCHÆO, præterijsset.

Hic itaque ARTAXERXES OCHVS, postquam Imperij sui lat parentis XXVII. suprà c. Satrapias, ab Indiâ ad Æthiopiam usque, constituisset, anno hoc regni sui III. principes ducesque, è totâ Persidè ac Mediâ delectos, epulo sumtuosissimo, in cuius apparatu semi-annus consumtus sit; non sine vanissima opum regiarum ostentatione, & profusâ civium incolarumque invitatione, per continens septiduum, & ferijs per urbem, Susa, indictis; excepit.

Eiusque exemplo VASTHIS regina, feminas clarissimas, seorsum palatij loco, pari epularum splendore tractavit.

Septimo autem convivij die, rex, cum paullò hilarior esset, vinoque incaluisset, & Spadonibus suis, qui coram ministrabant, præcepisset; ut reginam, formâ præter ceteras matronam, introducerent, & convivarum oculis exponerent:

Illa, patrij ritus, & decori retinentior; & tam insolens sui spectaculum, proceribus & civibus, vino iam illicientibus, præbere gravata; manu mandatum detrectavit.

Ipse verò istâ uxoris pervicaciâ, uti rebatur, offensus; VII. Sapientum, quorum consilio omnia, quæ ageret, moderabatur; sententias rogavit; *Quid sibi hic faciendum censerent!*

In iis *Manuchanus. Iustam esse regis iram, adserere: Futurum esse, ut si id impunè auferat regina, sumto ab eius superbiâ exemplo, omnes Persarum Medorumq, mulieres, maritorum suorum imperia adspernentur.*

Censere itaque, *Vt lege publicâ Virorum in coniuges imperium sanciatur: & reginæ decus, Vasthe exclusâ atque in ordinem redactâ, in alteram præstantiorem, magisq, morigeram, transcribatur.*

Quod consilium, quùm regi & principibus, qui aderant, probaretur. & servi domestici, quo citiùs tenaciùs subinde rejectæ coniugis desiderium, amorque, ex heri sui animo deleretur, suasissent: *Conquirendas ex omnibus provincijs, formâ præstante virgines, ex quibus pulcerrimam rex sibi deligeret, & in regni torique consortium adsciseret* ipse cœlibis vitæ, & pellicum fastidiens, rem eam maturari iussit.

Quùm itaque, (sed annis deinceps consecutis) aliæ ex alijs provincijs, eximiâ corporis formâ virgines, quotidie Susa adducerentur; in cæteris, HESTHARA, ABIHAILI Filia, Babylone reperta est, formæ morumque venustate excellens puella. quam MARDOCHÆVS patruus, utroque parente orbam, adoptârat, & honestè domi educebat.

Is gente, & Tribu Beniaminiâ, Iudæus. Babylone agebat. ijs ortus maioribus, quos multis antè annis NABVCHODONOSOR, unà cum IECHONIA, Iudæ rege, illuc in captivitatem abduxerat. Et sedibus Babylone, prore natâ, Susam translatis, Neptis à se abductæ, & regio palatio conclusæ, haud secus atque antea, curam gerebat.

Illa autem in conspectum regis producta, nativis formæ illecebris, totum eius animum ita cepit, ut cæteris omnibus prælatam, non modò in contubernium admitteret; sed solemnibus etiam, & usitatis legitimi matrimonij, & diadematis regij, ceremonijs, ritè uxorem sibi reginamque coniungeret. Idque VII. regni sui anno.

Neque tamen ea genus suum, aut patriam cuiquam prodiderat. admonita à patruo; Ne paternarum traditionum, immemor, quamquam in matrimonium alienigenæ captiva concessisset; profanis domi cibis participaret.

MARDOCHÆVS interea, cum primariæ inter Iudæos dignitatis ac nobilitatis prærogativâ; tum recente etiam, licet in præsens occultiore, regis adfinitate fretus, cum cæteris satellitij regij præfectis, ad Regiæ vestibulum, ceu Palatinus adsiduus, quotidie sessitabat; pro virili portione negotiorum reginæ familiarium curator.

Is, quùm Spadones duos regis, admissionalium principes, in regis caput, nescio qua causâ, conjurasse comperisset; Ioseph. BARNABAZVM, alterum è

Spadonibus ſervum, gente Iudæum, deprehenſas à ſe, heri inſidias Mardochæo indicâſſe ſcribit) Id reginæ Heltheræ ſignificandum curavit, quæ regem in tempore commoneret.

Ille autem habitâ de coniuratis quęſtione, convictos in crucem agi iuſſit. atque hoc totum, unà cum Iudæis nomine, in annaleis ſuos referri. Quod quidem Mardochæo cauſſam non privatæ ſalutis modò, ſed maximi etiam in poſterum honoris attulit.)

Quùm namque Aman, Amadathi F. è ſtirpe Agagi Amalecitæ, à rege paullo-pòſt in tàm ſublimi gratiæ & dignitatis gradu eſſet collocatus; ut eum non tantùm, uti à ſe ſecundum, à Palatinis omnibus ſalutari; ſed genibus etiam flexis, & proſtratis humi corporibus, vulgò & more regum, adorari imperâſſet,

Neque id Mardochæus, unus, inter tot aulicorum obſequia, ut faceret, pro patriarum legum obſervantiâ, & pio profani cultûs faſtidio, in animum inducere poſſet: neque in porrunis ſervorum regiorũ convicijs permoveretur. Atque hoc ideò Aman non ſolùm ex alijs inaudiſſet; verum etiam coràm per ſe obſervâſſet. ipſe iracundiâ incitatus; & cuiâs eſſet ille, ſui contemtor, percontatus; animum in univerſæ Hebræorum gentis internecionem intendit.

Eoque rem deduxit; ut rex falſis illius accuſationibus, & grandibus peregrinæ prædæ promiſſis, impulſus; litteras de Iudęis, tamquam hominum genere, quod in eius regno novis legibus exterriſque viveret; & pravis ſuperſtitionibus Deo hominibuſque inviſum eſſet; penitùs delendia; & bonis eorum publicandis, atque impunè diripiendis; ad omneis provinciarum Satrapas, perſcripſerit.

Aman, accitis ſcribis, rem ad ſortem retulerat; Quo menſe, ac die; Iudæorum universè interitus conſtitueretur. Quę tum fortè in XIII. Decembris exijt, poſtquam rex XII. iam annos regnum tenuiſſet.

Quùm tàm crudele Edictum, regio annulo, qui penes Amanem erat, obſignatum, & primùm Suſis palàm adfixum eſſet; Mardochæus, ubi rem accepies diſciſſà veſte, cilicium induit: & cinere caput conſperſus, per mediam urbem, ad regiæ fores, non ſine eiulatu, contendit. *Facinus indignum*, clamitans; *Immeritam gentem damnari, neque ullam pereundi cauſſam dari.*

Nec alius erat Iudæorum habitus, cæteris in urbibus. quocumque regiæ litteræ fuerant perlatæ. Rege interim quotidianis genialiter convivijs, cum AMANE, indulgente.

Regina verò à puellis, quę lamentantis voce excitæ; tam flebilem viri habitum intuitæ fuerant, & miſeratæ; certior facta; & re per emiſſarios compertâ: rogatur à patruo, ut regem ipſa pro popularibus ſuis deprecetur. quam probabile ſit Dei providentiâ ad regnum perveniſſe, ut extremo hoc in caſu genti ſuæ ſubveniat.

Ipſa, conſilij anceps, morem Perſarum, quo cautum erat; *Ne quis, niſi porrecto antè ſceptro admiſſus, ad regem introire audeat*; excuſat. Deinde audendum aliquid pro civibus ſuis rata. & ſi certa peſtis adeſſet; monet patruum, ut Suſis, Iudæos, qui tumeſſent, convocet, & cohortetur; pro ſe Deum obteſtentur; & triduum cibo potuque abſtineant. Se, unà cum ancillis, idem facturam, ac tum denique, licet invocata eſſet, & mortis certa, ad regem adituram.

Mardochæo piè & officioſè mandatum in urbe curante, & Deo iam propitio; ipſa tertio die, veſte, poſt ſqualorem lugubrem, regificâ effulgens. in interiore cubiculi regij veſtibulo conſtitit. Quam rex ità ornatam conſpicatus, protento, quem manu tenebat, ſcipione, placidè admiſſam, & trepide ingreſſam, rogavit; *Quid à ſe peteret! Se enim illi dimidiam etiam regni partem, ſi peteret, lubenter, daturum eſſe.*

Illa cum modò rogat, ut & ipſe. & Aman, poſtridie ad convivium, quod eo die adparâſſet, venirent. Quod quùm impetrâſſet; iterùm in poſterum diem utrumque invitavit, quo mentem illis ſuam aperiret.

Eo die, quùm à convivio Aman, lætus & alacer domum rediret; eique Mardochæus, qui pro foribus palatij de more ſedebat, non adſurrexiſſet; à Zarà uxore, & amicis, qui eius furori adblandiebantur, perſuaſus; crucem L. cubitis altam, depangendam curat in quam Mardochæus, ſibi inviſus, poſtridie, juſſu regis, ipſiuſque rogatu ſuffigatur.

Noctem verò illam, quæ intericcta, inſomnem rex ducebat. prolatiſque annalibus; leniendi tædij cauſſà cum perlegerentur; ventumque eſſet ad eum locum, quo patefactæ a Mardochæo, Spadonum (quos dixi) in ipſum inſidiæ, commemorabantur. & nihil honoris aut mercedis, pro eà fide, Mardochęum conſecutum eſſe, accepiſſet: Amanem (quem famuli in interiore veſtibulo ſtare renuntiabant; quique ſolito maturiùs advenerat, regem rogaturus, ut Mardochæum ſuffigi in crucem, quam eà fini pridie erexerat; iuberet.) ad ſe è-veſtigio arceſſiri imperat; & ex eo quærit. Quid ei faciendum cenſeret, *Quem ipſe rex honore adficiendum indicâſſet!*

Ille verò, qui regem id de ſe dicere, & ſtatuiſſe, putaret; reſpondit protinùs & cupidè *Eum, qui regi ita carus, & honoribus augendus eſſet; ornatu regio indui; & diademate redimitum, in regis equũ imponi oportere.* Tum illius manu, qui primùm in Palatinis principibus locum obtineat, equum, freno adprehenſum, per omnia urbis compita, tali cum præconio deducendum: *Sic honeſtandum eſſe, cuicumque rex honorem tribuendum indicâſſet.*

Rex itaque, contrà atque ille ſperabat, ei imperavit omnia, quæ ſuaſiſſet, Mardochęo Iudæo, qui pro foribus palatij ſedebat; ſine morâ, & ſedulò præſtaret.

Ille invitus, & ſuà voluntate coactus, Mardochæum, quem hactenus præ ſe contemſerat, & capitaliter oderat; ornatu regio in equo ſedentem, circumduxit, & quibus iuſſus erat verbis, per urbem, prædicavit.

Quodque eà re contemtum ſe duceret, operto præ pudore capite, triſtis domum redijt; uxori & amicis rem omnem ordine narraturus.

A quibus quùm non modò nihil ſolatij, ſed certum etiam ſui exitij præſagium, abſtuliſſet: Fore enim, ut ſi Iudæus eſſet Mardochęus, quem ità ſe-

mo

mel fui let veneratus; illi in posterum obsistere non p sset; sed o in pec ante, ipse corrueret.

C nsestim Spa nes regij, eum, ut endo ad condictum convivium pergeret, quod in illum diem HISTERA regina utrique iterum adparaarat; compul runt.

Quumque iam post epulas multis poculis convivium cal cere cæpisset: & rex, quid petere à se vellet, reginam ultrò, & iterum monuisset; Illa genius regis advoluta; *Impendentem gentis suæ perniciem deprecatur*. & si quid gratia apud ipsu valeret, *sibi & popularibus, vitam donari postulavit*. Se enim, & illos certæ internecioni iam tum esse addictos.

Si pro mancipijs saltim sub hastâ venijssent; malum illud, quod tolerabile esset, se æquo animo laturam, & silentio dissimulaturam fuisse.

Quoniam verò in regem huiusce crudelitatis nota, summo cum damno, redundaret; se non posse non acerbè ferre, tam infesti in se, suosque, hostis od n & audaciam.

Qu que rex ab eàdem cognovisset, tanti sceleris auc rem esse AMANEM, quem coram intueretur. Et A n, ad eam vocem ceu sideratus, repentè obstupe erer, nec re is, aut reginæ, conspectum sustine e p t. rex quidem, nec sine stomacho, ex u ge in hortum proximum, arboribusque consitum, in us est.

(Sulp . ad : Quum regina AMANIS mortem à rege flagi let; regem, amici memorem, paullisper cunctatum; deliberandique gratiâ, modicum secessisse.)

AMAN verò, quòd paratum sibi à rege infortunium intelligeret; reginæ in lectulo accubantis genua amplexus, erratum suum agnoscere, & veniam precari æperat: eamdemque rogare, ut saluti eius consultum vellet.

Qu n, ecce, rex confestim ex horto revertens, ita suppl cem, & lectulo reginæ incubantem offendit. E clamitans; Illum, se etiam præsente, & domi vim reginę inferre velle; vix voci, aut iræ parcebat.

Et ex empor ministri regij, AMANEM, uti regi invisum, & aperte reum, de more, operuerunt.

Quumque HARBONA (Ioseph. Sabuchades) è Spad nibus unus, cru em in propinquo esse, subje et; quam pro foribus domûs suæ ipse AMAN MARDOCHÆ parârat; Rex statim præcepit, ut non alio supplicio, quam quod ille in MARDOCHÆVM excogi rat, adhæreturs eâdemque in cruce suffigeretur.

Domus, & facultates damnati, publicatæ sunt, & reginæ donatæ. Atque adeò ipse MARDOCHAVS, iam agnitus reginę patruus, tradito sibi à rege annulo, locum dignitatis atque honoris, quem AMAN in regiâ, secundùm regem, primum tot annis tenuerat; adeptus est. & à nepte reginâ domui suæ præpositus.

Eademque, quæ interfecto hoste, hoc est, auctore tam iniqui & crudelis Edicti, facilè idem abrogari posse intelligeret; à rege, iam sibi obnoxio, & Iudæis amico, impetravit; Vt litteras alteras, annulo suo obsignatas, ad omnes provinciarum in suo imperio Præfectos, ac Iudices, p sberet; ad quos, superiores, de interne ione Iudæ rum, ab AMANE scriptæ fuerant. *Vt scirent, ac sibi persuaderent, illas ab* AMANE. *qui iniustè sæ in Iudæos innocentes odio impulsus fuisset, & regem in fraudem induxisset: atque ideo iustissimas tam effrenati furoris pœnas ignominiosâ morte expendisset; fuisse profectas.*

Ne igitur ex ijs, vim Iudæis non modò allam vim inferrent; & suis eos legibus liberè vivere paterentur; sed in ultione, ab hostibus, (qui statæ die se iam ad cædes eorum, rem AMANI *gratam facturi, passim accinxissent, & innocentium sanguini inhiassent) exigendâ, auxilio essent.*

Edicto itaque priore iam abrogato. Iudæi istâ regis erga se benignitate confirmati, die XIII. Decembris, (al. Dystri) quem pro internecivo, salutarem sibi, DEVS & REX, esse voluissent; iniurias suas ulcisci exorsi sunt. & apud Susa, ad D. ex inimicis interfecerunt.

Et postridie, rege iterum, quod regina postulârat, adnuente; X. AMANIS liberi in crucem sublati. Et CCC. alij è Susæis; & in alijs provincijs, ad LXXV. M. contrucidati sunt.

Vt non modò Iudaici nominis terror; sed religionis etiam, erga patrium eorum Deum, cultûs studium, quam plurimos Persarum incesseret.

Hæc pluribus annis gesta, sub unum adspectum dare visum est. Cætera, quæ eodem pertinent, vide ad annum eiusdem Ochi XIII. & Orationem nostram de MARDOCHÆI *constantiâ. quâ tota huius argumenti series satis accuratè & subtiliter explicatur.*

3594. | 4 Ochi. | 3 Philippi. — 356.

DIONIS IN SICILIA CONATVS.

Inter cæteros Syracusanorum optimateis, DION, HIPPARINI, qui bello adversus Carthaginienseis DIONYSII senioris collega fuerat, F. Vir longè clarissimus; ob eiusdem sævitiem, & hisce de caussis, è Siciliâ aufugerat.

Pater DIONYSIVS, ex eius sorore ARISTOMACHE, qu in matrimonio habuit, duos filios, HIPPARINVM & NYSÆVM; totidemque filias, SOPHROSYNEN & ARETEN, procreârat.

Et ex istis priorem, ipsi DIONYSIO filio & heredi; (qui ex Locrâ D ride fuerat genitus) nuptum dederat: alteram ARETEN, sed iduam, DIONI.

Erant in hoc vir , præter generosam maiorum famam, mu æ aliæ naturæ, c poris que fortunæ dotes. Neque ipse min s, propter morum integritatem, quàm adfinitatem, socero erat perfamiliaris & intimus.

Et quamvis ei tyranni urbana displiceret; tamen & necessitudinis & suorum causâ, eum salvum esse studebat. Illustr res denique arthaginé, & aliò legationes, per se, fideliter, humaniterque obierat.

PLATO,

PLATONEM, qui Tarentum [illegible] venerat, cuiusque audiendi cupidi[illegible] te flagrabat [illegible] & in Siciliam à DIONYSIO arcessiendum cu[illegible]rat; adeò admiratus est atque adamavit, ut totum se ei traderet. Et quantumvis ille à tyranno, insigni contumeliâ violatus fuisset, & vel mergi vel venumdari iussus; eum 10 Siciliam iterum precibus revocârat.

DIONYSIO iuniori, statim à patris discessu, simultates cum eo intercedere, ob caussas, de quibus suprà cœperant. quæ multis posteà rebus auxêrunt.

Quùm tamen primis temporibus simulata aliquamdiu inter eos amicitia constaret & DION obsecrare syngambrum non desisteret, ut PLATONEM Athenis evocaret, eiusque consilijs uteretur ille, qui aliquâ [illegible] re patrem imitari vellet; morem ei gessit.

Sed eo tempore, Aulici, tyrannidis auctores, ut PHILISTVM historicum, hominem ob flagitia, profugum, Syracusas etiam reduceret, suasores ei fuere.

Quùm itaque PLATO, quâ & auctoritate apud DIONYSIVM, & eloquentiâ valebat, ei persuasisset, & tyrannidis facere finem, & libertatem reddere Syracusanis: [illegible]e non modò ab eâ voluntate, consilio PH[illegible]LISTI, deterritus est; sed aliquantò etiam crudelior esse cœpit.

DIONI namque, à quo se, ingenio, auctoritate, & amore populi, superari videret: & verebatur, ne aliquam sui opprimendi occasionem daret; navem triremem dedit, quâ Corinthum deveheretur.

(Diodor. tradit: Iotentatâ à DIONYSIO morte, DIONEM apud amicos priùs delituisse: deinde è Siciliâ in Peloponnesum, cum MEGACLE fratre; & CHARICLIDE (al. HERACLIDE copiarum militarium DIONYSII, præfecto, traiecisse.)

Et quùm multi factum indignarentur; ille quæcumque DIONI essent, & moveri possent, in naveis imposita, ad eumdem transmisit.

DION postquam Corinthum pervenit: & eodem HERACLIDES, qui equitum præfectus fuerat, ab eodem expulsus DIONYSIO, perfugit; Corinthijs sibi conciliatis, & ad liberandas tyrannide Syracusas animatis, summâ ope bellum comparare cœperunt.

Et quantumvis metu inveterati & opulenti tyranni, pauci ad societatem periculi perduci se paterentur; DION nihilo-minus tantùm singulari animi magnitudine effecit, ut II. onerarias naveis conductitio milite, & armis expleverit; & cum ijs è Zacyntho in Siciliam transmiserit. CHARICLIDE al. HERACLIDE triremeis, aliasque onerarias quam-primùm eòdem adducere iusso.

Sub idem tempus, vult Diodor. ab ANDROMACHO, TIMÆI historici patre, qui Naxi civeis olim à DIONYSIO I. relegatos ac palanteis congregârat, in colle, eversæ Naxiorum urbi propinquo, Tauromenium urbem exstructam. E[illegible] tamen multis antè annis, sub DIONYSIO illo priore, meminimus.

EVBOEENSIVM MOTVS.

Quùm Euboeenses, civili dissensione distracti, hi Boeotos, illi Athenienses, auxilio sibi arcessissent; & bellum ab utrique, non sine vastitate insulæ, traheretur; suo tandem malo edocti, in gratiam mutuamque amicitiam redierunt.

BELLVM SOCIALE.

Athenienses verò, bellum, quod dictum Sociale aduersus Chios, Byzantios, Rhodios & Coos, qui defectores iugum eorum excusserant; per triennium deinceps gesserunt. Et lectos e suis duces, CHARETEM & CHABRIAM, in id bellum miserunt.

Qui dum urbem Chion terrâ marique oppugnare tendunt, CHARES quidem terrestri pugnâ ex oppido erumpenteis sustinuit. CHABRIAS verò (hunc Diodor. vult in classe privatum tunc fuisse; sed Duces ipsos auctoritate ante-ijsse.) dum primus suâ cum navi portum studet intrare, eòque iam propè penetrasset: cæteræ non sunt secutæ.

Quo facto, circumfusus hostium concursu, cum fortissimè pugnaret; navis rostro percussa, [illegible]re cœpit. Vnde refugere cum posset; & in mare, tam propinquâ Atheniensium classe, se deij[illegible]ere; perire maluit, quàm armis abiectis, navem, quâ fuerat vectus, relinquere.

PHILIPPI MACEDONIS

PROGRESSVS.

PHILIPPVS Macedo, Illyrijs magno prœlio victis, eorumque gentibus ad Lychnitidem usque paludem subactis; Amphipolim, Thraciæ propinquam, vi apertâ expugnavit; & Pydnam cepit.

Olynthijs, quorum civitas, & potentiâ, & civium frequentiâ, tum præstabat: quorumque societas, & à PHILIPPO, & ab Atheniensibus ambitiosè expetebatur; in Potidææ obsidione, auxilium tulit.

Et depulsis illinc Atheniensium præsidiarijs, & sine pretio dimissis; urbem eam, cum Pydnâ, quam nuper ceperat, socijs, quos dixi, concessit.

Crenidas, nuperam Thasiorum coloniam, frequentibus incolis amplificatam, PHILIPPOS de suo nomine appellavit. Vbi fodinas auri, anteà tenueis [illegible] ma[illegible]is operibus ita instruxit, ut talenta quot-annis, amplius mille, ad eum redirent.

SYRACV-

SYRACVSÆ TYRANNIDE LIBERATÆ.

3595. | | 355.
5. ... .
4. Ph ... .

DIONYSIUS postea-quam copias in Peloponne- ... comparari audivit, ARETEN DI- ... absentis uxorem ... alij nuptum e... avit: ... usque filium turpi indulgentia & nequitia educandum curavit.

Aberat forte eo tempore, & circa urbeis nuper in litore Adriatici maris, à patre, & à se constructas, versabatur, classem adversariorum operiens; ratus neminem sine magnis copijs, neque adversùm se venturum; qui imperium haberet L. annorum; munitum D. longis navibus; X. equitum, centumque peditum millibus, & id genus alijs præsidijs, neque adversùs urbem, Græcarum omnium eâ tempestate maximam: in quâ essent portus & navalia, & arces expugnatu difficillimæ.

Quum, ecce DION, cum II. uti dixi, navibus ... Minoam tenuit, Carthaginiensium tunc parentem.

Et à PAR... urbis præfecto, amicè acceptus, arma, quæ ... virorum millibus satis essent, ... exportata, curribus Syracusas usque devehenda ... Et ipse M. tantum viris, ... qui ducibus paresc... stipatus, eodem iter intendit.

Et confestim Agrigentinos, Gelöos, aliasque Mediterran... itates; Madinæos & Camarinæos, ad vindicandam libertatem ob-iter cohortatus, ... contra tyrannum ira ... iunxit; ut ad Vicena ... hominum M. exercitum auxerit. Neque et Mel... anenses, & alij ex Italiâ Græci, defuerunt.

Iamque intra fineis agri Syracusani erat ingressus; quum ingens, tam ex urbe, quàm ex agris, inermiu... quibus, uti parùm fidis, aut suspectis, arma DIONYSIUS abstulerat) multitudo, ad eum confluxit.

Duces regij, illo peregrè absente, custodes urbi rel...; quum oppidanos frustrà in fide retinere con... nderent; DIONI, qui iam Syracusanos ad se egre... armarat; & unà cum fratre MEGACLE, dux libertatis restituendæ, & Imperator exercitûs, pro concione erat designatus; in urbem, per ACHRADINAM, cum quinquagenis hominum, & quidem coronatorum m... ad forum usque contendenti; opponere se nequaquam sunt ausi.

(Prob. id factum tradit, post diem tertium, quàm ille Siciliam attigerit. totâque eius Siciliæ parte potitum esse, quæ sub DIONYSII fuerat potestate.

Civitas tota, è longinquâ servitute ad libertatem; à squalore & tristitiâ, ad hilaritatem conversa. cum Dijs vindicibus gratias agere; tum vota pro felici rerum futurarum eventu, & DIONIS incolumitate, concipere. Nam præter Arcem, & Insulam opido continentem, omnia erant in potestate.

DIONYSIUS, dum ad Cauloniam Italiæ sedet, PHILISTUM, quem mari Hadriatico præfecerat; iussum cum classe Syracusas petere, VII. post die, consecutus est. quàm DION urbem occupasset.

Qui quùm frustrà, astu, & legatis, variàque deponendi dominatûs poll...tatione, opidanos tentâsset; & ad se ex urbe missos, primæ notæ civeis, quibus, ut imbellum componeret; & de pace sibi conveniret: in custodia detinuisset. incautis eâ ex re omnibus; neque quidquam hostile ab eo metuentibus; conductitios, ex Arce, ad delendam aut diripiendam urbem immittit.

Illi muro, qui recèns mari fuerat obiectus, potiti; & in urbem interiùs progressi, à DIONE, post anceps utrimque in urbe prœlium, & vulnus in dextro brachio acceptum; opidanis multitudine superantibus, repulsi sunt. tropæis, à victoribus, in conspectu & contemtu tyranni, erectis.

Ille de spe omni regni recuperandi deiectus, animos militum & ducum suorum magnis muneribus, & honestâ cæsorum sepulturâ, sibi devinxit, aut delenivit.

Legatos, quos iterum de pace cum Syracusanis acturos miserat; DION pari calliditate eousque retinuit, dum reliqua muri pars absolveretur. Eoque perfecto; unicam pacis viam esse respondit: *Si DIONYSIUS, certis honoribus contentus, tyrannidem deponat.*

Ipse nihilo-secius hostilem agrum, frumentandi caussâ, populatus; commeatum, cuius pænuriâ sui laborarent undique comparabat.

Syracusani contrà, captatâ locorum opportunitate magnam vim frugis emtæ, quæ ad eum convehebatur, interceperunt.

ALEXANDRO PHERÆO FRATRES SUCCEDUNT.

ALEXANDRUM, Pheræorum tyrannum, qui uxoris THEBÆ fraude, an generoso facinore? interfectus fuit; fratres, cædis conscij, LYCOPHRON & TISIPHONUS, exceperunt.

Ferunt, quo tempore PELOPIDAM ALEXANDER ille vinctum detinebat, ad eum visisse Tyranni uxorem: & miseratam tam præstantis viri fortunium, dixisse: *Misereri me Coniugis, qui tantum virum in compedibus captivum habeat.* ... PELOPIDAM subiecisse: *Me tui miseret, quæ nullis pedicis vincta, ALEXANDRUM patiaris.* Atque eâ voce persuasam mulierem, decimo post anno, fratres, quos dixi, in Tyranni cædem instigasse.

Atque illi, quos dixi fratres partam, & iactatam in vulgus è tyrannicidio gloriam; corruptis auro & sibi obstrictis ALEXANDRI satellitibus, novâ immoderatioris imperij licentia, & odio, statim corruperunt.

Aleuadæ namque, nobilitatis Thessalicæ principes, isto-

pes, istorum conatibus per se impares. PHILIPPVM Macedonem, ad opem sibi ferendam, sollicitarunt.

Qui eò profectus, tyrannis devictis, & redditâ urbibus libertate, eam erga se Thessalorum benivolentiam comparavit; ut deinceps ipse, & ALEXANDER F. auxilium eorum equitatu, varijs postea bellis, usi sint.

(Iustin. post Larissam captam, Thessaliam, non prædæ cupiditate; sed quod exercitui suo robur Thessalorum equitum adiungere gestiebat; nihil minus quàm bellum metuentem, de-improviso ex- pugnavit. unumque corpus equitum pedestrium que copiarum, invicti exercitus, fecit.)

ALEXANDRI MAGNI NATIVITAS.

Hoc IV. regni an. & ætatis XXII. natus est PHILIPPO F. ALEXANDER. quo die & Illyrij à PARMENIONE victi; & ij se in Olympijs ἵππῳ κέλητι victor pronuntiatus. & Templum Ephesiæ Dianæ conflagravit. Et Potidæa Athenienſibus erepta eſt.

BRVTTIORVM IN ITALIA ORIGO ET MOTVS.

3596. | 354.
6. Ochi.
5. Philippi.

Eo ferè tempore, circa Lucaniam, in Italiâ, colluvies quædam hominum, varijs e locis fugitivorum, in unum confluxit. Qui primùm ex agris finitimorum prædas agere soliti; deinde prædæ dulcedine sollicitati, quùm plures facti essent; infestas regiones reddebant: & auctis viribus, ad urbium etiam expugnationes, (inter quas, Thurij, Arpinum, Therina) se convertebant. Et castello quodam, quod DC. Afri, à DIONYSIO ad ipsos compescendos submissi, insidebant; quodque à Bruttiâ quâdam muliere sibi proditum fuerat; per vim capto; ibi civitatem, concurrentibus ad opinionem novæ urbis pastoribus, statuerant. (Lucani namque liberos suos, ab initio pubertatis, inter pastores, & in silvis, habere, & venationi adsuefacere, soliti erant) Bruttiosque se ex nomine mulieris vocaverunt. Sic Iustin.

At Strabo, l. 6. Bruttios dictos ait à Lucanis, quasi ἀποστάτας. quòd quùm eorum pastores essent, rebus eo tempore ob DIONYSIVM turbatis, ab ijs defecerint.

Et Diodor. lib. 16. Indigenam vocem agnoscit Bruttiorum, sive Βρεττίων quasi, servorum fugitivorum Δραπετῶν. Tantâ autem animorum feritate fuisse ut nec origini suæ parcerent. Primumque illis bellum fuisse cum Lucanis, originis suæ auctoribus. Eâque victoriâ erectos, quùm pacem æquo iure fecissent; cæteros finitimos armis subegisse.

PHILISTI PRO DIONYSIO CONATVS.

PHILISTVS autem ille DIONYSIJ dux, postquam Rhegio D. equites Syraculas traduxisset & II. M. pedites inde secum adduxisset; facto in Leontinos impetu, qui & ipsi à DIONYSIO defecerant, impetu; & magnâ urbis parte occupatâ, iam penè victor, à Syracusanis, qui Leontinis subsidio advenerant; eiectus. Et paullo-post, ab HERACLIDE quem tandem e Peloponneso cum triremibus & militibus adpulsum, Syracusani maritimis copijs præfecerant; pugnâ navali victus, & à suis inter pugnandum desertus; mortem sibi conscivit. Eius que, uti inimici tyrannorum amici, cadaver, à plebe Syracusanâ cum omni contumeliæ genere est insultatum.

Hoc duce amisso, DIONYSIVS legatos ad DIONEM mittit. qui ei primò imperij sui dimidium; deinde totum offerrent. paratus & arcem populo dedere, modo præsidium, & quos ibi habebat opes, tuto in Italiam transportare liceret.

Quæ pacta licet DION comprobaret; populus, qui sua spectaret, planè respuit. Ille itaque Arcis, cuius obsidionem futuram prospiceret & timeret, solido præsidio communitâ, cum omni regio adparatu in naves imposito, in Italiam tacitus profugit.

NOVI DIONIS CASVS ET SYRACVSANORVM DISSCIDIA.

Hanc tam inopinatam rerum, & receptæ libertatis prosperitatem, subita fortunæ & animorum commutatio est consecuta.

Iam DION, uxorem, quæ alij nuerat enupta, domum reduxerat. Et quùm filium, de quo suprà commemoravi, à perditâ luxuria ad virtutem revocare; & adpositis etiam custodibus, à pristino illo regiæ indulgentiæ luxu deducere vellet; ipse obnitens, se de superiore ædium contabulatione humi deiecit, & interijt.

Præterea, crescente per seditionem invidiâ, ut multi ex optimatibus summam rerum HERACLIDI demandandam censerent; DIONE, qui adfectatæ dominationis suspicionem habebret, in ordinem redacto. Ipse, cum mercenarijs è Peloponneso militibus, qui malignoiorem stipendiorum solutionem caussarentur; in Leontinos ex urbe concessit. Et Syracusanos, qui repenti odio inflammati, persequebantur, & in itinere suos erant adorti; magnâ cum clade reiecit.

Et quùm

Et quùm præsidiarij, Arcis Syracusanæ custodes, fame offuscari, cum civibus de deditione pacisce-rentur; commodùm, & in ipso temporis articulo, NYPSIVS Neapolitanus, cum navibus & commeatu, DIONYSII è Locris missu, in Portum Arethusæ proximum, adpulsus est. Cuius adventu, uti inopia obsessorum recreata est; ità arx ex-insperato conservata.

Quùm autem Syracusani instructis triremibus in hostem, concioni intentum, incurrissent: & nonnullis navibus, aut captis, aut demersis, reliquas in fugam vertissent; ipsi eâ victoriâ insolescentes, & ad convivia conversi; omnem prorsùs excubiarum curam abiecerant.

Quod speculatus NYPSIVS, copijs de nocte expeditis, in propugnacula penetrat; muros admotis scalis superat; & custodes somno ac vino sepultos contrucidat: Portisque postremùm reseratis, exercitum ad x. Mille, in opidum introducit.

Civium, quos subitus hic casus consternárat, & hosti, in tenebris, obvios obiecerat; multa cædes editur: domus diripiuntur; & imbellis turba in captivitatem abducitur.

Syracusani, perspectâ interdiu suorum strage, in desperationem acti, ad DIONEM, in Leontinos, mittunt, qui & iniuriarum veniam deprecentur; & ut calamitosæ patriæ vicem misereatur, eum exorent.

Ille è-vestigio milites secum rapit; & itinere accelerato, factoque agmine, pluribus locis in urbem irrumpens, Dionysianos, in agendo, & res raptas ferendo, occupatos, ad IV. Mille cecídit. & reliquos urbe, cui iam ignem iniecerant, relictâ, in arcem trepidè se recipere coëgit.

Atque ita iterùm ei populus summum in Civitate, quam denuò liberárat, imperium, cum divinis pænè honoribus, attribuit.

Neque multo-post, APOLLOCRATES, cui, uti maiori filio, arcem Pater Dionysius tuendam tradiderat; ob commeatûs pænuriam, & præsidiariorum perversitatem; fedus cum DIONE avunculo pactus, Arcem ei, cum reliquo armorum adparatu, dedidit: & matre sororibusque in naveis impositis, ad Patrem tutò navigavit.

BELLVM SOCIALE PERSEQVVNTVR ATHENIENSES.

Athenienses verò, bello sociali cum ijs, quos dixi, defectoribus implicati, quùm illi rei exitum navali pugnâ expediendum constituissent. Et ipsi, in misso priùs, cum LX. navibus, in eam expeditionem CHARETE, non satis præsidij putarent; IPHICRATI & TIMOTHEO, clarissimis eâ tempestate ducibus, totidem naveis attribuérunt, qui communi consilio rem cum CHARETE gererent.

(Prob. MNESTHEVM, F. IPHICRATIS, & TIMOTHEI generum, prætorem factum esse tradit: & ut ad id bellum proficiscatur, decreto iussum. Cui in partem consilij dati sint, Pater & socer, usu & sapientiâ præstantes viri.)

Coniunctis iam IV. nationum viribus, socij Insulares, cum Byzantijs, centenûm navium classe instructi; & Imbrum ac Lemnum, Insulas Atheniensium federatas, depopulati, in Samum demum invaserant. Prædâ hinc inde coactâ onera belli sustentabant; & Vrbem Insulæ primariam, terrâ marique oppugnabant.

Duces verò Atheniensium inter se consociati, & ad oppugnandum Byzantium de-subito profecti; hostem à Samo avertérunt. Quumque in Hellesponto copiæ utrimque ad navale prœlium se expedirent; magnâ de-repentè ventorum vi coortâ dimicandi ardor repressus est.

Et quùm CHARES nihilo-minus in proposito pugnæ conferendæ persisteret; IPHICRATES contrà & TIMOTHEVS, vim tempestatis evitare, utile in præsens arbitrati, classis suæ cursum suppresserant. Quo nomine publicè apud populum à CHARETE accusati & delati; non modò à belli administratione revocati sunt; sed uti proditores, talentis c. multati.

(Alij tradunt, IPHICRATEM absolutum, damnato TIMOTHEO. Prob. CHARES, inquit, cognito, II. illos Imperatores Samum profectos esse; eódem, ne quid se absente gestum esse videretur, contendit. Quumque, ad Insulam adpropinquaret, obortâ tempestate, quam vitandam duo illi censebant, & naveis supprimebant; CHARES, temeritate usus, quò contenderat, pervenit. Hinc malè re gestâ, compluribus amissis navibus, litteras publicè Athenas misit, & nuntiat; *Sibi proclive fuisse Samum capere, nisi à Collegis desertùs fuisset.*)

Tum CHARES, suscepta belli rerumque omnium curâ, ut remp. belli impendijs levaret; ad ARTABAZVM, qui regis desertor, cum eius præfectis belligerabatur; quique auxilium ipsius implorárat; in Asiam concessit: & adversarios Persarum duces ingenti prœlio superavit. Vndè reportatis à grato Satrapâ muneribus & pecunijs, exercitum in posterum sustentavit.

Athenienses postquàm legati à rege de CHARETE conquestum supervenissent; & rumore quodam iactarent; CCC. navium auxilia regem hostibus eorum esse subministraturum; veriti graviora, bellum triennale cum socijs, qui nec ipsi à pace abhorrebant; facilè certis legibus composuérunt.

PHILIPPI MACEDONIS CONIVGIVM.

PHILIPPVS autem, treis reges, Illyriorum, Pannonum, & Thracum, quibus eius regni potentiæque incrementa formidolosa esse cæperant; atque ideò communia de eodem opprimendo, aus coërcendo, consilia clàm inierant: ipse imparatos, separatim quemque, & de-improviso, adortus, vicit, & in Macedonum ius adegit.

Quo prospero rerum successu, OLYMPIADEM, NEOPTOLEMI, Molossorum regis, Filiam, duxit. Conciliante eas nuptias ARRYBA, Virginis patruo & tutore, rege tum Molossorum; qui TROADEM, OLYMPIADIS sororem, in matrimonium habebat.

Hæc autem regum Molossorum Stirps.

ALCETAS; filius Tarymbæ, qui à PIELO usque, rege Epiri, fratre MOLOSSI, (uterque autem ex PYRRHO, Achillis Filio & ANDROMACHA Troianâ erant nati) originem ducebat: duos filios reliquit,

quit, NEOPTOLEMVM, & ARYMBAM, (al. Arybam.)

Ex NEOPTOLEMO; ALEXANDER; & OLYMPIAS, PHILIPPI, & TROAS, ARYMBÆ; vxores.

Ex ARYMBA; ALCETAS alter, & ÆACIDES, orti. Ex Æacide, PYRRHVS EPIROTA.

Vid. sup. Epirotarum regum Seriem luculentiorem. Pag. 141.

3597. 7. Ochi. 6. Philippi. | 353.

Græciæ ciuitates in mutuum exitium sic modo ruentes; omnibus perire, quod singulæ amitterent, non nisi funditùs oppressæ, sensere. Quarum omnium libertati, velut è speculâ quâdam, insidiatus PHILIPPVS, dum contentiones earum alit, & infirmioribus ferre auxilium simulat; victos pariter, victoresque, externam seruitutem subire coëgit.

BELLVM SACRVM PHOCENSE.

Belli autem SACRI, quod nouennium tenuit, & prima mali labes exstitit; causâ & origo, Thebani fuere. Qui quùm rerum potirentur; & secundam fortunam non satis æquo animo coquerent, aut terrent; victos antè duabus pugnis Lacedæmonios, unà cũ Phocensibus, apud commune Græciæ Conciliũ, (AMPHICTYONAS) superbè, & quæsito colore incusârant. *Quasi post arma & bellum, scilicet, post tot cædeis & rapinas, legibus locum reliquissent.*

Et Lacedæmonios quidem; quòd Arcem Cadmeam, induciarum tempore, PHOEBIDA duce, occupâssent: Phocenseis verò; quod Cirrhæum agrum, Apollini sacrum, depopulati essent, sibique vindicare conati.

Et Phocenseis præcipuè, quòd iudicium, victorũ arbitrio, exercceretur; tantâ pecuniâ damnandos curârunt; quanta exsoluendæ non essent. Quod ni satis fecissent: *agri eorum consecrarentur, & in ius diuinum concederent*. Cæteri quoque, (Lacedæmonij designabantur) qui Amphictyonibus dicto audientes minùs essent; *sacri & intestabiles censerentur.*

Quæ sententia quùm publicè probaretur: & Phocenses cùm agris, liberis ac coniugibus, priuandi viderentur: PHILOMELO, summæ apud populareis suos auctoritatis, duce, postquam ab ARCHIDAMO, Spartæ rege, stipendij & societatis spem accepissent: DELPHOS aggressi, uti *vetustum iuris Phocici oraculum, Apollinis templum*, occupant; & eorum, qui sibi obsistere, b... dissipiunt.

Ad cuius facinoris famam, Locri finitimi, instructis subitò copijs, PHILOMELVM adorti; & magnâ cum cæde sunt repulsi.

Eâque victoriâ elati Phocenses; Amphictyonicæ damnationis monumenta è columnis eradunt: & uti pristini iuris vindices, bellum aduersarijs inferre obfirmant. Et factâ in Locrorum agros irruptione, ingenteis prædas agunt: &, Templo Delphico muris circumdato; sese communiunt.

Factum Phocensium tametsi omnes exsecrarentur, *propter sacrilegium*; plus tamen inuidiæ Thebanis, a quibus ad eam necessitatem compulsi fuerant; quam ipsis, apud plerosque pependit. quod ijs gratum esse videretur *specie pietatis*, veteres in Phocæos *inimicitias exercere*.

Itaque auxilia illis, odio Amphictyonum, & ab Atheniensibus, & à Lacedæmonijs clàm promissa.

Locri vicissim, semel atque iterum prœlio victi, Thebanos primùm; deinde eorum operâ Thessalos, & cæteros Amphictyonas, ad bellum sacrilegis secum facessendum, incenderunt.

3598. 8. Ochi. 7. Philippi. | 352.

Lacedæmonij, quibus ob eam, quam dixi, caussam, ijdem Amphictyones, Quingentûm talentûm multam; & deinde, ob tergiuersationem, duplò auctam, irrogassent; ut *ius Templi penes Phocenseis esset*, contendebant.

PHILOMELVS, qui hactenus manum à sacris pecunijs, donarijsque abstinuerat: & eorum omnium, quæ dicata in Templo reperisset, æquali numero ac pondere, se rationem reddere paratum, ad ciuitates perscripserat: ocior, Bœotos cum Locris coniunctos, magnisque cum copijs, aduersùm se venire; militem mercenariû sacrâ pecuniâ conducere coactus, magnâ perditæ Iuuentutis manũ cõflauit.

Et modo Bœotorum, equestri prœlio; victor; modò à Thessalis victus; tandem quùm in saltus impeditiores se & exercitum induisset; & Bœoti multum numero præstarent; profligatus. & suis in effusam fugam datis, loco prærupto, vndè euadere non posset, conclusus; post acrem dimicationem, & crebra vulnera, sese ex editâ rupe præcipitem deiecit. & *sacrilegij pœnas impio sanguine luit; aut veriùs, ipse de se exegit.*

In eius locum, dux ordinum suffectus, frater ONOMARCHVS, exercitûs profligati reliquias collegit. Dum PHILIPPVS, iàm non contentus bella submouere, vltrò etiam quietos lacesseret: In Methones urbis oppugnatione, iacta fortè in prætereuntem de muris sagittâ, alterum ex oculis effossum amisit: & intericctis nihilo-minus diebus, dedititijs, pacem deprecantibus, dedit.

(In Ponto, LEVCON Bosphori rex, post XL. regni annos mortuus, SPARTACVM F. successorem reliquit, qui ann. V. regnauit.)

DIONYSII IVNIORIS CASVS.

DIONYSIVS verò è Sicilia, uti diximus, profugus, & à Locris in Italiâ socijs hospitaliter acceptus; ibi velut iure regnaret, arcem occupat, solenoemque

solennemque sibi sævitiem exercet: stupris & rapinis omnia fœdat. donec post sexennem, ut infrà dicemus, tyrannidem, à Locris, civitate pulsus, in Siciliam redijt.

1600. 351.
9. Ochi.
8. Philippi.

NOVA SICULORUM DISSCIDIA; ET DIONIS EXITUS.

DION contrà, illo absente, reip. gubernaculis admotus, quùm HERACLIDEM, classis præfectum, & Principatûs consortem, æquo animo non ferret: & sæpiùs Homeri versum οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω ingeminaret. tandem eum, cum magna invidia excepit. qui aperuisse videretur, omnia in sua unius potestate esse velle: adeoque ipsum Heraclidem Syracusis interficiendum curâsset. Et, adversario remoto, licentiùs eorum bona, quos adversùm se sensisse sciebat, militibus dispertiret.

Sed postquàm & in odium militum, quibus nihil elargiri amplius poterat; & in populi, quem exhauserat, offensionem incurrisset: & hæc quorsùm tandem evaderent. haud levis esset metus. à CALLICRATE (plerique CALLIPPUM vocant) cive Atheniensi, Peloponnesiæ militiæ Comite, hâc arte circumventus est.

Adijt ille ad DIONEM, & nullo modo evitari posse periculum persuadet; nisi alicui ex suis idoneo negotium det, per quem simulatâ erga ipsum inimicitiâ, facilè omnium animos sensusque cognoscat, & adversarios è medio tollat.

Quo probato, delectus eam ad rem CALLIPPUS, DIONIS imprudentiâ se armat; & ad eum interficiendum socios impunè conquirit. Et re cum adversarijs eius communicatâ, coniurationem confirmat.

Neque DION, licet ab ARISTOMACHE sorore, & ARETE Uxore, de insidijs monitus, commoveretur; quin ea, quæ gererentur, suo fieri præcepto duceret, dum insidiatores à mulieribus suspicacibus iurare apud Proserpinam coacti, nihil ab illo periculi fore Dioni.

Ideoque ad maturandum facinus concitatus, & loca opportuna socijs partitus; immissâ in ædeis, Zacynthiorum, mercenariorum & inermium, manu, DIONEM, securum, & in lecto cubantem, colligant; & nemine è custodibus succurrente, gladio, à LYCONE Syracusano per fenestras oblato, interficiunt.

Cuius de morte ut palàm factum est, mirabiliter vulgi mutavit voluntas. Qui namque eum, dum viveret, tyrannum vocitarant; eumdem patriæ libertatis vindicem, & tyrannidis expulsorem prædicabant.

Obijt ille LV. annos natus; IV. pòst anno. quàm ex Peloponneso in Siciliam redierat. (Alij biennium tantùm tribuunt.) Et celeberrimo urbis loco elatus, ac publice sepulcri monimento donatus est. Eius tamen soror, uxorque prægnàs, in carcerem sunt coniectæ, rerum iam Syracusis potiente Callippo.

(Diodor. tradit. paullo-post quàm DIONIS amici victi ad Leontinos se recepissent, HIPPARINUM, Filium, (al. Dionysij: al. Dionis) cum armatâ manu Syracusas adpulsum; & CALLIPPO ex urbe fugâ dilapso, paterni Principatûs potitum ad annos duos.)

CALLIPPUS, DIONE ità sublato, ad Catanam interceptendam egressus, Syracusarum imperiò protinùs excidit.

Indè namq; adortus Messanios, amisso militum suorum, inter quos erant DIONIS percussores, flore; & detestantibus hominem nefarium Siciliæ civitatibus; Rhegium occupârat. Ubi mercede conductum militem malignè tolerans, à LEPTINE & POLYSPERCHONTE, eodem forte pugione, quo Dionem percussum ferebant, interfectus est; post XIII. usurpatæ potestatis mensem.

BELLUM SACRUM CONTINUATUR.

ONOMARCHUS autem, PHILOMELI frater, auctis iam copijs; Thessalis etiam largitione corruptis; & rebus domi utcumque constitutis; interram hostilem ingressus, Thronium expugnatum diripuit; & Amphissenseis ad deditionem faciendam compulit. Captâque ex Bœotis Orchomeno, ad Chæronéam à Thebanis victus, in Phocidem revertit.

ARTABAZUS (al. Artabanus) quem suprà cum regijs Persarum præfectis, bellum, duce CHARETE, feliciter gessisse diximus; ab illo, pacatis iam Atheniensibus, desertus; auxilia à Thebanis, domestico licet bello implicatis, impetravit. A quibus PAMMENES dux, eum V. hominum CIↃ. in Asiam missus, Persas bis magno prœlio devicit.

Bellum autem, Argivos inter & Lacedæmonios, sobortum, commisso ad Orneas urbem certamine, in quo Lacedæmonij superiores, & Orneis potiti sunt; consopitum est.

CHARETE in Hellesponto bellum gerente, ubi ille Seston occupavit; CHERSOBLEPTES, Cotyis Filius, PHILIPPO regi infensus, Atheniensibus, sibi amicis, omnia Chersonesi opida, præter Cardiam, cessit. in quæ illi protinùs colonos submisére.

PHILIPPUS vicissim Methonen, iterũ, uti videtur, rebellem, deditione cepit & diruit. Ad eamdem urbem, sive hoc, sive antegresso anno, PHILIPPUS sagittà percussus. quam ASTER quidam Opidanus, suo, & eius, quem petebat, nomine, & loco vulneris, inscriptam, è muris coniecerat. (Solinus.) Et magnâ indè CRITOBULI Medici famâ fuisse, extractâ regis oculo sagittà; & citrà deformitatem oris, curatâ orbitate luminis. (Plin. l. 7. c. 37.)

Idem rex à Thessalis & Thebanis, belli, adversus Phocenseis suscepti, dux delectus, priùs in LYCOPHRONEM, Pherarum tyrannum, movit. Deinde PHAYLLUM, ONOMARCHI fratrem, qui cum VII. armatorum CIↃ. suppetias tyranno veniebat,

veniebat, victum è Thessalia eiecit.

Sed ONOMARCHVS, spe universæ Thessaliæ dominationem præsumens, tota virium suarum mole, LYCOPHRONI subsidio ibat. Et multos è Macedonibus Thessalisque interemit: Atque adeò PHILIPPVM ipsum in maximum discrimen adduxit. Eodemque in Macedoniam digresso; ipse, ducto in Bœotos exercitu, victor Coronéam ex ijs intercepit.

Dû autem LYCOPHRON (adversus quem, positis in Thessaliâ castris, PHILIPPVS iam moverat) impar viribus, ONOMARCHVM ad se, cû XX. CIↃ. Peditatu, & DC. equitibus, evocásset. Et PHILIPPVS Thessalis, ut vireis secum coniungerent, persuasis; ad tot tidem, aut amplius Peditû Millia, & III. M. equites, coegisset. Manibus fortiter consertis; & Thessalici equitatûs numero; ac robore, PHILIPPVS victor evasit. Et ONOMARCHVS, conversâ cum suis ad Mare fugâ, dum ad triremeis, quas CHARES eo forte tempore illàc traducebat, natando enititur; interfectus est, amissis Phocensium, & mercenariorum, plus VI. Millib. & III. Millie captivis.

Victor, duce hostium in crucem sublato, cæteros, uti sacrilegos, in Mare demersit.

Iustin. tradit, PHILIPPVM, quasi sacrilegij ultorem, ut milites omnes, iam pugnaturi, coronas laureas sumerent, iussisse: Atque ita, Deo veluti duce, in prœlium perrexisse.

Phocenses autem, insignibus Dei conspectis, conscientiâ delictorum territos, fugam abiectis armis capessisse; & pœnas violatæ religionis, sanguine & cædibus suis, expendisse.

(Sub id tempus, Cariæ Princeps, MAVSOLVS, XXIV. regni sui anno, moriens, Artemisiam, sororem & coniugem, succidaneam reliquit.

Et CLEARCHO, Heracleæ tyranno, de quo sup. qui ann. XII. fuerat dominatus, TIMOTHEVS F. successisse traditur.

Mnemon autem, SATYRVM, fratrem Clearchi, tutorem eius filiorum, TIMOTHEI & DIONYSII, successisse tradit, & VII. annis tyrannidem exercuisse. Cui TIMOTHEVS suffectus, summâ humanitate patriam recreâ it.)

3600.
10 Ochi.
9. Philippi.
350.

PHAYLLVS, fraternæ dominationis & audaciæ vestigijs insistens, rebus Phocensium è nuperâ clade nonnihil recreatis; non modò magnas publico ære copias conscripsit; sed clarissimas etiá civitates, ad parem secum fortunæ periclitationem, pertraxit.

Cui Lacedæmonij, CIↃ. & Achæi, bina; & Athenienses, suprà DC. equites, duce NAVSICLE, quina Peditum Mill. auxilio submiserint.

Et LYCOPHRON, tum PITHOLAO, (quanquamvis post ONOMARCHI cædem, Pheras, avitæ dominationis sedem, redditâ civibus libertate, Philippo dedidissent; seq; cum eo fœdere coniunxissent, cum II. Stipendiariorum Millib. ad Phocæorum parteis transierint.

His copijs PHAYLLVS in Bœotiam traductis, primùm ad Orchomenum; deinde ad amnem Cephisum; postremò ad Coroneam, cruentis prœlijs victus & profligatus est.

PHILIPPVS, qui victo ONOMARCHO Pheras in libertatem restituerat; & hoc nomine magnam apud omneis Thessalos gratiam inierat; ad Thermopylas, quà in Phocidem descenderet, contendebat.

Sed ab Atheniensibus, qui eas angustias insidebant, prohibitus, in Macedoniam recessit.

PHAYLLVS, postquam pleraque Locrorum urbeis vi occupasset; & Arycen, variâ fortunâ oppugnatam, cepisset, ac solo æquásset; lento & tabido morbo confectus è vita excessit. Et Phocaicæ factionis Principatum, PHALÆCO, ONOMARCHI Filio, adhuc puberi, tutore MNASEA, reliquit.

Ex quibus, hic à Bœotis, in Phocidem de nocte ingressis, interfectus est. Ille equestri ad Chæroneã prœlio victus: & paulio-post, ex eâdem Vrbe, quam occuparat, à Thebanis, è bello Megapolitano reducibus, expulsus est.

Exortâ namque inter Megalopolitas, & Lacedæmonios contentione; dum hi, duce ARCHIDAMO, in hostilem agrum incursant; & illi sociorum auxilia implorant: præter Argivos, Sicyonios, & Messenios, qui ad opem ferendam subitò adcurrerant; Thebani, duce CEPHISIONE, IV. Peditum Mil. & DC equites misére.

Quumque illi, ab istiusmodi auxilijs instructi, ad Alphéi fonteis castra posuissent; tum Lacedæmonij, acceptis à PITHOLAO & LYCOPHRONE, qui Pheris à Philippo erant expulsi, ter Mille Peditibus & sesqui-mille equitibus; aucto ita exercitu, ad Mantinéam, considebant, & mox Ornéas, Argivi agri urbem, expugnárunt.

Et primùm, cum Argivis congressi, victores: deinde, ijsdem superventu Thebanorum confirmatis, ancipiti pugnâ incerti ita recesserunt, ut antè quàm Spartam reverterentur, Helissuntem quidem ex Arcadibus interceperint: paullo verò pòst, modò à Thebanis socijsque, ad Telphussam, amisso duce ANAXANDRO; neque exiguâ clade, bis profligati: modò superiores evaserint; & Megalopolitanis petentibus inducias concesserint.

3601.
11. Ochi.
10. Philippi.
349.

Thebani, Phocensi bello fessi, & re numeriâ exhausti, à rege Persarum, OCHO, quem [illegible] solicitárant; talenta CCC. accepérunt. Nihil tamen memorabile, præter levia certamina, & agrorum direptiones, patravére.

ALTERA OCHI IN ÆGYPTUM EXPEDITIO.

Rex verò ARTAXERXES OCHUS, qui annis antegressis valido cum exercitu Ægyptum invaserat; neque magnos, ob Legatorum ignaviam, aut discordiam, progressus fecerat; hac demùm tempestate (sive potius anno consequente, quo, sublato AMANE, MARDOCHÆUS Iudæus, Estheræ reginæ patruus, rerum summæ in Persis præfectus est) tamquàm è veterno expergefactus; ipse imperfonatus, ad res feliciùs graviusque gerendas, se accinxit. Cuius quidem belli causæ, ad clariorem ESTHERICÆ HISTORIÆ (cuius) intelligentiam, altiùs repetendæ.

Genebr. putat hunc Ochum, ex bellis peregrè gestis, titulo regio innotuisse; quùm interim domi ARTAXERXES Mnemon regnaret. Atque ab eo, post Ægyptium bellum, magnam Iudæorum multitudinem, in Hyrcaniam, ad mare Caspium, translatam. Ex Orosio fortè, quem vid.

Annis quidem superioribus, quùm Ægyptij à Persis defecissent, OCHUS hic remissior, & quietis, quàm rei gloriæve bellicæ cupientior, domesticis delicijs sese immerserat. Præfectorum verò imperitiâ, vel unius AMANIS fraude & perfidiâ, (quem Macedonem in historiâ cognominari putamus, ideò fortè, quod crescenti, iùm Macedonum potentiæ & factioni clàm favisse sit indicatus) minus prosperâ in tàm longinquis expeditionibus, fortunâ erat usus. Adeò ut & desidiæ notam non effugerit, & in contemptum Ægyptijs venerit. Atque immò, Ægyptiorum exemplo, Phœnices, & reges Cypri, propalàm defecerint.

Tunc demùm ille rebus præesse; & per se, quæ ad bellum maximum necessaria, comparare instituit. Et coactis Peditum ccc. Equitum xxx. Millib. præter triremeis ccc. & onerarias, sesqui-altero plureis, Babylone in Phœnicas movit.

Vbi Sidonij, superbiùs à Satrapis Persis habiti, & cæteris defectionis, & libertatis vindicandæ, auctores, NECTANEBUM, Ægypti regem, in belli societatem pertraxerant: & in contumeliosos dominos, hortosque regaleis, magnâ cum sævitie fuerant grassati.

Et postquàm eorum rex TENNES, ab Ægyptijs, ad IV. Mercenariorum, & Græcorum, duce MENTORE Rhodio, militum Millia accepisset; collatis signis, regios Syriæ & Ciliciæ præfectos, vicerant, & è Phœniciâ expulerant.

CYPRIORUM REBELLIO.

Eodem tempore, IX. in Cypro primariæ Vrbes, quibus totidem præerant reges, supremam regis Persici auctoritatem agnoscere antè soliti: ad Phœnicum imitationem, ab eodem defecêrunt.

Sed PHOCION Atheniensis, & EVAGORAS olim rex Salaminis, ab IDRIÆO, Cariæ Principe, iussu ARTAXERXIS, cum copijs & classe in eam Insulam properè transmissi; & Salaminem artâ obsidione circumplexi, magnâ trepidatione PROTAGORAM, aliosque ibi reges, compleverant.

Quùm rex Persarum intereà Phœniciæ appropinquans, Legatos ad nobilissimas Græciæ urbeis, auxilia adversùs Ægyptios postulatum dimitteret. Ex quibus Lacedæmonij & Athenienses, in pristinâ regis amicitiâ permanere contenti; ob societatem nuper cum Ægyptijs initam, auxilia publicè negârunt.

Thebani verò, & Argivi: illi, Mille, duce LACRATE; hi, III. CIↃ. præfecto NICOSTRATO, viro fortissimo, misêrunt. A Græcis verò, qui oram Asiæ maritimam incolunt; ad VI. CIↃ. sunt submissi.

Sidonij, in quorum iam finibus rex erat castrametatus; quique potissimùm petebantur; ab armis, & telis, & frumenti copiâ abunde sese instruxerant; & urbem triplici fossâ, ac prælatis mœnibus frustrà communierant. MENTOR namque, interprete THESSALIONE, regi deditionem clàm pactus, TENNEM quoque in proditionis societatem induxerat.

Hic, cum DC. Militibus ex urbe egressus, C. primæ dignitatis civeis, quos, uti pro re natâ consiliarios, ad publicum gentis totius conventum educere simulabat; in manus regis tradidit, reliqque hostium obiecit.

Neque rex, D. alios ex urbe Primores, qui prætentis oleæ ramis supplicatum, advenerant, tantùm-non admisit: sed TENNE absolutam Vrbis deditionem iterum stipulante, impotenter etiam confodiendos curavit.

Eumdemque TENNES, persuasis Ægyptiorum mercenarijs, & MENTORE adnitente, sine ullâ incolumitatis aut gratiæ pactione, intrà mœnia recepit. Sed ille à rege mòx interfici iussus, tàm *multiplicis perfidiæ, & turpissimè proditæ patriæ, pœnas luit.*

Sidonij verò, qui antè regis adventum naveis omneis incenderant, ut omnibus fugæ, aut privatæ salutis spem intercluderent; hostibus iam penè omnium potitis, intrà domos, unà cum Vxoribus & liberis, conclusi; subiecto igne, sese ultrò, ad XL. ferè capitum CIↃ. incendêrunt.

Quo ex incendio, quòd magna auri argentique vis conflata diffluxisset; fundum Vrbis excisæ, iam vastum, rex multis talentis vendidit. Hic Sidonis casus, cæteras Phœniciæ civitates, ad deditionem protinùs faciendam, iniecto universè terrore, impulit.

(Cariæ Princeps, ARTEMISIA, quæ biennium à Mausoli mariti morte regnârat, moriens, Principatum fratri IDRIÆO reliquit.

In Siciliâ verò, CALLIPPUS & LEPTINES, Syracusani, iam rerum potentes; comparato exercitu, Rhegium, quod Dionysij præsidijs tenebatur, expugnârunt: & pulso hoste, civibus pristinam libertatem redonârunt.)

3602. 12. Ochi. 11. Philippi. | 348.

Iam Cypri urbes penè omnes, PHOCIONIS atque EVAGORÆ industria & armis, in Persarum potestatem redierant: Et solus PROTAGORAS, Salaminis suæ obsidionem fortiter sustinebat.

Quum verò EVAGORAS aviti regni recuperandi cupiditatem apertiùs prodidisset; & alijs de caussis ARTAXERXI in suspicionem venisset; PROTAGORA, qui veniam à rege impetrárat, Partheis auxilijs adversus competitorem, subnixo; frustra ille fuit.

Sed à rege, cui se purgárat, præfectura ampliore, sed minus gratâ, in Asiâ honoratus, quùm malè se gessisset; in Cyprum refúgit: & tandem comprehensus supplicióque adfectus est. PROTAGORAS contrà, qui ultrò se Persis dedidisset, stabile deinceps Salaminis imperium obtinuit.

ARTAXERXES deinde, confluentibus ad se undique Græcorum auxilijs, in Ægyptum contendit. Et transmissis, non sine periculo & difficultate, ingentis stagni voraginibus; haud procul Pelusio, quod v. Ægyptiorum, & Græcorum, duce PHILOPHRONE, Millia, tuebantur; castra posuit.

Ipse Græcorum, qui sibi militabant, copias, in III. acies partitus, singulis Græcum unum, & alterum Persam, præfecit. Vt Bœotis, & equitibus Barbaris, LACRATES cum ROSACE: Argivis, alijsque v. Mille delectis, & triremibus LXXX. NICOSTRATUS cum ARISTAZENE: Græcis, è Persicâ Asiæ ditione, & aliquantæ Barbarorum parti; MENTOR Sidoniorum proditor, cum BAGOSE (al. Bagoa) evirato, & regi carissimo, imperarent. Rex verò, cæteris cum copijs, totius rei summæ præesset.

NECTANEBUS, qui XX. Græcorum Millia, stipendijs auctorata; totidemque Libyas, & bellatorum ex Ægypto LX. Mill. haberet: & navium ingentem numerum, ad navalia in Nilo certamina: Et ripam fluminis, Arabiæ obversam, frequentibus castellis, muro & fossâ continente, communijsset: Et præter urbeis munitissimas, adparatus bello gerendo opportuni non deessent. brevi tamen, præ imperitiâ, & consilij inopiâ; & insolenti, ob prosperiorem prioris belli, (quòd præstantissimis ducibus, DIOPHANTO Atheniensi, & LAMIO Lacedæmonio, gesserat) successum, præfidentiâ; corruere omnia vidit. qui se solum huic bello idoneum Imperatorem fore esset arbitratus.

Opidis quidem valido passim præsidio firmatis, ipse cum maximâ exercitûs parte, loca ea insedit, quæ hosti excipiendo maximè viderentur opportuna.

Sed audito, NICOSTRATUM, Argivorum ducem, cum suis copijs, fossam transmisisse: & Ægyptios, qui loca propinqua custodiebant, & ad hostem repellendum eruperant; CLENIO Coö duce interfecto, magnâ clade fuisse adfectos. cõfestim Memphim confugit; & quæ oppugnationi sustinendæ essent, comparavit.

Cuius repentini discessûs famâ ad Pelusium perlatâ; quòd, pro tempore, à LACRATE Thebano, graviter se Græcis, qui intùs erant, defendentibus, magnâ vi oppugnabatur. præsidiarij rés salvas, & tutum in patriam reditum, cum LACRATE pacti; dum rebus, quas secum exportabant, à BAGOA, barbarorum duce, spoliati; Deos iuris-iurandi vindices, & LACRATÆ fidem implorarent: Barbaris non sine cæde repulsis, incolumes evaserunt. Eorumque caussam rex ipse, licet BAGOA multum querente, supplicio etiam de rapinæ auctoribus sumpto; comprobavit.

MENTOR, cui tertij agminis cura erat demandata. quùm videret singularum urbium præsidiâ, ex Græcis & Ægyptijs militibus esse permista; sparso callidè per castra priùs; deinde per urbeis, ad quas captivi liberi vel dimittebantur, vel transfugiebant; rumore,

„ *Regem summâ clementiâ in dedititios; at in rebelleis* pari, atque Sidonij sensissent, *severitate uti*, constituisse; seditiones passim vigére cœperunt. Dum utrique certatim, locis quibus præerant, proditis, regiam gratiam præoccupare student.

Nam simul-atque MENTOR, cum BAGOA, ad Bubastim proximè consedére; alij cum illo, alij cum hoc, de deditione agere contendebant.

Idque Græci subodorati, Ægyptijs malè mulctaris; ipsum quoque BAGOAN, interfectis ijs, quos accitus in urbem secum introduxerat, rem ità clanculùm & perfidè procurante MENTORE, comprehendérunt.

Ille spem salutis in MENTORE positam perspiciens, eumdem orat, ut se liberatum veniat; professus nihil se in posterum, nisi ex eius consilio, facturum. MENTOR itaque Græcos, ut & BAGOAM dimitterent; & sibi uni urbis deditionem facerent, facilè induxit.

Exemplum Bubastinorum, reliquæ per Ægyptum civitates secutæ, in Persicæ ditionis ius, certis condinionibus, recidérunt. Et NECTANEBUS, desperatis regni rebus, ingenti cum pecuniâ, in Æthiopiam profúgit.

(Euseb. vult, XIV. regni anno Ægyptum ab ARTAXERXE subactam: & Sidonem anno XVII. eversam.)

Chronog. Alexand. NECTANEBUS, inquit, rex ultimus Ægypti, Pharao dictus, quùm intellexisset regnum Ægypti à Deo destructum iri; tonsâ comâ, & mutata veste, regnoque relicto, per Pelusium, ad Pellam, ubi PHILIPPUS Macedoniæ rex imperitabat, transfúgit.

Idem (ex Æliano forté) addit, BAGOAM, spadonem eius, natione Ægyptium, indignatum, ob factam suæ genti contumeliam, regis morte ultum esse.

Quùm namque Ægyptij eumdem, adhuc viventem, Asini figurâ depinxissent; & regem non Ochum, sed Ὄνον, i. Asinum nominarent; Ille Apim, (Ægyptiorum idolum, an delicias!) vi ereptum, & ad se perductum, mensæque adpositum, Asino immolavit, & devorandum obiecit.

Et totius

Et totius Ægypti potens, insigniorum urbium mœnia diruit; & sacras Deorum ædeis spoliavit. Eorumque inveteratæ superstitioni (Iudæis, quibus favebat, odiosissimæ) insultans; Apim bovem, ferro cæsum, inter epulas adposuit. (Sic Sulpit.)

Et tabularum, Hieroglyphicarum, monimenta, ex vetustioribus templis abstulit. quæ Bagoas postea Ægyptijs sacerdotibus magno revendidit.

Rex Ochus, Pherendate Ægyptijs præsse iussos; & Græcis ducibus militibusque, non sine donativo, & prolixâ munerum largitione, in patriam remissis; cum toto exercitu, spolijs, & partâ ex rebus gestis gloriâ cumulatus, Babylonem reversus est.

3603. 13. Ochi. 12. Philippi. | 347.

MENTORIS RHODII FACINORA.

Mentor à rege, Asiæ maritimæ, cũ summi Prætoris, & belli adversùs rebelleis gerendi, potestate, præfectus; Artabazo, & Memnoni, quibus arta necessitudine erat coniunctus; quique annis superioribus, post longinquum cum Persis bellum, ex Asiâ, ad Philippum, in Macedoniam, se receperant; reditum, & erumnis veniam, ab eodem rege impetravit.

Et Artabazi liberos, quos ex suâ & Memnonis sorore susceperat, varijs in exercitu præfecturis honestavit.

Hermiam, Atarnitarum tyrannum (quem Strabo Eunuchum, & mensarij cuiusdam famulum, & Platonis olim Aristotelisque auditorem fuisse tradit) cal ida dissimulatione ad colloquium pellectũ; cui condonandæ & abolendæ culpæ apud regem auctor scilicet futurus esset; ex insidijs comprehendit:

Et annulum ab eodem extorquet, quo obsignatæ litteræ, & ad urbeis, quas ille ex Persis interceperat, transmissæ, fidem populis fecére, initeque cum rege pacificationis: & ad voluntariam arcium deditionem impulére.

Tyrannum tradit Strab. l. 13. à rege in crucem actum fuisse. & Memnonem Rhodium, pro Mentore, peremptum substituit.

(Philippus Geram, arcem Chalcidensiũ, vi cepit & evertit, aliasque urbeis sibi parére coegit. Et Pheris Philolaum, qui dominatum invaserat, eiecit.

Spartacus, Bosporanorum in Ponto rex, post v. regni annum, fratri Parisadi possessionem reliquit; eàque is ann. xxxix. potitus.)

BAGOÆ EVNVCHI INSOLENTIA.

In hoc tempus incidisse videntur ea, quæ Iosep. l. 11. c. 7. commemorat. Iohanan, sive Ioannem; Ioadæ, sive Iudæ, Filium; & Eliasibi, summi Pontificis, Nepotem; in causâ fuisse, cur Bagoas, (seu Bagoses) copiarũ Artaxerxis Imperator, (Rege tum fortè ex Ægypto & Phœniciâ, cum spolijs & gloriâ, victoriæque insignibus, per Palæstinam, ad Persas revertente) non modò Templum Hierosolymis polluerit; sed tributa etiam Iudæis iniquiora imposuerit; *Vt priùs quàm quotidianis hostijs (binis in diem agnis) facerent; L. drachmæ, in singulos agnos, ex publico penderentur.* (Quod efficit in annum Lx. talenta Attica.) Idque hâc ex causâ.

Iesvs, sive Iosuha, frater eius, quem dixi, Ioannis, cui Bagoses, amicitiâ coniunctus, Pontificatum fuerat pollicitus. quùm eâ fiduciâ liberiùs cũ fratre in Templo altercaretur, ab eodem, iam irritato, fuerat interfectus.

Eam cædem, inauditâ cum impietate coniunctam, ulcisci adnitens Bagoses (al. Ioannam in Templum persecutus) & Templi ingressu à populo prohibitus; dum quæreret; *An cadavere, quod in Templo iacèret. sive veriùs, An parricidâ ipso, impuriorem se existimarent?* vim fecit. & a Iudæis, per septennium, pœnas quas dixi, exegit.

(Hæc alij vel ad i. vel ad v. Ochi annum referunt.)

3604. 14. Ochi. 13. Philippi. | 346.

PHILIPPI IN OLYNTHIOS EXPEDITIO.

Philippvs, Torone & Micybernâ, Chalcidicæ in Thraciâ regionis Vrbibus, undè in Hellespontum pervaderet, proditione captis; ad Olynthios vireis convertit.

Illi, initâ prius cum Macedone societate, & viribus inter se coniunctis, adversùs Athenienseis, originis suæ, ex Chalcide Euboicâ, auctores, bellum diu gesserant. Deinde rege, ob subita incrementa, & parùm fidum eius ingenium, suspecto; cum Atheniensibus pacem fecerant.

(Exstant Demosthenis Olynthiaca.)

Rex itaque optatam diu belli caussam nactus, bellum ijs, uti fedifragis, inferre decrevit. Eosque duobus prœlijs victos in urbem compulit: & dum obsessos expugnare tentat; multos ex suis amisit.

Sed LASTHENE & EVTHYCRATE, qui summum eâ in urbe magistratum gerebant, pecuniâ corruptis; proditam sibi urbem impunè diripuit: & cives, cum prædâ, sub hastâ venumdedit.

Iustin. l. 8. Receperant, inquit, Olynthij, per misericordiam, post cædem unius, duos fratres PHILIPPI; quos ille ex novercâ genitos, veluti æmulos & participes regni, interficere etiā gestiebat.

Hanc igitur ob caussam, Vrbem antiquam & nobilem exscindit: & fratres supplicio olim destinato tradit: prædâque ingenti & paricidij voto fruitur.

Et quantumvis Athenienses hoc exemplo territi, & à DEMOSTHENE Oratore instigati, omnibus his, quos bello PHILIPPVS lacessebat, auxilia submiterent; eosque ad libertatem tuendam, atque adeò ad supplicium de proditoribus sumendum, adhortarentur; tàm præceps nihilo-minus, & indomita urbium suarum prodendi, & auro vendendi, libido, plærorumque animos occupabat; ut ille honestis nominibus, nunc amicos, nunc hospites, appellitans; infandis munerū & promissorū commercijs omnes corrumperet, sibiq; obnoxios redderet.

(Horat. *Diffidit Vrbium Portas vir Macedo: & subruit amulos Reges muneribus.*)

3605. 15. Ochi. 14. Philippi. 345.

QVÆSTIO IN SACRILEGII CONSCIOS.

Circà id temporis, gravis de sacrâ pecuniâ, quā Phocensium duces interverterant, quæstio est habita; & multi ex ijs, ingenti multâ, aut pœnâ capitali adfecti.

Et licet id crimen Phocensibus totum adscriberetur; in Lacedæmonios etiam tamen, & Athenienseis expetebat: qui stipendia militibus, quos auxilio ijs miserant, nulli exsolverent: & sacrilegijs interea patrocinarentur.

In Deum iniurij; quo consiliorum auctore in rebus dubijs usi, tot bella victores inierant; tantumq, imperium terrâ mariq, quæsierant. Neque sine eius Numinis maiestate, aut privatim, aut publicè quidquam anteà gesserant.

Et quùm tantum facinus ingenia, omni doctrinâ exculta, & pulcerrimis legibus institutisque formata, admitterent; quid posthàc iure succensere barbaris possent, non habebant.

Bœoti, bello & multis cladibus à Phocensibus attriti, & à pecuniâ imparati, auxilia à PHILIPPO petebant.

Ille verò, qui Bœotorum spiritus, Leuctricâ victoriâ inflatos, imminui & remitti; & se sacrilegij simul vindicem haberi cuperet; paucos milites in id bellum dedit.

Quibus Bœoti, in Phocenseis, qui haud procul Abis, & Templo Apollinis, arcem exstruere moliebantur, invecti; plerosque in opida propinqua; & ex ijs D. in Templum confugere, coegêrunt. Atque hi ad unum omnes subito & fortuito incendio, Deo quasi ultore, unà cum Templo sunt absumti.

3606. 16. Ochi. 15. Philippi. 344.

PHILIPPI MACED. CALLIDITAS.

Recrudescente irâ, Thessali Bœotique iterùm PHILIPPVM orant, ut professum adversus Phocenseis ducem Græciæ exhibeat. Contrà, Phocensium legati, adhibitis Lacedæmonijs & Atheniensibus, bellum deprecantur. cuius ab eo dilationem ter iam redemerant.

PHILIPPVS, secretò auditis utrorumque legationibus; his veniam belli pollicetur; iure-iurando adactis, responsum nemini prodituros. Illis, vicissim, venturum se, auxiliumque laturum. Vtrosque vetat, aut parare bellum, aut metuere.

Atque ità securis omnibus, Thermopylarum angustias, quas ad primum belli rumorem Athenienses insederant, occupavit.

Tunc primùm Phocenses captos se fraude Macedonis animadvertentes, trepidi ad arma concurrunt. Sed quùm neque spatium esset instruendi belli, nec tempus ad contrahenda auxilia: & PHILIPPVS ni maturè deditio fieret, exscidiū minaretur; victi necessitate, & salutem pacti, sese dedidêrunt.

Sed pactio eius fidei fuit; cuius anteà fuerat deprecati belli promissio. Cæduntur passim, rapiunturque. non liberi parentibus, nec coniuges maritis, nec Deorum simulacra templis suis relinquuntur. *Hac Iustin. ferè.*

Diod. verò, PHILIPPVM pro auxilio interpellatum, adscitis secum Thessalis, in agrum Locrensem cum copijs contendisse.

Et PHALÆCO, quem nuper damnatum Phocenses honore imperij privârant (al. quem iterum Imperatorem creârant) quique ad VIX. stipendiariorū M. habebat; ad pactiones pro se, & suis, ut tutò in Peloponnesum abire liceret, descendente; Phocenseis, omni spe destitutos, sese PHILIPPO tradidisse.

Quùm autem victor integram rei totius cognitionem Amphictyonici Cōcilij arbitrio reliquisset.

„ *Illi, PHILIPPVM, eiusq, posteros, in collegium suum, cum duorum suffragiorum iure, quod victi Phocenses antè habuissent; cooptandos decrevêrunt.*

„ *Trinum in Phocide Vrbium mœnia, solo æquarentur.*

„ *Arma eorum frustratim comminuta, ignibus cremarentur; & equi auctione distraherentur.*

„ Prætereà

,, *Præterea, ut profugi, sacrilegij rei, undequaque retrahi possint.*

,, *Vrbes quæ Phocensibus paruerant, in pagos infrequenteis, & longè inter se dissitos, redigantur.*

,, *Ex agris, vectigal annuum, talenta LX. Deo pendant; quoad tota pecuniæ summa, in tabulas rationum relata, exsolveretur.*

,, *Et quoniam Corinthij, sceleris Phocaici participes, adiutoresq́, fuissent; Pythiorum certaminum curandi ius, PHILIPPO, cum Bœotis Thessalisq́, commune esset.*

His ita comprobatis, & gratijs Concilio officiosè actis, PHILIPPVS in Macedoniâ revertit; veluti *sacrilegij vindex & religionum ultor*, magnâ cum gloriâ exceptus; & tantum-non a Dijs proximus vulgò habitus.

Quia, quod universi orbis viribus expiari debuerat, per eum solum Deorū maiestas vindicata esset.

Iustin. tradit illum indè in Cappadociam traiecisse: & bello ibidem pari perfidiâ gesto; captisque per dolum, & occisis finitimis regibus; universam provinciam Macedoniæ imperio adiunxisse.

Id autem, quum nulli alij tradant aut meminerint; immò pedem in Asiâ fixisse negent: de Chalcidensi Thraciæ regione in qua Mecyberna, Torona, & ipsa Olynthus) dicendū fuisse iudicetur.

Quum namque forte cum, fratres duo, reges Thraciæ (COTTOS, ut videtur, filij, AMADOCVS & CHERSOBLEPTES) non cōtemplatione iustitiæ eius; sed invicem metuentes, ne alterius viribus accederet: disceptationum suarum iudicem elegissent: Ipse, more ingenij sui, ad iudicium, veluti ad bellum, inopinantibus fratribus, instructo cum exercitu, supervénit. Et regno utrumque, non iudicis more; sed fraude latronis ac scelere, spoliavit.

TIMOLEON CORINTHIVS, SYRACVSANORVM PRÆTOR.

In Siciliâ verò Syracusani, in factiones distracti, &, reverso post DIONIS cædem DIONYSIO, multorum tyrannide oppressi; quùm à Corinthijs, generis sui auctoribus, ducem sibi mitti postulassent; qui & remp. constitueret; & eorum, qui tyrannidem adfectabant, improbitate se liberaret; TIMOLEONTEM Timæneti F. virum spectatum, & ab Vnius-dominatione maximè abhorrentem, mittere illuc decreverant.

Is fratrem anteà TIMOPHANEM (qui dux à Corinthijs delectus, tyrannidem, per mercenarios milites, & facinorosos civeis, occupârat: neque à fratre commonitus, à cœpto desistebat) operâ aruspicis, & communis adfinis, cui soror, ex eisdem parentibus nata, enupserat; interficiendum curavit. Neque ipse non modò manus attulit, (Diod. suâ ipsum manu obtruncâsse, tradit) sed ne adspicere quidem fraternum sanguinem voluit.

Hoc autem eius facinus, non pari modo probatum est ab omnibus.

Alij, læsam ab eo pietatem putare, & invidiâ laudem virtutis obterere.

Mater etiam, neque domum ad se filium, uti *fratricidam & impium*, admittere velle, neque adspicere.

Alij factum vehementer commendare; *Qui suorum civium libertatem, fratris sui vitæ & saluti antetulisset: Et legibus parêre, quàm imperare patria, aut particeps regni esse, maluisset.*

In hâc altercatione, Syracusanorum interventu, Senatus hanc insolentem & mitificam optionem TIMOLEONTI proposuit.

Si benè rem Syracusanam administrâsset; Tyrannicidam. Sin secus, & ex animi lubidine, fratris percussorem, iudicatum iri.

Sed ille non tàm iudicij timore, quàm insito virtutis studio; benè, & ex Siculorum usu, provinciæ præfuit.

3607. 17. Ochi. 16. Philippi.		343.

Conducto externo, ad noc. milite, & in triremeis imposito. Et III. obiter à Leucadijs & Corcyræis, navibus impetratis; fretum Ionium, *face de cælo* per noctem *prælucente*, transmisit. & in Italiam salvis copijs, ad Metapontum, pervénit.

Vbi à Carthaginiensium legatis interpellatus, ne aut belli initium faceret; aut in Siciliam tranfret; Rhegium, invitantibus civibus, & auxilia pollicentibus, quò adventûs sui famam ante-verteret; properè contendit.

Carthaginienses id temporis summâ humanitate socias civitates habebant. Cum Tyrannis, & ICETA in primis exsule Syracusano, amicitiam firmârant.

Eorum, duce HANNONE, navaleis pedestreisque copias; c. I. naves longas; L. Peditum M. Præter currus bellicos, & bigas, arma & machinas, & ingentem commeatûs vim, in Siciliam miserant.

Qui quùm primâ expeditione Entellam obsiderent; Galerienseis M. qui socijs auxilio ibant, in itinere, cæciderunt. & Campanos, qui Ætnam habebant, ne auxilia cognatæ urbi adferrent, eâ clade absterruerunt.

ICETAS è Leontinis, ad DIONISIVM Syracusis exturbandum profectus, dum post irritam aliquot dierum, præ rerum necessariarum inopiâ, Vrbis vastæ obsidionem, eò, undè venerat, rediret: DIONYSIVS, abeuntem insecutus, extremum agmen lacesseret; Ille, conversus, & manum conferens, cæsis ad III. Mille Dionysianis, reliquos in fugam compulit. Et summâ vicissim, in persequendo, celeritate usus, unà cū fugientibus in Vrbem irrupit. atque ita Syracusis, absque Insulâ, potitus est.

Triduo post TIMOLEON Rhegiū adpulsus, copias è navibus, haud procul Vrbe. exposuerat; quùm eòdē Carthaginienseis, xx. cū triremibus, advenerūt.

Et Rhegini quidem, qui TIMOLEONTI faverent, populo ad concionem utrimque evocato, de pace intereos componendâ, agere cœperunt.

TIMOLEON verò, Carthaginiensibus in hoc unū intentis, ut ipsi reditus in patriam, Corinthum, relictâ peregrè expeditione, persuaderetur: & negligenter per stationes interim excubātibus: Ipse è cœtu clanculùm se subducens, navi suâ conscensâ; & novem alijs in altum, priùs & de-composito, deductis; summâ cum festinatione, enavigavit.

Et Carthaginiensibus à nocturnâ persecutione deterritis; Tauromenium inoffensam classem adpulit. Vbi ab ANDROMACHO, libertatis Syracusanæ studiosissimo, amicè acceptus; & ab insequentium impetu defensus est.

Quùm verò ICETAS, cum V. armatorum delectis Millibus, Adranitas, sibi adversanteis, castris haud procul ab opido positis, graviter urgueret; TIMOLEON, manu aliquantâ a Taurominitanis impetratâ, cum M. circiter militibus, ex Vrbe egressus, iter Adranum versus de nocte ità confecit; ut postridie ex-improviso prandenteis ICETÆ milites offenderet: & factâ in castra irruptione, plus CCC. occiderit: Et castris potitus, propè DC. comprehenderit.

Atque adeò inde ad Vrbem, Syracusas, profectus, totumque illud iter ceu curriculo emensus; fugienteis è pugna hosteis prævertit. Et Vrbem præsentis periculi securam, facilè ingressus est, & cepit.

3608. 18. Ochi. 17. Philippi.	(Hoc anno Romani primum cum Carthaginiensib. fedus percusserunt. Diod. Et IDRIEO in Cariâ, morte, post septennē Principatū, obitâ, ADA coniux & soror suffecta, quadriennio imperavit.)	342.

Syracusis in perplexissimo tumultu & periculo positis; (Vbi DIONYSIVS, Insulam; ICETAS, Achradinam cum nova urbe; & TIMOLEON, reliquum, obtinebant. Et Carthaginienses, Portum maiorem, CL. navium classe, expositis in terrâ L. Peditum M. insidebant) inopinata rerū mutatio subitò est cōsecuta.

Ad TIMOLEONTEM nāque, qui Adranitas & Tyndaritas in societatē, & ab ijsdem auxilia acceperat; MARCVS (al. Mamercus,) Catanensium tyrannus, non exiguis cum copijs, accessit: & pari libertatis studio compluresis civitates ad se pertraxit.

X. Præterea naves à Corinthijs, cum auxilijs & stipendio missæ, & Syracusas adpulsæ; ut eū egregiè confirmârunt; ità Carthaginienseis tantoperè perterrefecérunt; ut classe è Portu eductâ, castrisque motis, in suæ ditionis agros discesserint.

Quo factum est, ut ICETA auxilijs destituto, urbs tota Syracusarum in TIMOLEONTIS potestatem sit redacta. & Messene, quæ pro Pœnis steterat, ab eódem mòx recepta.

PHILIPPVS avito in Illyrios odio concitatus, eorum agros valido cum exercitu vastavit. Et multis urbibus expugnatis, in Macedoniā reversus, Thessalos, expulsis ex opidis, quæ premebantur, tyrannis, novo beneficio devinxit. Quorum exemplo, finitimi Græci fedus cum eodem iniérunt.)

(Sub idem tempus Aristoteles Alexandrum M. erudire cœpit.)

3609. 19. Ochi. 18. Philippi.	———————	341.

ALTERVM DIONYSII EXSILIVM.

TIMOLEON, DIONYSIO, in extremam desperationem adacto, persuasit, uti Arce traditâ, & Principatu abdicato, in Peloponnesum, cum omni suâ pecuniâ, ex composito, transiret.

Et quòd utriusque Dionysij opibus atque auxilijs Corinthij sæpè adiuti fuerant; eius benignitatis memoriam voluit exstare. *Vt præclara de Tyranno, quem delere & interficere potuisset, ea victoria duceretur; in quâ plus clementiæ, quàm crudelitatis, inesset.*

Et ut Corinthij nō solum auribus acciperent; sed oculis etiam coràm cernerent; *Quem, & ex quanto ...no, ad quam fortunam ipse tyrannum depulisset.*

Et qui priùs, suprà armorum vim, quæ LXX. hominum Mill. armandis par esset: CD. naveis triremeis in potestate habuerat; paullo-post in arto navigiolo, *mutabilis in rebus humanis fortunæ spectaculum* orbi præberet, & ludibrium deberet.

Ibi namque Exrex ille, humilima quæque, pro tutissimis existimans, in sordidissimum vitæ genus se deiecit. In publico potare; in lustris ac popinis totos dies desidére: squalidus veste, risum libentiùs præbere, quàm captare; & contemnendis magis, quàm metuendus videri.

Novissimè, Ludi-magistrum professus, pueros in trivio docere. Et in hâc tamen vitiorum, non naturæ, simulatione, vitijs semper tyrannicis abundare.

TIMOLEONTIS IVSTITIA.

TIMOLEON contrà, arceis & loca munita, quibus se tueri Tyranni soliti, funditùs evertit: & civibus libertatem reddidit. Legibus & æqualitate remp. iustissimè ordinavit: & magistratum Syracusis annuum, quem Iovis Olympij famulatum, sive Amphipolos, dixére; & quo annorum discrimina notarentur, instituit. qui per annos, plus minus, CCC. posteà duravit. donec tandem, præfulgente Prætorum Roman. auctoritate, vilescere cœpit, aut aboleri.

PHILIPPI IN THRACIA PROGRESSVS.

PHILIPPVS, ut Græcas in Thraciā civitates societate sibi coniungeret; susceptâ adversùs CHERSOBLEPTEN regem, Hellespontijs infestum, expeditione, multis prœlijs victor, eò Barbaros adegit; ut decimas regno Macedoniæ dependerent. Et opidis oppor-

dis opportunè, coercendæ Thracum incursantium audaciæ, constructis, Græci, eorum locorum incolæ, promtioribus animis in PHILIPPI fœdera descenderent.

3610. 20. Ochi. 19. Philippi.		340.

REGES MOLOSSORVM.

Hoc anno ARYMBAS, sive Arybas, Molossorum rex, postquàm x. regnâsset annos, vitâ excessit, relicto F. ÆACIDA, qui PYRRHI Pater. In demortui locum ALEXANDER, NEOPTOLEMI F. OLYMPIADIS frater, opera PHILIPPI, subrogatur.

Iustin. lib. 7. Hunc ARYBAM, nuptias OLYMPIADIS Philippo conciliâsse, tradidit: Quæ causa illi exitij fuerit. Dum namque regni incrementa, PHILIPPI adfinitate, acquisiturum sperat; proprio ab eodem regno postmodò privatus, in exsilio consenuit.

Idem l. 8. Sed nec, PHILIPPVS, à proximis manus abstinet. Siquidem ARRYBAM, regem Epiri, uxori suæ OLYMPIADI artissimâ cognatione iunctū, pellere regno statuit. atque ALEXANDRVM, privignum eius, (immò, fratris NEOPTOLEMI Filium; uxoris OLYMPIADIS (& TROADIS) fratrem) puerum honestæ pulcritudinis, in Macedoniam, nomine sororis, arcessit: & spe regni solicitatum, simulato amore, ad stupri consuetudinem perpulit. Et quùm is ad xx. annos pervenisset; ereptum Arybæ regnum puero tradidit.

TIMOLEONTIS PROGRESSVS.

TIMOLEON, frustrà tentatis Leontinis, quò se ICETAS, validis cum copijs, subtraxerat; ad Engyium, LEPTINÆ, alterius tyranni sedem, castra movens, urbem deditione cepit: & tyrannum in Peloponnesum commigrare coëgit. Engyinis simul & Apolloniatis, qui eidem tyranno paruerant, liberam suis legibus vivendi potestatem concessit.

Factis verò in vicinam Carthaginiensiū provinciam incursionibus, ingentem ex prædâ conflavit pecuniam, quâ suo stipendia militi exsolveret: Deinde urbe Entellâ captâ, & libertate donatâ; omnes Græcæ in Sicilia civitates ultrò sese TIMOLEONTI dedidére.

Dum verò Siculorum, Sicanorum, aliarumque gentium ibidem urbes, quæ Carthaginiensium fœdere & præsidijs tenebantur, legatos oratum mittent, ut in amicitiam fœdusque ab eo reciperentur; Carthaginienses ad novos duces creandos, & maiorum copiarum adparatus, animum adiecérunt.

3611. 21. Ochi. 20. Philippi.		339.

(PHOCION Atheniēsis CLEARCHVM, quem Eretriæ in Eubœa tyrannum PHILIPPVS præfecerat, debellatum expulit. Et in Cariâ, PEXODORVS, fratrum natu minimus, eiectâ ADA, Principatum occupavit. Et in eum usque annum tenuit, quo ALEXANDER in Asiam traiecit; & ADAM regno restituit.)

PERINTHVS, ET BYZANTIVM OBSESSÆ, ET LIBERATÆ.

PHILIPPVS regno ampliando semper intentus, Perinthum urbem, quæ in Hellesponto ab Atheniensibus stabat, omni machinarum genere adgressus; quùm disiectis iam mœnibus, & consumtis Byzantiorum auxilijs, eò opidanos adegisset, ut de deditione faciendâ cogitarent: commodùm à rege Persarum, cui Macedonis crescens in dies potentia suspicionem iniecerat; auxilia comparuerunt: & novos propugnatoribus animos addidérunt.

Ille, quò omnem subsidij spem obsessis intercluderet, copias suas partitus, dimidium earum cum optimis ducibus in obsidione reliquit: & reliquis secum adscitis, de-improviso Byzantium, undè omnia bello sustinendo idonea Perinthijs fuerant submissa; non sine gravi Civium consternatione, acriter oppugnare cœpit. receptaculum copijs suis terrâ marique futurum.

3612. 22. Ochi. 21. Philippi.		338.

Athenienses, quibus PHILIPPVS pacem secum firmatam violâsse visus esset; navaleis copias raptim Byzantijs subsidio misérunt. Idem à Chijs, Cois & Rhodijs, quos illi in PHILIPPVM concitârant, factum.

Quo Græcorum concursu territus PHILIPPVS, solutâ duarum Vrbium obsidione, fedus cum Atheniensibus, alijsque Græcis, percussit.

Iustin. lib. 9. tradit, PHILIPPVM longâ obsidionis morâ exhaustum, pecuniæ commercium de Piraticâ mutuatum esse: & prædâ navalium mercium distractâ, inopiam paullulùm recreâsse. & multas in Chersoneso urbeis expugnâsse. ALEXANDRO F. qui iam-tum XIIX. annos natus esset; ut sub patris magisterio militaris tirocinij rudimenta deponeret, ad se arcessito.

BELLVM

BELLVM PHILIPPI IN SCYTHAS.

Ipse deinde in Scythiam, prædandi causâ, & ut belli impensas alio bello reficeret; profectus est; ab ATHEA scilicet, Scytharum rege, dum bello Istrianorum premeretur, per Apolloniateis, & promissâ quidem adoptione regni, in auxilium evocatus.

At postquàm rex Istrianus, interim decedens, Scythas & belli metu, & auxilij externi necessitate, solvisset; ATHEAS, remissis, ne sumtu quidem viæ dato, Macedonibus, pactis renuntiat. *Neq; Scythas, vindictâ Macedonum, quibus meliores sint, egére: neque heredem sibi, incolumi filio, deesse.* Aliaque addidit aspériora.

Quibus irritatus, & derisum se dolens PHILIPPVS, solutâ Byzantij obsidione, cuius impensæ portionem petebat; bellum Scythis molitur. Et præmissis legatis, quò regem securiorem faceret, ei nuntiandum curat; *Se venire, ad statuam, quam Herculi*, inter obsidendum, *voverat*, in ostio Istri *ponendam*. Petere modò *pacatum ad religionem accessum.*

Quùm autem Barbarus statuam sibi mitti iuberet; eamque positurum, & inviolatam servaturum polliceretur. Alioqui, si se invito ponatur; aut ipse cum exercitu in fineis suos ingrediatur; sublaturum: & æs statuæ, in sagittarum aculeos conversurum.

PHILIPPVS nihilo seciùs prælio cum Scythis decertans, illos, licet virtute & animis præstarent, astu militari vicit. Capta x x. puerorum ac feminarũ M. & pecoris magna vis. *Auri argentiq; nihil*. Totidem nobilium equarum Millia, ad subolem, in Macedoniam transmittenda.

Sed revertenti ab Scythiâ, Triballi, PHILIPPO occurrunt. ni prædæ portionem accipiant, transitum non daturi. A iurgio ad certamen ventum. In quo ita in femore vulneratus est PHILIPPVS, ut per corpus eius equus interficeretur. Quumque omnes occisum putarent, præda amissa est.

BELLVM IN SICILIA CVM POENIS.

Carthaginienses autem, cum novis copijs iam in Siciliam erant invecti. Vt cum prioribus, plus septuagies Mille Peditum in castris: equites, currus & bigæ, ad x. Millia: naves longæ c c. & onerariæ suprà Mille, recenserentur.

Tantis Pœnorum copijs TIMOLEON, licet exiguo ipse militum numero stiparetur; haud perturbatus; pace cum ICETA, qui cum bellum gerebat, firmatâ, non pænitendam manum accepit: & in hostilem Carthaginiensium agrum, cum x i i. Mil-lib. movere cæpit.

Hic, haud procul Agrigento, seditione per THRASIVM quemdam, sacrilegij Phocensis consortem, in TIMOLEONTEM, ut nimis temerarium Imperatorem, concitatâ; Mille ab eo distracti Syracusas rediérunt; & accepto illic stipendio conquievérunt.

Ipse cum reliquis, apio, ceu quodam victoriæ præsagio, coronatis, in hostem contendit. Et de monte quodam ad flumen, (Crinisum, PROBO.) descendens, quà x. iam Pœnorum M. transierant; eos, à traiectu adhuc incompositos, adortus, magnam cædem edidit.

Et postquam Carthaginienses, flumine cum copijs universis transmisso, facilè Græcorum in suos, iam fugienteis, impetum repressissent; eosque pauciores, suâ multitudine circumvenire incepissent: exortâ de subito imbrium, ventorum & tonitruum, tempestate, quæ in adversos Barbarorũ vultus ferretur: ipsi fugâ confertim ad flumen iterùm præcipitatâ, partim suo-ipsorum impulsu conculcati, & gladijs telisque confossi; partim ab instante equitatu, multis à tergo vulneribus acceptis, cõfecti sunt: Et coacervatâ ad ripas, flumine iam intumescente impeditiores, corporum strue, oppressi.

Ex hostibus, præter Sacrã aciem, quæ ex I I. M. & D. dignitate & robore primis, erat conflata, & manu gloriosè consertâ occubuerat; ad x. & eò ampliùs, cæsi: ad x v. M. capti.

Apparatu belli, & universâ munitione, curribus & impedimentis, victor potitus, opima spolia reportavit. & Corinthum, in templorum tholis adpendenda, transmisit. Qui fugâ elapsi istã fortunæ iniuriam declinárunt; ad Lilybæum se recepére.

Hic tantæ cladis nuntius Carthaginem perlatus, in summam trepidationem omneis civitatis ordines coniecit; ne ad se obsidendos cum toto exercitu victor transiret.

Ipsi GISCONEM, ANNONIS fratrem, & tunc exsulem, ingentis animi virum, Imperatorem designárunt. Et externos milites, ut civium vitæ & infrequentiæ parceretur; conscribere iussérunt.

Nihilo seciùs missi in Siciliam legati, ex primoribus; qui quibuscumque possint conditionibus, cum TIMOLEONTE pacem facerent.

3613. 23. Ochi. 22. Philippi. | 337.

Hic verò Syracusas reversus, Mille illos, qui duce THRASIO, à se defecerant, ut desertores, ex urbe expulit. Qui postquam maritimum in Italiâ opidum diripuissent; à Bruttijs vicinis bello petiti & trucidati, tum *perfidiæ*, tum *prioris sacrilegij* pœnas luérunt.

POSTVMIVM etiam tyrannum, qui Piraticis navibus Mare infestum reddebat; & per amicitiæ speciem Syracusas advenerat, (PROB. nominat, MAMERCVM, Italicum ducem, hominem bellicosum & potentem, qui tyrannos. (Icetam, fort. & Hipponem) adiutum, in Siciliam venerat;) captum interemit.

Alij tradunt, HICETAM, toties licet à TIMOLEONTE victum, initâ cum MAMERCO, Catanæ; & HIPPONE, Messanæ, Tyrannis, societate, Carthaginem misisse; Qui Pœnos monerent, de Siciliâ actum, ni maturè subveniant; & Græcis potiùs, quàm Afris aut Hispanis, militibus utantur.

Pœni hactenus Græcis nũquàm usi; nũc primùm solicite

ſolicitè conquiſitus geminum ſtipendiũ pollicentur.

Hi in Siciliam delati, meautos TIMOLEONTIS abſentis milites adorti, prœlio quidem ſuperārunt; & in cæteris eo. Phocenſeis, qui ferè ſoli ex bello Sacro ſuperērant; occidērunt. Sed TIMOLEONTE redeunte, profligantur viciſsim Pœni & ſtipendiarij Græci. HICETAS, MAMERCVS ET HIPPON, capti, Syracuſis capite plectuntur. Et quòd HICETAS in uxorem Dionis, & agnatas, ſævijſſet; lege talionis in HICETAM utendum Syracuſani cenſuērunt.

PAX IBIDEM CVM POENIS.

TIMOLEON autem cum victis Carthaginienſibus ità tranſegit.

„ *Vt omneis Græcorum civitates ipſi libertate impertirent.*

„ *Et Lycus fluvius, utrorumque, in Siciliâ, provincias, diſterminaret. Neque ullis ipſi in poſterum Syracuſanor. Tyrannis opem ferrent.*

Neque ità mult. post, idem NICODEMVM, Centuripinorum; & APOLLONIADEM, Agyrinenſium Tyrannos, ad eaſdem publicæ libertatis leges adegit: & liberos pupulos ſocietate ſibi devinxit.

SICILIA RESTITVTA.

His rebus confectis, quùm propter diuturnitatem belli, non ſolùm regiones, ſed urbes etiam deſertæ eſſent; quos potuit primùm è Siciliâ conquiſivit; dein Corintho colonos arceſsivit. Sic ut veteribus civibus ſua reſtitueret; & novis vacuè-factas bello poſſeſsiones divideret.

Vrbium mœnia diſiecta, fanaque collapſa, refecit.

Et cum libertate, leges etiam meliores, auctore Cephalo Corinthio, reddidit, & publicavit.

Ex maximo denique bello, tantum otium toti Inſulæ conciliavit; ut complurium Vrbium Conditor, & priſtinæ opulentiæ amplificatōr, iure cenſeretur. Et inſignibus paſsim ædificijs, Palatijs, & templis omnia, quaſi de-integro, èxcolērentur & reſplendeſcerent.

BAGOÆ EVNVCHI FACINORA.

Hoc eodem anno ARTAXERXES OCHVS, à BAGOA Eunucho, cui plurimum præ cæteris fidei adhibuerat, vel ferro, vel veneno, ſublatus eſt.

Diodor. lib. 17. tradit, OCHVM quidem populis, ob mores ſanguinarios, minus gratum, à BAGOA, per medicum, potione venenatâ, enectum. Et BAGOAM, expromtæ ad omne, etiam iniquum, facinus audaciæ, & ſceleſtum virum, appellat. Qui factâ cum MENTORE RHODIO rerum omnium inter ſe ſocietate, amicorum & cognatorum regis potentiſsimus evaſerit; neque abſque eius conſilio quidquam à rege geſtum ſit.

Et poſt eius etiam mortem, in novorum regum electione, præcipua illius fuerit auctoritas, & ſententiæ prærogativa. Nihil ei regiæ poteſtatis, præter nomen, deruiſſe.

Ælian. l. 6. ait regem non modò à BAGOA (iampridem ob Apim Ægyptium occiſum, & Aſino immolatum, Infeſto) interfectum; ſed ipſum felibus obiectum; & cadaver aliud regio ſepulcro illatum.

OCHI quoque filios omnes è medio tollendos curavit; quò natu minimum, Arſen, ſolum, ſibi obſequentiorem haberet; & ipſe tutoris nomine regia munia obiret.

ARSES, X. PERSARVM REX.

3614. 23. Philip.		336.

ARSES itaque, (qui alijs, Arſames, & Arſiochus) impubes, & natu iunior, Patri OCHO in regnum ſuffectus, annis III. (al. IV.) ſub BAGOA, regnavit. (Annus hic fuit. V. C. CDXV. & primus Olympiad. CX. Vt quidam putant.)

PVGNA PHILIPPI AD CHÆRONEAM.

PHILIPPVS, verò, ſimul-atque ex vulnere convaluit, & quamplurimas Græciæ civitates amicitiâ ſibi coniunxit; Athenienſeis, licet nuper federatos, clade aliquâ deprimere, aut diu diſſimulatum bellum apertè ijs inferre, cogitabat.

A Senatu itaque Amphictyonum, ad reprimendos Amphiſſenſeis vocatus, quùm quaſi Pythia celebraturus veniſſet; Elatēam, urbem in Phocide ſitam, & Athenienſibus tùm obſequentem, invadit, & occupat. Eoque ſuas & ſociorum copias evocat, & exſpectat; per Bœotos, quos ſibi amicos putabat, in Atticam irrupturus.

Conſternati hoc rumore Athenienſes, inſtigante & legato DEMOSTHENE, Thebanos, quos iure metuere decebat, ne vicinum belli incendium in ſe traniret; ad opem in commune conferendam, ſolicitant.

Factâ igitur inter duas, paullo-antè infeſtiſsimas, civitates ſocietate, legationibus Græciam fatigant. *Communem hoſtem communibus viribus ſummovendum.* Qui ſi proſperè prima ſucceſſerint; ceſſaturus non ſit, donec omnem Græciam domuerit, ſibique ſubiecerit.

Motæ quædam civitates, Athenienſibus ſe iungunt. quaſdam autem ad PHILIPPVM belli metus traxit.

Athenienſes, ducibus belli CHARETE & LYSICLE, florentiſſimum exercitum in Bœotiam mittunt. Et Thebani, unà cum ijs, ad Chęroneam caſtra metati, hoſtem adventantem intrepidè exſpectant.

PHILIPPVS Bœotorum, quos initiò per PYTHONEM, virum eloquentem, fruſtrà ſolicitārat; auxilijs deſtitutus; nihilo ſeciùs cum utroque hoſte prœlio decernere conſtituit.

In Bœotiam, cum plus XXX. Peditum, & II. equitum Millib. contendit.

Ipſe ALEXANDRVM F. ætate iam puberem, & ingenio

genio fervidum, adiunctis, quos optimos habebat, ducibus, alteri cornu præfecit: partem alteram sibi regendam accepit.

Athenienses ex-adverso acies partiti, parte unâ Thebanis attributâ; sibi reliqui exercitûs regimen sumpsêrunt. Vbi ad manus ventum est; multis utrimque cadentibus, diu in ancipiti stetit pugnæ victoriæque eventus. donec ALEXANDER, facto primus impetu, hostium aciem perrupit: & turbatis paullatim ordinibus, pedem referre coegit.

Rex itidem, qui victoriæ partæ titulum filio noll-let concedere; vehementi impressione eos, qui sibi obiecti essent, loco deturbavit: ijsdemque in fugam compulsis, victoriæ auctorem se fuisse venditavit.

Sic Athenienses, licet longè maiore militum numero præstarent; à longè peritioribus ducibus, & induratâ assiduis bellis Macedonum virtute, vincuntur.

Non tamen immemores pristinæ gloriæ cecidére. quippe adversis vulneribus omnes loca, quæ ruenda à ducibus suis acceperant, morientes corporibus texêrunt. Ex Atheniensibus mille cæsi; & duplò plures capti. nec pauciores, ex Bœotis.

Hic dies, Metagitnionis VII. sive Augusti II. *universæ Græciæ, & gloriam dominationis, & vetustissimam libertatem finyße iudicetur.*

Iustin. PHILIPPVM, tradit, huius victoriæ lætitiam callidè dissimulasse: nec solita sacra eo die fecisse; nec ludos inter epulas adhibuisse. Atque inter lætitiam, (quam tacitus in sinu fovebat) & dolorem hostium; ità temperasse; ut neque apud suos exsultâsse, neque apud victos insultâsse videretur.

Diodor. contrà; Tropæum erexisse, & epinicia sacra Dijs fieri curâsse. Et traditum à quibusdam, ait, PHILIPPVM, vino à compotatione liberaliori obrutum, insolenter cum amicis saltâsse. atque ità per mediam captivorum turbam progressum, contumeliosè vinctis illis calamitatem exprobrâsse.

Sed à DEMADE Oratore, qui tunc in custodijs erat, liberiùs increpitum; *Turpe esse, & verecundum, eum, cui fortuna Agamemnonis personam adposuisset; Thersita gestus repræsentare*. Protinùs à priore animi habitu immutatum, coronas, & ornatum, contumeliæ adfinem, abiecisse. Et non modò Oratorem, iam liberum, honorificè habuisse; sed eiusdem Atticâ gratiâ mitigatum, Atheniensibus, quos infesthissimos passus fuerat; & captivos gratis remisisse; & bello cæsorum corpora sepulturæ reddidisse.

Ille, super hæc, filium, cum amico ANTIPATRO, qui pacem cum ijs amicitiamque iungeret, Athenas amandavit.

Diod. vult PHILIPPVM eâdem humanitate ergà Bœotos usum, præter præsidium Thebanæ urbi impositum.

Iustin. contrà. Non modò eorum captivos, sed occisorum etiam sepulturam vendidisse. Principes civitatis, alios securi percussisse; alios in exsilium egisse; bonaque omnium publicâsse. Pulsos deinde per iniuriam civeis, in patriam restituisse: ex quorum numero ccc. exsules, iudices rectoresque civitati dederit.

Apud quos quùm potentissimi quique, rei eo ipso crimine postularentur, quòd per iniuriam se in exsilium anteà egissent; eâ fuérunt constantiâ, ut omnes se auctores faterentur. meliusque cum rep. actum, quàm damnati essent. quàm quùm restituti; palàm confirmarent. Atque ita; *quam facto alcisci non possent, verbis libertatem usurpabant.*

LYSICLEM, qui eo prœlio dux fuerat, accusante LYCVRGO Oratore, Athenienses capite damnârunt: quòd, quo ductore ea clades esset accepta, ipse, ceu quoddam tanti probri monimentum, in forum, & in conspectum patriæ, prodire ausus esset.

BELLVM IN ITALIA, ARCHIDAMI LACEDÆM. EXITVS.

Eâdem die & horâ, quâ ad Chæronéam decertatum est, aliud in Italiâ certamen, inter Lucanos &, Tarentinos, commissum fuisse, proditur: In quo ARCHIDAMVS, Lacedæmoniot. rex, pro Tarentinis pugnans, interfectus sit.

Tarentini namque à Lacedæmonijs, uti parentibus suis, auxilia postulârant. Quò dum copias illi pedestreis ac navaleis, duce, quem dixi, ARCHIDAMO, misissent; ille à Lyctijs, (quos Cnossij, duce & adiutore PHALÆCO, urbe Patriâ, & Cretâ eiecerât) exoratus, ut sibi in patriâ reciperandâ auxilio esse vellet; in Cretam, ex itinere transmisit; & victis PHALÆCI mercenarijs, Vrbem suam Lyctijs restituit. Indè in Italiam navigans, eo, quo dixi, prœlio occubuit. Et ij omnes, qui sub illo merebant, à Lucanis cæsi, *sacrilegij, & direpti apud Delphos Oraculi*, pœnas luere iudicati sunt. Ipse regni apud Spartanos, quod XXIII. annos tenuerat, AGIDEM F. successorem reliquit.

(Circa idem tempus, TIMOTHEVS, Heracleæ tyrannus, anno Principatûs sui XIII. mortuus est. Cui DIONYSIVS F. succesit. Cuius mirifici fuére casus, & imperij incrementa, sub Alexandro Mag. eiusque successoribus. Vid. infr.

3615. 24. Philippi. 2. Arsis. | 335.

PHILIPPVS MACEDO, GRÆCIÆ IMPERATOR.

PHILIPPVS, cui ex eâ quam dixi, victoriâ, spiritus increverant, clarissimis civitatibus in ordinem iam redactis; omni ope adnitebatur, ut totius Græciæ Imperator designaretur. Et iactans velle se bellum, pro Græcis, adversùs Persas suscipere; veteresque eorum iniurias, & edita in Græcos facinora, ulcisci; omnium civitatum legatos, ad formandum rerum præsentium statum, Corinthum convenire iubet.

Ibi pacis legem universæ Græciæ, pro singularum civitatum meritis, statuit: Conciliumque omnium, velut unum Senatum, ex omnibus delegit. Et universis

versis pænè ad bellum Persicum inductis, dux ipse, & summâ cùm potestate Imperator, renuntiatus est.

Auxilia deinde à singulis civitatibus, describuntur, quæ ad bis-centena Peditum, & ad Vicena (al. Quindena) equitum Millia, præter Macedoniæ, & continiti Barbariei vireis; evaderent.

Soli Lacedæmonij, & regem, & leges contemsêrunt. *Servitutem, non pacem, rati, quam victor ferret.*

TIMOLEON autem, qui libertate & pace passim per Siciliam constitutâ, imperium deposuerat: & quod reliquum vitæ fuit, privatus Syracusis vixerat: quantumvis nullus ei honos deesset; nil itque in civitate, absque eius sententia & consilio, etiam postquàm ætate iam provectus lumina oculorum amisisset; publice gereretur. hoc anno, qui ei XIX. imperij fuit, diem obijt. à Syracusanis in Gymnasio, quod posteà TIMOLEONTEVM est appellatum, non sine insigni anniversariæ certaminum celebritatis memoria, veterum Heroum æmula, sepultus.

(ARIOBARZANES, Lydiæ & Phrygiæ, rex, an Satrapa? XXVI. annis variè cum Persis conflictatus, MITHRIDATI F. regnum reliquit.)

3616. 25. Philippi. 3. Ars. | | 334.

PRÆLVDIA BELLI PERSICI, ET PHILIPPI EXITVS.

PHILIPPVS, ut instituto in Persas bello præluderet; initio veris, III. duces in Asiam, Persico iuri obnoxiam, cum parte copiarum, transmisit; qui Græci nominis civitates in libertatem vindicent: PARMENIONEM, AMYNTAM, & ATTALVM.

Huius autem postremi sororem, CLEOPATRAM, (Plut. Attalum, Cleopatræ θεῖον, avunculum sive patruum appellat: Diodor. ἀδελφιδοῦν, patruelem) OLYMPIADE, Alexandri matre, ob stupri suspicionem expulsâ; nuper in matrimoniū receperat.

Intereà verò dum à Græcis auxilia coirent: & ipse nuptias alterius CLEOPATRÆ, Filiæ, & ALEXANDRI (quem patruum puellæ & adfinem, Epiri regem fecerat) Ægis celebraret: Et ad ludorum spectacula, (ubi & ipse, XII. Dijs maiorum gentium exæquari, & quasi XIII. inseri, non defugerat,) medius inter duos ALEXANDROS, filium & generum, sine custodibus, contenderet: PAVSANIAS, CERASTÆ F. nobilis ex Macedonibus, & Orestiade gente, adolescens, corporis regij satelles, PHILIPPVM in transitu, & occupatis angustijs, obtruncat. diemque lætitiæ destinatum, fœdum luctu funeris fecit.

Responsum acceperat rex ab Apolline, quem de bello Persico consuluerat, anceps;

Ἔστεπται μὲν ὁ ταῦρος· ἔχει τέλος· ἐστὶν ὁ θύσων.

Hoc est; Coronatus est taurus, habet finem; est qui sacrificet.

PAVSANIAS ille ab ATTALO non modò stuprum per iniuriam passus; sed convivarum etiam (Diod. multorum) lubidini, velut scortum vile, subiectus; frustrà querelam, de facti indignitate & impunitate, ad PHILIPPVM sæpè detulerat. eaque propter, iram in ipsum convertit: & ultionem, quam ab adversario non poterat; *ab iniquo, & frustratore iudice*, exegit.

Creditum est, percussorem etiam ab OLYMPIADE, regis uxore, ob repudij contumeliam, fuisse immissum. Cuius in cruce pendentis capiti, coronam auream ipsa imposuerit: & CLEOPATRAM, ceu pellicem, filiâ prius in eius gremio interfectâ; finire vitam suspendio coegerit. Et gladium, quadriga falli insignitū, quo rex percussus, Apollini cōsecrarit.

ALEXANDRVM quoque, filium, paternæ cædis ignarum non exstitisse. qui regni æmulum fratrem CARANVM (al. Attalum) ex novercâ susceptum, timeret.

Et iurgio anteà conctâ Attalum, patremque, coorto, quum ad ALEXANDRVM avunculum, unà cum matre, prius in Epirum; tum ad Illyriorum regem confugiens, vix revocatus mitigatus sit Patri.

Ipse tamen paternæ cædis conscios strenuè ultus, ab alijs proditur.

Decessit PHILIPPVS anno primo Olymp. CXI. annos natus XLVII. ex quibus circiter XXV. regnavit.

ARIDÆVM ex Larissæâ saltatrice, aliosque ex varijs matrimonijs, more tum regio, suscepit. qui partim fato, partim ferro periêre.

Sed quibus artibus Pater universi penè Orbis Imperij fundamenta iecerat; operis totius gloriam Fil. Alexander consummavit.

3617. | | 333.

NOVA BAGOÆ FACINORA.

ARSES, quem BAGOAS, Patre Ocho per summum scelus, ut diximus, interfecto; & fratribus è medio sublatis; licet minorem, in regnum intruserat; quùm palàm fecisset se de tot flagitiorum auctore pœnas aliquandò esse repetiturum; ab eodem, insidias sibi ab adolescente rege fuisse intentatas in vulgū spargēte, antè oppressus est, & cū omni prole exstinctus.

Domo itaque regiâ in solitudinem redactâ, quùm nullus ex eâ stirpe, (posterorum CYRI) superesset, cui iure successionis regnū deberetur; idem Eunuchus, unum ex amicis, cui tum CODOMANO, & posteà DARIO nomen; delegit, & regem creandū curavit.

Hunc

Hunc olim OCHVS, bello, quod Cadusijs intulit, ob hostem provocatorem, ab eo cæsum; & victoriam, sibi partam, Armenijs præfecerat.

Diodor. parùm sibi constans; Illum ARSAMIS, qui OCHO Persarum regi frater fuerat, filium fuisse tradit. Alij addunt, OSTANIS Nepotem, DARII NOTHI Pronepotem. Alijs, ipsius ARSIS filius dicitur. & OCHI Nepos. Alijs, à stirpe regiâ externus.

Et, (ut Iustin.) rex à populo constitutus, ob memoriam pristinæ virtutis: DARII etiam nomine, ne quid regiæ maiestati deesset, honoratus.

Curt. lib. 6. *Ne Darium quidem, hereditarium Persarum accepisse imperium. sed in sedem Cyri beneficio Bagoæ, castrati hominis, admissum.*

Immò & Plut. (ALEX.) Ἀσάνδην, sive Ἀσκανδην, hoc est, ἡμεροδρόμον; nuntium cursorem, fuisse memorat; ex servo, & Astande, Persici regni compotem factum. Et Ælian. δοῦλον, è servâ natum, appellat.

FINIS TOMI PRIMI.

IN HOC PRIMO TOMO, ERRATA, LEVIORIS LICET MOmenti, & operarum Typographicarum incuriâ commissa, sic emenda.

Pag.	versu
6.	sub fin. col. 2. Theodoro teste, in Ecl.
8.	25. commento, fabulæ Poet.
11.	antepænult. solitis.)
32.	18. Dele; Mesraim. & sic transpone genealogiam,
	CHAMI, qui, &c. Fil. & Nepot. { CHVS / MESRAIM / PHVT, Lib. / CHANAAN
34.	8. reginaæ, post illud, col. 2. 32. sub fin. Sabææ. MATRICES.
37.	35. sub fin. Hebr. 1880.
38.	sub fin asperitate.
30	17 sub fin. Chaldæorum, ibid. Abrahamum filium, &
24.	21. Arius (quasi
36.	38. Herem
38.	32. Phal. vers. ultimo, pincernâ
48.	27 à fine, f. (1. forte)
49.	6. col. 2. ab eo
51.	sub fin. col. 2. scillicet & Scyllæ,
53.	15. Vndè 6. sub fin. vetustissimam
58.	30. Ausonium, Occid
	26 sub fin. col. 2, Lana
	6. Ερεχθ. θυγάτηρ
14.	23. Erecthæum. intrà, Ity
12.	pænult. adcensus
60.	ult. col. 2. Rabbini memor.
62.	15. à fin. Media
87.	9. sub fin. col. 2. defluerent
92.	6. REG. DOR
93.	21. In alterum cor.
101.	21. Ipsa post.
103.	43. copiâ, Palmæ. civis.
104.	15. sub fin. col. 2 illam ant.
110.	10. oculati custod.
111.	16 ALCMENE
	4. à fin. col 2. MENELAVS
114.	3. superstitiosâ
	18. sub fin. col. 2. RAABA
115.	8. à fin. Apologo
118.	4. Ipsa
119.	16. finxère
121.	In med. post BELLVM Troiæ 1880.
122.	32. sacrum lucum
124.	3. ICETAON
138.	antepen. ARISTODEMI
148.	init. 2. col. SILOA etiam-dum.
	ibid. in med. Incendio
150.	17 col. 2 sub fin fuit. Cuius
154	sub fin. An. ant. Ch. 1050.
158.	9. aliquam multi
159.	19. armillamque detractâ.
	27 col 2 paterna
163.	19. col. 2. CNIDVS
	34. EMYZES

Pag.	versu
164.	23. col 2. Bethsabée. IEB
183.	18. Chusain Aroon.
	39. col. 2. Cæterùm
166.	18. canicitus
	6. ætatis Lit.
168.	16. qui frater
	28. filij Amar.
172.	31. substituunt.
177.	13. Regnum Iudæ.
190.	sub fin col. 2 HOMERVS
	ult. EVNOMVS
196.	19. IEHVO
197.	1. IOASO mort.
200.	27. Mille (uno, Tes)
201.	28 XLIV. Habol-assar
202.	2 col 2. Mogitibus
204.	13. Amos Thecuita
207.	9. IEHVO
209.	2. Azarias, ob. sub fin. fortiter
011.	2. col. 2. recuperanda,
213.	40. in festam
	31. col. 2. intercalando
014.	30. à fin. col. 2. Atque quò
215.	38 Caspios mons.
216.	sub fin. col. 2. Aphasaréos,
219.	30. Tobia. Pru
221.	24. col. 2. Φαίζετε,
223.	7. col. 2. sciscitantibus
226.	27. turnis fu
	44. inveniunt
229.	sub fin. col. 2 Herculis
	25. col. 2. Peterat
230.	31. imponendam
	init. col. 2. pin 236.
230.	1. col. 2. Persistantibus
233.	12. Pyram
013.	20. adversus
238.	8. cauteria
240.	24 obsid. facis
	22. col. 2 quæ tantis sceleribus se obstrinxerit, sive gladium
	11. à fin. Filijs, rog. inf. ijsdémque armis
241.	38. col. 2. promeritus
245.	14. Ægyptij
246.	28. Reliquam
	12. sub fin. col. 2. Malle
247.	10. col. 2. Ammonitarum
253.	1. col. 2 qui erat, XXII.
256.	44. col. 2. à Beatâ
257.	20. col. 2 urgentes
258.	28. attentius
	22. Procerum
	32. col. 2. communiisse
	8 à fin. commemoravit
259.	33 quadrupes
262.	1. CYRI VICTORIA

Pag.	versu
268.	21. regnis
	32 Credi possit
283.	in med. An. ant Nat Chr. 519.
274.	12. à fin. καθ' ὅλου
076.	3. à fin. ὕστερον
	Ex-adverso Artaxerxis
286.	40. Mihi cumque
287.	3. col. 2. regnum.

Adde. Cicer. 1 de Divin. Quid ego, quæ Magi Cyro illi Principi interpretati sunt, ex Dinon Persici libris proferam? Nam quum dormienti ei Sol ad pedes visus esset, ter eum scribit frustrà appetivisse manibus, cum se convolvens sol elaberetur, & abiret: ei Magos dixisse ex triplici apprehensione solis, XXX. ann. Cyrum regnaturum esse, portendi. Quod ità contigit. Nam ad septuagesimum pervenit, quum XL. ann. natus regnare cœpisset.

Pag.	versu
299.	sub med. col. 2. clarissim.
	32. col. 1. remisissent.
316.	pænult. à fin. sententiam
	28. col. 2. diu, & è propinq.
319.	32. col. 2. Pesthabi
321.	7. col. 2. dissensione
324.	13. col. 2. metuere
321.	35. conferetur,
326.	29. col. 2. deseram
327.	8. Prœlio
330.	ult Medicæ
343.	In med. Ann Ch. 441.
349.	11. possidendam
350.	in med. triceonal. ann. quâ
352.	6 col. 2. posteà
358.	28. DELIA
	30. col. 2. partem
360.	20 à fin. Δημοσθένης ἀγορὰν ἐκλιπε
361.	9. col. 2. Quadrigam suam
362.	In med. Varij prætios
	23. col. 2. Et CLEON
364.	26. Dele, Athenienses. Alterâ ex parte, &c. Et post tertium versum Demosthenes ab Atheniensibus missus est.
367.	22. exsignator
	28. col. 2. Sphagil
376.	39. ad concav. Portûs
386.	17. à fin. col. 2. Oenocrum.
	7. Statira
396.	27. Aristippus
	col. 2, 18. à fin. institutis
403.	18. col. 2. fundamenta
408.	23. col. 2. Terres.
442.	2. à fin. Dele, ob. fatt. &c.
453.	3. in med. 140.

HISTORIÆ VNIVERSÆ, SACRÆ ET PROFANÆ.

Tomus alter.

QVI EST, DE REBVS AB ALEXANDRI MAGNI MONARCHIA, GESTIS, AD salutiferum CHRISTI DOMINI Natalem.

AD ILLVSTR.mum ET REVER.mum DOM.

D. IACOBVM BOONEN,

ECCLESIÆ MACHLINIENSIS ARCHIEPISCOPVM, ET BELGICÆ PRIMATEM, &c.


Auctore D. ANDREA HOIO Brugense, Regio, in Academiâ Duacenâ, Eloquentiæ & Historiarum Professore.



DVACI,
Ex Officinâ Typographicâ BALTAZARIS BELLERI, sub Circino aureo. Anno 1629.
Cum Gratiâ & Privilegio.



Illuſtr.mo & Rever.mo
IN CHRISTO PATRI, D. FRANCISCO BOONEN.
METROPOLITANÆ MACLINIENSIVM ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPO;
ET BELGICÆ PRIMATI.
AFFLIGINIENSIS COENOBII ADMINISTRATORI.
SALVTEM, ET OBSEQVIVM.



Vsvs ſum, & pro officio meo debui, Illvstr. & R. Dom. huius Hiſtoriæ Vniverſę, & ſacro-profanæ, partem priorem; quæq; priora ab Orb. Cond. ad Christi Dom. Natalem, Sæcula cōprehendit: Sereniſſimo Principi, S. Roman. Eccleſiæ Cardinali, & Toletanę Archiepiſcopo; Hiſpaniarum Infanti & Primati. Academiæ noſtrę, ex Iuris hereditarij, & primævę fundationis, ab Avo uſque p. m. Philippo II. prærogativâ, Tutori & Patrono: inſcribere, & nuncupare. & aliquem eidem Scripto, & Auctori ſplendorem indè mutuari. Alterius Tomi, (qui pro multiplici rerū deinceps, paucioribus licet ſæculis, conſecutarum varietate, vaſtior evaſit) tutelam, Tuę, Illuſtr.mæ & Rever.mæ Dominat.i ut committerem; verecundè & prętimidè, licet multis privatim & publicè nominibus obſtrictus; induci me paſſus ſum.

Defugere etenim non potui; quin te Metropoliten meum, (qui BRVGAS, in cæteris, natale mihi solum; & non ignobile Provinciæ. V.æ membrum, latè patentibus sacræ iurisdictionis limitibus complecteris,) ac proinde Sacrorum, in potiore Belgicæ portione, Principem, agnoscerem. Cuius iudicio & Censuræ, hæc de rebus prſertim sacris Historia, Profanis pro re natâ permista, subijceretur. Quamque, tàm illustri similiter nomine præscriptam, tutò in publicum prodire; & ceu quemdam testandæ ex parte, & pro prſenti tenuitate, gratię arrhabonem, & pignus, apud te deponi posse existimarem.

Caussæ certè complures, eæque peculiares, cur Te colere, suspicere; venerari, & quo licet modo honestare; debeam, sese offerre visæ. N. Eetveldium, ad S. Donatiani, Brugis, Canonicum, virum venerandâ tum canitie & auctoritate gravem, puer olim, & eiusdem Ecclesiæ Scholæque alumnus, venerari memini; & munificum, in cęteris, studiorum meorum fautorem experiri. Quem Mater ista Tua, matronarum nostri sæculi decus, ætate & viduitate longęva, Patruum fortè agnovit. Et carissimum Coniugem, Genitorem Tuum, Curię Brabanticę Senatorem: Filiumque, natu à te proximum, magnæ spei adolescentem. (Illum medicatâ ab impijs & seditiosis potione; hunc prmaturâ Lovanij morte, sublatos) & alterum è Brimęâ gente Generum; tot annis lugére sustinuit: & nunc in Tuâ, maioris filij, Caritate & Dignitate acquiescit.

Perveterem deinde mihi, cum Amplissimo Viro, p. m. PETRO PECQVIO, Equite, Regio Ex-Legato & Consiliario, Magno Brabantiæ Cancellario, BARBARÆ, sororis tuæ, lectissimæ feminæ, Marito; ex ingenuo communium litterarum federe, familiaritatem intercessisse; & honori vertisse, gloriari possim.

Accessit huc postremò novum à Te beneficium, & gratâ memoriâ dignum. quod me vel solum, ad hocce meæ ergà V.am Illustr.mam & Reverend.mam Dominationem observantię; & paris, quo Pater filiusque obstringimur, vinculi, testimonium solenniter perhibendum, impellere potuerit.

Filium scilicet meum, primę ætatis, Timotheum, sacerdotem. qui sęcularis Pompę, & adridentis pro eo tempore fortunę transfuga;

transfuga; & in Gallicanam Proſeucham, (ſi hâc voce uti liceat) coöptatus, tantos ibidem in pietate, & Christianæ Diſciplinæ Exercitationibus progreſſus feciſſe viſus eſt: ut & in negotijs gerendis. & in ſacris pertractandis, aliquanto in poſterum uſui eſſe poſſit.

Illum, inquam; quâ neſcio ſorte deſtitutum, in familiæ contubernium; in curarum arcanorumque partem, pridem adſciſcere non es dedignatus. Quo quidem nomine cum mihi vehementer ſum gaviſus, & immortaleis T. Illuſtr.^mæ & Rever.^mæ Dominationi gratias debere profiteor; Tum illi quoque gratulari meritò poſſum; cui pòſt vulgatiora communis prudentiæ, in Romanâ & Gallicanâ Aulâ; & in eâ, quam dixi, Proſeuchâ, experimenta, coràm iſthîc oculis, ad admirandum; ad imitandum; ad prædicãdum, uſurpare licebit, tot excellentiſſimarũ virtutũ ornamenta, magno Heroë & primario Pontifice longè digniſſima.

Vt namque eximiam iſtam rerum ac ſcientiarum peritiam, cùm ſingulari iudicij acrimoniâ coniunctam, prætereamus. Iſtam *animi* minimè elati *ſubmiſſionem*; quæ vel merita ſuarum laudum præconia non ferat, aut agnoſcat.

Benignitatem; quæ in egenos facultates ſuas ut liberaliſſimè eroget. ita miſericordiſſimè diſpenſet.

Comitatem, & adfabilitatem; quæ ſine diſcrimine quemlibet ad ſe accedere; neque pro meritis triſtem decedere patiatur. Quis non admiretur; & rarũ iſtum; tum in emendandis Cleri moribus; tum in reſtituendâ Eccleſiaſtici, & Hierarchici Iuris ditione (quã τῶν ἐξαιρέτων quidam, certatim, & uno velut agmine, infringere, an coërcere! contẽdunt) Zelum, prędicet; & in ſummâ laude ponat? Qui eâ fini, ex eâ, quam dixi, Proſeuchâ, Aſcetas; illos aſſiduo Hierarcharum Subſidio, quaſi ad nutum, Devotos, peregrè arceſſierit: & maximis ſumtibus, fundoque ad ſedes locandas coëmto; Collegium ijſdem Lovanij, matrice Academiâ, aperuerit. Vndè in propinqua Diœceſeôs ſuæ opida, novum paullatim iſtiuſmodi (in Vineâ DOMINI excolendâ) Adiuvarum, examen, feliciore omine, diffumdat.

Qui in Cœnobium Affligínienſe; fidei ſuę patrocinioq; commiſſum, Lotaringicam Benedictini Inſtituti Cenſuram introduxerit. Ad quam, ceu rectiorem Salutaris Decreti normam reliqui, in Flandris Brabantiſque, eius ordinis Sodales, ſeſe conformare contendant: alijq; adſpirare incipiant.

 Et quis

Et quis profectò cordatè Catholiceque sentiens, ista, aut nulla alia, Hæreseôn, nunc passim, non in Germaniâ modò, aut Britaniâ; sed in ipsis, eheu! Belgicæ etiam nostrę visceribus grassantûm, everricula esse, non perspiciat?

Vt res nimirum Christianæ religionis, in eum locum, ex quo multis abhinc annis deciderit; sive in antiquum suum statum, restituatur.

A capite morbum medullitùs depellere: atque ita reliqui corporis vitiositatem sanare velle. Patrio quodam in commissam promiscuè plebem animo esse: eamq; non verbis solùm ad salutaris disciplinæ fidem simul & amorem, pertrahere, aut adlicere; sed morum etiam honestate, vitæque innocentia, cæteris prelucere. Caritatem denique, hoc est, Pium, & Christianis ingenijs dignum, ergà omneis generatim homines, benignitatis adfectum. non modò uti totius felicitatis, & publicę concordię matrem; sed omnium etiam dissidiorum, atque ipsarum adeò hęreseôn victricem atque interfectricem; fovére passim, atque omnium animis sedulò inculcare?

Hic itaque tàm illustrium in te Virtutum splendor, Illustr.[me] & Rever.[me] Dom. Hæc publica tàm pręclarorum Conatuum admiratio. ut quibusdam quasi radijs mentis nostræ aciem perstrinxit; ita tacitâ vi impulit, ut hocce cuicuimodi meæ, ergà tàm beneficum, & de Ecclesiâ, Réquepublicâ Belgicâ benemerentissimum Archipræsulem, observantię testimonium, publico etiam Orbis præconio subijcere non dubitarim.

Quod quidem ut æqui boni consulas; & Devs Opt. Max. Te, cum in isto summariæ Dignitatis fastigio; tum in laudabili benè de Christianitate merendi instituto, quamdiutissimè & felicissimè incolumem conservet; ex animo voveo & opto.

Duaci, Kal. Ianuar. anni ∞ DCXXIX. auspicibus,

V.[æ] Illustriss.[mæ] & Reverendiss.[mæ]

Dominat.[i] Devotissimus cliens.
Andr. Hoivs Brugensis.

ELENCHVS ET CONSPECTVS,

SIVE SVMMA TOMI II. HISTORIÆ VNIVERSÆ.

EA EST ÆTATIS QVINCTÆ PARS POSTERIOR, AB Alexandro Mag. ad salutarem Christi Dom. Natalem.

Cassandri

Cassandri filij inter se discordes.
Athenienses Demetrio se dedunt. Sparta tentatur.
79. Demetrius Macedon. rex,
80. Thebanos subigit. Ptol. Lagi, Iudæos victos in Ægyptum transportat.
81. Demetrij cum Pyrrho pugnæ.
Eius ambitio ab æmulis repressa.
Lysimachus & Pyrrhus, ex amicis, discordes.
82. Demetrij casus & Captivitas.
Lysimachi domesticæ calamitates.
Idolum Synopense.
83. Demetrij mors; & liberi.
Ptol. Philadelphus II. Ægypti rex.
84. Reip. Achaicæ initia.
Alter Gallor. in Italia motus.
85. Lysimachi, & dein Seleuci Exitus.
Antioch. Soter F. II. Syriæ Asiæq. rex.
Ptol. Cerauni perfidia, & crudelitas.
86. Ipse à Gallis cæsus. Novi Macedõ. reges.
Bellum Tarentinum.
87. Pyrrhus in Italiam transit, & cum Roman. pugnat. Altera Gallor. in Græciam irruptio.
88. Bibliotheca Alexandriæ. Lxx. Biblior. Interpp.
89. Tertia Gallor. in Græciam Irruptio.
Antigonus Gonatas eos vincit.
90. Pœnor. ad Roman. Legatio. Medici regij perfidia candidè detecta. Pyrrhus in Siciliam transit. Ptol. Philadelphi potentia.
91. Pyrrhus in Italiã redit. victus à Roman. Græciam redux turbat.
92. Eius exitus. Philadelphus Rom. amicus. Samnitium pax cum Roman. Tarentini Roman. dediti.
93. Rhegini perfido præsidio liberati, Hierõ. Siciliæ rex. Legationis violatæ Pœna.
94. Brundisini Portûs opportunitas.
Vulsinij servili malo liberati.
Romani Italiæ Domini, Siciliæ inhiant.
95. Bellum Siculum & Punicum.
Hieronis cum Romanis societas.
96. Novarum in Græcia Tyrannidum vindex Aratus.
Antiochus Theos III. Syriæ rex.
Pœnor. expeditio in Siciliã, & Romanos.
97. Classis navalis Romanor. & pugna cum Pœnis.
98. Duillij Triumph. navalis. Variè pugnatũ.
99. Coss. Roman. victores in Africã traijciũt.
Attilius, in legibus victis dandis, durior.
Eius casus, Xãthippo Lacedæm. duce.
Antiochi Thei, & Antigoni Gonatæ dissensiones, Græciæ funestæ.
100. Galli cæsi in Macedon. Fortunæ ludus ibidem alternãte inter reges victoriã.
Novus utrimque classium, in Siciliam, adparatus.
101. Crebra inter pugnas & tẽpestates naufragia. Longa ad Lilybæum sessio.
102. Reguli fidès & supplicium.
Magas Cyrenæor. rex, hostis & mòx adfinis Philadelpho fratri.
Parthorum initia.
103. Siciliç Descriptio. Lilybæum oppugnatur diu & acriter, ac defenditur.
Aratus Sicyonios tyrannide liberat.
104. Romani variè à Pœnis victi. Caussa ex superstitione in contemtum auspiciorum reiecta.
105. Arati Industria.
Variæ iterũ inter Rom. Pœnosq; pugnç.
Antiochi Thei, cum Philadelpho, bellum & pax.
106. Pt. Euergetes III. Ægypti; & Seleucus Callinicus IV. Syriæ, Reges.
Res & motus in Iudæa. Iosephi, qui Oniæ, ex sorore, nepos erat, Industria.
Claudiæ Appiæ vox fastuosa.
107. Agidis regis prçclari conatus in restituendã *ἰσονομία*, Spartæ.
Arati & Achçorum progressus, captã Acrocorintho.
108. Mors Antigoni Gonatç. Demetrius F. succedit. Motus Lacedæmone, & Agidis Exitus. Ætolorum societas cum Achæis.
109. Naval. Roman. adparatus; conflictus & victoria. Pax cum Pœnis, & finis I. belli Punici.
110. Attali Pergam. fortuna, & Liberi. Poëseos Roman. initia. Falisci subacti. Intestina Afror. seditio.
111. Motus in Sardiniã. Seditiosor. in Africã crudelitas & supplicium.
112. Sardiniam cedunt Pœni Romanis. Bellum cum Boijs & Liguribus.
113. Novi motus Spartæ rege Cleomene.
114. Bellum Gallic. & Ligustinum.
Annibal devotus Romanor. hostis. Pax irrita cum Corsis.
115. Arsacis in Parthis initia.
Motus in Epiro. Sardinia Roman. provincia fit.
116. Corsi & Ligures domiti.

Sardi

235. Philippi

ALTERA PARS TOMI II.

Bellum

Bellum Istricum. Novæ coloniæ.
304. Legationes transmarinæ. Theoxenæ facinus. Philippi filiorum discordia. Solennis lustratio exercitus Macedonici.
305. Ligurum deditio. Bellum cũ Celtiberis. Disceptatio agraria inter Pœnos & Masanissam. Bellum cum Liguribus.
306. Navalis rei cura. Philippi vani conatus: Demetrium veneno extinguit.
Bellum cum Liguribus Ingaunis.
307. Arcæ cum libris in agro repertæ. Bellum iterùm cum Celtiberis. Contrebia capta.
308. Pax cum Liguribus; cum Pœnis: Et Corsis. Decreta de militiâ Hispaniensi. Quæstio de Veneficis. Bellum iterùm de Liguribus.
309. Bellum iter. cum Celtiberis: cum Liguribus. Querelæ de Gentio rege.
310. Exitus Ptol. Epiphanis. Ptol. Philometor succedit. Lex Annaria.
Hiemis sævities. Censores Romæ inter se conciliati. Munda & Certina in Hispan. captæ.
311. Pugna ad Alcen, opidum, ibidem. Exitus Philippi Maced. eius anxietas.
312. Perseus postrem. Macedon. rex Bastarnę auxiliares Macedonum.
Triumphi de Ligurib.
313. Antiochus Epiphanes Syriæ rex. Eius hypocrisis & ambitio.
Bellum cum Istris.
314. Motus in Sardiniâ. Lyciorum de Rhodijs Querelæ.
Tribb. in Manlium criminatio.
Legatio & Querela Latin. de inquilinis.
Istri domiti. Claudij Cos. temeritas.
315. Ne fatium in Istris oppugnatur. Dirum civium facinus & cędes. Sardi domiti.
Ligures victi; iterùm rebellant.
Inopina mors Cos. Cornelij.
316. Mutina recepta. Sardi iterùm domiti.
Ligurum feritas. Omen infaustum Consulis, & exitus. Ligures cæsi.
Impia Iasonis apud Iudæos nundinatio: & publici mali labes.
317. Metus belli à Macedone. Dardani oppugnant Bastarnas. Persei mores, & inconstantia. Gravis pestilentia.
318. Pœni suspecti. Persei expeditio in Dolopas. Ipse civitates solicitat.
Ætolor. intestinus furor; & indè Cretensium. Celtiberi iterùm domiti.
319. Patavini pacati. Triumphus de Sardis. Postumius exactor res mali exempli in posterum. Ædes Fortunæ Equestris: & Iunonis Laciniæ direpta. Persei molitiones. Eius cum Eumene comparatio.
320. Ætolorum seditiones compositæ.
Legatio Antiochi Epiphanis Romam.
Corsi pacati; & Ligures.
Durities Cos. in deditios.
321. Mira locustarum lues.
Dissidia in Iudæis, & Pontificum nundinationes. Crimina in Perseum. Legatio eius Roma reiecta. Rhodij Legati intemperantia.
322. Perseus sicarios Eumeni immittit.
Attali credulitas. Indices cædis, Eumeni intentatæ. Tacitus belli in Perseum adparatus. Exambitæ regum societates. Rogatio Martia de Liguribus restituendis.
323. Disceptatio de agro inter Pœnos, & Masanissam.
Legatorum de Persei conatibus renuntiatio. Querelæ & suspiciones de Gentio rege. Reges in Asiâ Romanis fidi. Rhodij suspecti.
Belli terrâ marique adparatus.
324. Fœda mors Fulvij Pontif.
Bellum Macedonicum II.
Regum ergà Romanos studia.
Masanissæ cautio. Populorum de eodem bello opiniones.
325. Cos. Prætorumque in delectu militari nova potestas. Legati Persei, Româ, re infectâ, dimissi. Legati Romanorum provincias obnoxias partiuntur.
326. Achæi murmurant. Epirotæ parent; alij fidem operamque pollicentur.
Thessali fidi. Rex in colloquium cum Martio venit. Induciæ regi concessæ.
Bœoti Romm. se permittunt.
327. Chalcis præsidio Achaico defensa.
Legati ad Insulas. Rhodij opem pollicentur. Rex eosdẽ, & Bœotos solicitat.
Martij astus à cordatis reprehensus.
Legati regis auditi, & decedere iussi.
328. Perseus ad bellum accingitur. Copiæ & opes regis. Ipse multa opida præoccupat. Romm. in regem ducunt. Ijs Eumenes iungitur.
329. Rex Pheræos incursat. Pugna dubia. Rex prœlio victor. Pacem petit, neque impetrat.
330. Multis grata regis victoria.

Romani

Romani indignè Illyrios & Ep roras diripiunt.

354 (Em. pro 358.) Paulli & Anicij in Italiam reditus.

Galli ad pacem præfracti. Reges captivi in custodiam dati. Victores triũphant. Invidia fortunæ comes. Obtrectatio Paulli Proc. & triumphus. Eiusdẽ calamitas domestica. Triumphus Navalis Octavij.

355. Humanitas Roman. ergà Cotyn regem. Anicij triumphus de Gentio. Levitas Samaritarum.

Matathię succedit Iudas Maccabę°. Prusias rex Romę honoratur: Eius adulatio.

356. Eumenes rex urbe exclusus. Iudę & Antiochi bella. Iudæ variæ victoriæ. Severitatis Paternæ exemplum.

357. Iudas Templum expiàt. Æmuli Iudęor. domiti.

358. Temeritas Sacerdotum. Sacrilegium Antiochi, & Exitus. Eupator succedit. Horologium Romæ.

359. Octavij cædes. Paulli Æmilij abstinẽtia. Rex Eupator in Iudęos benignus; mòx alienatus.

360. Eleazari virtus. Bethsura regi dedita. Rex à templi obsidione avocatur; & cũ Iuda pacem facit. Alcimus Menelao suffectus Pontifex.

Onias Tẽplũ in Ægypto ędificat, Oniõ.

361. Vanitas augurior. Romæ. Demetrius Syriæ rex.

362. Leges sumtuariæ Romæ. Alcimus Iudam criminatur, & Demetrium in bellum concitat.

Bacchidæ sævities. Nicanor dux perfid°.

363. Idẽ vincitur & cæditur. Iudas Roman. socius. Nova Bacchidæ expeditio.

364. Iudæ generosus exitus. Alcimi exitus. Demetrij regis expeditiones.

365. Iudæi miserè afflicti. Ionathas dux electus. Bacchides in Ionathã ducit. Ultio fraterna. Perfugæ Iudæam turbant.

366. Bethagla oppugnatur. Ionathas Bacchidæ federatus. Belli Ligustini finis. Ærarium Romæ.

367. Legati Athenienſ. Philosophi. Varijs ex gentibus triumphi. Veneficij pœna.

368. Bellum cum Celtiberis. Dies Consulatui status.

Duces belli Numantini. Fastus Demetrij regis.

Alexander Veles, Syriæ rex.

369. Ionathæ societas à regib. exambitꝰ. Vectigalia Iudææ. Demetrius in pugna cadit.

370. Varia in Hispanijs prœlia. Galbæ perfidia. Syri regis cum Ægyptio affinitas. Honor Ionathæ ab ijsdem habitus. Samaritar. contentio.

371. Belli III. Punici initia. Prusiæ regis cædes.

372. De bello Punico disceptatio. Pœni se dedunt: deinde ad bellum se parant. Scipionis præclara facinora.

373. Demetrius Nicanor, Syriæ rex. Apollonius armis repressus. Scipio tutor liberorum Masanissæ.

374. Bellũ cum Andrisco. Scipio Cos. & Imperator. Alexander regnum amittit. Ionathas se purgat.

375. Alexandri & Ptolemæi regg. exitus. Scipio Carthaginem oppugnat & obsidet. Ptolem. Euergetes, Ægypti rex.

376. Bellũ Achaicum; & Corinthi exscidiũ.

377. Metelli Macedon. rara fortuna. Carthago expugnatur.

378. Bellum Viriathinum; variàque eius alea. Ionathas Arcem Sioniam obsidet: & Demetrio reconciliatur.

379. Iudæi Demetrio auxiliarẽs & fidi. Idem in eosdem iritatus. Vanitas testamenti. Antiochus Theos rex.

380. Idem Ionathæ socius. Huius Legatio Romam & Spartam.

Tres Iudæorum sectæ. Duces Demetrij fugantur.

381. Legati Romani res in provincijs transmarinis cõstituunt. Virgo sacra triumphum Patri extorquet.

Arsacidarum in Parthis regnum. Ibidem Demetrij molitiones, & casus.

382. Tryphonis ambitio, artes. Ionathas captivus.

Simõ dux electus in fratris locum. Nova Tryphonis fraus: Ionatham interficit.

383. Tryphon Syriæ rex. Simon Demetrio reconciliatus. Eius res gestæ & Æra. Legati Iudæi Romæ. Res variè in Hispan. gestæ. Metelli Cos. malignitas.

384. Censor. Romæ discordia. Pseudo-Philippus Macedo.

Iudicium de corruptela. Paterna severitas. Pax turpis cum Viriatho. Belli Numantini occasio.

Demetrius Nicator è fuga retractus.

385. Prosper Iudææ status sub Simone.

Pax cum Viriatho abrupta. illius exitus.

419. Servile



TERTIA PARS TOMI II.

559. Pax

FINIS ELENCHI SECVNDI TOMI.